ACTA
GREGORII PAPAE XVI.

VOLUMEN III.

ACTA

GREGORII PAPAE XVI.

SCILICET

CONSTITUTIONES, BULLAE, LITTERAE APOSTOLICAE, EPISTOLAE

AUSPICE

EMO AC RMO S. R. E. CARDINALI

VINCENTIO VANNUTELLI

RECENSITA ET DIGESTA

CURA AC STUDIO

ANTONII MARIAE BERNASCONI

IN SACRA THEOLOGIA ET UTROQUE IURE DOCTORIS
CATHEDRALIS ECCLESIAE SABINENSIS CANONICI POENITENTIARII, MISSIONARII APOSTOLICI
IN LYCEO SEMINARII DIOECESANI PHILOSOPHIAE IURISQUE CANONICI PROFESSORIS

VOLUMEN III.

PARS PRIMA CANONICA

ORDINE CHRONOLOGICO DISPOSITA



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MCMII.

26670

ACTA PONTIFICIA

GREGORII PAPAE XVI.

IUXTA TEMPORIS SERIEM DISPOSITA.

I.

LITTERAE APOSTOLICAE

Periclitantium puellarum gynaeceum ab administratione commissarii camerae apostolicae aufertur, illudque iterum pontificii aerarii praefecto perpetuo committitur, cum potestate designandi puellas in id gynaeceum cooptandas, et reddituum administrationem regendi resque oeconomicas moderandi [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Multiplices inter atque gravissimas apostolici ministerii curas, quibus continenter distinemur ac pene obruimur, in eam profecto singulari paterni animi Nostri studio intendimus, ut amplissima et maxima christianae caritatis et pietatis opera, quibus alma haec Urbs mirandum in modum emicat atque refulget, prospere feliciterque vigeant et floreant, ac maiora semper in dies incrementa suscipiant. Et quoniam ex tot tantisque catholicae religionis et beneficentiae monumentis atque trophaeis, quae Urbem ipsam summopere exornant, puellarum gynaecea, vulgo *conservatorii,* innocentiae perfugium, pudicitiae praesidium, egestati adiumentum, virtuti domicilium vel maxime praebent, omni certe vigilantia illorum commodo atque incolumitati consulere vehementer optamus, diligenterque perspicimus, ne quid detrimenti tam praeclara instituta capiant, ex quibus summa in christianam et civilem rempublicam bona redundant. Multa vero inter et varia huius Urbis gynaecea, in quibus puellae ad pietatem, religionem, honestatem mature fingi atque ad muliebres artes institui solent, illud certe periclitantium puellarum, vulgo *Pericolanti,* ad portam Septimianam situm, peculiarem locum tenere videtur. Etenim gynaeceum ipsum a rec. mem. Pio VI praedecessore Nostro excitatum, eo sane providentissimo consilio fuit constitutum, ut miserae praesertim puellae, quae in discrimine versantur, ac parentes publicae pontificiae mensae seu camerae apostolicae servitio in minoris gradus muneribus iam addictos amittunt, ab incommodis, periculis, insidiis ereptae, ibi in tuto collocentur, atque ad pudorem, modestiam, verecundiam, religionem rite imbutae, propriasque artes edoctae, virtutis semitam amplecti ac rectam honestamque vitam agere addiscant. Quod gynecaeum vel ab ipsis primordiis in reddituum ac rei familiaris seu oeconomiae administratione pontificii aerarii praefecto seu thesaurario, in morum vero disciplina antistiti cardinalis in Urbe vicarii vicesgerenti commissum, eorum semper regimini adeo subiectum fuisse constat, ut fel. mem. Pius VII decessor Noster, ubi illius gynaecei administrationem a praeposito negotiis publicae pontificiae mensae seu commissario camerae apostolicae geri cognoverit, administrationem ipsam ab eodem pontificii aerarii praefecto seu thesaurario iterum suscipi ac penes eum esse debere decreverit. Atque ita se res habuit donec rec. me. Leo XII, praedecessor pariter Noster, his salutaribus institutis maiora bona comparare magnopere exoptans, omnia fere mulierum gynaecea in unum quodammodo coalescere voluit, et spectatissimorum hominum consilium seu congregationem instituit, quibus bonorum administrationem atque educationis curam demandavit. Cum autem fel. rec. Pius VIII antecessor Noster, rebus omnibus maturo examine per-

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

pensis, per similes apostolicas literas, die vigesima octava augusti anno millesimo octingentesimo vigesimo nono datas, quarum initium « *Inter praeclara* », gravissimis sane de causis, huiusmodi puellarum gynaecea ad pristinum statum revocanda esse existimavit, hinc evenit, ut unumquodque gynaeceum proprios praesides et curatores iterum habuerit, quibus cuiusque gynaecei regimen, ut antea, commissum fuit atque concreditum.

Contigit vero ut in iisdem apostolicis literis periclitantium puellarum gynaecei administratio non iam pontificii aerarii praefecto seu thesaurario, sed publicae pontificiae mensae praeposito, seu camerae apostolicae commissario fuerit demandata, quo munere in praesentia dilectus filius Angelus Maria Vannini summa cum laude perfungitur, vir quidem egregius animi ingeniique dotibus ornatus, ac vitae integritate, morum gravitate, religionis, pietatis et doctrinae laude summopere spectatus, ac de Nobis deque hac Apostolica Sede egregie meritus. Iamvero cum alterum s. Pauli Anachoretae ad Quatuor Fontes gynaeceum, ad illas praecipue honesti generis puellas parentibus orbas tutandas destinatum, quarum patres camerae apostolicae operam in maioris momenti muneribus obeundis praestitere, ab eodem pontificii aerarii praefecto seu thesaurario administretur, idcirco Nobis visum est periclitantium quoque puellarum gynaecei administrationem, iterum ab ipso suscipi, quo magis magisque utriusque gynaecei rationibus, commodis, utilitatibus consuli possit, cum praesertim ambo ista gynaecea pontificii aerarii sumptibus alantur atque regantur. Itaque periclitantium puellarum gynaeceum ad pristinae institutionis normam revocare volentes, hisce literis, Motu-Proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra deque apostolicae potestatis plenitudine, commemoratis literis rec. mem. Pii VIII praedecessoris Nostri, die vigesima octava augusti anno millesimo octingentesimo vigesimo nono datis, hac in re, expresse derogantes, periclitantium puellarum gynaeceum ad portam Septimianam situm, ab administratione commissarii apostolicae camerae, auctoritate Nostra apostolica, omnino auferimus, illudque denuo, pontificii aerarii praefecto seu in tempore thesaurario, perpetuum in modum, eadem auctoritate Nostra, committimus atque subiicimus, ac propterea penes ipsum thesaurarium ius esse volumus tum alumnas in gynaeceum cooptandas designandi, tum reddituum administrationem regendi resque oeconomicas moderandi. Eiusdem autem gynaecei moderatorem in morum disciplina gubernanda atque in pietatis et religionis exercitiis peragendis, antistitem in Urbe pro tempore vicesgerentem perpetuo esse debere volumus atque mandamus, quemadmodum semper extitit.

Haec volumus, statuimus, praecipimus ac iubemus decernentes quoque has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari.

Non obstantibus praedictis rec. mem. Pii VIII praedecessoris Nostri literis, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non eiusdem gynaecei, aliisque quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia approbatis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quinta ianuarii millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno nono.

II.

INDULTUM

Fit concessio indumentorum magis insignium favore canonicorum Apuanae ecclesiae cathedralis [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum Nobis nihil gratius sit nihilque iucundius ecclesiarum praesertim cathedralium dignitati ac splendori consulere, et viros, sacro ministerio addictos, ad pietatis, religionis divinique cultus amorem excitare atque inflammare; tum alacri libentique animo honorifica insignia illis ecclesiasticis viris deferimus, qui conspicuis in templis levantes manus eorum in sancta, et diligentes decorem domus Dei, virtutum ornatu fulgere summopere student.

Exponendum Nobis curavit ven. frater Michael Orlandi hodiernus Apuan. ecclesiae episcopus, eius in votis esse, canonicorum collegium cathedralis templi Apuan. facultate donari, qua illius templi canonici focale seu col-

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

lare violacei coloris, et aureum numisma Deiparae Virginis in Coelum evectae imaginem referens, eorum vestis fissurae adstrictum, gestare possint, ut illius templi decus augeatur, atque ipsi maiore studio et alacritate tanquam lucernae ardentes in domo domini fulgere conentur. Nos igitur ipsius venerabilis fratris desideriis quam libentissime annuentes, et omnes quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, singulis quibusque Apuan. cathedralis templi canonicis, qui modo sunt quique in posterum erunt, perpetuum in modum facultatem facimus atque impertimur, ut ipsi ubique collare violacei coloris, ac parvum aureum numisma, eorum vestis fissurae adstrictum, Deiparae Virginis in Coelum evectae, cui cathedralis templum dicatum, imaginem referens, gestare libere et licite possint. Haec concedimus atque indulgemus, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non cathedralis illius templi et canonicorum collegii etiam iuramento atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima februarii millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

III.

LITTERAE APOSTOLICAE

Regiam ecclesiam s. Aloysii Gallorum Urbis, a parochialium ecclesiarum numero penitus aufert, et animarum curam, ecclesiae s. Mariae Magdalenae Clericorum Ministrantium Infirmis perpetuo committit [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ad supremum apostolicae dignitatis fastigium, nullis certe Nostris promeritis, sed ineffabili divinae providentiae consilio evecti, dum omni cura et vigilantia universi dominici gregis bono quibusque rebus prospicere summopere contendimus, ut omnes christifideles sempiternam assequantur salutem, potiori quodam studio dilectissimi illius gregis commoda procurare vel maxime optamus, qui hac in Nostra alma Urbe Nobis ante oculos continenter versatur. Et cum ex recta paroeciarum procuratione spiritualis animarum salus magnopere pendeat, tum ea omnia quam libentissime peragere solemus, quae ad ipsius Urbis paroecias prospere feliciterque moderandas pertinere posse cognoscimus. Itaque, si iustis de causis aliquam in paroeciis ipsis immutationem agendam esse animadvertimus, omni quidem alacritate operi manum admovere haud dubitamus, prout magis in Domino expedire censemus. Siquidem a dilecto filio Nostro Iosepho S. R. E. presbytero cardinali della Porta–Rodiani, Nostro in alma Urbe vicario in spiritualibus generali, accepimus dilectum filium clarissimum virum comitem Septimium de la Tour–Maubourg carissimi in Christo filii Nostri Gallorum regis christianissimi apud Nos et hanc Apostolicam Sedem oratorem, vulgo *Ambasciadore,* impense cupere animarum curam a regia ecclesia s. Aloysii Gallorum, hac in Urbe sita, Gallicae nationis, penitus amoveri, ut in eadem ecclesia commodius atque facilius divina officia celebrari possint, quae parochialibus muniis impediri solent; Nos, spectatissimi viri desideriis annuere cupientes, ipsi dilecto filio Nostro cardinali in Urbe vicario potestatem fecimus, ut cum ipso Gallorum oratore collatis consiliis, rem conficiendam curaret. Et quoniam ipsi pro singulari eorum pendentia opportunum esse existimarunt idoneos eligere viros, qui eorum nomine de hoc negotio perficiendo conventum, a Nobis postea probandum, inirent, eius rei ergo dilectus filius Fredericus de Falloux–Coudray antistes Noster domesticus ab ipso oratore, a cardinali autem vicario dilectus filius Iosephus canonicus Canali, ab actis seu secretarius tribunalis eiusdem

1 Ex opere cui titulus « *L'Église Nationale de St. Louis des Français d Rome* » pag. 335, auctore r. p. d. D'Armailhacq eiusdem ecclesiae rectore etc.

in Urbe vicarii designati fuere, qui ambo huiusmodi munere provide, sapienter scienterque fungentes, inter se statuerunt regiam ecclesiam sancti Aloysii Gallorum huius Urbis de parochialium ecclesiarum numero esse delendam, animarum curam eidem ecclesiae commissam in aliam seu in alias ecclesias transferendam, et parochi censum, non amplius a commemorata ecclesia, sed a pontificio aerario esse persolvendum. Praeterea, constituerunt spiritualem iurisdictionem, quae a parocho s. Aloysii Gallorum in singulos quosque tam in aedibus Gallicae legationis, quam academiae illius nationis, vel degentes, vel utrique quavis ratione addictos, exercebatur, parocho illi intra cuius limites ipsi morantur, omnino esse deferendam, cum praesertim idem dilectus filius Septimius de la Tour–Maubourg huiusmodi privilegio a rec. me. Romanis Pontificibus decessoribus Nostris concesso et confirmato renunciaverit. Insuper opportunum esse noverunt ecclesiasticos aliosque omnes intra domum regiae ecclesiae sancti Aloysii Gallorum habitantes, ab omni cuiusque spirituali iurisdictione exemptos esse, atque hanc iurisdictionem intra eiusdem ecclesiae et domus limites tantum earum moderatori seu superiori esse conferendam, quin tamen presbyteris ibi morantibus vel sacris operari, vel sacramentales christifidelium confessiones excipere, vel sacras ad populum conciones habere absque cardinalis in Urbe vicarii venia liceat. Denique, sanxerunt tabularium, libros aliaque omnia scripta, quae paroeciam sancti Aloysii Gallorum respiciunt, novo parocho tradenda, facto primum indice, ac testimonio relicto, ex quo ea omnia tradita atque accepta esse constet. Rebus ita communi consensu compositis, ac diligentissima Nobis relatione ab eodem dilecto filio Nostro Iosepho S. R. E. presbytero cardinali della Porta–Rodiani facta, cum suprema Nostra auctoritate opus sit ut haec omnia ad optatum exitum perducantur, ac nova instituatur paroecia, alacri libentique animo hac super re post maturam deliberationem, voluntatem Nostram patefacere non dubitamus. Itaque, Motu–Proprio, certa scientia deque Nostrae apostolicae potestatis plenitudine, regiam s. Aloysii Gallorum ecclesiam de parochialium huius Urbis ecclesiarum numero tollimus atque auferimus, atque animarum curam et spiritualem parochi iurisdictionem commemoratae regiae ecclesiae huc usque concreditam, ecclesiae s. Mariae Magdalenae Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis huius Urbis, eiusque religiosae familiae alumnis de catholica Ecclesia, de civili societate, deque hac Apostolica Sede tot sane nominibus egregie meritis, perpetuum in modum committimus et demandamus, ac propterea eamdem s. Mariae Magdalenae ecclesiam alias inter huiusce Urbis parochiales ecclesias habendam esse volumus, eamque omnibus et singulis quibusque iuribus, honoribus, privilegiis, indultis quovis nomine designandis, quibus aliae huius Urbis parochiales ecclesiae pollent, uti ac frui debere decernimus. Facultatem tamen facimus dilecto filio Nostro cardinali in Urbe vicario novos statuendi paroeciae limites, prout ipse maiori locorum atque incolarum commoditati opportunius esse existimaverit; parocho autem eiusdem religiosi ordinis annuam sexaginta scutatorum romanae monetae summam, a pontificio Nostro aerario quotannis pensitandam, attribuimus. Quapropter regiam s. Aloysii Gallorum ecclesiam ab onere persolvendi ipsi parocho quodvis emolumentum, omnino exemptum esse declaramus. Volumus autem, ut omnes cuiusque gradus, sexus et conditionis, qui Gallicae legationis et academiae illius nationis aedes incolunt, vel illis addicti sunt, spirituali in posterum illius paroeciae iurisdictioni, intra cuius limites morantur, subditi plane sint, atque idcirco, similibus apostolicis literis f. r. Pii VII, praedecessoris Nostri, die vigesima octava martii anni millesimi octingentesimi vigesimi datis, atque aliis rec. mem. Leonis XII, item decessoris Nostri super nova paroeciarum almae Urbis ordinatione kalendis novembris anno millesimo octingentesimo vigesimo quarto sub plumbo editis, de huiusmodi exemptione expresse derogamus. Concedimus vero atque indulgemus, ut ecclesiastici viri omnesque alii intra domum regiae ecclesiae s. Aloysii Gallorum morantes, qui adhuc spirituali illius paroeciae iurisdictioni suberant, ab omni alia parochiali iurisdictione liberi sint, ac moderatori eiusdem ecclesiae et domus, intra tamen utriusque limites tantum, facultatem impertimur sacramenta ipsis ministrandi, aliaque peragendi quae parochi propria sunt. Prohibemus vero atque vetamus presbyteros inibi degentes neque sacrum peragere, neque sacramentales christifidelium confessiones excipere, illorum etiam qui inibi habitant, neque sacras ad populum conciones habere, absque cardinalis in Urbe vicarii facultate: iubemus demum tabularium, libros aliaque omnia scripta ad paroeciam s. Aloysii Gallorum pertinentia, novo parocho s. Mariae Magdalenae Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis diligenter tradi, confecto primum indice, atque relicto testimonio, ex quo omnia accepta esse pateat. Haec volumus, statuimus, concedimus, indulgemus, praecipimus et mandamus decernentes has praesentes literas, firmas, validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quod spectat, et spectabit in posterum hoc futurisque temporibus, plenissime suffragari; sicque in praemissis, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi

ac interpretandi facultate et auctoritate, irritumque et inane quidquid secus, super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo*, nec non commemoratis apostolicis literis rec. me. Pii VII et Leonis XII praedecessorum Nostrorum, et eiusdem religiosi ordinis Clericorum Regularium Ministrantium infirmis, ac regiae ecclesiae s. Aloysii Gallorum, et illius domus, ac s. Mariae Magdalenae ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores, praesentibus pro plene ac sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, aliisque etiam speciali et individua mentione, ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die septima februarii millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

IV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Ad avertenda religionis pericula ab insula Mauritia, ad eam mittit vicarii apostolici munere et facultatibus praeditum Bernardum Collier, congregationis Anglo-Benedictinae [1].

Dilecto filio,
Bernardo Collier presbytero
congregationis Anglo-Benedictinae

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Pastorale officium Nobis ex alto commissum nihil Nos magis sollicitat, quam christifidelibus, ut in viam mandatorum Dei dirigantur, atque ad aeternam animarum suarum assequendam salutem opportunis praesidiis adiuventur, omni quo cum Deo possumus studio providere.

Cum itaque ex gravissimis testimoniis acceperimus, talem nunc esse catholicae religionis statum in insula Oceani Indici, quae Mauritia dicitur, ut fides catholica ibi in permagnum discrimen adducatur, nisi haec Apostolica Sedes opportunum et efficax remedium afferat, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te, pietatis, doctrinae, morum integritatis ac prudentiae laude praestantem, et rerum ad illam insulam spectantium peritia praeditum, in vicarium apostolicum commemoratae insulae eligendum esse duximus, quamplurimum in Domino confisi, quod ea quae tibi committenda censuerimus, cumulate sis expleturus.

Quocirca te, quem per similes apostolicas literas, hoc ipso die editas, episcopum Melevitanum sub archiepiscopo Carthaginensi designavimus, in vicarium apostolicum eiusdem insulae Oceani Indici, quae Mauritia dicitur, ad Nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, eligimus, constituimus et deputamus cum omnibus et singulis facultatibus, quae huius propriae sunt muneris, salva tamen semper in praemissis ipsius congregationis auctoritate.

Mandamus praeterea omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit in posterum, ut tibi in praemissis prompti pareant et obediant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere curent, alioquin sententiam seu poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctorante Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima quarta februarii millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

V.

EPISTOLA

Gratulatur praesidi novi instituti catholici in Anglia eo consilio invecti, ut catholici in fide serventur, et libri edantur ad vindicandam Ecclesiam ab haereticorum calumniis [2].

Dilecto filio
Comiti Ioanni de Shrewsbury
praesidi instituti catholici
Magnae Britanniae

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum amaritudine repleremur ob mala quotidie magis magisque in Christi Ecclesiam ingruentia, ea sane, dilecte fili, laetitiae causa

---

[1] Ex Iure Pont. de P. F.

[2] Ex eodem Iure Pont. de P. F.

permoti sumus, ut moerore illo, quo conficiebamur, non parum levati, abundantiorem animo iucunditatem perceperimus. Accepimus enim, te aliisque praeclaris piisque viris curantibus, catholicum institutum, duobus ab hinc annis inductum in Anglia fuisse, eo praesertim consilio, ut divinae Nostrae fidei asseclae sarti tectique serventur, atque immaculati Agni sponsa ab heterodoxorum calumniis per libros in lucem editos vindicetur. Quae quidem cum in maximum cedant Anglorum emolumentum, facile perspicis, dilecte fili, cur eo inde Nos gaudio perfusi simus, haeredes divinitus constituti et nominis et cathedrae illius Magni, qui Britanniam primus, idololatriae tenebris involutam, catholicae fidei face illustravit: scilicet in spem erigimur periucundam futurum, ut divinae lumen veritatis eadem denuo, qua olim, claritate Britannorum mentibus affulgeat. Nihil porro vehementius exoptamus, quam ut Anglorum gentem, tot tantisque dotibus exornatam, paterna iterum exultatione complectamur, deperditasque iamdiu oves in electum Christi gregem recipiamus. Quamobrem, dilecte fili, non possumus quin te universosque, quorum piae societati praefectus es, vehementer excitemus ad fervidas Nobiscum preces misericordiarum Patri offerendas, ut caliginem illam teterrimam, quae tot infelicium in errore versantium adhuc occupat mentes, propitius depellat, filiosque Ecclesiae ab eadem longe aberrantes ad desertae matris sinum clementer reducat. Interea tibi tuisque omnibus ad catholicum institutum quomodocumque pertinentibus apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima nona februarii millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

VI.

INDULTUM

Canonicis ecclesiae cathedralis Mutinensis facultas tribuitur gestandi tibialia violacei coloris [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam

Honorifica insignia iis profecto ecclesiasticis viris libenter concedimus, qui conspicuis in templis, divino ministerio addictis, in hymnis et canticis laudes Deo celebrant, ut ipsi magis magisque virtutum omnium splendore fulgeant, ac templorum decus augeatur. Hac sane mente Nostris similibus apostolicis literis, die decima sexta augusti anno millesimo octingentesimo trigesimo nono datis, dignitatibus cathedralis ecclesiae Mutinensis facultatem tribuimus, gestandi focale seu collare, floccum in pileo et tibialia violacei coloris, canonicis vero focale et floccum in pileo tantum eiusdem coloris. Cum autem in praesentia ven. frater Aloysius Reggianini, hodiernus Mutinensium antistes, Nobis exponendum curaverit, eius in votis esse canonicos quoque illius cathedralis templi tibialia violacei coloris posse gestare, Nos eiusdem ven. fratris desideriis libenter annuendum censuimus.

Quocirca omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, perpetuum in modum concedimus atque indulgemus, ut omnes canonici cathedralis templi Mutinensis, qui modo sunt quique in posterum erunt, non solum focale et floccum in pileo violacei coloris, verum etiam tibialia eiusdem coloris libere ac licite gestare possint et valeant.

Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quoties opus fuerit, fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum*, et commemoratis Nostris apostolicis literis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, atque illius cathedralis templi et canonicorum collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica aut quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima quarta februar. millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

---

[1] Ex Archivio Cancellariae Episcopalis Mutinensis.

VII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Paroecia s. Aegidii de Piscinale iterum instituitur, et presbyter Iosephus Core, eidem veluti parochus praeficiendus, a lege concursus solvitur [1].

Venerabili fratri
episcopo Civitatis Castelli

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exponendum Nobis curasti paroeciam s. Aegidii de Piscinale, istius tuae dioecesis, a defuncto episcopo Mondelli tuo decessore extinctam seu suppressam fuisse, eamque cum paroecia s. Mariae di Pagiale coniunctam, et partim cum alia paroecia s. Felicis di Pietralunga, attributis extinctae reditibus scutatorum tercentum triginta-quatuor parochiali templo s. Mariae, et scutatorum centum octoginta paroeciae s. Felicis. Cum autem ex huiusmodi re non leve in spiritualem animarum salutem damnum redundet, iccirco tuis esse in votis, commemoratam s. Aegidii de Piscinale paroeciam iterum reviviscere atque in pristinum statum restitui. Addis praeterea dilectum filium presbyterum Iosephum Core, vitae integritate, morum gravitate spectatum, summopere de parochiali ipsa ecclesia s. Aegidii meritum esse, propterea quod illam dote auxit, ac templum et parochiales ac colonicas aedes proprio aere instauravit. Itaque cuperes ipsum presbyterum absque concursu eidem paroeciae parochum praefici. Enixis igitur precibus a Nobis postulasti, ut pro spirituali illius populi utilitate, tuis desideriis benigne annuere velimus. Nos vero de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium conc. Trident. interpretum consilio, tibi, ven. frater, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, omnes et singulas facultates necessarias atque opportunas tribuimus atque largimur, quibus memoratam s. Aegidii de Piscinale paroeciam iterum instituere atque ad primaevum statum revocare libere ac licite possis et valeas.

Insuper eumdem dilectum filium presbyterum Iosephum Core, peculiari benevolentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, de ipsorum venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, tibi, ven. frater, eas partes imponimus atque mandamus, ut, eadem auctoritate Nostra apostolica, pro hac vice dumtaxat, a publico experimento seu concursu expedias, eique, dummodo in examine coram te sive tuo vicario generali ac tribus examinatoribus synodalibus idoneus fuerit repertus, servatis iis quae servari opus est, enunciatam s. Aegidii paroeciam pro tuo arbitrio atque certa scientia libere et licite conferas.

Haec concedimus et indulgemus, volumus et mandamus non obstantibus, quoties opus fuerit, Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo,* ac fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, aliisque etiam speciali et individua mentione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima septima martii millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

VIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Constitutiones, statuta et regulae fratrum congregationis Sacratissimorum Cordium Iesu et Mariae, nec non et Adorationis Perpetuae SS. Sacramenti Altaris adprobantur [1].

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.
[2] Ex Statutis eiusdem Congregationis.

DECRETUM

Fratres Congregationis SS. Cordium Iesu et Mariae, quorum Regulae iam anno 1819, ab Apostolica Sede adprobatae fuerant, in subsequentibus capitulis generalibus, et praesertim in ultimo, quod mense octobris anni 1838 celebratum fuit, eiusdem Instituti bono expedire duxerunt, si Constitutiones ipsae, prout plurium annorum experientia suaserit, reformarentur. Quapropter SS. Dominum Nostrum Gregorium PP. XVI deprecati, ut Statuta et Regulas, ab ipsis reformatas, auctoritate sua confirmaret, Beatissimus Pater supplices eorum preces remisit S. Congregationi negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae, quae in particulari conventu nonnullorum eminentissimorum patrum S. R. E. cardinalium, easdem Regulas discutiendas proposuit. Universa igitur rei ratione sedulo perpensa, eminentissimi patres rescripserunt Constitutiones et Regulas, in suprascriptis foliis expressas, approbari et confirmari posse, si Sanctitati suae placuerit.

Et facta de praemissis relatione Sanctissimo Domino in audientia habita die 22 augusti 1839, ab infrascripto d. cardinali praefecto eiusdem S. Congregationis, Sanctitas sua suprascriptas Constitutiones et Regulas plene confirmavit, et apostolicas litteras in forma Brevis expediri mandavit, non obstantibus prioribus Constitutionibus, a Sancta Sede adprobatis, aliisque contrariis quibuscumque. Romae.

L. ✠ S.

C. card. Patrizi, praef.

F. archiep. Tharsensis, secretar.

GREGORIUS PP. XVI.

ad futuram rei memoriam.

Romano Pontifici nihil certe gratius nihilque optabilius contingere potest, quam eorum votis annuere, atque utilitati et commodis prospicere, qui in Dei gloriam amplificandam ac sempiternam hominum salutem procurandam omni studio et contentione incumbere summopere laetantur.

Exponendum Nobis curarunt dilecti filii fratres congregationis Sacratissimorum Cordium Iesu et Mariae, atque Adorationis Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti, a recolendae memoriae Pio VII praedecessore Nostro, suis apostolicis literis decimo quinto calendas decembris anno millesimo octingentesimo decimo septimo sub plumbo datis, iam approbatae, eos, experientia duce, probe novisse regulas eiusdem congregationis, iam inde ab anno millesimo octingentesimo decimo nono, huius Apostolicae Sedis auctoritate, approbatas, reformandas esse, ut maiori instituti ipsius bono consulatur. Itaque in sequentibus comitiis seu capitulis generalibus, ac praesertim ultimo, quod mense octobris anno millesimo octingentesimo trigesimo octavo habuere, constitutiones ipsae reformatae fuere, prout instituti bonum postulare videbatur. Supplici ergo cum prece a Nobis efflagitarunt ut, suprema Nostra auctoritate, constitutiones ita immutatas confirmare velimus. Nos vero huiusmodi totam rem congregationi negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae, examinandam commisimus; quae in particulari conventu nonnullorum venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium regulas easdem discutiendas proposuit, atque universa rei ratione naviter scienterque perpensa, iidem venerabiles fratres Nostri regulas et constitutiones commemoratae congregationis, approbandas et confirmandas esse existimarunt, quemadmodum ipsius congregationis negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae, cardinalis praefectus die vigesima secunda augusti superiori anno ad Nos detulit. Iam vero Nos haud ignorantes quae et quanta bona ex hac congregatione Sacratissimorum Cordium Iesu et Mariae et Adorationis Sacramenti augusti in christianam aeque ac in civilem rempublicam redundent, piis eiusdem congregationis fratrum desideriis alacri libentique animo annuentes, eosque et alios omnes, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tamen rei gratia absolventes ac absolutos fore censentes, hisce literis, constitutiones et regulas ipsius congregationis Sacratissimorum Cordium Iesu et Mariae atque Adorationis Sanctissimi Altaris Sacramenti, immutatas seu reformatas, prout supra habita mentio est, iuxta earumdem constitutionum et regularum exemplar quod in Nostra secretaria Brevium, et penes secretarium congregationis Episcoporum et Regularium asservari mandavimus, auctoritate Nostra apostolica, approbamus, sancimus et confirmamus, illisque inviolabile Nostrae potestatis robur adiicimus, ac ab illis ad quos pertinet diligentissime servari praecipimus, et singulos quosque defectus, qui in eas condendas forsan irrepserint, eadem auctoritate Nostra supplemus et sanamus.

Haec concedimus, indulgemus, statuimus, praecipimus et mandamus, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat et in posterum spectabit plenissime suffragari, atque ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et extraordinarios et S. R. E. cardinales iudicari ac definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit; non obstantibus praedictis apostolicis literis Pii VII, praedec. Nostri, ac prioribus eius congregationis constitutionibus iam ab Apostolica Sede approbatis, aliisque apostolicis sanctionibus, dictaeque congregationis et iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, privilegiis, indultis; quibus omnibus illorum tenores praesentibus pro plene ac sufficienter expressis ac insertishabentes, hac vice tantum expresse derogamus, aliisque et speciali et individua mentione et derogatione dignis in contrarium facienbuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima quarta martii millesimo octingentesimo quadragesimo, pontibus qui tificatus Nostri anno decimo.

PRAESCRIPTA TERTII CAPITULI GENERALIS FRATRUM CONGREGATIONIS SACRATISSIMORUM CORDIUM IESU ET MARIAE NEC NON ET ADORATIONIS PERPETUAE SANCTISSIMI SACRAMENTI ALTARIS, MENSE OCTOBRIS, ANNO MILLESIMO OCTINGENTESIMO TRIGESIMO OCTAVO.

Quoniam quidem multigenera incommoda, quibus regulam etiamnunc vigentem obnoxiam esse diuturna nimis experientia docuit, plurima tum addendi, tum etiam mutandi necessitatem intulerant;

Quoniam vero congregationis nostrae sociorum maxime interest universam officiorum suorum expositionem uno quasi contuitu perspicere posse;

Capitulum generale quae sequuntur decrevit:

Art. I. Conferentur in unum codicem sub titulo: *Regula fratrum congregationis Sacratissimorum Cordium Iesu et Mariae, et Adorationis perpetuae Sanctissimi Sacramenti Altaris,* universa ad fratres spectantia; scilicet: capita et articuli prioris regulae, quaecunque non antiquata sunt; unaque omnia praescripta ab hoc tertio capitulo generali.

Art. 2. Supradicti codicis exemplar Romam mittetur, ut regula nostrae societatis, tum demum completa, Sanctae Sedis Apostolicae sanctione firmetur.

Art. 3. Eiusdem exemplaria sex, eorum omnium qui capitulo huic generali interfuerunt subscriptione et congregationis sigillo munita in totidem domibus deponentur, videlicet: Pictavii, Mimati, Cadurci, Lavallii, Caesaroduni, Rothomagi.

Art. 4. Capitulum generale, illustrissimum ac reverendissimum patrem superiorem nostrum generalem rogat, velit ad omnes congregationis domos exemplaria alia mittere, quae ipsius et consiliariorum subscriptione muniantur.

Art. 5. Capitulum generale officium praetermisisse credat, nisi significet, universae congregationis nomine, quantum sui desiderium omnibus reliquerit reverendissimus pater idemque venerabilis fundator istius societatis, Petrus–Maria–Iosephus Coudrin, eaque illius memoriam debita venerationis et grati animi testificatione consecret.

Art. 6. Capitulum generale, fratrum omnium mentis apprime conscium, non habet quidquam antiquius, quam ut summae reverentiae observantiaeque sensus proferat, quibus se unusquisque addictum ac obstrictum profitetur illustrissimo ac reverendissimo patri idemque superiori nostro generali domino Raphaeli-Petro–Dominico–Marcellino Bonamie, archiepiscopo Chalcedonensi.

Art. 7. Insuper, capitulum generale, eumdem illustrissimum ac reverendissimum patrem superiorem generalem rogat, non recuset ad universam congregationem literas scribere, per quas omnibus innotescat finis capitulo huic generali feliciter impositus.

Quod factum statutumque in capitulo generali fratrum in aedibus domus principalis congregato, die decima mensis octobris, anno Domini millesimo octingentesimo trigesimo octavo.

Sequitur regula, qualis recognita, emendata, statuta atque decreta est in praesenti capitulo generali.

REGULA

FRATRUM ET SORORUM

CONGREGATIONIS

SACRATISSIMORUM CORDIUM IESU ET MARIAE,

ET ADORATIONIS PERPETUAE SANCTISSIMI SACRAMENTI ALTARIS.

PROOEMIUM

DE FINE INSTITUTI NOSTRI.

Art. 1. Instituti nostri finis hic est: 1°. Quadruplicem Iesu Christi Domini nostri aetatem imitari: *infantiam* scilicet, *vitam absconditam, vitam evangelicam, et vitam crucifixam;* 2°. Devotionem in sacratissima corda Iesu et Mariae propagare.

2. Ad repraesentandam Iesu Christi D. N. *infantiam,* fratres scholas aperiunt gratuitas, erudiendorum gratia puerorum pauperum. Gymnasia insuper habent; dumque in ea aliquot pueros inopes gratuito admittunt, pro facultatibus uniuscuiusque domus, nonnisi officium suum persolvere arbitrantur.

Sorores pariter scholas gratuitas aperiunt, puellarum pauperum erudiendarum causa: alias insuper apud se erudiendas alendasque, pacta mercede, admittunt; puellas denique aliquot, pro facultatibus uniuscuiusque domus, gratuito educare officii loco habent, eas videlicet quarum familiae adversa fortuna utuntur.

Praeterea, iuniores clerici ad obeunda munia ecclesiastica specialibus fratrum congregationis nostrae curis praeparantur.

3. Quicumque societate nostra coniuncti sunt, *vitam D. N. Iesu Christi absconditam* imitari conantur, reparando, adoratione perpetua sanctissimi Sacramenti, iniurias sacratissimis Iesu et Mariae cordibus illatas per innumera peccatorum facinora.

4. Fratres *D. N. Iesu Christi vitam evangelicam* repraesentant, christianae fidei praedicatione et missionum exercitio.

5. Tenetur unusquisque nostrum, quantum in se est, Salvatoris nostri Iesu Christi *vitam crucifixam* imitari, studiosa simul et prudenti christianae mortificationis exercitatione, maxime autem sensuum repressione.

6. Animo tandem proponimus, omni ope atque opera incumbere ad veram et legitimam devotionem erga sacratissimum cor Iesu et dulcissimum cor Mariae propagandam, prout ab Apostolica Sede probata atque statuta est.

7. Congregatio nostra speciali patrocinio gaudet sancti Iosephi, beatissimae Virginis Mariae sponsi; sanctosque Pacomium, Augustinum, Bernardum et Dominicum protectores praecipuos veneratur.

8. Regula sancti Benedicti regulae nostrae pro fundamento est, fratres vitam communem et regularem degunt sub obedientia superioris generalis totius congregationis, necnon et superiorum specialium, prout infra explicabitur. Vota simplicia emittunt, paupertatis, castitatis et obedientiae. Perpetua ea sunt.

9. Sorores item vota simplicia perpetua paupertatis, castitatis et obedientiae emittunt: vitam communem et regularem degunt sub obedientia superioris generalis totius congregationis et superiorissae generalis sororum; necnon et superioris ac superiorissae specialium cuiusque domus, prout infra declarabitur.

PRIMA PARS

REGULA FRATRUM

CONGREGATIONIS

SACRATISSIMORUM CORDIUM IESU ET MARIAE,

ET ADORATIONIS PERPETUAE
SANCTISSIMI SACRAMENTI ALTARIS.

SECTIO PRIMA

CAPUT I.

EX QUIBUS PERSONIS CONGREGATIO CONSTET.

§ I.

De diversis classibus
in quas distribuitur tota congregatio.

1. Universa congregatio in tres classes distributa manet. Prima quidem sacerdotum est, quibus solis, post votorum professionem, *reverendorum patrum* appellatio competit: secunda fratrum choro addictorum; tertia fratrum conversorum est.

2. Sunt praeterea professi qui nondum ad aliquam classem pertinent, utpote quorum ordo fixus ratusque non sit: eos dicimus qui sacerdotii ineundi probabiliter capaces, ad hunc dignitatis gradum non sunt etiamnum evecti. Qui quidem si decursu temporis sacerdotes fiant, ad primam classem pertinebunt. Si vero, iudicio superiorum, ad id officii satis habiles fieri non posse videantur, ad secundam classem iam tum pertinent, fratrum scilicet choro addictorum.

3. Ii omnes, quos, articulis praecedentibus, supra memoravimus, congregationi nostrae, religione votorum obstricti vivunt.

4. Quilibet novitius, fratribus conversis exceptis, religionis vota tanquam scholasticus emittit, nisi prius in classem fratrum choro addictorum iam fuerit collocatus.

5. Quilibet frater, choro addictus, sive eo titulo vota emiserit, sive postea in ea classe, ut supra dictum est, fuerit collocatus, nullo unquam tempore sacerdotio initiari potest. Poterit tamen superior generalis, pro personae et domuum rationibus, assentiente maiori consilii parte, nec non moderatore loci in quo frater degit, in id annuere, dummodo et de ipsius scientia et de aliis qualitatibus, facto rite ad plures annos experimento, rite constiterit, et haec eiusdem in sacerdotium erectio in evidens congregationis commodum cessura certo dignoscatur.

6. Nemo, nisi sacerdos, neque activi neque passivi suffragii ius habet; nullo proinde in casu, qui sacerdos non sit, suffragium ferre potest, neque ad officium deligi, cui ius suffragationis delatum sit. Fratres tamen, choro addicti, si quando ex peculiari privilegio sacerdotio aucti sint, annuente superiore generali cum maiori consilii parte, poterunt admitti ad vocem dumtaxat activam in peculiaribus domus capitulis, in quibus caeteris domus patribus locus datus est.

7. Omnes in locis regularibus locum capiant hoc ordine:

p. superior;
p. prior;
p. magister novitiorum;
p. procurator;
caeteri patres consiliarii, secundum votorum professionis cuiusque antiquitatem;
sacerdotes professi, secundum votorum professionis cuiusque antiquitatem;
reliqui fratres, tum scholastici, tum choro addicti, secundum votorum professionis cuiusque antiquitatem;
ad ultimum, fratres conversi post fratres scholasticos ac fratres choro addictos, tum professos, tum novitios, eodem ordine locum capiant.

§ II.

De functionibus
ad quas fratres cuiusque classis destinantur.

8. Sacerdotes professi peculiariter destinantur ad missiones obeundas, ad iuventutem in seminariis et gymnasiis edocendam, ad alia sacri ministerii officia et varia societatis nostrae munera administranda, secundum propriam cuiusque facultatem et superiorum voluntatem.

Eos hortamur, quibus per occupationes licet, ut canonicis horis assistant.

9. Scholastici studiis operantur, usquedum in primam vel secundam classem collocati fuerint.

10. Fratrum choro addictorum, functiones ordinariae eae sunt: recitatio quotidiana canonici officii, adoratio perpetua sanctissimi Sacramenti, scholarumque gratuitarum administratio: eo autem tempore quo a praedictis officiis vacant, ad labores manuales pro cuiusque facultate et viribus adhibendi sunt.

Si qui tamen inter fratres choro addictos inveniantur, vel sacris ordinibus insigniti, vel ad artes scientiasve utiles idonei, eos p. superior immunes faciat laborum, qui ab eorum vel dignitate vel studio alieni forent; nullo autem pacto otiosos vivere permittat.

11. Fratres conversi, tum professi, tum novitii, ad operam manualem adhibentur, adorationis quoque perpetuae opus participant. Vivunt sub immediata patris procuratoris auctoritate, qui, sive per se, sive per alium sacerdotem, eorum exercitiis spiritualibus praeest, labores ordinat, atque in id maxime incumbere debet, ut eosdem religionis christianae praeceptis vitaeque monasticae disciplinis imbuat.

CAPUT II.

DE REVERENDISSIMO PATRE SUPERIORE GENERALI TOTIUS CONGREGATIONIS

§ I.

De superiore generali et de vicario generali.

12. Fratres gubernantur a superiore generali totius congregationis.

13. Superior generalis semper eligitur ad totum viae tenorem.

14. Superior generalis, statim ac fuerit electus, designabit unum vicarium generalem, qui, post eius decessum a vita, ius habeat universam congregationem gubernandi, interea dum alius superior generalis electus fuerit. Ea autem vicarii generalis nominatio fieri debet per schedulam sigillatam, quae in loco tuto ac diligenter obserato reponatur: teneturque superior generalis locum in quo schedula asservatur omnibus consiliariis suis notum facere, ne frustra quaeratur quum ea opus fuerit.

15. Superiore generali vita functo, conveniunt eius consiliarii ante viginti quatuor horarum lapsum, unaque omnes, accepta schedula, convocant patres fratresque professos, quotquot in domo primaria morantur: tum schedulam sigillatam coram aperiunt, nomenque eius qui vicarius generalis designatus est declarant.

16. Statim sub haec, universas congregationis domos de superioris generalis obitu deque vicarii generalis nominatione admonent, per communem epistolam ipsorum omnium subscriptione et congregationis sigillo munitam.

Eadem illa epistola iubentur universi patres, tum ii qui *sectionibus* circumscribuntur, tum ii qui extra sectiones habitant, suffragia dare vel transmittere pro electione eorum qui capitulo generali electionis interfuturi sunt, sicut infra explicabitur.

Praescribitur insuper omnibus capituli generalis consessoribus, ut in domum primariam tempore statuto conveniant.

Prohibentur vero consiliarii, quibus illius epistolae scribendae cura incumbit, ne hac occasione, ad suam ipsorum de candidatis opinionem aliquo verbo instillandam, utantur.

17. Si superior generalis de vita decedat, non designato vicario, tunc p. prior domus primariae, vel eius loco p. magister novitiorum eiusdem domus, vel, si uterque desit, pater votorum professione antiquissimus inter consiliarios superioris defuncti, extra p. procuratorem, gubernio totius congregationis praeerit, donec novus superior generalis fuerit electus.

Res eodem modo sancita censeatur, si vicarius designatus graviter aegrotet, vel moriatur, vel quavis alia non praevisa circumstantia impediatur quominus officii sui partes expleat.

18. Si vicarius generalis non incolat domum primariam eo tempore quo eius nominatio declaratur, eum consiliarii defuncti superioris, intra viginti quatuor horarum lapsum, ea de re certiorem faciant per literas ipsorum omnium nomine communiter scriptas; iubeantque, in nomine sanctae obedientiae, ut munus illud subeat, et ad domum primariam intra decursum trium dierum proficiscatur, nisi gravissima aliqua circumstantia obstet.

19. Si superior generalis extra domum primariam vita functus fuerit, superior domus in qua diem supremum obiit, vel, si extra societatis domicilia decesserit superior illius loci vicinior, de eius obitu consiliarios domus primariae quamprimum certiores faciet.

§ II.

De iis
qui possunt eligi in superiorem generalem.

20. Ii soli in superiorem generalem eligi possunt: 1°. Vicarius generalis qui a superiore defuncto designatus fuerat; 2°. Patres omnes qui annorum quadraginta aetatem compleverunt, ac decem annos a professione votorum peregerunt. Quaelibet alia electio irrita iure decernitur et est.

§ III.

De iis
per quos superior generalis eligitur.

21. Ius habent electionem superioris generalis participandi: 1°. Vicarius generalis a su-

periore generali defuncto vel a capitulo generali designatus; 2°. Omnes consiliarii domus primariae; 3°. Ii omnes qui, iuxta articulos paragraphorum 2 et 3 capituli tertii praesentis regulae, ius habent interesse capitulo generali. Quum enim superioris generalis electio res maximi momenti censeatur, sancitum est eam perfici debere in capitulo generali, per eos quibus eidem assistendi ius competit.

22. Quando capitulum generale superioris generalis eligendi causa celebratur, delegatorum nominatio in Europa absolvenda erit intra duos illos menses qui proxime ab obitu superioris generalis fluxerunt: extra Europam autem absolvatur apto tempore, ita ut delegati ad domum primariam pervenire possint, ante quatuor menses ab obitu superioris generalis elapsos; nunquam enim novi superioris generalis electionem ultra quatuor menses producere licet.

Ubi igitur quatuor menses ab obitu superioris generalis fluxerunt, novi superioris electio in domo primaria instituitur. Universi patres fratresque professi spiritualia exercitia adoriuntur, quae quidem per tres dies integros perdurent. Si qui electores non adfuerint primae sessioni quae quarta die mane habetur, admitti poterunt ad sessiones quae deinceps habebuntur, neque ullum ipsis ius erit reclamandi adversus habitas, ipsis absentibus, sessiones.

§ IV.

De dispositionibus praeparatoriis ad superioris generalis electionem.

23. Quarta igitur die mane celebrabitur missa de Spiritu Sancto, cui praemittetur hymnus *Veni creator*. Omnes patres fratresque professi ibidem assistent. Completa missa, quicumque iuxta regulam, superioris generalis electionem participaturi sunt, genu flexo coram altari, his verbis singulatim iurent: *Iuro, Deo teste, me N. ex conscientiae praescripto suffragaturum, uniceque ad Dei gloriam et maximum congregationis bonum spectaturum: sic me Deus adiuvet et sancta eius evangelia.*

Quae dum unusquisque pronuntiat, manus habet extensas super librum evangeliorum, ad diem 24 augusti, in festo s. Bartholomaei apostoli, e regione apertum.

24. Inde ingrediuntur electores comitium, quod ea de causa institutum est; nec iam inde conventum solvere possunt, quin superiorem generalem elegerint. Vicarius generalis praeest huic electioni. Ipso absente, vel ex legitima causa praepedito, praeerit prior domus primariae: in eius locum, ubi opus sit, supplet magister novitiorum; qui pariter si desit, pater ex consiliariis defuncti superioris generalis antiquior professione votorum succedit.

25. Ut res expeditior fiat, praeparandus fuit catalogus, patrum omnium, qui ad electionem sunt habiles, nomina complectens. Ideo, asservari debet in domo primaria codex, in quem conferantur patrum fratrumque professorum omnium nomina, unaque dies natalis et tempus professionis eorumdem.

26. Catalogus eorum qui ad electionem habiles sunt nomina complectens, statim ab obitu superioris generalis, ad omnes congregationis domos quamprimum transmittendus fuit. Quatuor etiam eiusdem catalogi exemplaria singulis electoribus tradentur, quum primum ad domum primariam pervenerint.

§ V.

De electione superioris generalis.

27. Ubi, electoribus in comitio congregatis, ad scrutinium venitur, quilibet elector avellit ex uno quatuor codicum nomen illius quem in superiorem generalem eligit, complicatumque in urnam demittit, reliquum vero catalogum in capsulam apte comparatam reponit.

28. Suffragia coram omnibus promulgat pater praeses capituli a duobus scrutatoribus adiutus, quos iam ante ad id officii patres electores designaverunt.

Quicumque *maioritatem absolutam,* hoc est, unum vel plura ultra dimidiam suffragiorum partem habuerit, superior generalis declaretur. Vicarius generalis, si eodem suffragiorum numero cum aliis patribus adsciscatur, privilegio fruitur, quo caeteris praeferendus erit, et rite ipse electus edicatur et sit.

29. Si primum illud scrutinium *absoluta maioritas* secuta sit, illico, post recensita suffragia, omnes schedulae quae in urnam fuerant demissae, simulque ii catalogi a quibus schedulae avulsae erant, comburantur.

30. Si vero primum scrutinium *absoluta maioritas* non secuta sit, quilibet elector ab alio catalogo avellit nomen illius quem in superiorem generalem eligit, et iterum, modo supradicto, fit scrutinium. Si in secundo scrutinio *maioritatem absolutam* nemo assequatur, ad tertium eodem modo progrediendum erit.

31. Si pariter absque electione tertium scrutinium contigerit, quartum habeatur, in quo tamen pro iis dumtaxat suffragium ferri poterit, qui in tertio suffragium habuerunt ad officium superioris generalis.

32. Si et quartum hoc scrutinium optato electionis effectu caruerit, quintum et ultimum habebitur in quo pro uno ex iis tribus qui maiori suffragiorum numero in quarto honorati sunt, conferri suffragium datum est.

33. Cui maior pars in quinto hoc scrutinio favere adinveniatur, is superior generalis esse decernitur, et illico in id munus adscitus pa-

lam renuntietur. Si paria suffragia recenseantur, ille qui est antiquior professione, et inter professione pares provectior aetate, electus edicatur.

Schedulae et catalogi, quibus ad scrutinia electores usi sunt, comburantur.

34. Quoniam difficultatibus omnibus occurrere interest, si candidati duo pluresve aequata suffragia sortiti, eadem die diversis in domibus vota professi essent, unde quisnam professione votorum sit antiquior sciri non posset; qui aetate antecedit, superior generalis denuntietur.

35. Peracta electione, quicumque capituli generalis consortes fuerunt, una cum patribus fratribusque professis qui domum primariam incolunt, in ecclesiam se conferant, gratias Deo persoluturi; hymnique *Te Deum etc.* solemni cantu omnia absolvantur.

36. Ante electorum discessum scrutatores rei gestae acta scripto referent, quae omnium electorum praesentium subscriptione communientur. Acta illa eorum tantummodo nomina continebunt qui in unoquoque scrutinio suffragia obtinuerunt; praeferent simul, quot suffragia singuli confecerint.

§ VI.

Quomodo superior generalis in possessionem veniat.

37. Si superior generalis, eo tempore quo eius electio perfecta est, in domo primaria non praesto sit, illum ea de re certiorem faciant, ante viginti quatuor horarum lapsum, literae eorum omnium, qui capituli generalis consortes fuerunt chirographo subscriptae: quibus literis iubeatur, in nomine sanctae obedientiae, excepto alicuius gravissimae circumstantiae casu, munus istud suscipere, et, ante dies octo elapsos, ad domum primariam iter intendere.

Si superior recens electus in Europa habitet, eas ipsi literas unaque actorum electionis exemplar, electorum omnium chirographo subscriptum, deferat consessor aliquis capituli generalis, qui ad id officii capituli eiusdem suffragiorum maioritate relativa deligetur.

Si extra Europam moratur, satis erit ad eum literas et acta supradicta mittere.

38. Superior generalis, die et hora a se praefinitis in possessionem veniendi, ad ecclesiam se conferet, solemni agmine comitantibus patribus fratribusque professis, quotquot in domo primaria praesto sunt. Tum, flexis coram altari genibus, hymnum *Veni creator* incipiet, quem patres fratresque praesentes cantu absolvent. Hymno completo, orationem convenientem cantabit.

Inde vicarius generalis, vel, eo absente, pater prior domus primariae superiorem generalem deducet ad locum ipsi in ecclesia addictum; et continuo cantabitur hymnus *Te Deum* etc. Patres interea fratresque professi coram superiore vicissim genuflectant, quibus ille singulis benedicat.

Superior generalis, nisi eo ritu, sive per se, sive per alium quemcumque volet, in possessionem venerit, congregationis administrationem capessere non potest. Res gerit interea vicarius superioris defuncti, vel, si ille absit, p. prior domus primariae, vel, eo impedito, magister novitiorum eiusdem domus, vel tandem pater votorum professione antiquissimus inter superioris defuncti consiliarios.

§ VII.

Officia et praerogativae superioris generalis.

39. Reverendissimus pater superior generalis domum primariam ut plurimum incolere tenetur.

Patres omnes fratresque genuflectant quoties ab ipso alicuius rei veniam rogabunt.

40. Apud domos singulas, dummodo loci natura non obstet, sit sedes superiori generali reservata, tum in choro, tum in capituli et consilii locis: eam, dum abest superior generalis, nec ipse superior localis occupet.

41. Ut congregationis negotia expeditiora fiant, superior generalis unum saltem scribam habeat.

42. Si longulam profectionem aggrediatur, patrem unum sibi comitem adiungat, fratremque insuper unum ducat, cuius opera uti possit.

43. Superior generalis subvenire quantum in se est tenetur iis domibus, quarum reditus sumptibus non suppetunt.

44. Superior generalis in domo primaria codicem habeat, in quem referatur nominatio eorum omnium quos ad munus aliquod, sive in domo primaria, sive in domibus aliis, designavit.

45. Superior generalis quotannis mittat ad omnes congregationis domos catalogum eorum qui hoc ipso anno vota emiserunt numerum praeferentem, unaque professionis tempus, eorumdem nomina et praenomina, quo nomine tandem et in quo ordine unusquisque vota pronuntiaverit. Si quis professus intra anni curriculum de vita decesserit, eius obitus dies ibidem indicetur.

46. Quandoquidem necesse est ut universis societatis nostrae consortibus vel renovare vel confirmare interiorem vocationis suae spiritum vacet; omnium autem plurimum interest, ut superior generalis eos quibus praefectus est, ma-

xime vero quotquot munera administrant, apprime pernoscere possit, eos ad domum primariam quandoque arcessere tenetur.

§ VIII.

De consilio superioris generalis.

47. Superiori generali, quo facilius officii sui partes expleat, consilium additur, quod ex patribus quinque constet: videlicet, p. priore, p. magistro novitiorum, p. procuratore, et aliis duobus.

Si vero novitiorum domus a domo primaria distet, ita ut p. magister novitiorum consilio interesse vulgo nequeat, suo quidem iure non destituitur, sed superior generalis consiliarium alterum designat; quo posito, ex patribus sex consilium constabit.

48. Si deinceps, negotiorum ratione habita, hunc consiliariorum numerum non satis esse superiori generali visum fuerit, ius ille habeat, assentiente capitulo generali, plures consiliarios instituere.

49. Consiliarii superioris generalis eliguntur in congregatione generali. Deinceps in congregatione quinquennali de iis eligendis agitur. Confirmari libere possunt in munere: ius erit superiori generali, auditis consiliariis, eos substituere usque ad congregationem qui interea temporis teneant munus loco defunctorum vel dimittentium officium: eos autem removere, nisi re cum aliis consiliariis perpensa, liberum non est superiori generali.

50. Nemo consanguineus affinisve superiori generali ad secundum usque gradum inclusive, in priorem magistrumque novitiorum, aut in procuratorem, aut etiam in consiliarium domus primariae deligi possit.

51. Superior generalis neminem sibi consanguineum aut affinem intra secundum gradum, ad officium visitatoris nominare possit, nisi assentiente, per secreta suffragia, maiore consilii sui numero. Ita porro nec in consilio propinqui superioris generalis admittendi sunt.

52. Patres duo, qui inter se consanguinei affinesve ad secundum usque gradum forent, consilii eiusdem domus, sive primariae, sive secundariae, participes simul esse nequeant.

53. P. procurator, si ab officio removeatur, praesente consilio, rationes edat; quibus, ex tabularum cognitione, expensis atque confectis, tabulas tradet ei qui in eius locum suffectus est: pecunias item caeteraque eiusmodi, resque omnes quas in manibus ut procurator habuit, superiori generali, vel, eo annuente, novo procuratori transmittet. Haec autem omnia in acta consilii referantur.

54. Si p. procurator administrationis suae tempore intereat, eius tabulas superior generalis ipse consilii recognitioni submittit; eaque, nonnisi confectis rationibus, novo procuratori traduntur. Fit praeterea recensio, tum pecuniae caeterorumque eiusmodi, tum aliarum rerum, quas procurator defunctus in manibus habuit: quaecumque autem gesta sunt, in acta consilii referuntur.

55. P. procurator tertio quoque mense superiori generali rationes edat: eidem, tertio quoque mense, aut etiam maturius, si iusserit, pecunias dinumeret, caeteraque eiusmodi tradat, quae in manibus ut procurator habere potest.

56. Quaecumque res in deliberationem apud consilium venerit, per tacita suffragia finem habeat; ipse vero rm̃us p. superior generalis palam suffragetur. Tunc, si forte suffragia aequata cesserint, ea sententia vincet pro qua stabit superior generalis.

Eodem privilegio gaudeat p. prior aliusve consilii praeses, quoties superior generalis non praesto fuerit.

57. Superior generalis bis in mense consilium congregabit. Quilibet consiliarius ius habet ea proponendi quae ad societatis commodum opportuna arbitratur: hoc pacto proposita res in deliberationem deducitur.

58. Superior generalis nihil quidquam, absque consilii assensu, decernere potest, quando res gravis negotiumve magni momenti agitur, tum in spirituali, tum in temporali ordine: ut puta, si domum novam fratrum instituere cogitet; si missiones intra vel extra Europam ordinandas censeat; si regulae articuli ancipitis significationem, interea dum capitulum generale convenerit, statuere oporteat; si qua missionibus externis praescripta, quae apud regulam desiderarentur, interim promulgare opus sit, etc.

59. Superiori generali, quandocumque res gravis agitur, si consilii maior numerus non consenserit, ultra progredi non licet: nulla item consilii deliberatio in actum evadere potest, quin superior generalis rem assensu suo comprobaverit.

60. Quando vero urgebit necessitas, reique ad consilium referendae facultas non aderit, superiori generali liceat omnia quantumvis gravia, suo arbitratu statuere; ea autem, ut primum poterit, cum consilio communicet.

61. Sit in domo primaria codex in quo cuiusque sessionis dies indicetur; eodem referantur quaecunque censuit consilium. Si de re magni momenti pronuntiatum est, acta deliberationis consiliariorum chirographo semper subscribantur. Is autem codex apud domum primariam atque in manibus superioris generalis semper remaneat.

62. P. prior, secundae auctoritatis iure post superiorem generalem, domum primariam administrat; imo, universam congregationem regit, si superior generalis aberit aut aegrotabit,

aut vita functus erit; dummodo, in hoc ultimo casu, defunctus superior vicarium generalem non nominaverit, aut vicarius designatus non praesto sit.

Nulla p. priori licet ferre praescripta, nisi ea sint ad tempus. Quaecumque autem praescripserit, superioris generalis voluntati permittere tenetur, intra dies octo, postquam ille peregre rediit, aut convaluit, aut in possessionem venit.

Si p. prior absit aut aegrotet, aut e vita decesserit, eodem iure congregationem administrabit p. magister novitiorum, vel, eo deficiente, pater professione votorum antiquissimus inter consiliarios domus principalis, p. procuratore excepto.

Quisquis loco superioris generalis congregationem regit, consilii assensum requirere tenetur, pro modo et circumstantiis supra indicatis.

§ IX.

De abdicatione superioris generalis.

63. Ut superior generalis officio abdicare se possit, tenetur capitulum generale convocare, nisi eo tempore collectum sit; et bis tertia suffragiorum pars in superioris abdicationem consentiat necesse est.

64. Si superioris generalis abdicatio, modo supradicto, rata facta fuerit, nominatio ab ipso facta vicarii generalis iure nulla et invalida erit: at capitulum generale suffragiis tacitis, per *maioritatem absolutam,* vicarium illico designabit, qui congregationis administrationem capessat; inde, ad electionem novi superioris iuxta modum praescriptum venietur.

65. Dum ea vicarii generalis electio agitur, si nec primo nec secundo scrutinio *maioritas absoluta* confecta fuerit, tertium fit scrutinium; sed tunc electores suffragari non possunt, nisi duobus iis patribus qui in secundo scrutinio maiorem suffragiorum numerum obtinuerant.

66. Si candidati tres aut amplius, maiorem prae aliis suffragiorum numerum, sed parem inter se, in secundo scrutinio collegerint, nemini, nisi candidatis supradictis, in tertio et ultimo scrutinio electores suffragari queant.

67. Si candidatus unus maioritatem suffragiorum relativam in secundo scrutinio confecerit, illi autem qui eum proxime sequuntur aequata inter se suffragia habeant, electores in tertio et ultimo scrutinio, ei tantum candidato suffragentur qui iam *maioritatem relativam* obtinuit, vel iis qui proxime ab illo aequata inter se suffragia habent.

68. Si in tertio illo et ultimo scrutinio, candidati duo pluresve parem suffragiorum numerum consecuti sint, votorum professione inter eos antiquissimus, vicarius generalis declaretur. Si eadem die vota emiserint, is qui aetate antecedit vicarius generalis renuntietur.

69. Vicarius generalis, sive a superiore, sive a capitulo generali nominatus sit, privilegia eadem obtinet.

CAPUT III.

DE CAPITULO GENERALI.

§ I.

Quo tempore capitulum generale convocandum sit.

70. Capitulum generale totius congregationis vicem repraesentat, deque omnibus ad ipsam pertinentibus, supremo iudicio statuendi ius habet.

71. Quinto quoque anno, cum tardissime, in domo primaria congregationis, celebretur capitulum generale, quod iam nunc indictum maneat in calendas septembris quinti cuiusque anni, videlicet: 1843, 1848, 1853, etc., eodem semper ordine.

Capitulum generale ad diem usque quintam decimam octobris produci potest, si congregationis negotia eam prorogationem postulent.

72. Licet superiori generali, gravissimas ob causas, utputa turbulentas res, capituli generalis convocationem differre, vel ut illud in domo altera congregetur iubere; sed ea lege, ut maior consilii numerus in eamdem cum ipso sententiam, tacitis suffragiis, venerit.

Quod si ea capituli generalis vel dilatio vel mutatio succedat, superior generalis universas congregationis domos opportune, quantum licebit, rei huius admonere tenetur.

73. Licet superiori generali ante annum quintum capitulum generale convocare, quandocunque necessarium arbitratur. Quamvis autem ea capituli extraordinaria convocatio facta sit, manet tamen lex quae eiusdem capituli congregationem quinquennalem praecipit: ideoque, capitulum generale statuto tempore semper celebretur, licet intra quinquennium praeter solitum congregatum fuerit.

Si tamen praedictae convocationis tempus, tempori convocationis iuxta regulam solitae nimis vicinum foret, utputa, si convocatio extraordinaria biennio ante convocationem solitam facta fuisset, tunc capitulum per regulam indictum differretur, hac tantum vice, in tertium a capitulo extraordinario annum, calendis septembris; ac deinceps legitima series redintegranda foret.

Unde consequitur, si capitulum generale extraordinarium, exempli gratia, anno 1841 convocetur, capitulum generale ordinarium, quod

alias anno 1843 celebrandum esset, nonnisi anno 1844, calendis septembris, inchoandum esse; sequens vero capitulum in annum 1848, iuxta regulae placitum, indictum manere.

74. Quoties capituli ordinarii celebratio capituli extraordinarii interventu differetur, ea de re admoneantur omnes congregationis domus, ut patres fratresque omnes temporis quo incipiet capitulum generale certiores fiant.

75. Reverendissimus pater superior generalis supplicationes ad Deum decernere curabit, quae in omnibus societatis domibus per omne capituli tempus fiant, ut a sancto Spiritu lumen coeleste impetrari possit.

§ II.

Quinam capituli generalis consessores sint.

76. Capitulum generale constat:

1. ex vicario generali a superiore vel a capitulo designato;
2. ex omnibus superioris generalis consiliariis;
3. ex certo tum superiorum localium, tum delegatorum numero, sicut in articulis sequentibus iam iam explicabitur.

77. Quinto quoque anno, capitulum generale universas societatis domos in plures *sectiones* describit; ita tamen ut singulae *sectiones* domos quinque saltem complectantur.

Unicuique *sectioni* domus *centralis* ab eodem capitulo generali assignatur.

78. Capitulum generale hoc anno 1838 congregatum, domos congregationis in *sectiones* describendas, domumque *centralem* cuique *sectioni* assignandam, reverendissimo patri superiori generali et eiusdem consilio, hac vice simplici, permittit.

79. Si nova domus, medio duobus capituiis tempore, instituta fuerit, eam superior generalis, cum assensu *maioritatis* consilii, alicui sectioni adscribere potest, dum capitulum generale ea de re statuerit.

80. Iure consessor est capituli generalis, superior unus *localis,* in singulis *sectionibus;* ille scilicet, qui in officio constitutus eo tempore quo capitulum generale indicitur, diutissime superioris munus sustinuit, sive in eadem domo, sive in pluribus, sive aliqua intermissione, sive nulla.

Si superiores duo in eadem sectione per tempus aequale superioris munus sustinuerint, ille qui votorum professione antiquior est, at si eadem die vota emiserint, ille qui aetate antecedit, capituli generalis particeps fiat.

81. Si superior ille *localis,* qui ius habet, sicut dictum est, capitulum generale participandi, ad conventum se conferre nequiverit, tum vero capituli sit particeps superior alius eiusdem *sectionis* qui proxime a primo reliquos antecellit, sive *superioratus* antiquitate, sive votorum professione, sive aetatis provectu, dummodo a patribus *sectionis* suae non fuerit delegatus.

Si enim secundus ille superior a patribus *sectionis* suae delegatus fuerit, ipsi subrogetur tertius superior, qui, modo supra dicto, secundum proxime sequitur; ita ut singulae *sectiones* superiorem unum capituli generalis iure participem semper habeant.

82. Iure consessor est capituli generalis superior uniuscuiusque domus extra Europam sitae, quando ea domus nulla *sectione* circumscribitur. Praedictus superior capituli generalis operationes participandi ius habet, quocunque modo et quacunque de causa illud congregatum sit.

83. Iure consessor est capituli generalis pater provincialis missionum externarum. Si vero ad conventum se conferre nequeat, patrem aliquem missionarium, quemcumque voluerit, designandi ius habet, qui partes eius suscipiat, et capitulo generali interesse possit.

84. Praeterea, cuiusque sectionis patribus ius est, aliquot ad capitulum generale delegatos e suo numero designare. Singuli autem delegati in *sectione* propria nominandi sunt, ea ratione, ut, pro quinque sacerdotibus professis, unus designetur.

85. In posterum, postquam societatis nostrae sacerdotes multiplicati fuerint, delegatorum nominatio non pro ratione numeri supradicti fiet; at capitula generalia plures quam in praesenti patres ad unius delegati nominationem exigent.

86. Delegati in unum tantum capitulum nominantur: novo igitur indicto capitulo, quacunque de causa, nova delegatorum nominatio facienda est.

Si tamen capitulum, superioris generalis eligendi gratia convocatum fuisset, superior vero designatus munus illud se suscipere negavisset, tunc quidem iidem delegati, una cum aliis capituli consessoribus, alium illico superiorem generalem, pro iure in se collato, eligerent; eo quod videlicet electio perfecta esse non censenda est, quando superior generalis munus delatum non suscepit.

87. Nec etiam delegatorum aliorum nominatione opus sit, si, post indictum coeptumve capitulum, superior generalis vita functus sit. At continuo sessiones capituli manent suspensae; patres fratresque omnes quicunque in domo primaria praesto sunt, trium dierum exercitia spiritualia auspicantur; quarta autem die, fit novi superioris electio, ut antea digestum est; neque capituli sessiones redintegrandae sunt, nisi facta et perfecta electione.

Si superior recens electus non praesto sit, capitulum generale ea tantum negotia inter

expectandum expediat, quae graviter instare, et nonnisi ad privatum aliquod commodum spectare constabit; praescripta autem aut ordinationem aliquam statuere omnino non valeat.

88. Quotiescumque capitulum generale superioris eligendi causa indictum est, superior generalis recens electus, si in possessionem venerit ante conventus dimissionem, cum praedicto capitulo de congregationis rebus legitime agere potest.

§ III.

De tempore et modo electionis delegatorum.

89. Delegatorum nominatio, quoties superioris generalis electio agitur, tempore fiat praestituto. Eamdem, si capituli quinquennalis causa facienda est, duobus ante coeptum capitulum mensibus absolutam in Europa esse oportet; extra Europam autem, tempore congruo perficiatur, ut delegati in domo primaria praesto esse possint, quando ex regulae praescripto capitulum generale inchoandum erit.

Si capitulum generale praeter solitum indictum est, delegatorum nominatio eo tempore fiat quod in litteris, per quas conventus vocatur, praefixum est.

90. Quum delegatos nominandi tempus aderit, singularum domuum cuiusque *sectionis* superiores, ad domum centralem suae *sectionis,* si possint, se conferant: si cui vero aliter visum fuerit, at certe aliquem e domo sua patrem mittat, dummodo nulla magni momenti res obstiterit. Caeteri patres schedulas sigillatas mittant.

91. Unaquaeque schedula tot nomina contineat, quot in ea *sectione* delegati nominandi sunt; ita ut nempe, si una *sectio* patres quinque aut plus eo, necdum autem decem haberet, unus tantum delegatus designandus foret; si patres decem aut plus eo, necdum autem quindecim contineret, delegati duo designandi forent; si denique patres quindecim aut plus eo, necdum autem viginti complecteretur, trium delegatorum nomina in schedulis inscribenda essent, etc.

92. Ut primum schedulae patrum suffragia inscriptae ad domum centralem pervenerint, illius domus superior quotquot praesto sunt patres congreget. Coacto coetu, schedulae patrum absentium suffragia praeferentes in urnam demittantur, et suam unusquisque patrum praesentium eodem deponat. Tum scrutatores duo suffragiorum pluralitate designentur, quibuscum domus centralis superior coram coetu schedulas aperiat. Quicunque autem suffragiorum *maioritatem relativam* confecerint, delegati declarentur.

Si duo pluresve parem suffragiorum numerum habeant, ille qui votorum professione antiquissimus est, aut si eadem die vota emiserint, ille qui aetate antecellit, iure delegatus habeatur.

93. Absoluta electione, rei gestae instrumentum conficiatur, quod domus centralis superior, et quotquot patres praesto sunt, chirographo suo subscribant. Plura item eius instrumenti exemplaria, eorumdem chirographo subscripta conscribi oportet, quorum unum in archivo domus centralis servetur, aliud ad domum primariam illico mittatur, caetera autem delegatis singulis aut dentur aut mittantur.

94. Si quis pater ab ea *sectione* in qua census est, aut a domo aliqua, quae nulla sectione circumscripta, ius tamen habeat delegatos nominandi, cum superiorum permissu, aliquantisper abest, simulque nominationis faciendae tempus incidit; ille tamen suffragium mittat, vel ad domum suae sectionis centralem, vel ad domum propriam, si delegatos nominandi iure illa gaudeat, perinde ac si solitum commorationis locum in praesentia incoleret.

95. Domus principalis in nulla *sectione* censenda est. Omnes patres eius domus incolae delegatos e suo numero pro ratione supradicta designabunt.

96. Si qua domus extra Europam sita, ob longinquitatem nimiam, in nulla *sectione* censa erit, patres eius domus incolae delegatos e suo numero pro ratione antea sancita nominabunt.

Peropter capitulum generale patres omnes in externis missionibus obeundis occupatos, iuris eiusdem cum caeteris patribus participes facere, delegatos scilicet ad conventus solemnes e suo numero designandi; ius vero illud, utpote rem factu difficilem et missionum successui noxiam, praedictis patribus, invitissimo quamquam animo, neutiquam concedere cogitur.

97. Superior generalis in capitulum generale, tum ordinarium, tum extraordinarium, patres alios accire potest, quorum optio ad eum pertineat; ea tamen lege ut eorum numerus quintam partem non excedat patrum omnium qui, iuxta regulae praescripta, quae modo digessimus, capituli generalis iure consortes sunt.

Si capituli generalis tempore, superior generalis mortuus fuerit, aut officio se abdicaverit, iidem, una cum aliis patribus, capituli operationes participant, et ad electionem novi superioris suffragantur.

98. Patres omnes quibus in capitulo generali considendi ius competit, ibidem praesto esse, *in virtute sanctae obedientiae* tenentur, tempore apud regulam praefixo, aut si capitulum extraordinarium sit, eo tempore quod statuunt litterae per quas coetus convocatur. Quicumque non venerit, absentiae causas litteris superiori generali vel ei qui superioris vices gerit praemissis, exponere teneatur.

99. Patres vero, qui, vel officii iure, vel aliorum patrum electione, capituli generalis participes esse possent, at quibus eodem se conferre, propter domiciliorum longinquitatem, vix liceret, nisi impensas ingentes agerent, gravissimave subirent incommoda, capituli generalis adeundi legitime immunes sunt.

100. Patribus, qui sive muneris praerogativa, sive patrum electione, sive superioris generalis electione, capituli consessores censentur, quique ob urgentes causas, eidem interesse nequirent, patrem alium subrogare, qui partes suas in capitulo suscipiat, omnino non licet, excepto tantum p. provinciali missionum externarum, sicut supra dictum est.

§ IV.

De capituli generalis incoeptione.

101. Capitulum quinquennale ordinarium, praestituta per regulam die, capitulum vero extraordinarium, die in litteris convocationis designata, incipiat, dummodo ad minimum quarta vocalium pars advenerit.

102. Capitulo generali semper praesidet superior generalis: eo absente vel aegrotante, praesidet p. prior domus principalis, vel eius loco p. magister novitiorum, vel tandem pater votorum professione antiquissimus, inter superioris generalis consiliarios.

Quilibet autem capituli praeses, hoc modo subrogatus, omnium superioris generalis privilegiorum, quandiu capitulum generale durabit, potietur.

103. Patres in capitulo generali locum capiant hoc ordine:

r. r. p. superior generalis totius congregationis;
p. prior domus primariae;
p. magister novitiorum domus primariae;
p. procurator domus primariae;
patres caeteri superioris generalis consiliarii, secundum cuiusque votorum professionis tempus;
patres superiores locales, qui officii iure in capitulo sedent;
tum demum reliqui patres, quicunque capituli generalis, vel patrum electione, vel superioris generalis optione participes sunt, secundum cuiusque votorum professionis tempus.

104. Patres capituli generalis sessionibus intersint superpelliceo induti.

§ V.

De operationibus quibusdam praeviis.

105. Capitulum generale scrutatores et secretarios habet: alios praeterea patres designat ad diversos capituli generalis usus. Hos omnes capitulum generale e suo numero deligit.

106. Scrutatores duo, iam a prima sessione, suffragiis tacitis nominandi sunt. His suffragia colligendi cura incumbit.

107. Secretarii tres, eodem modo, iam a prima sessione, nominantur, quorum eae partes sunt; acta sessionum capituli generalis scripto tradere, articulos a capitulo generali sancitos in codices referre, quaestionesque, priusquam in deliberationem veniant, scriptura expositas patribus tradere, ut rem secum in antecessu meditari possint.

108. Idem pater non sit simul scrutator et secretarius.

109. Patres quibus, ut infra explicabitur, tum litteras patrum fratrumve professorum examinandi, tum rationes superioris generalis ac superiorum localium excutiendi, procuratio danda est, iam a prima sessione, suffragiis tacitis et ipsi nominentur.

110. Insuper, capitulum generale, quoties operae pretium esse censuerit, patres quosdam designabit, quibus quaestiones difficiles expendendi procuratio dabitur, antequam eae in deliberationem veniant.

111. Cuilibet patri fratrique professo ius est, unas ad capitulum generale sigillatas litteras mittere, quibus quaecumque ad societatis commodum valere arbitratur significet: eae autem litterae nonnisi coram capitulo generali aperiendae sunt: inde patribus traduntur, qui eas examinandi negotium subiere, sicut antea dictum est.

Nullas capitulum generale litteras admittit, nisi eas quae, auctoris chirographo subscriptae, iam inde a prima sessione oblatae sunt.

112. Capitulum generale illico statuit, litterae-ne praedictae frequente conventu legendae sint, an pro nimio earum numero, ad patres remittendae, qui eas examinandi procurationem susceperunt, quique quam celerrime de eis ad capitulum referre tenentur.

113. Si litterae ad patres praedictos illectae remissae sint, eorum relatio ea omnia summatim ac breviter complectatur, quae litterarum auctores animadverterunt. Interim, singulis capituli consessoribus semper licet eas litteras pervolvere; easdem vero, tum describere, tum secum auferre extra locum ubi repositae sunt, patrum cognitioni submittendae, omnino prohibetur.

114. Omnes istae litterae illico comburantur, ubi capitulum generale de cognitorum relatione statuerit.

115. Quilibet superior localis capitulo generali afferat mittatve tabulas praeferentes:

1. nomina patrum fratrumque professorum aut novitiorum, qui domum quam ille administrat incolunt, unaque indicationem officii quod unusquisque exercet;

2. rationem accepti et expensi a capitulo proxime celebrato usque ad hoc tempus;
3. indicem, cum facultatum praesentium domus propriae, tum pecuniae vel sibi vel a se debitae;
4. animadversiones quas scholis gratuitis, seminariis, gymnasiis, missionibus, etc., conducibiles arbitratur. Admoneat item, si quid in spirituali aut in temporali ordine disciplinae instauratione indigere videbitur.

Haec autem omnia iuxta exemplar singulis domibus a superiore generali missum componenda sunt.

Superior ipse generalis easdem tabulas, pro iis quae ad domum principalem pertinent, exhibere teneatur.

§ VI.

Quomodo quaestiones in capitulo agitandae sint.

116. Quoties in capitulo quaestiones agitantur, res ordinetur hoc modo: singulae quaestiones quae in deliberationem venturae sunt, patribus in antecessum, quoad fieri poterit, proponentur. Eas secretarii describere curabunt, et earumdem duo triave apographa capituli consessoribus tradent: ut autem patribus res secum meditari vacet, quaestio agitanda in posterum diem differetur.

Quaestio quaelibet capituli generalis ratihabitioni submittenda, a secretariis ut plurimum proponitur.

117. Singulis capituli generalis consessoribus certissimum ius est ea proponendi quae ad societatis utilitatem valere existimant. Ne autem iuris illius usus perturbationem pariat, quicunque articulum aliquem proponere voluerit, alterutrum secretarium plerumque adeat, qui articulum sibi traditum, praesignificato auctoris nomine, patrum ratihabitioni submittere tenetur.

118. Ubi res in deliberationem venit, primus dicat ille a quo articulus proponitur; secundus dicat pater votorum professione recentissimus, inter eos quibus praedictum articulum oppugnare placet; tertius dicat pater votorum professione recentissimus inter eos qui eumdem articulum tuentur: atque ita alterno ordine quaestio agitetur, usque dum capituli generalis maior numerus rem dilucidatam satis declaret. Tum, deliberationi a superiore generali facto fine, audiatur iterum, si ita censuerit, is a quo articulus propositus est, ut quae sibi suffragantur argumenta summatim recenseat. Reverendissimus pater superior generalis postremus verba facit. Statim sub haec, ad scrutinii decisionem descenditur.

Si quem articulum in capitulo propositum nemo oppugnaverit, deliberationi fine statim facto, superior generalis dicat, si ita censuerit, quid de praedicto articulo sibi videatur; tum, ut ad scrutinii iudicium veniatur iubeat.

119. Scrutinium in capitulo generali tacitis suffragiis semper fiat.

§ VII.

De praerogativis rmi patris superioris gener. in capitulo generali.

120. Superior generalis suo arbitratu iubere potest, ut quaestio quaelibet, quae discuti coepta est, suspensa maneat et in alium diem differatur; ita tamen ut de dilata quaestione praesens capitulum statuere possit.

121. Superior generalis duplici suffragio fruitur, illudque uti caeteri secreto emittit in capitulo. Quod si paria sint suffragia, ius eidem est, ubi ita expedire censuerit, rem definire, suamque sententiam palam proferre.

122. Quoties superior generalis articulo apud capitulum proposito intercedit, quater quinta suffragiorum parte opus est, ut articulus ille ratus habeatur.

123. Capituli generalis consessores altum sibi silentium imperent de iis omnibus quae agitantur, donec ultimae sessioni finis fuerit impositus: meminerint praeterea, sibi per legem charitatis, non licere de eorum opinionibus, qui secum capituli fuerunt participes, ullo tempore colloqui, quoties malum aliquod inde oriri possit.

§ VIII.

De capituli generalis auctoritate.

124. Capitulo generali de iis omnibus quae ad congregationis commodum pertinent, supremo iudicio statuendi ius competit; quae sequuntur exceptis.

125. Capitulum generale superiores locales nominare non potest; superioris unius generalis hoc iuris est: at iisdem munus abrogandi ius habet.

126. Capitulo generali non licet domum primariam alio transferre, nisi superior generalis consenserit.

Superiori item generali ius non est eamdem alio transmovere, nisi ex consensu capituli generalis.

127. Si quae domus fratrum reditus superabundantes habeant, eos ad sororum usus transferendi ius, nisi capitulo generali non competit.

128. Capitulorum generalium erit regulas peculiares ordinare singulis patrum fratrumque officiis accommodatas, eorum maxime qui in

seminariis, in gymnasiis, aut in missionibus laborant.

129. Quaecumque in his constitutionibus provisa non sunt a capitulis generalibus ordinabuntur. Universa autem capitulorum generalium decreta de statu, gubernatione et regulis congregationis, Sanctae Sedis Apostolicae iudicio permittentur, canonica approbatione sancienda; nullam alioqui vim auctoritatemve habeant.

130. Priusquam capitulum generale solvatur, ea quae statuit praescripta sextuplici apographo describentur; omniumque capituli consessorum chirographo subscripta in diversis sex domibus deponentur. Alia item eorumdem praescriptorum apographa, superioris generalis tantum et consiliariorum chirographo munita, ad reliquas domos mittentur.

131. Singulis capitulis generalibus, votorum renovatio patrum fratrumque professorum omnium, qui in domo principali versantur, finem faciat. Haec autem sit renovationis formula:

« Ego N. secundum constitutiones, regulas et statuta Sanctae Sedis Apostolicae auctoritate sancita ac confirmata, renovo in manibus tuis, reverendissime pater, vota perpetua paupertatis, castitatis et obedientiae, tanquam frater congregationis sacratissimorum Cordium Iesu et Mariae, in quorum servitio et vivere et mori intendo. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen ».

Si superior generalis praesto non sit, dum vota renovantur, loco horumce verborum: *In manibus tuis, reverendissime pater,* dicatur: *In manibus reverendissimi patris nostri superioris generalis.*

CAPUT IV.

DE SUPERIORIBUS LOCALIBUS.

§ I.

De p. superiore, de p. priore, de p. magistro novitiorum, et de p. procuratore domus localis.

132. Congregationis domus a singulis superioribus localibus gubernantur, quos superior generalis in triennium nominat. Eosdem tamen, assentiente maiori consilii numero, ante triennium revocare potest, quandocunque id congregationis interesse haud dubie credit.

133. Superiori generali solutum semper est facultatem ad domum administrandam cuilibet superiori ultra triennium prolatare; at, interea, dum voluntatem suam palam fecerit, superioris localis auctoritas, vel expleto triennio, permanere censenda est.

134. P. priorem, p. magistrum novitiorum, p. procuratorem cuiusque domus superior generalis, auditis consiliariis, nominat: idem, assentiente maiore eiusdem consilii numero, de gradu dimovere aut in aliam domum mittere potest; at in eorum locum alios quamprimum substituere tenetur.

135. Si p. prior, vel p. magister novitiorum, vel p. procurator cuiusvis domus secundariae, de vita decesserit graviterque aegrotet, aut aliam ob causam, superioris localis iudicio, ad munus sustinendum inhabilis evaserit, huic successorem aliquem ad tempus designare poterit superior localis, donec superior generalis, qui eius rei certior quamprimum faciendus est, in praedictum munus aliquem subrogaverit.

136. Si superior localis domo absit aut aegrotet, eius partes suscipit p. prior, vel, eo impedito, p. magister novitiorum, vel demum consiliarius quartus, p. procuratore excepto. Res eodem modo ordinanda est, si obierit superior localis, donec superior generalis in eius locum aliquem suffecerit.

137. Tertio quoque mense, p. procurator superiori locali, actus sui rationem reddat: eidem pecuniam omnem dinumeret, vel tertio quoque mense, vel saepius, si praedictus superior iusserit.

§ II.

De consilio superioris localis.

138. Prout rerum status ferre poterit, superiori cuilibet locali adiungetur consilium, quod ex p. priore, p. magistro novitiorum, p. procuratore, et alio insuper patre constabit. Postremi huius patris optio, superiori locali permittitur.

In domibus quae novitios ad votorum professionem admittendi iure non gaudent, consilium superioris constat ex p. priore, ex p. procuratore, ex uno consiliario a superiore generali designato, tandem ex alio consiliario quem superior localis arbitratu suo deligit.

Absente, vel aegroto, vel vita functo superiore, consiliarius ille, qui a superiore generali designatus est, vices eius supplet, si p. prior et ipse desit. Quartus vero consiliarius nonnisi quarto loco subrogandus est.

139. Nemo superiori locali consanguineus aut affinis ad secundum usque gradum inclusive, neque prior, neque magister novitiorum, neque procurator, neque etiam consiliarius, in domo cui praeest supradictus superior, ullo unquam pacto esse potest.

140. Superior localis rem nullam alicuius momenti agere potest, nisi consenserit maior consilii pars, ipso superiore in numerum inducto. Eius tamen suffragii auctoritas semper

praevalet, si forte consiliariorum animi in contrarias sententias aequaliter discesserint, nec unquam consilii sententiae astringi potest, nisi quum universi consiliarii ab illo dissentiunt.

Consilium bis in mense congregare tenetur.

141. Consilio coacto, singuli consessores ius habent ea proponendi, quae ad domus utilitatem valere arbitrantur. Nulli tamen exigere licet ut ea quae proponit in deliberationem veniant, si modo ille in hac sententia singularis erit. At enim, quandocumque consiliarii duo de quaestione aliqua in consilio agitanda consenserint, ea in deliberationem veniat oportebit, dummodo consilium ex tribus minimum consessoribus praeter superiorem constet.

142. Singulae congregationis domus codicem habeant in quo cuiusque consilii sessionis dies indicabitur: eodem referentur quaecunque consilium censuit. Si de re magni momenti pronuntiatum est, acta deliberationis chirographo consiliariorum subscribentur. Is autem codex domi semper servetur, atque in superioris manibus remaneat.

§ III.

De officiis superiorum localium.

143. Superior quilibet localis, semel minimum in hebdomada, sive per se, sive per sacerdotem alium professum, fratribus universis, peculiariter vero fratribus conversis, caput aliquod doctrinae christianae, vel etiam regulae, *catechistica* forma, quam apertissime explicabit: atque ad id maxime incumbet, ut propria simul christianis et religiosis viris officia accuratissime doceantur.

144. Pater superior ius habet litteras omnes aperiendi, patribus fratribusque, tum professis, tum novitiis, inscriptas; iis tantum exceptis quae a superiore generali, vel ab eius vicem gerente conscriptae sunt. *(Vid. artic. reg. 62).*

145. Patribus fratribusve non opus est superioris localis licentia, ut ad rm̃um p. superiorem generalem vel ad eius vices gerentem scribant, quotiescumque ipsis videbitur.

Superior localis eiusmodi litteras, quandocunque sibi commissae sunt, ad superiorem generalem illectas transmittere, in virtute sanctae obedientiae, tenetur.

146. Litteras superiori generali inscriptas his verbis: *Soli superiori generali*, nemo alius praeter ipsum, quocunque nomine, aperire potest.

147. Meminerint p. superiores, si quid litterae, tum ad fratres, tum a fratribus scriptae contineant, quod conscientiam attingat, vel ad familiarum personarumve existimationem aut arcanum pertineat, vel aliquem laedere, imo deridendum propinare possit, id sibi secreti naturalis loco habendum, nec unquam, nisi urgeat indubitata necessitas, patefaciendum esse.

148. Pater superior semel saltem in mense invisat eos homines qui apud se in conductitiis conclavibus habitant.

149. Eidem fratri, quoad fieri poterit, negocium det, alumnos, quos erudiendos alendosque apud se accepit, comitandi, quandocunque cum exteris sermonem habituri sunt.

150. Sancitum est ne p. superior iis eleemosynis, quae missarum celebrandarum gratia collata sunt uti possit, nisi missis celebratis. Superior generalis, ubi id necessitas postulet, facultates in eam rem tribuere poterit, dummodo ad pia onera accurate impleri tuto prospiciatur; nec in discrimen deducatur praestituta sacrorum celebratio, de quo conscientia eiusdem onerata plane sit.

151. Vetitum est item, ne missas in perpetuum longumve tempus solvendas, aut alias eiusmodi obligationes acceptet, nisi praevio superioris generalis consensu.

152. Quum cuilibet domui obligatio incumbit missas vel in perpetuum vel in longum tempus solvendi, domus illius superior praedictam obligationem describere tenetur, tum in codice ad id destinato, tum in tabula chirographo suo subscripta, quae in sacrario appensa maneat. In visitatione, si habeatur annis singulis, vel coram religioso in id causae per superiorem generalem destinato, ea quae par est religione ac diligentia, libri quibus Missae recensentur, aliaque de impletis oneribus monumenta proferantur ac rite examinentur. Crebrius etiam intra annum id iubere liberum est superiori qui id expedire dignoverit. Curandum quippe omnino est, ne quid a testantium voluntate absonum admittatur. Serventur idcirco persancte quae per summos Pontifices et sacras congregationes providentissime sancita sunt: de ea re in capitulis quoque rationes reddantur.

153. In singulis congregationis domibus, atque etiam in domo primaria, erit codex, patrum fratrumque omnium professorum, qui eam domum incolunt, nomina complectens. Unaquaeque codicis huius pagina patris fratrisve unius titulum praeferet. Ibidem indicabuntur patris fratrisve praedicti nomen et praenomen, quo nomine et quanam in classe vota emiserit, eiusdem aetas ac locus natalis, parentum nomen et domicilium, quo tempore vota pronuntiaverit et in hanc domum advenerit, quaenam munera a professione votorum exercuerirt quaenam exerceat in praesentia.

Si ille a domo discesserit, notabitur quanam die et utrum cum licentia an sine licentia sit profectus, et quam domum aditurus sit: item, si vita defunctus fuerit, eius obitus dies ibidem indicabitur.

Si qua domus novitios ad professionem votorum admittendi ius habeat, domus huius superior in praedicto codice describet professorum recentium nomina. Hic autem codex in domus archivo repositus semper maneat.

154. Sit praeterea in singulis domibus codex alius, in quo cuiusque novitii nomen ac praenomen, unaque *religiosum* agnomen describentur. Adnotabitur insuper quanam die novitiatum ingressus, et cuinam classi destinatus sit: his denique addetur novitii aetas, locus natalis, parentumque nomen et domicilium.

155. Superior quilibet localis quotannis ad superiorem generalem, calendis septembris, tabulas mittat praeferentes:

1. Nomina patrum fratrumque professorum aut novitiorum, qui domum quam ille administrat incolunt, unaque indicationem officii quod unusquisque exercet, mutationumque quae eo anno factae, in acta referri iuxta praecedentes articulos debuerunt;
2. Animadversiones quas scholarum gratuitarum, seminariorum, gymnasiorum, missionumque utilitati, disciplinaeve instaurationi, tum in spirituali, tum in temporali ordine, accommodatas arbitrabitur;
3. Propriam de quolibet fratre, cum professo, tum novitio, sed rationibus stabilitam, sententiam;
4. Rationes accepti et expensi, ab hac die, qua, anno proxime elapso, confectae sunt; unaque indicem pecuniae tum sibi, tum a se debitae;
5. Testimonium de impletis, a mense septembris anni superioris ad integrum mensem augusti, oneribus legatisque piis iuxta praescriptas a fundatoribus leges.

Haec omnia iuxta exemplar, singulis superioribus a superiore generali missum, componenda erunt.

Superior localis rationes habeat paratas calendis septembris; easque, nulla interposita mora, neque alio expectato monitu mittere, summo iure teneatur. Summa excurrens quaelibet, si qua fuerit, in aerarium commune reponatur, quod quidem semper in superioris generalis manibus erit.

156. Pecunia, quae expensis tabulis accepti et persoluti extabit in domibus, indicabitur quotannis superiori generali, qui vel eam in congregationis utilitatem et praesertim in inopum domuum subsidium impendendam omnino curabit, vel apud superiores domuum relinquet in arca custodienda, duabus clavibus diversi operis clausa, quae a praeposito et a curatore domus teneatur, ut in aedis cultum aliasque in causas adhibeatur.

§ IV.

De quibusdam regulis a singulis cum superioribus tum sacerdotibus observandis.

157. Nunquam obliviscantur congregationis nostrae sacerdotes, quanta habeant officia solvenda rmis episcopis, *quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.* Act. 20, 28.

158. Ubi societatis nostrae sacerdos in dioecesim missus est, perspecta quamprimum habeat statuta ordinationesque illius dioeceseos proprias, censuras, casus reservatos caeteraque praescripta ad sacrum ministerium spectantia, quaecunque ab ordinariis locorum constituta sunt.

159. Nullus sacerdos feminarum confessiones audiat, nisi in loco et in sede, ad canonicas regulas conformatis.

160. Nullus unquam pater fraterve negotiis saecularibus, ut puta litibus, testamentis, mercaturae, matrimoniis, etc. se immisceat.

161. Universos congregationis sacerdotes impense adhortamur, ut scripturae sacrae studio semihoram, ut minimum, quotidie impendant, quandocunque ipsis per occupationes vacabit.

162. Superior generalis ad omnes societatis domos quaestionum theologicarum seriem quotannis mittet, quibus singulis scripto respondere universi sacerdotes tenebuntur. Illae autem responsiones tempore statuto mittentur superiori generali, qui quos voluerit sacerdotes iis examinandis praeficiet.

CAPUT V.

DE R. PATRIBUS VISITATORIBUS.

163. Quotannis superior generalis patres visitatores mittit in eas domos quas ipse hoc anno non visitavit.

164. Pater visitator visitationi suae, quae non potest ultra dies octo completos produci, initium faciet modo infra scripto: congregatis primum patribus ac fratribus, dicetur vel cantabitur hymnus *Veni creator,* etc. Inde pater visitator plena voce recitabit superioris generalis litteras, quibus eam ipsi provinciam dedit, ut domum visitaret. Tum perfecto regulae capite, quod ad visitatores pertinet, pater visitator fratres hortabitur de religiosis officiis sedulo observandis, etc.; memoriam ipsis renovabit obligationis, qua singuli tenentur visitatoris quaesitis respondendi, eique abusus qui in domum irrepsissent significandi; at simul admonebit qualia sint charitatis praecepta, et quanta religione, hoc maxime tempore observanda.

165. P. visitator unumquemque patrem aut fratrem semel sine arbitris accersere tenetur; at eosdem plus una vice accersendi ius habeat, si operae pretium esse censuerit. Tum ex singulis ea quaeret quaecunque necessaria prudenter iudicabit. Caveat interea, ne fidem temere praebeat relationibus his, quae nullis probationibus nituntur; ideoque curet diligenter ut eorum animum ac indolem praenoscat quos interrogaturus est.

166. Quicunque calumniae apud p. visitatorem scienter adhibitae convictus foret, a superiore generali pro culpae gravitate ac calumniae immanitate esset puniendus.

167. P. visitator diligentissime requirat an regularis observatio vigeat; an quicunque munera sustinent officio studiose fungantur; an patres fratresque sibi invicem bono esse exemplo invigilent; an obedientiam colant, veramque inter se charitatem ex animo foveant; an sacellum, sacrarium ac confessariorum sedes regulis canonicis consentanea sint; uno verbo, ea omnia ipsi exploranda sunt, quae vel ad legitimum domus ordinem vel ad cultus divini decus pertinent.

168. Si novitiatum, aut seminarium, gymnasiumve domus praedicta contineat, p. visitator sedulo inquiret, ea-ne recte superior administret, omnique cura incumbat ad novitios disciplina religiosa, seminarii alumnos ecclesiastica informandos; omnes autem pietatis spiritu ac doctrinis unicuique propriis imbuendos.

169. Superior localis codices accepti et expensi rationem praeferentes p. visitatori exhibere tenetur: archivum etiam eidem permittat, si modo postulaverit.

170 P. visitator, ut quemque interrogat, ita responsiones adnotet. Tum, priusquam a domo discesserit, rei gestae instrumentum conficiat, quod, una cum adnotationibus, ad superiorem generalem illico mittat, nisi ea ipse sit allaturus. Qui acta huiusmodi, et quae ad eam spectent, monumenta, paginas, apographa retineant, neque apud eos apud quos custodiri debent, deponant, puniantur a superiore locali.

Prohibentur itidem in virtute sanctae obedientiae visitatores, ne visitationum personalium acta occultasque de sodalium personis relationes, et quae fortassis quispiam de se ipse exposuit, scripta, aliaque secreto communicata, tabulasque de iis conscriptas retinere audeant, sed ea illico, vel penes superiorem, vel in tabulariis, prout cautum lege erit, omnino deponant. Inobedientes passiva etiam voce interdicantur a superiore generali.

171. Vetitum est item ne p. visitator, quae per visitationem comperit, alicui palam faciat, praeterquam superiori generali, maxime vero, ne cuiusquam fratris famam in discrimen adducat.

172. Patres visitatores nulla, tempore visitationis, statuere possunt: superioris gereralis solius est iubere, pro iis quae p. visitator ad eum retulit.

173. Quando domus aliqua tantum distat a domo principali, ut superior generalis intra duos menses rescribere non possit, p. visitatori ius est, si modo necessitas urgeat, praescripta quaedam temporaria constituere; ea autem scripto tradita superiori generali, intra decursum viginti quatuor horarum mittenda sunt, et ad eius arbitrium conferenda.

SECTIO SECUNDA

REGULAE FRATRUM

REGULAE SPECIALES ET STATUTA

CAPUT I.

DE NOVITIIS ET NOVITIATU.

§ I.

De postulantibus.

174. Facultas ad eos admittendos, qui postulant, se in congregationem cooptari, superiori generali adtributa est, qui alios ac praesertim provinciarum moderatores in eum finem delegabit. Superiores locales, quos ut plurimum adire solent qui in societatem contendunt, de iis accurate cognoscent, et ad illos referent qui admissionibus praepositi sunt. Testimonia ac monumenta in eam causam afferenda, diligenter ipsi atque ad veritatem omnique partium studio adempto perpendant, memores incolumitatem progressusque societatis inde cum primis pendere.

175. Qui in societatem admittuntur, in iis duntaxat domibus inter sodales cooptentur, quae tironibus excipiendis probandisque adsignatae rite sunt.

176. Liberum erit superioribus localibus, ubi pro personarum ac locorum expedire censuerint, in domibus interea temporis excipere postulantes; de quibus tamen illico eos certiores facient qui admittendi facultate pollent: inde enim accuratius ac verius cognoscere de ipsis poterunt, domestica ex consuetudine, donec responsa de ipsis advenerint.

177. Quicunque ingressum postulat tanquam primae classi, videlicet sacerdotum, in posterum

admittendus oportet ut, vel studia literaria absolverit, vel ea aetate, natura ingenioque sit ut metuendum non esse videatur ne quae novitiatus tempore habetur studiorum intermissio, progressibus eiusdem sit obfutura.

178. Superioribus localibus datum non est detinere ultra tres menses eos qui ingressum in societatem postulant, nisi superioris generalis vel illius qui ab eodem admittendis sodalibus praefectus est, vel moderatoris domus tirocinii voluntas longiorem adhuc moram efflagitaret.

179. Superioribus localibus plerumque non licebit, tum novitios conversos, tum postulantes quoscumque, sive ad domum principalem, sive ad domos alias, quae novitiatus iure gaudent, mittere, nisi prius cum superiore generali, vel cum superiore novitiatus, notas omnes quibus opus erit, literis communicaverint, atque eius assensum impetraverint.

180. Novitios conversos ac postulantes quoscumque, quando ad domos, ubi novitiatum incoepturi sunt, iter ingredientur, pares esse, ut plurimum, oportebit, impensis, vel in itinere, vel in novitiatu, vel etiam in reditu, si casus incidet, suscipiendis.

181. Ubi postulans aliquis non conversus ad novitiatus domum pervenit, sive ille statim a saeculo novitiatum adierit, sive in alia congregationis domo aliquandiu commoratus, a superiore domus illius missus sit, admittatur in aedium partem, solis postulantibus reservatam atque a novitiis omnino secretam ; ibique diebus octo minimum subsistat.

182. Totum hoc tempus tribuendum erit excutiendae exonerandaeque conscientiae, vocationique penitus examinandae, sacerdotis experti ductu huic officio praepositi.

Exacto probationis sufficientis tempore, in novitiatum postulans admittetur ; sin ad societatem minus aptus videbitur, ut discedat rogandus erit.

§ II.

De postulantium admissione in novitiatum.

183. Attendant animo superiores, ut quicunque in novitiatum admittentur, salubri sint corpore, eamque sortiti sint indolem, quae vitae religiosae consuetudinem ducere valeat ; caveant simul ne qua in ipsis eorumve familia sit labes, unde societatis honos in discrimen venire possit.

184. Eorum praeterea facultatem ac doctrinam experiantur, dato aliquod ad scribendum argumento, vel facta per interrogationes singulorum eruditionis periclitatione, pro uniuscuiusque peritia, atque habita ratione classis ad quam destinantur.

185. Curent denique ut postulantibus bene persuasum sit, eos omnes qui societati nostrae nomen dare cupiunt, ita affectos esse oportere, ut, iuxta consilium evangelicum, patrem, et matrem, et agros, et patriam relinquere parati sint, eoque proficisci, quocumque obedientia sancta vocabit, licet in ultimum orbem amandandi forent.

186. Si postulans aes alienum aliasve obligationes in materia gravi contraxerit, in novitiatum non est admittendus, nisi ea ex toto dissolverit, vel iis par sit dissolvendis. Antequam admittatur, illum ea de re interrogare tenetur superior. Postulantis autem responsio, scripto excepta, ipsius ac superioris chirographo subscribetur ; si vero nomen subscribere nesciet, superior ac testes duo instrumento chirographum apponent.

187. Si quis societati imposuisset, negando se ulla gravi obligatione teneri ; atque ita in novitiatum admissus, vota tandem religiosa pronuntiasset ; ea votorum professio, utpote eiusmodi erroris consectaria, nulla atque invalida censeretur, statimque a fraude deprehensa, deceptor e congregatione dimitteretur.

188. Qui in alia congregatione aliquandiu commoratus est, inter novitios nostros difficillime admittatur ; si vero vota perpetua in alia congregatione emiserit, nullo unquam nomine erit admittendus ; nisi tamen, destructo, cui nomen dederat, instituto, eius socii nunc etiam dispersi maneant.

189. Statim ac postulans in novitiatum admissus est, omnem illico pecuniam, quam in praesentia habet, p. superiori tradere tenetur. Si quam item summam, toto novitiatus tempore, accipiet, hanc etiam superiori in manus dari oportebit. Tradet insuper universam supellectilem, quae apud superiorem deposita manebit ; at superior, rerum earum quibus novitius opus habebit, usum ipsi concedet.

190. P. superior in codice inscribat quanta pecunia et qualis supellex apud se deposita sit. Si vero novitius in proposito non permanserit, vel si e domo dimittatur, abeunti reddentur et pecunia deposita et supellex, qualis erit, deductis tamen prius de pecunia vel de supellectile impensis, quas pro mensa et habitatione fecit, quasque antea cum eo scriptura pacisci oportuit. Neque novitius in rationes inducere poterit, compensationis nomine, labores occupationesve quae ipsi in societate imposita fuissent.

191. Pactio praedicta scripto tradita, superioris ac novitii chirographo subscribenda semper est. Si novitius nomen subscribere nesciet, superior ac testes duo pactioni chirographum apponent.

§ III.

De novitiorum officiis.

192. Vetitum est inter novitiatum studia quaelibet scholaria instituere, vel instituta persequi. Hoc enim tempus omne impendendum est semetipsum penitus pernoscendo, cupiditates impugnando atque coercendo, animum ad vitam interiorem moresque religiosos informando, sese denique comparando ad gratias promerendas, quibus opus erit ad propriam immolationem per vota religiosa digne atque utiliter absolvendam.

193. Nemo novitius neque ad tonsuram admittendus, neque ad ordines sive minores, sive maiores promovendus erit; nisi ob gravissimam aliquam atque urgentem causam revmo p. superiori generali aliter visum fuerit, assentiente maiore consilii numero.

194. Monendi sunt novitii, in ipso novitiatus ingressu, sibi iam, non licere ullas, absque superioris licentia, mittere literas, easque omnes apertas superiori tradendas esse; iis exceptis quae ad revmum p. superiorem generalem destinantur.

195. Si quis tamen novitius ad confessarium quo in saeculo usus est, de rebus ad conscientiam pertinentibus scribere expetiverit, eam ipsi veniam concedat superior, at tantum vice duplici. Literae eiusmodi a p. superiore legendae non sunt; eas obsignatas novitius superiori tradere poterit; confessarioque rescribente, eius literae et ipsae obsignatae novitio dabuntur.

196. Nec opus est admonere si quas literas ad novitium aliquem superior generalis mittat, eas a superiore novitiatus, neque retinendas neque resignandas unquam esse.

197. Novitii ad colloquia cum exteris, nunquam ingrediantur, nisi specialem a p. magistro novitiorum licentiam impetraverint.

198. Adhortamur impense novitios ut intimum animi statum, orationis modum, tentationes, etc. P. magistro novitiorum, vel cuilibet patrum ad id designatorum, bis terve in mense patefaciant.

199. Meminerint fratres conversi p. procuratorem sibi pro magistro novitiorum esse.

§ IV.

De praecipuis novitiorum exercitationibus.

200. Exercitationes novitiorum praecipuae erunt: oratio, meditatio, lectio spiritualis, psalmodia quotidiana in choro officii canonici ac officiorum parvorum SS. Cordium Iesu et Mariae.

201. Si communem cum professis ecclesiam habeant, Adoratione perpetua sancti Sacramenti diu noctuque una cum ipsis fungentur. Si vero ecclesia propria separatim utantur; ac satis multi in novitiatu habitent, per novitios solos diu noctuque Adoratio fiet; sin minor sit eorum numerus, ea saltem aliqua diei parte curanda erit.

202. Collationibus (colloquiis) spiritualibus frequenter operam dabunt. P. ipse magister novitiorum, aliusve sacerdos, ipsis quidem primo explanabit caput aliquod vitae christianae aut vitae religiosae: at ea absoluta expositione, tempus reliquum collationis spiritualis novitiis hac de materia interrogandis tribuendum erit.

203. Exercendi erunt praeterea novitii, tum in aliquot Scripturae sacrae partium studio, quas p. magister novitiorum indicabit, tum in cantu ac caeremoniis ecclesiasticis, tum in locis oratorum atque asceticorum scriptorum insigniter piis, memoriae mandandis, dein coram omnibus pronuntiandis, ut se unusquisque ad recitationem et ad praedicationem informet.

204. Caeterum, constituetur ordinatio peculiaris, cui superioris generalis ac consiliariorum maioris numeri consensu approbatae novitiorum domus adstringentur. Ordinatio praedicta in cunctis domibus, quoad licebit, futura consimilis, quae et quanto tempore exercitia obeunda sint, statuet; adeo ut novitii in perfectionis christianae ac religiosae viis plus plusque progrediantur.

§ V.

Quanto tempore novitii probandi sint.

205. Novitii per annum unum et sex menses probandi erunt: superior vero generalis, propter causas gravissimas, sex ipsis menses remittere poterit.

206. Ut autem menses illos sex remittere queat, consulendi erunt patres, qui ad novitios recipiendos suffragii iure utuntur, vel consiliarii tantum, si novitius erit e conversis, ut infra notabitur; oportebitque ut bis tertia pars suffragantium consentiat cum superiore generali, cuius suffragium pro duobus semper est.

207. Licet superiori generali, quotiescunque voluerit, novitios e singulis congregationis domibus, ad novitiatum domus principalis, domusve cuiuslibet secundariae, quae admittendi ad votorum professionem iure fruatur, quandocunque accersere.

208. Novitii qui modo supradicto, ad aliam novitiatus domum accersiti forent, ibidem ad votorum professionem possent admitti, peracto novitiatus tempore, nec ideo eorum probatio diuturnior futura esset.

209. Novitium quemlibet missum faciendi ius habent:

1. rmus p. superior generalis in universa congregatione;

2. Singuli superiores domorum ubi vota pronuntiare licet, in sua quisque domo;
3. Superior quilibet localis, in domo quam administrat, si novitius ille erit e conversis; ea tamen lege ut, tum superiori generali, tum superiori locali, maior consiliariorum numerus assenserit.

210. Novitius a domo non abscedat, toto probationis tempore: serventur proinde accuratissime apostolica de non interrumpendo tirocinio decreta, et sacrarum congregationum placita.

Ex Apostolicae Sedis indulgentia, facultates superiori generali adtributae denuntiantur, ut si quando necessitas postularet, novitiorum ex tirocinio absentiam in brevissimum quo possit tempus, et cautissime, omnique scandali discrimine adempto, permittat, ea in primis lege, ut nusquam socius frater ab ipso secedat.

211. Si quis novitius, patefacto ab societate desciscendi proposito, vel una hora abfuerit, eius novitiatus, iuxta leges canonicas, interruptus censendus est, atque ex toto redintegrandus.

§ VI.

De admissione novitiorum ad votorum professionem.

212. Votorum professio in domo principali tantum, aut in domibus secundariis a capitulo generali designatis, fieri potest.

213. Si qua societatis domicilia, medio capitulorum duorum tempore in regione extera constituta erunt, superior generalis unum ex iis, ubi vota emittantur, designare poterit.

214. Ubi aderit tempus ad votorum professionem admittendi novitium aliquem non conversum, p. superior sacerdotum professorum capitulum congregabit, eisque novitium proponet. Capituli huius praeparatorii initium fiet, recitando statuta ordinationesque capitulorum generalium, ad novitiorum officia et ad eorumdem cooptationis modum pertinentia, ut suffragaturi persuasum penitus habeant, quanti sint momenti quas peragunt partes.

Mox p. superior consessum interrogabit, num aliquid habeant quod vel a novitio, vel in novitium faciat; quibus auditis, omnes admonebit ut, secuturo triduo, Spiritus Sancti lumen efflagitent, ac conscientiam in consilium adhibeant.

215. Praeterito triduo, p. superior iterum capitulum congregabit, interrogabitque num sacerdotes praesentes aliquid habeant, quod vel a novitio, vel in novitium faciat. Auditis autem quae proferentur, novitii cooptatio fiet suffragiis tacitis; tradentur itaque singulis patribus globuli duo, niger unus, alter candidus. P. superior palam suffragabitur, eo quod eius suffragium pro duobus sit.

216. Si forte superior generalis praesto fuerit in domo secundaria, quae novitios ad votorum professionem admittendi iure fruatur, eo tempore quo novitius aliquis patrum acceptationi offeretur; praesidebit ille uni et alteri capitulo, palamque feret suffragium, quod quidem pro duobus erit. Superior vero localis unius tantum suffragii ius habebit, illudque secreto feret eodem quo caeteri patres modo; quamvis alias, ut dictum est, suffragii duplicis iure fruatur.

217. Si novitius erit e conversis, superior generalis praesidebit consilio domus secundariae, ubi in transitu aderit omnibusque gaudebit praerogativis supra expositis; superior vero localis, in re tali, unius tantum suffragii ius habebit eodem quo caeteri consiliarii modo.

218. Non patefaciat superior suam de novitio proposito sententiam, antequam suffragia perrogaverit, ne patrum sententiis vim aliquam admoveat; res tantum simpliciter exponat, quae vel a novitio, vel in novitium facere possunt.

219. Ut novitius quilibet ad votorum professionem admittatur, necesse est ut bis tertiam suffragiorum partem confecerit.

220. Quando novitius ad votorum professionem proponitur, patres omnes qui tunc in ea domo vel etiam in ea urbe versantur, sive ibidem habitent, sive obiter, cum superioris permissu, subsideant, suffragandi ius habent ad novitii cooptationem, dummodo capitulo praeparatorio interfuerint.

221. Novitius quilibet conversus, menses saltem illos tres qui professionis diem proxime antecedunt, in ea domo ubi vota emissurus est, agere tenetur: curabunt ideo superiores ut, sive ad domum primariam, sive ad domum viciniorem ubi vota profiteri licet, apto tempore mittantur, ut, peracto novitiatu, ad votorum professionem illico proponi possint.

222. Conversorum in societatem cooptatio ab patrum suffragiis minime pendet: eos ad votorum professionem admittit solus superior, cum consilii assensu.

223. In domo primaria, ut novitius aliquis e conversis ad professionem admittatur, praeter superioris generalis consensum, opus est ut consiliarii tres quatuorve, prout consilium ex consiliariis quinque vel ex consiliariis sex constabit, superiori generali assentiant.

In domibus secundariis, quibus hoc iuris competit, praeter p. superioris consensum, opus est ut consiliarii tres in ipsius sententiam concedant.

224. Hoc autem modo res ordinanda erit: peracta novitii conversi probatione, p. superior domus ubi vota peragenda sunt, consilium vocat, consiliariisque novitium proponit. Tum, coram consilio introducuntur, singulatim con-

globatimve, conversi omnes professi, qui in domo hac versantur, interroganturque, num quidpiam de novitio proposito significandum habeant. Quibus egressis, consiliariisque auditis, p. superior admonet ut, triduo secuturo, Spiritus Sancti lumen efflagitent.

Lapso triduo, p. superior consilium iterum vocat: et postquam consiliarii quae de re sentiant protulerunt, fit novitii cooptatio in societatem suffragiis tacitis: p. superior in suffragiorum pari numero suam sententiam publice patefaciet, qua omne dubium arceatur. Secreti lege obstricti edicuntur qui iis in comitiis adsint.

225. Animadvertendum est opus semper esse superioris generalis, vel, quoties praesto non est, superioris localis consensu, ut novitius quilibet ad votorum professionem cooptetur.

226. Si novitius aliquis ad votorum professionem admissus, vota intra duos menses non emiserit, ea deinceps emittere non possit, nisi iterum iuxta formulas statutas fuerit cooptatus.

227. Verumtamen superiori semper liceat, quandocumque adsunt causae graves, capitulum consiliumve iterum advocare, novitiumque praedictum patrum suffragiis submittere, ut statuatur utrum tandem ad votorum professionem admittendus sit.

228. Quivis novitius, si ad votorum professionem propositus, repulsam sive a capitulo aut a consilio passus fuerit, intra dies quindecim, cum tardissime, dimittendus est.

Licet tamen superiori, iustis de causis, ac consentiente maiori consiliariorum numero, iubere ut novitius ille sex adhuc menses in domo sustineatur; quibus exactis, scrutinii iudicium denuo subeat, tandemque ad votorum professionem, si visum ita fuerit, admittatur.

229. Nullus novitius, si iuxta constitutas formulas ad votorum professionem in domo aliqua propositus, repulsam passus fuerit, in alterius domus novitiatum admittendus unquam est.

230. Nullus novitius, quem p. superior assentiente consilio, ab domo dimisisset, in aliam domum absque superioris generalis permissu admitti posset.

231. Novitii, rite cooptati, triduum illud quod professionis diem proxime antecedit, in sacro secessu exigent. Interea, qualibet intermissa occupatione, quae sursum sunt sapere, reique quam peracturi sunt momentum perpendere satagent.

232. Singularum domuum superiores intra dies octo ad superiorem generalem mittere tenentur, iuxta suprascriptas regulas, nomen eorum quos tum ad novitiatum, tum ad professionem admiserunt; item eorum qui ad votorum professionem propositi, repulsam tulerunt, nomen, aetatem, genus, locum natalem, una cum parentum nomine, genere atque domicilio. His addent quaecunque operae pretium esse existimabunt.

233. In domibus quae ad votorum professionem admittendi iure fruuntur, sit codex specialis, in quem referentur acta capitulorum ac consiliorum, in quibus sive propositi, sive cooptati sunt novitii; item, instrumentum professionis cuiusque novitii. Acta illa instrumentaque singula, p. superioris patrumque praesentium chirographo subscribenda sunt.

234. Tertio quoque mense, p. magister novitiorum vel tradat vel mittat superiori domus in qua novitii vota professuri sunt, indicem, quaecumque novitios singulos contingunt, praeferentem. P. procurator, similem, quod ad novitios conversos attinet, indicem mittat; ne patres capituli consiliive consessores, aliquem minus notum cooptandi discrimen adeant.

235. Si qui infideles ad fidem conversi, in aliquam novitiatus domum recepti erunt, licet vel a missionum superioribus missi sint, per annos duos minimum, aut per annos quatuor ut maxime, probandi semper erunt.

§ VII.

De domibus ad quas recens professi mittendi sunt.

236. Ubi per rerum statum licebit, quemque recens professum, studiis scilicet destinatum, mittent illico superiores in unum gymnasiorum aut seminariorum societatis peculiarium, quae quidem solis his professis habitata, omni usu cum alienis, atque etiam cum caeteris congregationis domibus, novitiatus more, interdicenda erunt; curandumque erit, ut eumdem ibi spiritum, eamdem vitae rationem, eadem summatim exercitia, quibus per novitiatum assueverunt, prout novum istud vitae genus feret, reperiant.

237. Si quis, sacerdotio insignitus, ad novitiatum admissus fuerit, votis emissis, in unum gymnasiorum seminariorumve supradictorum mittatur, nisi tamen intercedant gravissimae superioris iudicio causae, annum integrum ibidem commoraturus; nec nisi elapso hoc anno, ad alias congregationis domos transire possit.

CAPUT II.

DE VOTIS ET EORUM EXSOLUTIONE.

§ I.

De votis generatim.

238. Fratres congregationis sacratissimorum Cordium Iesu et Mariae vota profitentur perpetua, at simplicia, paupertatis, castitatis ac obedientiae.

239. Votorum autem emittendorum formula haec est :

« Ego, *N.* iuxta constitutiones, regulas et statuta sanctae Sedis Apostolicae auctoritate sancita ac confirmata, voveo in perpetuum in manibus tuis, reverendissime pater, paupertatem, castitatem et obedientiam, tanquam frater congregationis sacratissimorum Cordium Iesu et Mariae, in quorum servitio et vivere et mori intendo. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. »

Si praesto non sit superior generalis, loco horum verborum : *in manibus tuis, reverendissime pater,* ea substituenda sunt : *in manibus reverendissimi patris nostri superioris generalis.*

240. Castitatis votum expositione non indiget: verumtamen, summopere interest fratribus esse persuasum, quam perfecte haec sibi virtus excolenda sit, quantoque studio enitendum, ut angelicam puritatem mentis simul ac corporis a Deo et Domino nostro consequantur.

241. Obedientiae voto, tenentur professi ea facere quae superior iusserit, seque abstinere ab iis omnibus quae vetuerit, ideoque, voti illius observandi perfectius causa, nihil alicuius momenti agant, nisi impetrata prius licentia.

242. Paupertatis voto, tenentur professi nulla re uti pro sua, nisi superior concesserit.

§ II.

De voto paupertatis speciatim.

243. Peculiaribus gravibusque ex causis, habitaque temporum in primis locorumque ratione, permissum est professis retinere ea bona quae possidebant antequam nomen darent societati ; iterumque licet ipsis, assentiente superiore generali, vel etiam, si necessitas urgeat, superiore locali, haereditates adire donationesque accipere : at iisdem prorsus interdictum est, ne ullos plane reditus percipiant, neve ullum fundum, ullamve pecuniam quocunque modo abalienent, nisi impetrato superioris generalis explicato permissu, cum maioris consilii partis assensione.

Licet professis quidquid sibi de manu ad manum dabitur accipere ; sed ea lege, ut semper ac necessario teneantur ea omnia superiori tradere. Uno verbo, professus non potest, ut paupertatis votum persolvat, quidquam dare, commodare, aut quacunque re omnino uti quoquo modo, nisi prius superior generalis aut superior localis concesserint.

244. Professi singuli, post vota emissa, se pauperum more vivere quandiu sunt in societate profitentur. Quaecunque igitur ad eos pertinebant ante professionem, item quaecunque deinceps postea eisdem obvenient, cuncta a congregationis ministris, nutu superiorum administrabuntur, fructibus omnibus inde deductis, in bonum societatis cedentibus. Neque licebit professis aliquid vel minimum sive inter vivos, sive causa mortis, disponere de bonis propriis absque expressa superiorum licentia : quibus annuentibus, poterunt haereditates adire, et donationes recipere, aliaque id genus rite peragere: iisdemque professis a congregatione dimissis vel legitime abeuntibus reddentur quae supersunt bona eorum nomen praeferentia, non tamen fructus, usque ad diem quo ipsi a societate recesserunt, percepti. Hinc, quandiu in societate sunt, bona illa nequeunt absque ipsorum consensu distrahi vel oneribus gravari.

245. Ubi novitius aliquis vota nuncupavit, pecunia omnis, tum ea quam nunc habet, tum ea quae ipsi postea, haereditatis, donationis, testamentive iure, aut quovis alio modo, supervenire poterit in aerarium commune dimittenda est : supellex itidem quam in praesentia possidet, eave quae ipsi deinceps obvenerit, in communem apothecam reponenda est.

246. Quum professos nullius rei dominium attingat, omnia inter omnes communia erunt: ita ut, quoad rerum natura patietur, illorum usu exclusorie non potiantur.

247. Singuli professi eorum omnium usu fruentur quibus ad cuiusque studia munerave opus erit : neque licebit fratribus quidquam sibi assumere, quod alteri utendum permissum fuerit, nisi ex superioris consensu.

248. Quoties professi ab aliqua domo demigrant, nihil praeter viaticum ac supellectilem propriam, illudque cum superioris localis permissu, auferre possunt.

249. Superioribus itidem localibus, quoties ab aliqua domo demigrant, nihil praeter viaticum ac supellectilem propriam auferre licet ; eamque licentiam, a superiore qui in eorum locum suffectus est, vel ab eo patre qui in transitu domum administrat, petere tenentur.

250. Fundi, quorum professus aliquis dominium nominale retinuerit, non necessario administrandi sunt a superiore domus quam incolit professus ille ; at superior generalis unum inter viciniores superiores, vel etiam superiorem praedictum designabit, qui ea bona procurandi provinciam suscipiat. Quisquis autem designatus fuerit, procurationis suae rationes superiori generali quotannis reddet.

251. Nullus fundus, sive ad domus fratrum congregationis, seu ad professum aliquem pertineat, abalienari potest, absque superioris generalis licentia, scripto expressa, ac consilii maioris numeri assensu.

Hoc autem ius superiori generali cum consilii maiore numero permissum, licentiam videlicet praedictam concedendi, vel etiam arbitratu suo fundos supradictos abalienandi, a

capitulis generalibus coarctari poterit, si operae pretium esse censuerint: at praesens congregationis status omnino iubet ut eiusmodi facultas superiori generali eiusque consilio concredita atque permissa maneat.

252. Nulla emptio permutatiove domus aut cuiusvis fundi, nulla aedificatio cuius impensa francos argenteos mille superet, fieri potest, nisi revmus p. superior generalis hanc licentiam scriptura dederit.

Attamen, si murus aliave aedificiorum pars ruinam fecissent, vel essent proxime factura, neque in eis reaedificandis procrastinare liceret, quominus gravia incommoda occurrerent; tunc superior localis ut opus institueretur iubere posset; at illico superiorem generalem de operis properati causis certiorem facere teneretur.

Superior generalis, quod ad praescriptionem hanc attinet, facultates ampliores concedere poterit superioribus domuum quae a domo primaria nimio distant intervallo. Quae hoc aliisque articulis de fundorum emptione, venditione, permutatione, ac de contractibus ex superioris generalis auctoritate peragendis adnotantur, ex pontificio permissu, eidem datum est legitime decernere, re prius diligenter accurateque perpensa, acceptoque per secreta suffragia placito consiliariorum societatis.

253. Emptio nulla permutatiove domus aut cuiusvis fundi, nulla aedificatio, quarum impensa francorum argenteorum mille, aut his minor esset, a superiore locali fieri potest, nisi assenserit consilii proprii maior numerus.

254. Inter societatis domos, sit, quoad licebit, rerum omnium, praeterquam locorum, aequalitas; paramentorum scilicet ac linteorum sacrorum, vestium, supellectilium, etc., ut qui unam viderit, singulas vidisse, existimet.

Dona vero ecclesiis domibusve data huic legi obnoxia non sunt.

255. Domus primaria, quae etiam domus matricis appellatione signatur, utpote quae superioris generalis consueta commoratio sit, non affectet in paramentis, linteis sacris, aut rebus quibuscunque, quidquam exquisitius ditiusve, quam caeterae domus; memineritque superior generalis se facultatum congregationis non dominum esse, at administratorem ac sequestrum; neque sibi in suos domusve primariae usus transmovendi ius esse.

256. Ad exercendam plenius paupertatem, tantis laudibus a Domino nostro Iesu Christo commendatam, meminerint domuum moderatores easdem nullius rei dominium, sed duntaxat rerum necessariarum usum et fructum habere: omnium quippe bonorum dominium est penes societatem, corpusque societatis, salvo singulorum fratrum iure super ipsorum bonis, quandiu iidem in societate sunt, iuxta ea quae articulis 243 et 244 constituta sunt.

257. Si qui professi, iustis de causis concedenteque superiore, extra societatis domicilia aliquandiu morabuntur, meminerint votorum quibus tenentur, ac impensas necessarias tantum, nec unquam supervacaneas faciant. Meminerint praeterea exemplum pietatis, modestiae religiosae, recollectionis, atque animi a saeculo alieni, a se ubique esse praebendum. Sibi igitur eo magis invigilent, quo, fratrum exemplis destituti, mundanae contagioni proximius obnoxii sunt.

Statim ut redierint, impensarum rationes superiori reddent, eique reliquam pecuniam in manibus dabunt.

CAPUT III.

DE REGULA ET PERMISSIONIBUS.

258. Regulae societatis obligationem ad peccatum mortale aut veniale non inducunt, exceptis praescriptionibus, quae ad votorum substantiam pertinent: meminerint attamen fratres ex frequenti regularum neglectu, contemptum aliquem necessario invalescere, quem quidem tandem gravis etiam peccati caussam esse perdolemus.

259. Permissiones quaedam a solis superioribus concedi poterunt: reliquae vero, si superior praesto non sit, ordine petantur infra posito: a p. priore, a p. magistro novitiorum, a p. procuratore, ab aliis patribus consiliariis, denique, a fratre votorum professione antiquissimo, inter eos qui aderunt, quando aliquis permissione indigebit, ut singulae fratrum actiones sancta obedientia consecrentur.

260. Facultas in urbem aut alioversum exeundi a superiore tantum concedi potest.

261. Fratres egredi domo non debent nisi quando et cum quo socio visum fuerit superiori: perpendet ipse, pro fratrum copia ac pro loci conditione, num aliquando nonnullis in domibus, ob exiguum fratrum ibidem degentium numerum, derogare huic legi fere ex necessitate debeat; perraro autem, et duntaxat quando fratres desint, in id consilii progrediatur: nunquam tamen perennis ac generalis ea concessio sit.

262. Fratres patresque neminem invisant, neque foris habitantem, neque *Donatum,* neque apud nos in conductitiis aedibus manentem, nisi p. superior explicate ac distincte concesserit.

263. Quoties frater paterve aliquis quovis alio fratre convento opus habebit, in eius cubiculum non introeat; sed ad ostium stans breviter ac submissa voce quid velit expediat. Si introeundi erit necessitas, specialem a superiore licentiam obtineat.

264. Ubi non urgebit necessitas inopinata, cibum extra societatis domicilia sumendi facultas, non nisi a superiore, atque etiam difficillime, concedi potest.

265. Non licet professis ad aliquem scribere, sine superioris permissu : quas conscripserint literas, ipsi apertas in manibus dare tenentur : exceptis tamen, sicut supra dictum est, literis, quae ad superiorem generalem mittendae sunt.

266. Ubi professus aut novitius aliquis in unum domiciliorum societatis advenit, literas ac fasciculos, si quae secum feret, quovis nomine inscripta, soli superiori in manibus tradat.

Literae tamen resque omnes a superiore generali missae, ei immediatae tradendae sunt cui destinantur.

267. Professi alumnis edocendis operantes, vel apud eosdem quovis modo occupati, p. superioris voluntati obsequantur, in studiis educationeque alumnorum ordinandis, atque in variis scholis administrandis.

268. Fratres, quocunque munere fungantur, sibi in animum non inducant quidquam notabile immutare aut moliri, nisi cum expresso superioris permissu ; meminerintque non esse se muneris concrediti dominos.

269. Recogitent singuli fratres, nefas esse de habita per superiores procuratione, ac de ipsorum agendi gubernandique ratione, curiosius et animo perperam in eos comparato inquirere ; probe gnari, ab eo quo obtemperandi eisdem affici debent studio et a recta disciplina abhorrere, qui eos carpere auserint.

270. Privatae amicitiae in omne tempus prohibentur. Infractio haec in hebdomadario capitulo maioris culpae nomine declaranda est ; superioribusque incumbit officium eos quoquo modo disiungendi, quos eiusmodi amicitiis vinctos noverint.

271. Fratres nutu et signis nunquam inter se colloquantur, nedum risu gestuve fastidioso alios laedant : quod quidem multo acrius urit, quam si verbum aliquod duriusculum animi impetu erupisset. Haec in hebdomadario capitulo maioris culpae nomine declaranda sunt ; ac superior quilibet charitatis inter fratres imminutae reus erit, si in eiusmodi culpas insigniter non animadverterit.

272. Tempus illud quod animi relaxationi conceditur pro exercitio communi habendum est, cui fratres omnes una interesse tenentur, nisi secus permissum fuerit. Neque aliquis, tunc temporis, quando in horto aut alibi deambulatur, absque licentia solus deambulet.

273. Ut frater aliquis suam invisat familiam, opus erit ipsius superioris generalis licentia, quam illa non nisi necessarias ob causas concedat. Eis tamen qui aegrotant, vel qui graviter aegrotare periclitantur, ut ad suos exeant concedere poterit superior localis ; at, ante dies octo elapsos, ea de re superiorem generalem monere tenebitur.

274. Superior quilibet localis concedere potest ut frater in aliam societatis domum se conferat, dummodo ultra dies octo non abfuturus sit.

Si vero ille necesse habuerit diutius in praedicta domo commorari, vel etiam extra congregationis domicilia aliquantisper hospitari, rei huius facultatem a solo superiore generali, nisi necessitas urgeat, accipere poterit.

275. Fratres, dum iter facient, in societatis domiciliis semper diversari tenebuntur, si quae ibi sint.

276. Fratres, quoties in aliam domum demigrabunt, obedientiae literas, sive a superiore generali, sive a superiore locali datas, secum ferre nunquam praetermittant.

CAPUT IV.

DE CAPITULO CULPARUM ET DE CORRECTIONIBUS.

§ I.

De capitulo culparum.

277. Semel in hebdomade habebitur *culparum* capitulum ; ibique fratres, in humilitatis spiritu, coram omnibus fatebuntur ea quae contra regulam deliquerunt, ac satisfactionem a superiore vel ab eius vices gerente impositam suscipient.

278. Hortamur fratres, ut, quando ille qui culpam dicit exteriorem, aliquam infractionem fateri oblitus erit, eam superiori ex charitate secreto patefaciant ; qui deinceps, si ita expedire censuerit, corrigat amanter fratrem in capitulo, quin vel remote modum exponat quo certior de ea re factus est.

Animadvertendum eas infractiones, quae forent interiores, vel offensionem habiturae, non esse in capitulo culparum patefaciendas.

279. Nemini, praeter quam p. superiori, p. priori ac p. magistro novitiorum, culparum capitulo professorum praesidendi ius competit.

280. Quandoquidem novitiatum a domo professa seiunctum esse oportet, culparum capitulum apud novitios separatim fiat, praesidente p. superiore, vel p. magistro novitiorum, vel tandem p. submagistro novitiorum.

281. Novitii conversi, in cunctis congregationis domibus, capitulum culparum separatim habeant, cui praesideat p. superior, vel p. procurator, vel pater vices p. procuratoris gerens.

282. Capitulum culparum apud professos fiat hoc modo. Primum quidem patres culpam dicent, antequam caeteri fratres introducantur. Completis patrum culpis, admittentur fratres tum sacerdotio destinati, tum choro addicti,

qui et ipsi culpas dicent. Postea introducentur fratres conversi qui culpas dicent ultimo loco.

283. Capituli culparum initium a precibus apud caeremoniarum librum, ea de causa descriptis, semper ducendum est. Quae cum genibus flexis completae erunt, signo a p. superiore dato, fratres surgent. Inde p. superior sedebit, signoque iterum dato, fratres omnes, p. superiorem corporis inclinatione venerati, et ipsi sedebunt.

Mox superior singulatim quos volet advocabit, dicens: frater *N.*, dic culpam. Tum vero frater ille media in aula, flexis genibus, humiliter dicet culpam, susceptisque monitis ac satisfactione a p. superiore imposita, in locum se recipiat.

284. P. superior, postquam audierit culpas, ea docebit quae universe ad societatis commodum spectant, hortabiturque ad pleniorem regulae observationem, etc. Nec quisquam interea superiorem admonendo, proponendo, reclamandove interpellat. Si vero p. superiori visum fuerit ab aliquo fratrum sententiam rogare, frater ille surgat, stansque in loco, quid sentiat aperiat simpliciter, iterumque sedeat.

285. Ubi p. superior finem capitulo imponere volet, signum dabit solitum; quo audito, omnes genua flectent; dictaque antiphona *Sub tuum,* etc., cum versiculo atque oratione propria, p. superior stans, fratribus benedicet; iterumque genuflectens, orationes apud caeremoniarum librum, pro capituli fine descriptas, complebit.

286. Frater correctionem genuflexus et tacitus audiat, nec de se ipso defendendo cogitet, memor Christi, qui accusatus siluit.

287. Liberum est superiori, ubi satius id eidem visum fuerit, fratri permittere ut excusationem afferat: tunc porro ipse illam parce proferet ac velut coactus: qui autem pro suo arbitratu excusationem attulerit, poenam sustinebit a superiore designandam. Vetantur fratres veniam postulare ad excusationem edendam.

288. Superior hac praesertim in actione viscera induat charitatis, et ex prudentiae legibus adloquatur: meminerit quippe habendam esse rationem dispositionum personarum, et universalis particularisque earum aedificationis ad maiorem Dei gloriam.

289. Antiquas regulae infractiones, quae diu e fratrum memoria exciderunt, praeterire silentio expedit; nec proinde in publicam fratris correctionem proferendae eaedem sunt, nisi legitima et utilior ratio aliter postulare quandoque videatur.

290. Perpendant fratres ad maiorem in spiritu profectum et praecipue ad humilitatis virtutem assequendam conducere, si omnes sui errores, et quae perperam ipsi patrarint, manifestentur praepositis a fratre quolibet, qui extra confessionem ea cognoverit. Liberum idcirco est fratribus efflagitare ipsos in sui contemptum, ut velint caeteri propalam defectus eorumdem denuntiare, nulla sibi habita ratione.

291. Culparum capitulum ad semihoram durabit, nec ultra horae dodrantem producetur.

292. Fratres, quaecunque in culparum capitulo fiunt dicunturve, altissimo tegere silentio tenentur.

§ II.

De correctionibus.

293. Si quis professus ex una societatis domo absque obedientia demigraverit, his poenis sit obnoxius, quas superior domus in quam se recepit, cum consiliariorum assensu, indixerit.

294. Si quando, quod quidem Deus avertat, professus aliquis a societate transfugisset; post haec autem, poenitentia ductus, inter nostrates restitui oraret; revm̃i p. superioris generalis foret, una cum consiliariis, decernere quidquid ad Dei gloriam, ad societatis commodum, fratrisque praedicti salutem, magis interesse videretur.

295. Si revm̃us p. superior generalis iudicaverit fratris alicuius vitam ita improbam esse, ut is in societate perferri nequeat, quin inde gravissima oriantur incommoda; invocato Spiritus sancti auxilio, consiliariorum sententiam rogabit; et dummodo tres de consiliariis quinque, aut quatuor de consiliariis sex, ad superioris generalis sententiam accesserint, praedictus frater e societate dimittendus erit.

296. Quando professus ille, cuius vita adeo improba est, ut in societate remanere nequeat, quin inde oriantur gravissima incommoda, domum secundariam aliquam incolat; si forte revm̃us p. superior generalis eodem venerit, invocato Spiritus Sancti auxilio, consiliariorum superioris localis sententiam rogabit; quorum tribus in eius sententiam euntibus, praedictum fratrem e societate dimittere poterit.

Si vero superioris localis consiliarii hoc ipso tempore praesto non forent, revm̃us p. superior generalis patres aliquot aliunde arcessere teneretur, ita ut, cum patribus quatuor habito consilio, ac eorum tribus ad eius sententiam accedentibus, fratrem nocentem dimittere posset.

297. Si quis professus gravem culpam admiserit, quae tamen dimissionem subitariam non imperet, corripiendus primum erit palam secretove, pro culpae genere; ita tamen ut, iuxta legem evangelicam, clementi atque paterno animo officium hoc praestetur.

298. Correptione hac vel monitione semel atque iterum adhibita, si frater supradictus vivendi rationem non immutaverit, eum p. superior coram capitulo coarguet. Poterit item iubere, ut, certo tempore, ultimo loco inter fratres sedeat, eumque communione euchari-

stica, et sacrorum ordinum exercitio, si iis insignitus erit, prohibere: significabit tandem, nisi ad bonam frugem se recipiat, postquam semel tantum admonitus erit, secessionem ipsi plenam a fratribus denuntiandam esse.

299. Si quarta haec monitio incassum cesserit, poterit superior imperare ut frater contumax, in ecclesia quoque seorsim a caeteris se sistat: commendabit orationibus fratrum emendationem eiusdem. Sacra insuper communione, et si sacerdos sit, celebratione missae interdicatur: nec cuipiam fas sit eum adloqui, nisi superior diserte concesserit.

300. Quae si secus ceciderint, nec ullus conversionis fructus appareat; manente fratre supradicto in domo principali, eum superior generalis, dummodo tres de consiliariis quinque, aut quatuor de consiliariis sex, ad eius sententiam accesserint, e congregatione dimittere poterit.

301. Fratre autem illo domum principalem non habitante, superior localis de iis quae acta sunt ad superiorem generalem referat, atque eius responsum expectet; vel etiam fratrem viatico sufficienti instructum ad domum principalem mittat.

302. Generaliter, quotiescunque superior localis iudicaverit fratris alicuius vitam adeo improbam esse, ut in domo iam ultra ferri non possit, quin gravissima pertimescenda sint incommoda; eum in domum principalem mittere potest, assentiente maiore consiliariorum numero, praebitoque viatico quod satis sit.

CAPUT V.

DE PIIS EXERCITIIS, DE IEIUNIIS AC MORTIFICATIONE.

§ I.

De adoratione caeterisque piis exercitiis.

303. Adoratio perpetua Sanctissimi Sacramenti inter praecipua congregationis nostrae officia, ac praecellentissima nostrum omnium exercitia numeranda est.

304. Qui *Donati* vocantur, adorationem perpetuam, cum professis ac novitiis una participare possunt.

305. Ubi domus aliqua habitatores triginta sex, scilicet, professos, novitios donatosve habuerit, fiat ibi diu noctuque Sanctissimi Sacramenti adoratio perpetua.

In domibus, quae supradictum numerum non expleverunt, professi novitiique singuli per semihoram, serie continua, quantum pro numero ac occupationibus licebit, Sanctissimum Sacramentum adorabunt.

306. Professi singuli cuiuslibet gradus quotidie per horam orationi mentali operam dabunt.

307. Patres fratresque singuli, per dies quinque, in sacro secessu, piis exercitiis, sive communiter, sive privatim, quotannis operabuntur.

308. Diebus singulis culparum capitulo non impeditis, fiet libri pii lectio communis, ea hora quae maxime opportuna videbitur.

309. Quotidie vesperi, in singulis congregationis domibus, cantetur antiphona *Salve Regina:* mane item cantetur vel recitetur sub missam communem. Vespere autem peracto cantu, recitentur actus Fidei, Spei, Charitatis ac Contritionis; semel *Ave Maria;* semel *Ave Ioseph:* tum demum oratio: *Cor Iesu puritatis,* etc.

310. Preces communes semper absolvet sequens clausula: *Vivat cor Iesu sacratissimum per infinita saecula saeculorum. Amen,* ut fratres lucrari possint indulgentiam in perpetuum concessam a summo pontifice Pio VII, felicis et gloriosae recordationis.

311. Quotannis, die vigesima prima novembris, fratres votorum professionem innovabunt in singulis congregationis domibus iuxta formulam iam ante relatam.

312. Fratres impensissime hortamur ad votorum professionem in pectore intimo frequenter innovandam: maxime vero, ubi quis sanctissimum missae sacrificium oblaturus, vel sacratissimam Eucharistiam suscepturus est; quoties tentatio premit, aut obligatio aliqua urget quam natura aversatur.

313. Fratres singuli sacris ordinibus non insigniti, conversis tamen exceptis, recitent quotidie parva SS. Cordium Iesu et Mariae officia.

314. Conversi, parvorum officiorum loco, coronam Beatae Mariae Virginis, tertiam nempe rosarii partem, communiter privatimve recitare tenentur.

315. Fratres sacris ordinibus insigniti, breviarium Romanum, cum proprio festorum congregationis a Sancta Sede Apostolica approbato, recitabunt.

316. Ubi in domo aliqua fratres quindecim choro addicti habitabunt, quotidie horis congruis, officium canonicum in choro, psalmodiae tono, recitandum erit, unaque parva SS. Cordium Iesu et Mariae officia.

317. Nunquam vero tenebuntur officium parvum Beatae Mariae Virginis, officium defunctorum, psalmos poenitentiales gradualesve recitare. Horum enim loco, perpetua noctu diuque adoratio numeranda est. Die tamen commemorationis omnium fidelium defunctorum, officium defunctorum recitandum erit.

318. Omnes congregationis domus ritum ac caeremonias Romanas, in missa caeterisque officii partibus, sequentur; excepto tamen officio publico, sicubi loci ordinarius intercesserit.

319. Festa SS. Cordis Iesu, SS. Cordis Mariae ac Patrocinii s. Ioseph, in cunctis societatis domibus ritu solemni celebrentur; quandoquidem praecipua festa instituti nostri propria sunt.

§ II.

De confessione et communione.

320. Tenentur fratres singulis saltem hebdomadibus, quoad facere poterunt, peccata confiteri. Superiori praecipua cura sit, praescripti huius observationi invigilare.

321. Fratres vulgo confiteantur apud confessarios cuiusque domus ordinarios. Liceat tamen aliquoties confessarium extraneum adire.

322. Fratres sacerdotio non insigniti sacram Eucharistiam recipiant: qualibet die dominica ac feria sexta, in festis de praecepto, in festis SS. Cordium Iesu et Mariae, in festis s. Ioseph, s. Annae, s. Ioachim, s. Ioannis Evangelistae, s. Magdalenae, s. Michaëlis Archangeli, s. Ioannis Francisci Regis, s. Augustini, s. Benedicti, s. Pacomii, s. Bernardi, s. Dominici, s. Caprasii, s. Coletae, s. Isidori confessoris in Aegypto; s. Francisci Xaverii, s. Aloysii Gonzagae, s. Francisci Salesii, s. Ioannae Franciscae de Chantal; tandem, in festis duplicibus Domini Nostri Iesu Christi et beatissimae Virginis Mariae Quicunque saepius sacratissimum Domini corpus sumere expetiverint, a confessario et a superiore assensum petere teneantur.

323. Infirmi hebdomadibus singulis sacram Eucharistiam recipiant, modo natura morbi non obstet.

324. Patres societatis nostrae, infirmos in forma viatici communicaturi, ad ritus ac praescripta cuiusque dioeceseos sese conformare curabunt, nisi specialem ab episcopis permissionem impetraverint.

325. Non praetermittant sacerdotes quotidie sacris operari, nisi prudens confessarius aliquem legitime impeditum iudicaverit. Potest tamen p. superior, qui id expedire in Domino existimet, ipsos aliquando a sacro faciendo arcere.

326. Etiam atque etiam hortamur patres fratresque singulos, ut intimum animi statum, orationis modum, tentationes, etc. p. superiori, vel cuilibet patrum ad id designatorum, bis terve in mense patefaciant.

§ III.

De ieiuniis et mortificatione.

327. Quum congregationis nostrae socii Salvatorem Iesum, qui religiosorum ac christianorum omnium exemplar perfectissimum est, per omnia aemulari tenentur: animadvertent assidue sibi abstinendum esse ab omnibus quae leviorem animum ac hominem, familiarius ac par sit agentem, sive cum exteris, sive etiam inter se, manifestent.

Cavebunt praeterea diligentissime ne solutos risus et inconditos, qui virum gravem dedeceant, edere conspiciantur. Item ut ea quae par est gravitate et modestia praefulgeant. Nemo alium etiam ioco tangat, nisi in signum charitatis amplexando, cum quis aut abit aut redit peregre. Fratres qui deliquerunt, se id egisse fateantur in capitulo culparum, poenasque dabunt quibus coercendos ipsos esse superior censuerit.

328. Fratres *silentium altius* teneant, a precibus vespertinis ad preces matutinas completas, inter cibi sumptionem ac in dormitoriis. Qui *silentium altius* ruperit, poenitentia in ipsum graviori superior animadvertat, interdicta in primis recreatione.

329. Praeterea, silentium ubique praescriptum est in domibus, excepto tantum relaxationis tempore, quod pro locorum natura atque habitatorum opportunitate statutum est.

330. Fratres, quicunque vigesimum primum aetatis annum compleverunt, praeter ieiunii dies ab Ecclesia statutas, ieiunium servabunt: prima feria sexta quae occurrit in mensibus singulis, vigiliis festorum sequentium: SS. Cordis Iesu, SS. Cordis Mariae, s. Ioseph, s. Benedicti, s. Pacomii, s. Augustini, s. Ioannis Francisci Regis, s. Dominici, s. Bernardi, Purificationis, Annuntiationis, Nativitatis, Praesentationis, Conceptionis immaculatae Beatae Mariae Virginis, ac tandem Reginae pacis, quod quidem festum die nona iul. celebratur, concessis indulgentiis a summo pontifice Pio VII, felicis et gloriosae recordationis. Diebus iisdem, carnibus etiam abstinetur.

331. Inter supradicta ieiunia, quaecunque tum in tempus paschale, tum in festum sacratissimi Cordis Iesu, tum in festa quaelibet ex Ecclesiae praecepto ferianda incurrunt, eximuntur.

332. Uno e praedictis ieiuniis, ieiunium ecclesiasticum proxime praecedente sequenteve, ieiunium a regula praescriptum non fiet.

333. Si ieiunia duo continentia obvenerint, ieiunium posterius tollendum erit.

334. Prohibitum est ne fratres absque superioris permissione mortificationem ullam adhibeant, nisi confessarius ita iusserit.

CAPUT VI.

DE FRATRUM LECTO, VESTITU ET CIBO.

§ I.

De lecto et vestitu.

335. Fratres universi, nisi valetudine sint infirmiores, in calcita straminea et pulvino stramineo cubabunt.

336. Professi omnes indusiis utentur laneis.

337. Vetitum omnino est ne vestimenta lanea, quae ad cutem gerere usitatum, postquam iis aliquis usus fuerit, alteri unquam eodem modo utenda transmittantur.

338. Statutum est professorum omnium, conversis exceptis, eum vestitum futurum esse, videlicet: tunicam talarem cum suo palliolo (gallice, *pèlerine*) utrumque coloris albi, scapularium SS. Cordium Iesu et Mariae, funiculum laneum, pallium talare, tibialiaque, coloris itidem albi, ac petasum ecclesiasticum.

Tunicae talaris palliolum in cubitos, quatuor unciis minus, descendat, quod quidem globulis duobus digito tantum distantibus, infra fauces vinctum, utrinque orbiculatim recedat, SS. Corda scapulario insuta aperiendi causa.

Scapularium ad genua usque defluens, paris ex utraque parte longitudinis, in quadrum desinat; ac decem unciis, vel aliquanto plus, in latum pateat. SS. Iesu et Mariae Corda in scapulario acu picta, et ad crucis flammarumve apicem tribus unciis alta, corona spinea triplici virgula intexta redimiantur. Eiusmodi coronae circuitus uncias quindecim amplectatur.

Pallium talare album, ea sit amplitudine quae corpori prorsus involvendo sufficiat, collare autem (gallice, *col*) aut palliolum (gallice, *pèlerine*) non habeat.

Hoc vestitu professi supradicti utentur, ubi per rerum statum licebit: neque tamen vestitus ille prius erit in Gallia usurpandus, quam capitulum generale temporis opportunitatem declaraverit.

339. Simul ac vestitus albus usurpabitur, quo colore quave forma conversorum vestes futurae sint statuetur.

340. Interim fratres professi, scapularium maius SS. Cordium Iesu et Mariae, novitii vero scapularium minus sub vestimento gestabunt.

341. Interea dum vestitum religiosum usurpare liceat, quicunque sacris ordinibus initiati sunt, tunicam talarem consuetam, petasum ecclesiasticum, funiculum laneum loco cinguli, ac biretum, intra parietes illud quidem, gerant. In choro utentur bireto ac superpelliceo manicato, sine ullo ornatu, ubicumque locorum ordinarii non contradixerint. Tempore vero hiemali, epitogium nigri coloris tunica super talari induent.

342. Conversi, donec vestem religiosam habeant, vestitu consimili, qualis a rmo p. superiore generali constituendus est, utantur.

§ II.

De cibo.

343. Quum nostra vitae ratio plurimis obnoxia sit laboribus, quodcumque cibi genus fratribus permittitur; ita tamen ut, paupertatis ac mortificationis observandae gratia, cibis indigenis vescantur, nec iis exquisitis aut plurimis.

344. Magnopere curandum erit, ut potus cibusque bonae sint notae, ac singulorum statui congruentes. Superioribus peculiariter incumbit statuti huius observationi invigilare.

345. Triplex tantum refectio fratribus vulgo conceditur, videlicet ientaculum, prandium et coena: at superiores quartam insuper refectionem iunioribus, fessisve, aut in multo labore se exercentibus, indulgebunt.

346. Fratres, quandiu in societatis domiciliis morantur, nunquam cibum capiant extra coenaculum commune, nisi superior secus concesserit. Tempore prandii ac coenae, fiat libri alicuius utilis recitatio.

In singulis domibus communi mensa tum sacerdotes, tum fratres caeteri, imo et conversi recumbent suo quisque loco.

CAPUT VII.

DE VALETUDINARIO ET INFIRMORUM CURA.

§ I.

De superiorum officiis erga infirmos.

347. Valetudinarium in loco salubri ponendum est. Huius conclavia satis ampla coeloque patenti exposita esse oportet. Neque superiores invigilare omittant, ut in eis singula mundissima sint, confirmandaeque valetudini aptissima. Ipsorum erit praescribere singillatim quaecumque ad eam rem conferre existimabunt.

348. In valetudinario suus cuique lectus sit, non iam stramineus, at bene instructus culcitis, stragulis ac sipariis, quantum pro temporis ac morbi ratione opus erit.

349. Quoties aliqua domus numerosa familia habitabitur, designandus erit sacerdos unus, qui pro valetudinario peculiariter vigilandi provinciam suscipiat.

350. Fratres ii in infirmarios eligendi sunt, qui pietatem multam, charitatem, mansuetudinem, patientiam, prudentia atque peritia cumulabunt, adeo ut munus illud magnum aeque ac arduum, ut par est, sustineant.

351. Quandiu valetudinarium aegrum aliquem habebit, ibidem cubabit infirmariorum unus: neque quisquam, extra infirmarios ac fratres eorumdem adiutores, infirmos unquam invisat, nisi p. superior concesserit.

352. Confessario autem certissimum ius est, imo officium sanctissimum, aegros quorum conscientiae arbiter est in valetudinario visitare, quotiescunque suam ipsis praesentiam utilem fore arbitratur.

353. Magnopere curent superiores ut ius infirmis destinatum bonum sit, ut cibi sint salubres, eorum valetudini accommodati, ac virium reparationi idonei.

Uno verbo, nullum alimentorum genus infirmis negetur, quotiescumque iis opus reapse habebunt.

354. Adhibere liceat omnia remedia quae aegrorum sanationi levamentove afferendo necessaria aut etiam utilia iudicabuntur.

355. Superiores aegros frequenter visitent, et diligentissime exquirant, nihilne ipsis desit, ac utrum in eos cura omnis et charitas debita conferantur; caveantque ne, indiligenter officium hoc praestando, aut impensae plus satis parcendo, infirmorum sanationi levamentove officiant.

356. Curabunt superiores ut aegroti in valetudinarium admissi, quum primum licebit, confiteantur, nisi eorum invaletudo sit levis, nec in exitum aliquem periculosum evasura.

357. Si quis graviter aegrotet, diligentissime invigilent superiores, ut sacramentis mature muniatur: malorum alioqui e praetermisso tam gravi officio secuturorum, se coram Deo atque universa congregatione, reos fore sciant.

358. Si superior ipse graviter aegrotet, ac periculi imprudens, sese sacramentis praemunire non cogitet, eum admonere teneatur vel p. prior, vel, eius loco, p. magister novitiorum, vel, tandem, ubi illi praesto non sunt, pater votorum professione antiquissimus inter supradicti superioris consiliarios; nec quisquam eos officii huius immunes facere queat. Sed et peculiare onus sit illi qui eidem est a confessionibus.

359. Ubicumque locorum natura sinet, valetudinarium prope ecclesiam disponendum erit, adeo ut ecclesiae meniano interiori contiguum, aegrotis qui in sacram aedem se conferre nequibunt, solatium illud praebeat, rei divinae scilicet precibusque communibus perfacile assistendi.

§ II.

De infirmariorum ac aegrotorum officiis.

360. Vetitum omnino est ne quod remedium alicuius momenti aegrotis infirmarii adhibeant, nisi illud medicus diserte praescripserit.

361. Quicunque leviori invaletudine affecti se in valetudinario continere necesse non habent, nullam unquam medicinam a medico aut ab infirmario petent, superioris iniussu.

362. Hortamur infirmos ut valetudinem adversam sanctificare contendant, medici praescripta ac infirmarii monita in obedientiae spiritu perficiendo.

363. Ut immunitas ieiuniorum tum ab Ecclesia tum ab regula praescriptorum fratri infirmo concedatur, medico consulto opus erit; nec cuiquam ab hac medici sententia refugere licebit, nisi secus concesserit p. superior.

364. Ut frater aliquis, infirma quidem valetudine, nec tamen valetudinario lectove assidue detentus, ieiuniorum aut abstinentiae tum in Quadragesima, tum etiam reliquo tempore, ab Ecclesia praescriptorum immunis declaretur, praeter medici sententiam, p. superioris permissione opus erit.

365. P. superioris permissione opus erit, ut frater aliquis aegrotans, in lecto ad infirmos destinato non cubet; item, ut ex valetudinario demigret, vitaeque communi reddatur.

366. Fratribus qui in valetudinarium veniunt levioris aegrotationis causa, vel qui ex morbo convalescentes curis ac levamento etiamnum indigent, locus sit proprius, nullo usu pervio ad fratres alios gravioribus, licet non contagiosis, morbis laborantes.

367. Quamvis autem superiores bonam in aegros voluntatem curamque sedulam collocent, si quis forte aegrotus re aliqua defecerit, recordetur se voti religione teneri ad aemulandum Domini nostri ac Salvatoris Iesu Christi paupertatem, neque sibi, divitum more, gaudium in hoc saeculo esse quaerendum.

CAPUT VIII.

DE PRECIBUS PRO VIVIS AC DEFUNCTIS.

§ I.

De precibus quotannis in congregatione pro vivis ac defunctis fieri solitis.

368. Sacerdotes singuli pro bono spirituali universae congregationis missam celebrabunt bis in anno, videlicet: in festis SS. Cordis Iesu et SS. Cordis Mariae.

Diebus iisdem, fratres singuli, quicunque non erunt legitime impediti, sacram Eucharistiam pro eadem intentione suscipient.

369. Quotannis, postridie festi SS. Cordis Iesu, singuli sacerdotes pro universis societatis nostrae fratribus ac sororibus viventibus missam celebrabunt. Fratres pro intentione eadem sacram Eucharistiam suscipient.

370. Quotannis, postridie festi SS. Cordis Mariae, in singulis domibus missa una celebrabitur pro fratrum ac sororum parentibus viventibus, nec non pro benefactoribus congregationis viventibus. Fratres pro eadem intentione sacram Eucharistiam sucipient.

371. Quotannis, postridie commemorationis omnium fidelium defunctorum, sacerdotes singuli pro fratribus ac sororibus universis defunctis missam celebrabunt. Fratres pro eadem intentione sacram Eucharistiam suscipient.

372. Die qualibet alia mensis novembris, in domibus singulis celebrabitur missa una pro fratrum ac sororum parentibus defunctis, fratres pro eadem intentione sacram Eucharistiam suscipient.

373. Hoc eodem mense novembri, in domibus singulis missa una celebrabitur pro universis societatis benefactoribus defunctis. Fratres pro eadem intentione sacram Eucharistiam suscipient.

§ II.

De precibus quae pro singulis professis aut novitiis defunctis solvendae sunt.

374. Vita functo rmo p. superiore generali totius congregationis, in singulis domibus, iam ab comperto eius obitu, missa pro felici animae illius requie, ritu solemni, celebrabitur: die autem octava, ac trigesima, necnon die anniversaria per annos quatuor, missa eodem ritu celebrabitur. In domibus singulis, missa communis per dies sex pro defuncto superiore generali offeretur. Praeterea sacerdotes omnes, eo excepto qui missam communem celebraverit, missam pro eodem superiore generali sexies offerent: fratres vero sacram Eucharistiam pro eadem intentione sexies suscipient. Patres fratresque universi, conversis exceptis, officium defunctorum integrum recitabunt; cuius loco conversi coronam Beatae Mariae bis persolvent.

375. Ubi aliquis pater, qui superioris localis munus gesserit, vita functus est, in singulis domibus quarum praefecturam tenuit, statim a comperto eius obitu, missa una ritu solemni celebrabitur; altera item ritu solemni die anniversaria persolvetur. In domibus supradictis sacerdotes singuli missas quatuor pro defuncto superiore offerent; fratres vero sacram Eucharistiam pro eadem intentione quater suscipient. Patres fratresque universi, conversis exceptis, officium defunctorum integrum recitabunt; cuius loco conversi Beatae Mariae Virginis coronam bis persolvent.

In reliquis domibus, pro eiusdem felici requie Missa quater offeretur: fratres vero sacram Eucharistiam pro eadem intentione bis suscipient.

376. Ubi pater aliquis, qui superioris munus non gessit, vita functus erit, in domo ubi decesserit, missa pro eo vicies offeretur: fratres singuli eiusdem domus pro eadem intentione sacram Eucharistiam bis suscipient. In reliquis autem domibus singulis missa ter pro patre defuncto offeretur; ac fratres quatuor, superioris arbitrio designandi, semel quisque pro intentione eadem sacram Eucharistiam suscipient.

377. Mortuo fratre aliquo non sacerdote, in domo ubi decesserit, missa pro eius felici requie decies offeretur. Fratres singuli eiusdem domus pro eadem intentione sacram Eucharistiam semel suscipient. In reliquis vero domibus singulis missa una pro eodem offeretur; ac fratres duo, superioris arbitratu designandi, pro eadem intentione sacram Eucharistiam semel quisque suscipient.

378. Fratre novitio vita functo, missa pro eo quinquies offeretur in domo ubi decesserit; singuli autem eiusdem domus fratres, tum professi, tum novitii, pro eadem intentione sacram Eucharistiam semel atque iterum suscipient.

379. Si quis frater professus, dum cum obedientia peregre est, mortuus fuerit, domus eius loci vicinior in quo decessit, missas ac caeteras preces, quarum subsidium in propria domo, ibidem extinctus, repetiisset, exsolvere tenebitur. Eiusdem domus superior mortem hanc cunctis domibus renuntiabit, ac in tabulas suas referet.

§ III.

De precibus pro defunctis sororibus solvendis.

380. Mortua superiorissa sororum generali, in universis congregationis domibus, missa una pro illius felici requie ritu solemni celebrabitur, simul ac eius obitus renuntiatus fuerit. Missa insuper eodem ritu proque eadem intentione, die octava ac die trigesima celebranda erit, necnon et die anniversaria, per duos annos proximos.

In singulis domibus missa communis per triduum pro defuncta superiorissa generali offeretur; patres omnes, eo excepto qui missam conventualem celebraverit, ter pro intentione eadem missam celebrabunt; fratresque singuli

sacram Eucharistiam ter suscipient. Praeterea, patres fratresque universi, conversis exceptis, officium defunctorum integrum recitabunt; cuius loco conversi Beatae Mariae Virginis coronam bis persolvent.

381. Ubi soror aliqua, quae superiosissae localis munus gessit, a vita cesserit, apud singulas fratrum domos, sororum domibus, quarum illa superiorissa fuit, respondentes, missa una ritu solemni, statim ab comperto eius obitu, pro eiusdem felici requie celebrabitur; altera item, die anniversaria, ritu eodem persolvetur.

Singuli earumdem domuum sacerdotes missam pro eadem intentione bis offerent, fratresque singuli sacram Eucharistiam bis suscipient. Patres fratresque universi, conversis exceptis, officium defunctorum integrum recitabunt; cuius loco conversi Beatae Mariae coronam bis persolvent. In caeteris vero domibus missa pro felici illius requie bis celebrabitur, fratresque singuli sacram Eucharistiam semel suscipient.

382. Sorore aliqua vita functa, apud fratrum domum, domui sororum in qua decessit respondentem, missa pro felici eius requie decies offeretur; singuli eiusdem domus fratres pro intentione eadem sacram Eucharistiam semel suscipient.

In reliquis domibus missa una pro supradicta sorore offeretur; ac fratres duo, superioris arbitratu designandi, sacram Eucharistiam suscipient.

383. Mortua sorore aliqua novitia, apud fratrum domum domui sororum, in qua decessit, respondentem, missa pro eius felici requie quinquies offeretur; singuli autem eiusdem domus fratres, cum professi, tum novitii, sacram Eucharistiam semel atque iterum suscipient.

§ IV.

Varia praescripta.

384. Ubi quis frater moritur, universae congregationis domus ea de re certiores faciendae sunt: singulique superiores, statim ab comperto eiusmodi nuntio, eum cum omnibus domus propriae fratribus participare tenentur.

385. Si quando rm̃us pater superior generalis iudicaverit fratrem sororemve aliquam optime de societate esse meritos, iubere poterit ut vita functis peculiaria suffragia, praeter statutas preces, in universis domibus solvantur.

386. Ubi vir aliquis eorum qui dicuntur *Donati*, mulierve earum quae apud sorores dicuntur *Donatae*, vitam finierint, loci superior quot missae quaeve preces solvendae sint statuet.

387. Vacuum erit capitulis generalibus missas ac preces pro defunctis fratribus sororibusque solvendas, circumstantiarum ratione habita, alio modo deinceps ordinare.

CAPUT IX.

DE DOMIBUS APUD HAERETICOS AUT INFIDELES CONSTITUTIS, ET MISSIONIBUS.

§ I.

Praescripta generalia.

388. Si quae domus societatis nostrae, cum apud haereticos infidelesve, tum apud catholicos principibus haereticis infidelibusve regnatos, constituentur, iisdem quibus aliae domus regulis obligentur, iis tamen adhibitis temperamentis, quae temporum ac locorum natura suadebit, maxime quod ad vestitum religiosum attinet.

389. Quaecunque missiones ad gentes exteras a Sancta Sede Apostolica societati nostrae concredentur, eas omnes in speciale *Beatae Mariae Virginis, s. Michaelis Archangeli* ac *s. Ioseph,* praesidium et tutelam committimus.

390. Congregationis nostrae socios, qui ad orientales missiones aliasve quaslibet extra Europam mittendi sunt, adhortamur, ne obliviscantur unquam votorum ac conditionis religiosae quam sunt secuti.

Praeficietur singulis missionibus superior, cuius sub obedientia caeteri omnes erunt. Superiori igitur proprio summa fide obediant; atque ad eius nutum quocumque proficisci parati sint: eidem praeterea quam saepissime uti res in missione sibi concredita gerantur, ordine exponant. Caeterum ad regulas pro missionibus singulis, a Sancta Sede Apostolica sancitas, sese per omnia conforment.

391. Singuli missionarii quotannis ad rm̃um p. superiorem generalem, semel ut minimum, scribere tenentur; omnia prout in missionibus propriis gesta sunt, ipsi narraturi. Quapropter navium opportunitatibus utentur, neque quantum licuerit, omittent suas navibus diversis credere literas; ut, una forte amissa, aliae ad locum perveniant.

392. Nullo unquam praetextu liceat societatis nostrae sacerdotem solum aliquo mittere, sedem ibi positurum, ubi nullus societatis eiusdem sacerdos habitet. Duo simul, ut minimum, semper sint sacerdotes; nec unquam, quoad licuerit, sacerdos solus vel excursiones quotidianas obeat.

393. Fratres item sacerdotio non insignitos, nullo unquam nomine liceat solos aliquo mit-

tere, vel in eis locis relinquere, ubi nullus habitet societatis nostrae sacerdos: nisi tamen ideo mittantur ut, locis obiter exploratis, mox ad missionariorum domicilia reveniant.

394. Superiores patrum fratrumque missionibus operantium meminerint, missionarios omnes, quod ad sacri ministerii functiones attinet, a superiore ecclesiastico necessario pendere, sive episcopo titulario, seu vicario apostolico, etc., sed et ab eiusdem delegatis. Cum eo igitur ad felicem missionis exitum conspirare satagant.

395. Superiores patrum fratrumque missionibus operantium, eos semper a quaestuosis negotiationibus, quantumvis probabili obtentu faciendis, prohibere tenentur: eiusmodi siquidem negotiationes ipsis interdicimus.

Intelligent sane omnes, quodvis negotiationis genus, non tantum Ecclesiae praescriptis morique religioso alienissimum: verum etiam missionum utilitatibus et evangelii profectui perniciosissimum fore. Quicumque igitur superior eiusmodi rem tantisper toleraverit, secuturorum inde necessario malorum coram Deo reus esto.

§ II.

De superiore provinciali missionum.

396. Quotiescumque missio aliqua plures insulas plurave loca dissita complectetur, patrum missionariorum unus designabitur, qui *provincialis* titulo, universis congregationis sociis in missione hac adhibitis praeerit. Huic omnes obedire, quod ad vitae religiosae officia pertinet, tenebuntur.

397. P. provincialem nominat rm̃us p. superior generalis; eumdem, ubi ex aequo et bono duxerit, assentiente maiore consiliariorum numero, a munere removere potest.

398. Rm̃us p. superior generalis, eodem quo p. provincialem tempore, provincialis vicarium designabit; vel etiam in ipsum provincialem sibi vicarium nominandi ius conferet. Si vero huiusmodi ius contulerit, p. provincialis de vicario a se electo superiorem generalem quamprimum certiorem faciat.

399. Consilium p. provinciali additum ex p. vicario aliisque tribus missionariis constabit. Hos omnes consiliarios nominat rm̃us p. superior generalis, nisi istud iuris p. provinciali concedere aliquando velit.

400. Ubi magni momenti res agitur, p. provinciali non licet quidquam statuere, nisi assenserit maior consiliariorum numerus. At sententiis in duas partes ex aequo descendentibus, ea sententia vincet, in quam ibit p. provincialis. Eodem privilegio fruetur p. vicarius, quando p. provincialis praesto non erit.

401. Si p. provincialis iudicet necessitatem adesse, assentiatque consiliariorum maior numerus, potest patrem vicarium, quem nominaverit ipse, a munere revocare: si vero, vicarius a superiore generali fuerit designatus, illum p. provincialis, assentiente maiore consiliariorum numero, a munere intercludere ad tempus poterit. Nec licet p. vicario huic consilio interesse, ubi deliberatur utrum ipse a munere removendus aut intercludendus sit.

402. Quando consilium iudicavit vicarii a munere revocandi intercludendive necessitatem adesse, vel quando ille a vita cessit, p. provincialis provicarium ad tempus designare tenetur, intereadum superior generalis, quem admoneri quamprimum oportet, supremo iudicio rem statuerit.

403. Ubi p. provincialis peregre est, eius auctoritate fruitur p. vicarius, donec ille ad consuetum commorationis locum remigraverit: at enim reduci rerum actarum rationem reddere tenetur.

404. P. provinciali vita functo, vel a partibus peragendis, improvisa aliqua circumstantia prohibito, eius auctoritas penes p. vicarium sit; donec superior generalis, quem admoneri quamprimum oportet, rem summo iudicio statuerit.

405. Quum autem malo huic occurrendum sit, ne scilicet missiones superiore forsitan orbatae maneant, pater vicarius sibi provicarium, inter expectandum, designet, quem penes sit ad administrandum missiones eadem auctoritas, si p. vicarius peregre erit, vel morietur, intereadum rm̃us p. superior generalis rem supremo iudicio statuerit.

406. Patris provincialis eae specialiter partes sunt, apud patres ac fratres, qui missionibus operantur, officiorum religiosorum exercitationem fovendi. Curabit vero in primis ut eorum unusquisque per semihoram quotidie orationi mentali incumbere non praetermittat.

407. P. provincialis sedem in eo loco, quoad facere poterit, figat, unde ad singulas missionis partes commeare facillimum sit. Ibi quidem assidue commoretur; sit autem semper ipsi ius, imo vero officii loco ducat, sese in loca missionariis nostris exculta conferre, eos visitandi causa, quotiescumque suam ibidem praesentiam disciplinae regulari profuturam esse iudicabit.

408. Ubi superior missionis ecclesiasticus, utputa episcopus titularius, vicariusve apostolicus, etc., seu ille ipse, seu per delegatos rem agat, missionarios in aliquam missionis huius partem mittendos arbitrabitur, p. provincialem, vel eo absente, p. vicarium consulet; ille autem, communi cum superiore ecclesiastico consensu, missionarios mittendos designabit, ac inter eos superiorem instituet, a quo caeteri, quod ad disciplinam religiosam spectat, pendeant.

409. Missionariis pluribus in eodem loco constitutis, si superior ecclesiasticus aut delegatus eiusdem censeat eorum aliquos in alium locum mittendos, neque liceat rem ad p. provincialem referre; tum quidem localis superior missionariis his a p. provinciali praefectus, communi cum superiore ecclesiastico consensu, patres designabit mittendos, superioremque inter eos aliquem instituet ad tempus donec p. provincialis, quem admoneri quamprimum oportet, summo iudicio statuerit.

410. Poterit p. provincialis, quotiescunque ita expedire iudicabit, fratres sacerdotio non insignitos, e missionis loco dimittere; at in re tali, literas ipsis obedientiales, ad superiorem alicuius domus e vicinioribus, dabit.

411. Si p. provincialis, gravibus atque urgentibus causis ductus, secum iudicet sacerdotem aliquem professum e missionum loco dimitti oportere; re in deliberationem apud consilium allata ac consiliariorum maiore numero necessitatem imminere pronuntiante, ut sacerdos ille in domum aliquam e vicinioribus transmigret iubebit.

412. Si forte superiori ecclesiastico visum fuerit sacerdotem aliquem missionibus minus aptum esse, sitque ipsi destinatum animo, missionarii huius opera non uti, p. provincialis, statim a comperta superioris ecclesiastici voluntate, patrem supradictum ad domum aliquam e vicinioribus dimittere tenebitur.

413. Liceat p. provinciali, gravissimis impellentibus causis, patri fratrique missionibus operam danti concedere, ut in domum aliquam inter viciniores transmigret.

414. Nemini autem patrum fratrumve, reditum in Europam imperare aut concedere queat p. provincialis, nisi consiliariorum maior numerus ita cum eo censuerit.

415. Teneatur p. provincialis administrationis suae rationem superiori generali quam saepissime referre, sed et ea omnia exponere quae ad missionem, cuius primatum obtinet, pertinere videntur. Haec itidem de p. vicario dicta sint.

§ III.

De cooptatione ad postulatum, ad novitiatum et ad professionem apud missiones.

416. Capitulis generalibus solutum sit concedere, ut patres missionum quae a provincialibus non pendent, novitios ad votorum professionem admittendi iure fruantur; ea tamen lege, ut eiusmodi facultas, quod ad novitios non conversos attinet, iis tantum missionibus irrogari possit, ubi novitiorum domus legitime constituta aderit, quae sacerdotes professos tres, ut minime, habitatores plerumque habeat.

417. Si nova missio, tempore duorum capitulorum generalium medio, condita sit, liceat rmo p. superiori generali, assentiente maiore consiliariorum numero, concedere ut missionis istius superiores eodem privilegio, sub eadem conditione, gaudeant.

418. Quivis missionis superior, novitios ad votorum professionem admittendi, facultate donatus, ea omnia quae apud regulam praescripta sunt, cum de cooptatione ad novitiatum, tum de professione votorum, custodiat, his tantum exceptis.

419. Singuli missionum superiores, ii quoque qui auctoritate secundaria instructi sunt, *postulantes* apud se recipere poterunt, eosque maiori minorive temporis spatio retinere, dum eorum indolem atque animum perspecta habere se iudicent.

420. Nullus postulans, quamlibet in classem adscribendus, ad novitiatum admittatur, nisi approbante p. provinciali, vel p. superiore missionis, si forte ea provincialem non habeat.

421. Postulantes conversos, universi superiores vel secundae auctoritatis, ad novitiatum admittere possint, p. provinciali uniuscuiusque cooptationem singulatim approbante.

422. Postulantes vero non conversi, ad novitiatus domum mittendi erunt; approbante, ut iam diximus, p. provinciali uniuscuiusque singulatim inter novitios cooptationem.

423. Ethnici a falsorum numinum cultu revocati, in novitiatu per biennium ut minime, imo et per quatuor annos ad summum probandi erunt. Caeteri vero mensibus decem et octo, probantur; quin superiori liceat de his quidpiam derogare.

424. Ubi tempus aderit novitium aliquem e conversis ad professionem cooptandi, p. provincialis, vel p. missionis superior, si ea provincialem non habeat, consiliarios convocet, eisque novitium proponat; cui si consiliariorum bis tertia pars, scrutinio tacito, suffragata fuerit, ad votorum professionem admittatur.

425. Novitium non e conversis ad votorum professionem cooptaturus, p. provincialis, vel missionis superior, quando ea provincialem non habet, patres convocet quibus novitiorum cura incumbit, omnes item missionarios quibus ibidem adesse commodum erit; inde, modo supra digesto res agatur; novitius scilicet, patrum bis tertia suffragante, ad professionem votorum cooptatus censeatur.

426. Non necesse erit in missionibus ut capitulum consiliumve duplex celebretur, novitios ad professionem admittendi gratia: legem tamen hanc superiores, quotiescunque sine incommodo fieri poterit, non praetermittere curabunt.

427. Si forte missionis superior ethnicos a falsorum numinum cultu revocatos in domum quamlibet novitios ad professionem admittendi

iure fruentem miserit, eorum in novitiatu probatio duorum, ut minime, quatuor ut maxime, annorum futura semper est.

CAPUT X.

DE IIS QUI DONATI VOCANTUR.

428. Admittimus in societatis nostrae domos, *Donatorum* nomine, homines ibidem in secessu vitam agere cupientes, nullo autem voto obstrictos.

429. Superioris domus quam inhabitant auctoritati obligantur, quandocumque res ad rectam familiae ordinationem interesse videtur. Specialiter autem tenentur a superiore permissionem petere:

1. quotiescumque foras egressuri sunt;
2. quotiescumque salutatores amicosve extraneos intra aedes admittere animo destinant.

430. Superiores locales neminem unquam *Donati* nomine admittant, nisi rmus p. superior generalis ita concesserit.

CAPUT XI.

DE CONSOCIATIONE EXTERIORI.

431. Quoniam congregatio nostra eam ad rem imprimis spectat, legitimam scilicet devotionem erga SS. Corda Iesu et Mariae magis magisque prolatandam, qualem a Sancta Sede Apostolica traditam approbatamque accipimus; hoc ut propositum facilius perficiatur, possunt singularum domuum superiores in specialem precum communionem fideles admittere, qui rebus terrenis quamvis impliciti, vitam tamen sanctius agere concuperent.

432. Quicumque in hanc specialem precum communionem admittentur, consociationem efficient, cuius consortibus piae quaedam exercitationes posterius indicabuntur, quas fideliter persolvant.

433. Ubicumque consociatio exterior instituetur, s. Ioannem Franciscum Regis in patronum habeat.

434. Consociationis huius exercitationes sub peccati poena nec quidem venialis, obligationem inducunt: at quicumque consociationis legibus non stabit, vice triplici admonitus, propositum mutavisse censeatur, nec iam inter consociationis participes numeretur.

DECLARATIO

CAPITULI GENERALIS FRATRUM ANNO 1819 CONGREGATI.

Capitulum generale fratrum absolute et in perpetuum renuntiat omnibus et singulis iuribus, quibus gaudere posset circa regulas capituli generalis sororum approbandas; et definit hasce regulas in posterum et perpetuo soli superiori generali, qui eas approbet, cum maioritate suffragiorum sui consilii, esse submittendas.

Quinimo capitulum generale fratrum omni iuri quo gaudere posset, vel praetenderet, legem quamlibet, quae respiciat sorores, sive generalem, sive specialem ferendi, absolute et in perpetuum renuntiat.

Solummodo, ad conservandam, quantum fieri potest, unam eamdemque in administratione generali rationem, quando capitulum generale fratrum constituerit, respective ad fratres, regulam toti congregationi convenientem, eam cum capitulo generali sororum communicabit, ut de eius utilitate iudicent, sed nulla hancce regulam adoptandi sororibus imposita necessitate; siquidem capitulum generale fratrum hic nunc et in perpetuum agnoscit ius inesse sororibus alias regulas, dummodo a superiore generali totius congregationis, et a suo consilio cum maioritate suffragiorum approbentur, constituendi.

Similiter, capitulum generale fratrum rogat sorores in ipsarum capitulo generali sedentes, ut quas primae sanciverint regulas toti convenientes congregationi, communicent cum supradicto fratrum capitulo generali, quod illas regulas, saltem necessitatibus domorum fratrum perspectis, si conveniant, ultro accipiet.

IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

Paroecia in regio sacello, vulgo Portici, *erigitur atque instituitur, eique peculiaria quaedam loca attribuuntur* [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romanum decet Pontificem iis potissimum summorum principum postulationibus annuere, quae in spirituale populorum bonum redundare posse videntur.

1 Ex Archivio Secretariae Brevium.

Exponendum Nobis curavit carissimus in Christo filius Noster Utriusque Siciliae rex illustris, eius in votis esse paroeciam in regio sacello, vulgo *Portici,* institui, quae ab antistite cappellano maiore omnino pendere debet, atque huic novae paroeciae aliquos fundos, in praesentia aliarum paroeciarum, seu *Resina* seu *Portici,* iurisdictioni subiectos, attribuere, quo commodius atque diligentius, a parocho inibi degente, spiritualia adiumenta iis omnibus praestari possint, qui in regiis illis morantur aedibus, ac simul nonnullae quaestiones penitus tollantur, quae identidem duos inter parochos *Resina* et *Portici* de utriusque paroeciae finibus agitari solent. Fundi autem qui ad regia *Portici* loca pertinent ac novae paroeciae commemorati sacelli, ex eiusdem regiis desideriis essent attribuenda, sunt: nempe:

Grande edifizio detto le scuderie.

Questo edifizio rimane sulla strada regia d Portici, e confina con la medesima da settentrione ad oriente col palazzo detto di S. Antonio di real pertinenza, a mezzogiorno col boschetto detto di Mascabruno anche di real proprietà, e da occidente con le case di un particolare. È abitato da pochi individui, e si riguarda compreso nel distretto parrocchiale di Portici.

Palazzo detto di S. Antonio.

Sulla strada regia di Portici confina a settentrione colla medesima, ad oriente con la chiesa di S. Antonio, a mezzogiorno col detto boschetto Mascabruno e ad occidente con la suddetta scuderia. È abitato da n. 39 individui, e si riguarda compreso nel distretto della parrocchia di Portici.

Quartiere delle Guardie del Corpo.

Sulla detta strada regia di Portici confinante con la stessa a mezzogiorno e per gli altri tre lati con i beni di diversi particolari. È abitato da n. 27 individui, e si riguarda compreso nel distretto parrocchiale di Portici.

Bassi sotto il Monastero di S. Antonio.

Sono questi situati sulla strada regia di Portici e confina a settentrione con la stessa, per gli altri tre lati con la chiesa e monastero suddetto. Sono abitati da n. 9 persone, e si riguardano compresi nel distretto della parrocchia di Portici.

Locale detto del Museo.

Rimane sulla strada regia di Portici e confina a settentrione colla medesima e ad occidente col larghetto del monistero di S. Antonio, ed agli altri due lati coi beni di real proprietà. È abitato da n. 6 individui, e si riguarda compreso nel distretto parrocchiale di Portici.

Boschetto detto di Mascabruno con casa verso s. Pasquale al Granatello ad uso del portinaio.

L' ingresso principale di questo boschetto rimane sulla strada del Granatello e confina a mezzogiorno con la medesima, e dagli altri lati coi beni di real proprietà. È cinta di mura e varî cancelli di ferro. La casa è abitata dalla famiglia del portinaio composta di n. 6 individui, e si riguarda compresa nel distretto della parrocchia di Portici.

Locale delle Fornaci al Granatello.

Rimane questo locale nella strada del Granatello, e confina a mezzogiorno con la stessa e per gli altri tre lati col suddetto boschetto di Mascabruno. Si riguarda compreso nel distretto della parrocchia di Portici ed è affittata ad un particolare.

Padula detta delle Reali mortelle.

Trovasi sulla strada detta delle mortelle, e confina colla stessa a settentrione, ad oriente colla diruta fabbrica detta di Spedalieri, a mezzogiorno col forte del Granatello, e ad occidente con la cava dei basoli, ivi. È cinta da basse mura e nel mezzo vi è una piccola casetta, dove non vi abita alcuno. Attualmente trovasi affittata ad un particolare e si reputa compresa nel distretto parrocchiale di Portici.

Real Boschetto Superiore con diverse fabbriche interne.

Questo boschetto di circa moggia cento otto, coll' ingresso principale a mezzogiorno della strada regia di Portici che conduce a Resina, è cinto da buone mura, e tiene diversi cancelli di ferro. La maggior parte di tale boschetto si riguarda compreso nel distretto parrocchiale di Portici; meno che la real vaccheria che è limitrofa alla parrocchia di Resina. È abitato da n. 77 individui.

Locali ed abitazioni sotto la loggia detta dei Reali Principi.

Sono posti sulla strada regia che conduce a Resina e confinano coll' aspetto principale a mezzogiorno con la strada medesima, con gli altri tre lati coi beni di real pertinenza, attualmente detti locali, si riguardano compresi nel distretto parrocchiale di Portici e vengono abitati solo in tempo di villeggiatura.

Portone detto di Miranda e palazzo detto di S. Buono.

Sulla strada regia di Portici che conduce a Resina confinano a mezzogiorno con la stessa strada, ad oriente con la rampa che porta ad uno degl' ingressi del detto boschetto superiore ed a settentrione ed occidente con le delizie segnate. Si riguardano compresi nel distretto

parrocchiale di Portici. Vi abitano n. 15 individui.

Casino detto di Torritto
e taluni Bassi sotto la real tapezieria.

Sulla strada regia che conduce a Resina confinano a settentrione con la detta strada, ad oriente col casino segnato di Torretto, a mezzogiorno con la real delizia e ad occidente col R. Palazzo. Si riguardano ora compresi nel distretto parrocchiale di Portici e nei due bassi vi abitano n. 10 individui.

In tempo di villeggiatura il real palazzo che ora è sgombro di abitanti viene ad essere occupato dalla real famiglia e da tutte le persone di seguito; ed in tali casi vengono ad aumentarsi ben anche gli abitanti, e quasi tutti gli altri locali di sopra descritti.

Itaque cum idem rex supplici cum prece a Nobis efflagitaverit, ut ad hanc rem perspiciendam, Nostram opem et veniam largiri velimus, ac ven. frater hodiernus archiepiscopus Neapolitanus suum consensum hac de re quam libentissime praebuerit, Nos eiusdem regis postulationibus alacri libentique animo annuendum censuimus. Quamobrem hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, paroeciam in regio sacello vulgo *Portici,* perpetuo instituimus, ac regium idem sacellum in paroeciam erigimus, ac paroeciae ipsi, quae ab antistite cappellano in tempore maiore pendere debet, singula quaeque commemorata et descripta loca, de quibus habita mentio est, perpetuum in modum attribuimus, eaque loca cum nova huiusmodi paroecia coniungimus, et a qualibet alia parochiali iurisdictione omnino auferimus, ita ut eiusdem novae paroeciae regii sacelli parochus omnia parochialia munia in locis illis libere et licite obire possit et debeat. Verum in hac novae paroeciae regii sacelli *Portici* institutione et circumscriptione, coenobium ac templum s. Antonii fratrum ordinis Minorum s. Francisci Conventualium nunquam contineri declaramus, nam templum ipsum atque illius religiosae familiae alumni in rebus exceptis ab illorum exemptionibus, etiam in posterum veluti eorum superiorem archiepiscopum in tempore Neapolitanum agnoscere omnino debent, atque ab eodem archiepiscopo tantum in casibus peculiaribus auctoritas delegata libere sit exercenda absque ullo cappellani maioris consensu.

Haec concedimus, volumus, statuimus decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quoties opus fuerit, Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo,* ac rec. mem. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, aliisque etiam speciali et individua mentione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die trigesima prima martii millesimo octingentesimo quadragesimo pontificatus Nostri anno decimo.

X.

INDULTUM

Canonicis cathedralis templi Ripani datur facultas gestandi vestem talarem cum fascia violacei coloris, et collare ac floccum in pileo eiusdem violacei coloris [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romanorum indulgentia Pontificum honorifica insignia illis interdum viris tribuere solet, qui divino ministerio addicti, conspicuis in templis levantes manus eorum in sancta, laudes Deo persolvunt, ut externa decora adepti, magis magisque virtutum omnium ornatu fulgere conentur.

Cum itaque dilecti filii canonici cathedralis templi Ripani supplici cum prece a Nobis efflagitaverint, ut nonnulla ornamenta illis concedere velimus, quo illius ecclesiae splendor atque eorum decus augeatur, Nos ipsorum postulationibus alacri libentique animo annuendum censuimus.

Quamobrem omnes et singulos quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, iis qui modo sunt quique in posterum erunt, canonicis cathedralis templi Ripani, auctoritate Nostra apostolica, hisce literis, perpetuum in modum concedimus atque indulgemus, ut hoc futurisque temporibus vestem talarem cum fascia violacei coloris in choro, in conventibus seu, ut dici solet, in capitulis, in sacris supplicationibus aliisque publicis eorum functionibus, ac focale seu collare et floccum in pileo eiusdem violacei coloris intra limites tantum illius dioecesis gestare libere et licite possint et valeant.

Decernimus has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Ben. XIV *super divisione materiarum* aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis et eiusdem cathedralis templi et canonicorum collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, aliisque etiam speciali et individua mentione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Episcopo Lucionensi datur facultas instituendi confraternitates in sua dioecesi haud rite erectas [1].

Venerabili fratri
episcopo Lucionensi
GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Exponendum Nobis curasti plures in ista tua Lucionensi dioecesi pias sodalitates existere haud rite institutas iuxta Summorum Pontificum praescripta, ac nulla ratione habita quoad locorum distantiam, quae ex constitutione fel. rec. Clementis VIII praedecessoris Nostri praecipitur. Itaque supplici cum prece a Nobis postulasti, ut huiusmodi rei benigne occurrere velimus, ne christifideles spiritualibus illis careant bonis, quae ex sodalitatibus ita institutis se percipere posse arbitrantur. Nos vero tuis desideriis alacri libentique animo annuentes, tibi, ven. frater, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, facultatem facimus atque impertimur, cuius vi, non solum sodalitates omnes seu confraternitates, ista in tua Lucionensi dioecesi, haud rite iam institutas, valide erigas, et singulos quosque defectus qui in illas erigendas irrepserint, suppleas et sanes, easque ad normam a Romanis Pontificibus praescriptam redigas, atque a defectu quoad locorum distantiam a rec. me. Clemente VIII decessore Nostro statutam eximas, verum etiam pro tuo arbitrio eas sodalitates extinguas et de medio tollas in illis praesertim civitatibus, in quibus duas eiusdem nominis sodalitates haud existere posse iudices. Omnibus vero sodalitatibus tuae dioeceseos ita rite a te compositis atque redactis, perpetuum in modum, eadem auctoritate Nostra apostolica, singulas quasque indulgentias, quae sodalitatibus huiusmodi ab hac Apostolica Sede tribui solent, impertiri valeas potestatem facimus et impertimur; nempe ut singuli earum sodalitatum confratres et consorores die primo, quo in sodalitates ipsas cooptati vel ingressi fuerint, plenariam indulgentiam consequantur, si tamen, sacramentali confessione peracta, caelesti dape refecti fuerint; plenariam aeque indulgentiam lucrentur in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi ac sancta communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti sanctissimum nomen Iesu, ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint; item plenariam assequantur indulgentiam die festo principali earumdem confraternitatum per eosdem confratres et consorores eligendo atque a te approbando, dummodo ad poenitentiae et eucharistiae sacramenta accedant, atque a primis vesperis usque ad occasum solis illius diei templum, aediculam seu oratorium eorum cuiusque sodalitatis devote visitaverint, ibique, pro christianorum principum concordia, haeresum

---

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

extirpatione et sanctae matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint. Praeterea, eadem auctoritate Nostra apostolica, facultatem facimus ut septem annorum indulgentiam, totidemque quadragenarum in forma Ecclesiae consueta iidem confratres et consorores lucrentur, in quatuor aliis per annum feriatis vel non feriatis seu dominicis diebus, ut supra eligendis, eamdem visitationem ut supra peragentes. Denique eadem auctoritate Nostra apostolica, ipsis confratribus et consororibus sexaginta dierum indulgentiam concedes quoties missis et aliis divinis officiis in eorum ecclesia seu oratorio celebrandis, vel congregationibus publicis vel privatis earum sodalitatum interfuerint; si pauperes hospitio exceperint, vel pacem inter inimicos composuerint vel componi fecerint vel curaverint, si defunctorum corpora ad sepulchrum comitati fuerint, si quascumque processiones de tua licentia faciendas ac ssmum Eucharistiae sacramentum tam in supplicationibus quam cum ad infirmos aut alios quocumque et quomodocumque pro tempore deferetur, prosequuti fuerint, vel si impediti, aeris campani signo dato, semel orationem dominicam et salutationem angelicam dixerint, aut etiam quinquies orationem et salutationem easdem pro animabus confratrum et consororum recitaverint, aut devium aliquem ad salutis viam reduxerint, et ignorantes praecepta Dei et ea quae ad salutem sunt necessaria docuerint, aut quodcumque aliud pietatis aut caritatis opus exercuerint. Quas quidem omnes indulgentias, peccatorum remissiones et poenarum relaxationes, perpetuo valituras, etiam animabus christifidelium quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse misericorditer in Domino declaramus.

Haec concedimus atque indulgemus non obstantibus commemorata Clementis VIII praedecessoris Nostri constitutione super confraternitatum erectione aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima apr. millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XII.

EPISTOLA

Intuitu Syrorum Chaldaeorum Malabaris, vicario apostolico Verapolis in praesentia subiectis, qui antea archiepiscopo Cranganorensi subiiciebantur, iisque optantibus, praefatum vicarium ad titulum ecclesiae archiepiscopalis evehit [1].

Venerabili fratri
Francisco Xaverio a S. Anna
episcopo Amatensi
vicario apost. provinciae Terrae Malabaris

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et gubernare. Dudum siquidem ecclesiarum omnium sic vacantium quaeque in posterum vacaturae, ordinationi et provisioni Nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum atque inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Cum igitur tu, ven. frater, Nobis exponendum curaveris complura Syro-Chaldaeorum millia spirituali tuae iurisdictioni nunc subiacere, qui anteactis temporibus Cranganorensi archiepiscopo suberant, eosque magis magisque in catholicae fidei unitate firmari, aliosque adhuc haeretica pravitate detentos, ad Christi ovile posse perduci, si, quod summopere exoptant, scilicet a praesule archiepiscopali titulo insignito, ut antea, gubernari assequantur, Nos de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te ad archiepiscopalem sedem transferendum esse decrevimus. Et quoniam ecclesia archiepiscopalis Sardian., quae in part. infid. existit, solatio pastoris fuerit destituta, Nos ad eiusdem ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni fecerunt Nos certiores, provisionem celerem atque felicem, in qua nullus praeter Nos se potest intromittere, reservatione et decreto obsistentibus supra dictis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem et fructuosam cum iisdem venn. fratribus, ad te, qui nunc episcopus Amatensis in part. infid. existis, et hactenus summa cum laude vicarii apostolici munere provinciae ter-

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

rae Malabarium es functus, quique in illis regionibus de catholica religione optime meritus es, oculos mentis Nostrae direximus; quibus omnibus debita ratione perpensis, eamdem archiepiscopalem ecclesiam Sardian. de persona tua, Nobis et memoratis cardinalibus ob tuorum meritorum praestantiam accepta, de eorum venn. fratrum sententia, providere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, te, ab episcopatu Amatensi, in partibus infidelium, in illam transferimus, teque, dimisso titulo episcopali Amatensi, archiepiscopali Sardian. ecclesiae pariter in partibus infidelium in archiepiscopum praeficimus, atque pastorem, curam, regimen et administrationem illius tibi plenarie committendo in spiritualibus et temporalibus, in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod, dirigente Domino actus tuos, praedicta ecclesia Sardian. tua industria et studio utiliter et prospere dirigatur, grataque in spiritualibus et temporalibus incrementa suscipiat.

Iugum igitur Domini tuis impositum humeris, prompta devotione animi amplectens, curam et administrationem ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut ecclesiae praedictae gaudeant se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissas, et tu, praeter aeternae retributionis praemium, Nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die decima aprilis millesimo octingentesimo qadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Novo cathedrali templo Cadicen. et illius canonicorum collegio, omnia et singula quaeque iura, privilegia, indulta tribuuntur, quibus antea fruebantur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

In apostolicae dignitatis fastigio, nullis certe Nostris promeritis, sed ineffabili divinae providentiae consilio collocati, illud votis omnibus summopere optamus, ut in hac praesertim tanta temporum asperitate, ad christifidelium pietatem fovendam ac divinum cultum augendum, sacra templa aedificentur ac splendide exornentur. Itaque non mediocri certe laetitia affecti fuimus, ubi a ven. fratre Dominico de Silos Moreno, hodierno Cadicen. episcopo, accepimus, singulari eius cura et studio novum cathedrale templum quod iam inde ab anno millesimo septingentesimo trigesimo secundo inchoatum fuit, prospere feliciterque absolutum fuisse. Quod quidem templum ab ipso ven. fratre die vigesima octava novembris superiori anno solemnibus caeremoniis rite consecratum fuit. Cum autem idem in templum canonicorum collegium transferendum curaverit, eius esset in votis tum novum templum, tum canonicorum collegium ipsissimis iuribus perfrui, quibus antiquum templum fruebatur, ac in illo canonicorum ordo pollebat. Quocirca supplici cum prece a Nobis efflagitavit, ut id benigne concedere velimus. Nos vero eximiam eiusdem ven. fratris pastoralem sollicitudinem summis laudibus efferentes, qui nullis neque curis, neque laboribus sibi parcendum ducit, ut gregi eius fidei commisso consulat atque prospiciat, quique luctuosissimis Hispaniae temporibus huiusmodi opus ad maiorem Dei gloriam tanta industria tantaque solertia perficiendum curavit, ipsius desideriis quam libentissime annuendum censuimus.

Quamobrem omnes et singulos quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes ac absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, omnia et singula iura, privilegia, decora, ornamenta, quovis nomine designanda, quibus vetus cathedrale templum instructum erat, novo cathedrali templo Cadicen. perpetuo deferimus atque attribuimus, ac eadem auctoritate Nostra, canonicis et canonicorum collegio eiusdem novi cathedralis templi Cadicen. singula quaeque decora, indulgentias, privilegia, iura quavis appellatione nominanda perpetuum in modum concedimus atque largimur, quibus idem canonicorum collegium et canonici antea in veteri cathedrali templo utebantur, vel uti ac frui poterant.

Haec concedimus atque indulgemus decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus ac per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii

---

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

Nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum*, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, nec non eiusdem cathedralis templi et canonicorum collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XIV.

In amplissimo consessu consistoriali praedicat illorum virtutem, qui, in Tunquinensi persecutione, pro fide Christi sua corpora tradiderunt [1].

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE VIGESIMA SEPTIMA APRILIS
MILLESIMO OCTINGENTESIMO QUADRAGESIMO

Venerabiles fratres,

Afflictas in Tunquino finitimisque regionibus christianorum res, eorumque fidem multiplici vexatione tentatam ingemiscimus iamdudum, ut probe nostis, venerabiles fratres, nec praetermisimus humiliare coram Deo animam Nostram, et reseratis etiam indulgentiarum thesauris Ecclesiae filios excitare, ut pro fratribus in tanta illa tribulatione positis, clementissimo Domino quotidianas preces et alia pietatis opera offerrent. Interea non defuit quae susceptum inde dolorem leniret consolationis causa ex invicto multorum animo, quos nullius periculi metus, non vincula, non verbera, non aliae diuturni temporis aerumnae, non ipse tandem praesentis mortis aspectus, a professione catholicae fidei dimovere potuerunt. Iam vero quum praecipuarum rerum, quae illic proximis annis gesta sunt, testimonia satis idonea paullatim ad Sanctam hanc Sedem pervenerint, Nostrum modo esse duximus praedicare in amplissimo vestrum consessu illorum virtutem, qui pro fide Christi sua corpora tradiderunt, atque una vobiscum collaudare Christum ipsum in suis militibus triumphantem.

Atque ut exordium faciamus ab anno millesimo octingentesimo trigesimo quinto, fortem tunc in Cocincina regione Athletam Christi se praebuit missionarius Marchand, qui castro quodam, ubi a seditiosis detinebatur, per regios milites expugnato, comprehensus ab his, et in ferream caveam (quasi fera esset bestia) detrusus, ad Urbem principem deductus est; ibique multa tormentorum vi ad deserendum Christum frustra sollicitatus, tandem exeunte novembri mense illius anni, regis iussu, in odium fidei occisus fuit. Ibidem per eos dies claruit Sinensis quidam adolescens, viduae matris unicus filius, qui post aerumnas duri carceris toto pene biennio fortiter toleratas, laetus pro Christo cervicem suam carnificis gladio supposuit; abscissumque illius caput ipsa, quae praesens aderat, pia mater excepit.

Anno deinceps millesimo octingentesimo trigesimo septimo celebrata sunt in Tunquino regno nomina presbyteri Ioannis Caroli Cornay, et fidelis indigenae Francisci Xaverii Cân. Horum primus cum missionarii munus inibi gereret, captus ab infidelibus et in caveam inclusus, cum ne crudelibus quidem verberationibus, quibus per tres menses affectus est, a fide Christi dimoveri potuisset, pro illa demum occubuit mense septembris memorati anni, obtruncato ei capite, membrisque ei frusta concisis, atque in varias partes per ignominiam proiectis. Alter vero, qui eadem in regione catechistae partibus fungebatur, pro Christo occisus est mense novembri, postquam a viginti ante mensibus in vincula coniectus, ac toto illo tempore multimodis divexatus, ob invictam in fide constantiam fidelibus iuxta atque infidelibus admirationi fuisset.

Silentio post haec praeterire cogimur alios longe plurimos, de quibus non aliud fere novimus, nisi aut eo, de quo diximus, tempore, aut subsequentibus annis multos illorum lavisse pariter stolas suas in sanguine Agni; ceteros vero, etsi nondum fuissent pro Christo interempti, gravibus tamen molestiis tormentisque tentatos in confessione evangelii firmiter perseverasse. Quo in genere celebratam nominatim accepimus multarum Sinensium mulierum fortitudinem, in quibus fragilitatem sexus fidei ardor superavit.

Verum multi insuper sunt postremis iisdem annis mortem pro Christo perpessi, de quorum triumpho allatae huc relationes speciatim loquuntur. Inter illos recensetur presbyter Franciscus Jaccard, in regno Cocincinae missionarius, qui iamdiu in vincula datus et diversa in loca deductus, postquam repetita ubique invictae firmitatis documenta edidisset, tandem in odium fidei laqueo suffocatus est mense septembris anni millesimi octingentesimi trigesimi octavi. Eamdem cum ipso mortem sustinuit fidelis iuvenis indigena Thomas Thien.

---

[1] Ex Iure Pont. de P. F.

Imprimis vero celebrabitur idem annus in historia Tunquinensium ecclesiarum; in quibus, eo vertente, tum fideles laici, tum presbyteri plures, tum sacri antistites immarcescibilem martyrii coronam sunt consequuti. Et primo quidem memorandus occurrit ven. frater Ignatius Delgado, ordinis Praedicatorum, episcopus Mellipotamensis et in orientali regni parte vicarius apostolicus; qui postquam quadraginta annos ad demandatae sibi provinciae curam advigilasset, tandem aetate gravis in manus incidit infidelium; a quibus in ligneam caveam detrusus, cum illata sibi tormenta patientissime tolerasset, horum et accedentis morbi vi paullatim confectus, mense iulio memorati anni obdormivit in Domino, antequam sententia contra eum a magistratibus prolata ad ipsos regio assensu approbata rediret. Non tamen abstinuerunt iidem a demortui capite postea obtruncando, quod in publico per tres dies suspensum, ac subinde in sportam cum lapidum pondere inclusum, ad fluminis profunda demerserunt: sed Deo ita mirabiliter disponente factum est, ut sacrum idem caput (quemadmodum in missa huc relatione narratur) post quatuor ferme a morte menses incorruptum omni ex parte atque illaesum ibidem inveniretur.

Pretiosam coram Domino laudati vicarii apostolici mortem praecesserat mense iunio martyrium sui coadiutoris ven. fratris Dominici Henares, ordinis item Praedicatorum, episcopi Fesseitensis, qui et ipse consenuerat in animabus ibidem iuvandis, ac demum una cum memorato antistite quaesitus a militibus, ac paulo post captus, atque in caveam detrusus, graviterque vexatus, abscisso postmodum ei capite, in fidei testimonium occubuit. Eamdem una cum ipso mortem sustinuit pius indigena Franciscus Chiêu, qui catechistae illic munus gerebat, fidemque Christi, cuius progressus adiuverat, constanter usque ad sanguinis effusionem confessus est. Simili paucos post dies supplicio affectus fuit presbyter item indigena Vincentius Yên, ordinis Praedicatorum, qui annos iam quadraginta in missionarii officio desudaverat. Is non uno tentatus vexationum genere, constantissimus mansit in professione verae fidei; ac ne illa quidem fallacia uti voluit, quae sibi a magistratu quodam proposita fuerat ad mortis iudicium vitandum, videlicet ut, sacerdotali sua dignitate occulta, medicum se esse diceret.

Post hos mense iulio coronati sunt missionarius Iosephus Fernandez, ordinis Praedicatorum, et presbyter indigena Petrus Tuân; quorum uterque triginta eoque amplius annos in excolenda parte illa dominicae vineae laboraverant. Et Iosepho quidem caput obtruncatum est, postquam in caveam detrusus et ante diversos iudices divexatus, praeclara ubique christianae fortitudinis exempla praebuisset. Petrus autem etsi pari iudicio damnatus, cum tamen regia eius sententiae confirmatio nondum advenisset, ipse vexationibus aerumnisque confectus ob fidei confessionem in vinculis obiit. Eadem ferme paucos ante dies causa fuerat senis indigenae catechistae Iosephi Uyên in tertium s. Dominici ordinem ascripti, qui ob suam in fide constantiam multipliciter afflictus, et tandem lignei, quo ad collum premebatur, tormenti agitatione dire cruciatus, accepto inde vulnere aliquot post horas interiit.

Subinde celebris fuit confessio sacerdotis indigenae Bernardi Duê octoginta trium annorum aetate venerabilis; qui post multos labores in animarum salutem exantlatos, senio morbisque confectus ambulare vix poterat; et tamen religione conditioneque sua iteratis clamoribus annunciata, ex peculiari, ut arbitramur, divinae gratiae impulsu, seipsum militibus prodidit. Ab his igitur captus, atque hinc vexatione multiplici ad deserendam fidem frustra tentatus, etsi iuxta publicas eius regni leges ob aetatem octoginta annis maiorem affici extremo supplicio non posset, nihilominus ex irrogato contra eum privilegio factum est, ut initio mensis augusti detruncato ipsi capite gloriosam pro Christo mortem subierit. Eodem supplicii genere una simul occisus fuit alius indigena presbyter ordinis Praedicatorum, nomine Dominicus Diêu Hanh; qui et praecedenti tempore pro animarum bono laboraverat plurimum, et novissime non paucos alios cruciatus pro Christi amore fortiter toleraverat. Paucos autem post dies simile mortis genus alacriter pro fidei confessione sustinuit alius Christi athleta Iosephus Viên presbyter item indigena, qui antea in sacri ministerii laboribus sexdecim annos exegerat.

Hos septembri mense secutus est sacerdos alius eius regionis Petrus Tû ordinis Praedicatorum, qui antequam abscisso capite occideretur, nedum in mediis vexationibus constantissimus ipse in fide permanserat, sed et christianos simul vinctos impavide in praesentiam etiam iudicum ad perseverantiam fuerat exhortatus. Huic eodem martyrii genere comes fuit Iosephus Cành, provecta aetate vir, in tertium s. Dominici ordinem cooptatus, idemque inter fideles sui pagi spectatissimus, qui bene admodum de vera religione meruerat. Denique novembri mense presbyter Petrus Dumoulin Borie, atque insuper bini sacerdotes indigenae una simul pro Christi amore fortiter occubuerunt. Atque haec quidem, uti diximus, contigerunt anno millesimo octingentesimo trigesimo octavo.

Nuper autem memoratas Cocincinae Tunquinique regiones novo virtutis fulgore illustrarunt tres milites christiani, quos superiori anno ob fidei confessionem in Tunquino vinculis mancipatos, provinciae praeses quum nullis neque blanditiis, neque minis, neque tormentis a caritate Christi separare potuisset, tandem ipsos propinati per fraudem medicamenti vi sensibus

alienatos super sanctissimi Redemptoris imaginem iussit imponi: ac postmodum literas dedit ad regem de christiana religione ab illis per crucis conculcationem abnegata. Verum pii milites, qui interim e carcere cum pecuniae subsidio dimissi fuerant, re subinde cognita, nihil morati sunt quin ad praetorium irent, ubi pecuniam, quae dolo eis data fuerat, palam proiicientes coram magistratibus memoratoque praeside rursus confessi sunt fidem Nostram, seque ab eius sanctitate nequaquam recessisse protestati, ipsam aeque in posterum firmissime retenturos professi sunt. Post hanc afflicti sibi sceleris praeclaram adeo ac manifestam depulsionem, bini eorumdem militum, nomine Nicolaus et Augustinus, adierunt insuper longo itinere ad regiam Cocincinae urbem, regemque ipsum de his, quae contigerant, ac de sua in Christi famulatu constantia oblato in id libello certiorem fecerunt. Hinc iterum iussu principis ad fidem deserendam frustra sollicitati, demum mense iunio anni proximi ad martyrii palmam feliciter pervenerunt, eorumque corpora detruncato iam capite in quatuor partes dissecta, et in maris profundum demersa sunt.

Habetis igitur, venerabiles fratres, in oratione hac Nostra breve illorum elogium, qui ex omni catholici cleri populique ordine in supradictis ultimi pene orientis partibus veram Christi fidem nedum vario aerumnarum tormentorumque genere sustinendo, sed fuso etiam sanguine clarificarunt. Faxit Deus, ut facultas deinceps non desit de tota hac causa rite inquirendi, quo Sancta haec Sedes ad pontificiarum sanctionum normam possit de ipso tot novorum martyrum triumpho eisdemque fidelium venerationi proponendis iudicium ferre [1]. Firma interim spe sustentamur, ut auctor fidei et consummator Christus Dominus, cuius adiutrice gratia factum est, ut fortes in certamine permanerent, respiciat modo super sponsam suam Ecclesiam recenti filiorum sanguine coruscantem, eamque a calamitatibus, quibus affligitur, propitiatus eripiat; speciatim vero in regionibus eodem sanguine irrigatis multiplicato credentium numero iustitiae fruges amplificet.

XV.

Nicolao Isaiae Iacobi Babylonensis, nationis Chaldaeorum patriarchae, sacrum pallium concedit [2].

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE VIGESIMA SEPTIMA APRILIS
MILLESIMO OCTINGENTESIMO QUADRAGESIMO

Venerabiles fratres,

Quas Ecclesia catholica passa sit vices apud gentem Chaldaeorum ex quo, postquam Nestoriani regiones illas occupassent, episcopus Seleucensis in nomen ac dignitatem patriarchatus Babylonensis invasit, probe scire fraternitates vestras ducimus: compertum item habetis quantum Romani Pontifices, pro imposita sibi sollicitudine omnium ecclesiarum, laboraverint, in curam intenti, ut populos illos, sicut oves quae perierant, extra unam veram Ecclesiam errantes, in caulam Domini revocarent. Utinam vero pares pastoralibus illorum studiis ac laboribus fructus respondissent! Spes quidem identidem felicis exitus ostensa est, praesertim medio circiter saeculo sextodecimo, cum vir praeclarus Simeon Sulacha a catholica parte nationis Chaldaicae pastor electus est, et a fel. recordat. Iulio III electione confirmata, patriarcha solemni ritu constitutus: item sub fel. record. Innocentio XI a quo Iosephus dictus Primus, fuit patriarcha renunciatus.

At mansit nihilo minus duplex illa series patriarcharum, altera schismaticorum, altera catholicorum: donec, conditionem populorum illorum miserante Domino, Pio VI immortalis memoriae praedecessori Nostro contigit ut complures ex gente Chaldaeorum patriarchae Nestoriano adhuc subiectos in sinum communis matris Ecclesiae redeuntes exciperet. Nam Ioannes de Hormez, qui ab Elia patruo schismatico patriarcha Babylonensi successor suus fuerat declaratus, Ecclesiae Romanae se adiunxit. Is tamen ob exortas in eadem gente controversias, diu agnitus fuit tantum ut archiepiscopus Mosulensis, nec nisi anno millesimo octingentesimo trigesimo a fel. record. praedecessore Nostro Pio VIII renunciatus est patriarcha Babylonensis, et sacri pallii honore decoratus: antea constituto, ut patriarchatus abrogaretur dictus Diarbechirensis, ex quo in ea Mesopotamiae civitate patriarchae catholici sedem suam habere coeperunt. Porro cum postmodum senio languescens patriarcha Ioannes de Hormez vix iam valeret muneri suo satisfacere, visum est

---

[1] Clementissimus Deus, Gregorii XVI votis annuit; hoc enim anno sacri Iubilaei, immortalis Pontifex Leo PP. XIII, quem Deus diutissime sospitet, aliquot ex illis, in praesenti littera commemoratis, qui pro fide christiana martyrium consummaverant, inter Beatos coelites recensebat; sunt autem sequentes: B. Ignatius Delgado episcopus Mellipotamensis, B. Dominicus Henares episcopus Fesseitensis, B. Xaverius Can, B. Ioseph Cânh, B. Ioannes Carolus Cornay, B. Dominicus Dieu Hanh, B. Belnardus Duê, B. Petrus Dumoulin Borie, B. Ioseph Fernandez, B. Franciscus Jaccard, B. Ioseph Marchand, B. Petrus Tu, B. Thomas Thien, B. Petrus Tuân, B. Ioseph Petrus Uyên, B. Vincentius Yen, B. Ioseph Yeren.

[2] Ex Iure Pontificio de P. F.

Nostrae congregationi Fidei Propagandae coadiutorem illi cum iure futurae successionis esse assignandum, eamque dignitatem tribuendam Nicolao Isaiae Iacobi Hadirbegiano, in Perside archiepiscopo, quem ipse Ioannes consecraverat, collegii Urbani olim alumno. Consilium hoc eiusdem congregationis initum die decima septembris millesimo octingentesimo trigesimo octavo rescripto Nostro probavimus, dato die decima sexta mensis eiusdem, nullaque interposita mora, apostolicae literae sub annulo piscatoris ea de re fuerunt expeditae quibus eumdem Isaiam coadiutorem patriarchae Babylonensis cum iure futurae successionis esse a Nobis electum et constitutum declarabamus; ita tamen ut, ipso Ioanne de Hormez vivente, nihil ei fas esset agere in patriarchatus administratione, nisi quantum et quatenus idem Ioannes esset ordinaturus; eiusque, ad eam quod attineret, mandata omnino praestare et implere deberet; si autem ille interim esset e vita excessurus, aut forsan iam excessisset priusquam eaedem Nostrae literae pervenissent, seu praedictus eius patriarchatus quocumque modo vacaret, eumdem Nicolaum Isaiam in eius locum et gradum item declarabamus velle Nos illico subrogatum cum omnibus et singulis facultatibus, quae praedicto Ioanni ratione patriarchatus ab hac Apostolica Sede concessae et attributae fuissent, dimisso caeteroquin prius archiepiscopatu Hadirbegiano, ritus Chaldaici, quo potiebatur. Casus re ipsa accidit, cui provisum fuerat. Nam cum literae illae Nostrae in Mesopotamiam allatae sunt, iam excesserat patriarcha Ioannes de Hormez: obiit enim die decima sexta augusti anno millesimo octingentesimo trigesimo octavo; illud autem accidit sane quam opportune, ut nondum novus illic patriarcha electus esset. Itaque, literis apostolicis publicatis, agnitus acceptusque est patriarcha Nicolaus Isaias Iacobi, utque ex literis ab Oriente recens acceptis intelleximus, iam se ille Bagdadam contulerat, ubi Franciscum Villardellium archiepiscopum Philippensium visitatorem apostolicum opperiebatur, varias patriarchatus dioeceses cum eo perlustraturus. Cum igitur is earumdem vi literarum apostolicarum iam Ioanni successerit ex coadiutore factus patriarcha, unum illud reliquum est, ut eius dignitas sacro pallio, pastoralis officii plenitudinis symbolo, amplificetur.

Qualem eum antea cognovimus cum successorem Ioannis de Hormez constituimus, episcopum videlicet singulari pietate, doctrina, prudentia, zelo religionis, rerum gerendarum peritia, aliisque animi ingeniique dotibus insignem, talem se postea constanter praebuisse, minime dubiis confirmatur testimoniis. Huic proinde Nos hoc ipso in consistorio mysticum insigne pallii sumpti de corpore b. Petri principis apostolorum libenter admodum concedimus, ei tradendum postquam de more fidei professionem coram eo, cui hanc accipiendam delegabimus, emiserit: minime dubitantes, quin unquam sit obliturus vestitum ipsum, quo ornatur, ut sanctus pontifex Symmachus monuit Theodorum Laureacensem, *crucis signum praetendere, per quod sciat se debere cum fratribus compati, et mundi illecebris in affectu crucifigi.*

Quod vero id honoris ipsi antea constituto in gradu patriarchali nunc conferamus, qua de causa id fiat, ex iis quae diximus luculenter apparet. Ita recenti quoque memoria, immortalis recordationis pontifex Benedictus XIV Cyrillo patriarchae Antiocheno Graeco-Melchitarum, cum iam ille antea ab hac S. Sede electionis confirmationem obtinuisset, sacri pallii honorem concessit.

XVI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Episcopo Passavien. conceditur ut ea utatur facultate quae Bavariae archiepiscopis et episcopis per similes apostolicas literas, die decima nona decembris millesimo octingentesimo vigesimo quarto datas, fuit tributa [1].

Dilecto filio praesuli
Michaeli Prelà
apud illustrem Bavariae regem
Nostro et Apostolicae Sedis internuntio

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Per similes apostolicas literas die decima nona decembris anno millesimo octingentesimo vigesimo quarto datas, singulis Bavariae archiepiscopis et episcopis facta fuit facultas, qua ecclesiasticis viris vel a Bavariae rege, vel a canonicorum collegiis ad dignitates et praebendas canonicales, ex initis conventionibus designandis, easdem ipsas possint tribuere. Verum quia iisdem in literis cautum fuit ut istius regni archiepiscopi et episcopi ea facultate per integrum vitae cursum iuventur, demissis precibus a Nobis postulavit venerabilis frater Henricus Hoefstaellen, hodiernus episcopus Passavien., ut huiusmodi facultatem ex Nostra indulgentia ac venia ei quoque conferre velimus. Nos igitur ipsum episcopum peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti ecclesiasticis

---

1 Ex Archivio Secretariae Brevium.

censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, tibi, dilecte fili, harum litterarum vi, potestatem facimus atque impertimur ut, auctoritate Nostra apostolica, venerabili fratri Henrico Hoefstaellen episcopo Passavien. veniam tribuas, cuius ope, ut ceteri quique istius regni sacrorum antistites, vel regias vel capitulorum nominationes ei liceat admittere iuxta ea quae articulo decimo conventionis, die quinta iunii anno millesimo octingentesimo decimo septimo initae, sancita sunt, ac nominatos canonica institutione donare, exceptis iis praebendis, quae vacant ob promotionem a Nobis factam, in quibus vacationis decretum apponitur, quarum collatio huic Apostolicae Sedi reservatur. Haec concedimus atque praecipimus non obstantibus iis omnibus, quae in commemoratis apostolicis literis non obstare decretum est, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima octava aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XVII.

BULLA

Qua fit nova erectio ecclesiae episcopalis Californien. in America [1].

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicam sollicitudinem, qua tenemur omnium ecclesiarum, nullo non modo locorum intervallo aut fidelium longinquitate debilitari et imminui, sed augeri potius atque inflammari exinde videtur. Cum enim difficilius remotissimis ovibus ad hoc catholicae unitatis centrum effugium pateat, nec frequentibus eas monitis, consiliis, exhortationibus, spiritualibus denique quibuscumque subsidiis recreare, aut illarum vulneribus peropportune mederi naturali regionum conditione ac distantia queamus, illud profecto Nobis usuvenit, quod pientissimae matri a filiis longe seiunctae interdum contingit, quos quidem eo maiori prosequitur caritatis amore, quo minus ad omnia absentibus praestanda praecipuae dilectionis officia se parem animadvertit. Hinc non tantum coelestium benedictionum cumulum huiuscemodi gregis parti, quam in animo gerimus, quotidie precamur, sed nihil insuper infectum relinquimus, quod spirituali eiusdem saluti aliquatenus benevertat. Haec Nobis assidua mente revolventibus, qui in Mexicana Americae septemtrionalis ditione rerum summa potiuntur, humillime supplicarunt, ut a dioecesi de Sonora, intra limites eiusdem Mexicanae ditionis posita, Californiam avellere, atque inibi sedem episcopalem Californiensem nuncupandam erigere, eidemque proprium praeficere episcopum, apostolica auctoritate, vellemus. Licet enim Sonorensis dioecesis origo non sit altius repetenda anno millesimo septingentesimo septuagesimo nono, eademque ex apposita finitimarum dioecesum de Guadalaxara ac de Durango dismembratione coaluerit, nihilo tamen secius territorium illud tam late protenditur, ut non modo ingentes provincias, de Sonora, Hostimuri et Cinaloa, sed universam insuper Californiam vastissimo sane ambitu concludat. Haec vero, quae septingentas, uti ferunt, excedit leucas, in veterem ac novam dividitur; illa peninsulam Californiam complectitur, quam veteres rerum naturalium scriptores insulam esse maluerunt; ista autem per isthmum quemdam ignotum veteri Californiae coniungitur ac consociatur; ambae vero unam ex Mexicanis provinciis in praesentiarum constituunt. Quod si mens convertatur ad maximam viarum asperitatem, ad praecipites fluminum cursus, quae traiici interdum nequeunt, atque insuper ad ingentium montium catenam, quos sylvestres homines incolunt, plane apparebit, Sonorensem episcopum hisce de causis praepediri quominus gregem suae fidei traditum, ea quae caeteroquin necessario foret, utilitate regat ac moderetur, integram dioecesim perlustret, atque in eorum conversionem totus incumbat, quos evangelii luce carentes, densissimis errorum tenebris involutos vehementer ingemiscimus. Quo teterrimo omnium malo peculiarem in modum tum vetus, tum nova California laborat. Quamvis enim missionarii ex ordine sancti Dominici ac sancti Francisci spiritualem illarum curam gerant, utraque tamen in extrema Sonorensis dioeceseos parte sita est, neque idcirco pastoris praesentia iuvatur, qui, potens opere ac sermone, plebem verbo aedificet atque exemplo, depravata corrigat, disrupta consolidet, debiles in fide confirmet, coecos illuminet.

Haec aliaque rationum momenta a Gubernio Mexicanae ditionis, per suum apud Apostolicam Sedem negotiorum gestorem, allata tanti ponderis apud Nos fuerunt, ut, omnibus matura deliberatione perpensis, inspectaque maxima rei utilitate, porrectis postulationibus libentissime obsecundaremus. Itaque ex certa scientia, apostolicae potestatis plenitudine, ac etiam Motu-Proprio, consensui ven. fratris Lazari de la Garza hodierni episcopi de Sonora, aliorumque quo-

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

rum interesse potest, derogantes, universam praedictam Californiam, tam veterem, scilicet, quam novam, una cum omnibus et singulis paroeciis, ecclesiis, conventibus et monasteriis, aliisque quibuscumquae saecularibus ac quorumvis ordinum regularibus beneficiis, ibidem forsitan existentibus, itemque utriusque sexus personis, habitatoribus, et incolis tam laicis, quam clericis presbyteris, beneficiatis ac religiosis cuiuscumque gradus, status, ordinis et conditionis ibi pariter degentibus, a dioecesi de Sonora, ad quam spectabant, perpetuo dismembramus, secernimus, separamus; terram insuper seu civitatem, a s. Didaco nuncupatam, in nova California existentem, quae in media California posita est quaeque prae ceteris locis aptior dignoscitur, cum suis curia et cancellaria ecclesiastica, cum omnibus ac singulis honoribus, iuribus, privilegiis et praerogativis quibus caeterae civitates, pontificali sede in Mexicana ditione insignitae earumque cives utuntur et gaudent, in civitatem episcopalem erigimus atque instituimus.

Ecclesiam maiorem in praefata terra sancti Didaci in civitatem erectam, ad honorem et dignitatem ecclesiae cathedralis evehi atque attolli, et in ea sedem atque cathedram pontificalem pro uno deinceps episcopo Californiensi nuncupando, qui eidem ecclesiae, civitati et dioecesi infra assignandae, eiusque clero et populo praesit, synodum convocet, atque omnia et singula iura, officia ac munia episcopalia habeat atque exerceat cum suis capitulo, arca, sigillo, mensa, ut infra constituenda, ceterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, iuribus, honoribus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, indultis, iurisdictionibus et praerogativis, quibus reliquae cathedrales ecclesiae Mexicanae ditionis earumque praesules potiuntur, dummodo ex peculiari indulto seu privilegio non sint eis attributa, perpetuo pariter erigi atque institui mandamus.

Cathedrali ecclesiae Californiensi hoc modo erectae, ut propria deinceps dioecesis tribuatur, illius antistiti universam novam ac veterem Californiam a Sonorensi dioecesi, ut supra avulsam et disiunctam, pro dioecesi novi episcopatus Californiensis adiudicamus et adsignamus, quam quidem Californiam sic attributam atque adsignatam ac in ea existentes seu existentia paroecias, ecclesias, conventus, monasteria et quaecumque alia saecularia ac quorumvis ordinum regularia beneficia, utriusque sexus personas et incolas tam clericos quam laicos, non tamen exemptos, cuiuscumque gradus, ordinariae novi pro tempore existentis antistitis ecclesiae Californiensis iurisdictioni, regimini, potestati ac superioritati perpetuo similiter subiicimus, eique pro civitate, territorio, dioecesi, clero et populo perpetuum pariter in modum adsignamus atque attribuimus.

Ut autem futurus pro tempore existens episcopus Californiensis suam possit decenter tueri dignitatem et vicario generali, curiaque episcopali apte providere, congruam in bonis stabilibus dotem, quam Mexicanum gubernium ex data fide constituet, mense episcopali adscribimus atque attribuimus.

Quod vero attinet ad fabricam novae cathedralis ecclesiae Californiensis, eam similiter dotem pro illius manutentione perpetuum in modum adscribimus atque adiudicamus, quam idem gubernium se traditurum spopondit, proprias aedes pro futuri episcopi habitatione eiusque curiae episcopalis residentia decente forma et commodo loco et proximiores quantum fieri poterit ecclesiae cathedrali, quamprimum adsignari atque attribui volumus: quae si modo desint easque conduci oporteat, rationem pensionis pro illarum conductione solvendae habendam esse decernimus.

Quod spectat ad erectionem capituli cathedralis ecclesiae, eiusque dotationem similiter in bonis stabilibus nec non ad erectionem ac dotationem ecclesiastici clericorum seminarii, memoratum gubernium, cum primum pro locorum ac temporum adiunctis datum fuerit, id omne praestabit, quod aliis capitulis cathedralibus et seminariis ecclesiasticis Mexicanae ditionis tribui solet.

Praefatam Ecclesiam Californiensem sic constitutam archiepiscopo Mexicano metropolitico iure subiici mandamus, iisque omnibus frui statuimus facultatibus, exemptionibus et iuribus, quae ad caeteras suffraganeas metropolitanae Mexicanae ecclesiae pertinent.

Fructus vero eiusdem novae Ecclesiae Californiensis de more taxari ad florenos auri de camera triginta tres ac tertiam floreni partem, atque huiusmodi taxam in libris camerae apostolicae st sacri collegii describi iubemus.

Ut vero cuncta a Nobis, ut supra disposita ad suum perducantur effectum, venerabili fratri, Emmanueli Posada y Garduno metropolitanae ecclesiae Mexicanae archiepiscopo, quem harum Nostrarum literarum exequutorem eligimus ac deputamus, necessarias omnes et opportunas ad praemissorum effectum plenarie consequendum tribuimus facultates, ut ipse per se vel per aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam ab eo subdelegandam omnia statuere ac decernere valeat atque etiam cum facultate eidem exequutori, sive eius subdelegato, definitive libere ac licite pronunciandi super quacumque oppositione in actu executionis quomodolibet forsan oritura, iniunctaque ipsi obligatione diligentes in decreto exequutoriali describendi fines praesertim novae Californiae ac mittendi ad Apostolicam Sedem intra sex menses ab expleta literarum apostolicarum exequutione exemplar authentica forma exaratum decretorum omnium, quae in harum literarum

exequutionem emittet, ut in tabulario congregationis Rebus Consistorialibus praepositae de more asservetur.

Praesentes autem literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes, vel habere praetendentes, vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, eorum consensui, quatenus opus sit, de apostolicae potestatis plenitudine supplentes, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae vel aliquo alio etiam substantiali defectu notari, impugnari aut in eis controversiam vocari posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere volumus atque decernimus.

Non obstantibus *de iure quaesito non tollendo,* de suppressionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regulis ac in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis specialibus ac generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum dispositionibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus praeterea ut harum literarum transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum dismembrationis, seiunctionis, separationis, erectionis, institutionis, assignationis, attributionis, subiectionis, concessionis, indulti, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo, quinto kalendas maias, pontificatus Nostri anno decimo.

XVIII.

BULLA

Qua fit nova erectio archiepiscopalis ecclesiae sancti Iacobi in America meridionali olim episcopalis [1].

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam.

Beneficentissimo divinae providentiae consilio factum est, ut quae pars mundi iamdudum ignota delituerat, eadem et in lucem reliquorum hominum prodiret, simulque fulgidissimis Evangelii radiis illustraretur. Ubi siquidem Romani Pontifices detectam Americam atque illius incolas sedentes in tenebris et umbra mortis intellexerunt, nullam pati moram potuerunt, quominus vastissimas inventi orbis regiones in apostolicae sollicitudinis partem adsciscerent, et qua Verbi Dei praeconibus illuc dimissis, qua novis dioecesibus institutis, omni denique solertiae, pietatis atque industriae genere miseros illos homines densissimis errorum nebulis obvolutos, ad terendum salutis iter adducerent. Has inter Americae regiones ingenti territorii vastitate atque indigena divitiarum copia maximam Chilensis ditio nominis celebritatem ubique terrarum sibimetipsi comparavit: non modo enim octoginta Archipelagi insulas, sed tresdecim insuper provincias amplissimo sane ambitu concludit. Ibi vero quinquies ferme diversantur hominum centena millia, pluresque gentilium tribus, qui passim in sylvis, insulis ac montibus altissimis degunt. Quamvis autem istiusmodi territorium tam longe lateque protendatur, duae nihilominus cathedrales ecclesiae inde ab evangelii praedicatione ibidem institutae reperiuntur, altera scilicet quae a s. Iacobo, altera vero quae a Ssma Conceptione praenomen habet, cum utraque metropolitico archiepiscopi Limani Peruviani regionis iuri subiiciantur. Hinc summus Chilensis ditionis praeses a Nobis enixe postulavit, ut memoratam sedem episcopalem s. Iacobi honore ac dignitate archiepiscopalis ecclesiae cumularemus, cui dioecesis non modo Ssmae Conceptionis, sed aliae quoque cathedralis ecclesiae brevi ibidem erigendae suffragarentur, quo animarum saluti ac fidelium commodo satius consultum foret. Quod sane consilium conveniens non modo, sed rebus sacris rite moderandis aptissimum visum est. Quemadmodum enim naturali soli illius pulchritudine, viarum commoditate, aedificiorum elegantia, civium cultura ac singulari commercii studio civitas s. Iacobi reliquis omnibus ditionis Chilanae locis longe antecedit, eisdemque dominatur, ita quoque cathedralis templi amplitudo, cleri dignitas, parochiales ecclesiae ibidem institutae, piae institutiones pauperibus praesertim aegrotis sublevandis, religiosorum denique virorum coenobiis, ac sacrarum Virginum monasteria, quibus abunde

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

ditatur, eam dignissimam ostendunt, cui exoratus archiepiscopalis ecclesiae honos habeatur. Id vero christiano populo omnino percommodum ac pene necessarium intelleximus, ne, cum ab episcopis suffraganeis ad metropolitam provocandi detur occasio, Limam contendere dissentientes cogantur ea quidem itineris asperitate, quae ex praeruptis admodum locis, atque ex interiectis Chilensem inter ac Peruvianam provinciam desertis necessario suboritur.

Haec aliaque rationum momenta sane gravissima animo reputantes ac praecipua quadam caritate extimulati, qua Christi fideles in Chilensi ditione positos in Domino complectimur, cunctis matura deliberatione perpensis, porrectis postulationibus libentissime annuentes et consensui eorum quorum forte intersit, caeterisque contrariis quibuscumque, speciali quoque mentione dignis, derogantes, ad gloriam Dei et Iesu Christi filii eius Salvatoris Nostri, cuius vices licet immerentes in terris gerimus, et ad militantis ecclesiae exaltationem, ex certa scientia, Motu–Proprio, et de apostolica potestatis plenitudine, ecclesiam sancti Iacobi atque alteram Ssmae Conceptionis de Chile, quae nunc archiepiscopali ecclesiae Limanae metropolitico iure subiiciuntur, perpetuo subtrahimus atque eximimus, easque a metropolitica iurisdictione ecclesiae Limanae, in Peruviana ditione positae, suoque in praesentiarum viduata pastore, subtractas omnino atque exemptas volumus.

Eamdem ecclesiam sancti Iacobi sic exemptam ac plane liberam in archiepiscopalem et metropolitanam ecclesiam, atque in ea archiepiscopalis et metropolitani praesulis sancti Iacobi de Chile sedem et provinciae caput pro uno deinceps archiepiscopo Sancti Iacobi, qui pallii et crucis usum ex aliorum archiepiscoporum more habeat cum suis capitulo, sigillo, arca, mensa archiepiscopali, omnibusque archiepiscopalibus insigniis, privilegiis, honoribus, iuribus, quibus aliae metropolitanae ecclesiae Americae meridionalis earumque antistites, non tamen titulo oneroso, vel ex indulto aut privilegio particulari, utuntur et gaudent, erigimus atque instituimus, ac insimul venerabilem fratrem Emanuelem Siuma hodiernum sancti Iacobi de Chile antistitem, nomine, titulo et iurisdictione archiepiscopi et metropolitae donari, cunctisque aliis, quae archiepiscoporum et metropolitarum sunt propria, iuribus, privilegiis ac praeeminentiis, excepto usu pallii, donec illud ex more petierit, vigore praesentium dumtaxat, ac sine nova provisione novaque literarum apostolicarum expeditione, uti ac frui volumus atque decernimus.

Praefatam vero ecclesiam Ssmae Conceptionis de Chile ut supra exemptam et a metropolitico iure ecclesiae Limanae prorsus liberam, metropoliticae iurisdictioni eiusdem archiepiscopalis ecclesiae sancti Iacobi pariter perpetuo subiicimus, et in eius suffraganeam adsignari, ipsique metropolitanae ecclesiae sancti Iacobi in praedictam ecclesiam Ssmae Conceptionis iura, privilegia, honores et facultates, quibus metropolitani ex sacrorum canonum et apostolicarum constitutionum praescripto in suffraganeas pollent ecclesias, perpetuo similiter concedimus et attribuimus.

Quocirca ad huiusmodi archiepiscopatus erectionem et ad singula superius expressa accuratissime implenda, eidem Emmanueli episcopo, quem in praesentium literarum Nostrarum exequutorem eligimus, necessarias atque opportunas tribuimus facultates, ut ipse per se vel per alium virum ecclesiastica dignitate constitutum, ab eo subdelegandum, cuncta statuere ac decernere valeat, quae ad optatum effectum superius decreta cumulate perducant; atque etiam facultatem eidem exequutori sive illius subdelegato concedimus, ut super quacumque oppositione in actu executionis quomodolibet forsan oritura, et qualibet appellatione remota, definitive libere et licite pronunciare possit et valeat. Ipsi vero exequutori praecipimus atque mandamus, ut intra sex menses ab expleta praesentium literarum executione, exemplar authentica forma exaratum decretorum omnium quae in praefatarum literarum implementum emittet, ad hanc Apostolicam Sedem diligenter mittendum curet illudque in archivo Nostrae congregationis Negotiis Consistorialibus praepositae de more asservari volumus.

Praesentes autem literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod ii, quorum interest aut interesse posset in futurum, vocati et auditi non fuerint, aut praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed perpetuo validas, efficaces existere et fore, suosque plenarios ac integros effectus sortiri et obtinere; sicque, et non alias, per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam palatii apostolici auditores, Apostolicae Sedis nuntios et S. R. E. cardinales, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi seu interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum ac inane decernimus atque declaramus.

Non obstantibus *de iure quaesito non tollendo, de dismembrationibus ad partes committendis,* etiam vocatis omnibus, quorum interest, aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regulis ac Lateranensis concilii novissime celebrati aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis, etiam in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationi-

bus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Huiusmodi vero literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem ubique locorum in iudicio et extra fidem haberi volumus, quae ipsis praesentibus haberetur, si originaliter exhiberentur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae subtractionis, divisionis, erectionis, subiectionis, commissionis, deputationis, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo, duodecimo kalendas iunii, pontificatus Nostri anno decimo.

XIX.

EPISTOLA

Constantia Philippi Feliciani episcopi Chelmensis in vera fide atque unitate custodienda laudatur, simulque multa eidem insinuantur ne catholici Rutheni ab illis recedant [1].

Venerabili fratri
Philippo Feliciano episcopo Chelmensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Has ad te literas damus, ven. frater, ut de praeclarissima constantia tua in vera fide atque unitatis vinculo custodiendo vehementer in Domino gratulemur; simulque addamus tibi animos, quo de catholica istic re magis magisque bene mereri pergas. Equidem vix possumus explicare verbis, qualem concepimus doloris acerbitatem ob Graeco–Ruthenos catholicos filios Nostros, in istis regionibus ad deserendum Christi ovile multimodis sollicitatos, ac praesertim ob alios nonnullos eiusdem ritus episcopos, qui non Deo sed hominibus placere volentes, transfugae ad acatholicos facti sunt in ruinam multorum. Sed benedictus Deus et pater Domini Nostri Iesu Christi, qui aliquam cordi Nostro consolationis causam reliquit in te, ven. fr., quem stare istic cernimus veluti columnam ferream, nulla ventorum vi a sui fundamenti sodalitate concussam, in te scilicet, cui nihil potius est, quam ut teipsum ac traditas tibi oves in salutifera Ecclesiae catholicae unitate conserves. Bona quoque spe sustentamur, ut idem istud, quod una cum grege tuo praebes, invictae fidei documentum, Deo bene iuvante, proficiat aliis insuper circumstantium locorum Graeco–Ruthenis ad retinendae vel recuperandae ipsius verae fidei aemulationem excitandis. Iam vero hanc ad te scribendi occasionem nacti, aliqua insuper significabimus speciatim, quae calamitoso hoc tempore praecipuam tuam curam exposcunt. Quamvis enim ea certe non fugiant prudentiam tuam, attamen officii memores confirmandorum fratrum, quod Nobis licet immerentibus a Christo Domino in beati Petri persona impositum est, et periculorum istic rei catholicae impendentium gravitatem perspicientes, abstinere non possumus, quominus tuum pastoralem zelum Nostris etiam hortatibus inflammemus. Primum igitur intelleximus, fideles, tuae vigilantiae creditos, bonae quidem esse indolis et catholicae religionis conservandae studiosos; sed tamen ut plurimum rudes, magnaque ex parte elementis verae fidei adeo parum instructos, ut adversus ulteriores acatholicorum machinationes et insidias haud satis praemuniti inveniantur. Quocirca tuum erit parochos sive occasione pastoralis visitationis, sive ad te seorsim et caute advocatos admonere, ut ad instructionem suarum ovium alacrius incumbant, atque in privatis etiam ad fideles alloquiis saepius inculcent firmissimum illud sanctissimae religionis dogma, quod est de catholicae fidei et unitatis necessitate ad obtinendam salutem. Atque ut salutaris haec veritas in animis fidelium altius defigatur, itemque, ut ipsi uberioribus caelestis gratiae roborentur auxiliis, eosdem docere oportebit brevem aliquam precationis formulam, qua speciatim a Deo supplices petant, ut per eius misericordiam digni habeantur profiteri constanter catholicam fidem et in necessaria Sanctae huius Sedis communione firmiter perseverare.

Insuper cum istic nonnullis in locis contingere possit, ut fideles Rutheni, ob suas ecclesias ab acatholicis occupatas, nullam habeant in vicinia catholicum templum et sacerdotem, a quo salutaribus verbis et sacramentorum administratione pascantur et roborentur; hoc certe in casu non praetermittens peculiari caritatis studio illarum ovium indigentiae prospicere, easque per te ipsum identidem, saepius vero per idoneos presbyteros invisere, ac spiritualibus subsidiis reficere et consolari. Iamvero ut tua pro salute universi gregis sollicitudo feliciorem ha-

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

beat exitum, invigiles praecipue oportet ecclesiasticis viris, ut omnes una tecum praeluceant populo verbis iuxta atque exemplis. Quo in loco dissimulare non possumus narratum Nobis esse de nonnullis e tuo isto clero, qui seu per imperitiam seu per levitatem, dictitare non dubitant haud magni momenti illa esse, in quibus Graeco–Russi seu Rutheni schismatici a catholica Ecclesia dissentiunt. Nuncius huiusmodi eo graviore Nos moerore confecit, quod videmus equidem sacerdotes illos, etsi (ut pro certo habemus) nihil tale cogitantes, ipsa tamen inconsiderata ratione sua, cum acatholicis conspirare ad catholicae veritatis amorem in Ecclesiae filiis labefactandum. Obtestamur itaque, venerabilis frater, ut tanto ei scandalo apponere te totis viribus non desistas, atque omnino provideas ut clerus tuus universus tecum una populum doceat, differentiam quidem illam, in qua Rutheni catholici a Latinis distinguuntur, utpote quae ad nonnulla merae disciplinae rituumque capita spectat, et Sanctae huius Sedis auctoritate permissa est, non disrumpere ullo modo inter ipsos vinculum, quo verae Christi oves conglutinatae invicem sunt ; sed contra ea Ruthenos acatholicos tum a Latinis tum a Ruthenis catholicis dissentire in rebus pertinentibus ad veram Christi fidem, sine qua *impossibile est placere Deo* [1] atque ad subiectionem erga successorem Petri apostolorum principis Romanum Pontificem, cui (ut verbis utamur concilii Chalcedonensis) *Vineae custodia a Salvatore commissa est* [2] ; ad cuius Ecclesiam (ut Irenaeus loquitur) *propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles* [3] ; cum quo denique (ut inquit Hieronymus) *quicumque non colligit, spargit : hoc est qui Christi non est, antichristi est* [4]. Insuper cunctos, qui sub te sunt, ecclesiasticos viros, prout res et occasio tulerit, monere atque hortari non intermittes, ut laborent sicut boni milites Christi Iesu ; paratique sint sustinere sustentationes Domini, nec damna reformident, si quae ob fidei et catholicae unitatis causam sibi suisque impendere cognoverint ; eoque in casu confidant subsidia sibi a pietate fidelium non defutura, imprimis autem omnem sollicitudinem suam proiiciant in Deum, quoniam ipsi est cura de nobis ; ac tandem meminerint, nihil prodesse homini si *mundum universum lucretur animae vero suae detrimentum patiatur* [5]. Quibus quidem salubribus monitis eo studiosius roborandi istic sunt ecclesiastici homines, quod plures illorum (ex recepto apud vos more) uxorem habent ante sacros ordines acceptam ; atque adeo timendum est, ne illius filiorumque periculo nimium commoveantur. Verum enimvero tua hoc in genere sollicitudo non eo solum pertinere debet, ut in clero tuo bonos in animarum cultura adiutores habeas, dum ipse vivis ; sed providentiam curasque tuas speciatim extendas oportet ad id quoque temporis (cuius sane adventum diu per Dei misericordiam retardatum iri confidimus), quum te, ven. fr., in Christi caritate defuncto, graviora forsan catholicae istic rei pericula imminebunt. Itaque ut gregi tuo opportunum ad ea propulsanda praesidium non desit, iam nunc, ven. fr., selige tibi ex sacerdotibus istis viros aliquos spectatae virtutis, cum quibus tua identidem consilia communices ; atque hos primum, deinde vero et reliquos cleri primores opportunis seu instructionibus seu hortationibus diligentius excolere studeas, ut ipsi quoque zelum tuum aemulantes, parati deinde sint ad fidei et unitatis causam viduatae ecclesiae tempore fortiter prudenterque sustinendam, atque ad orphanas oves a novis schismaticorum insidiis, adiuvante Domino, liberandas. Ad haec, ut Ecclesiae tuae non desint in posterum strenui veritatis vindices animarumque cultores, singularem oportet habeas curam educationis clericorum omnium tuae dioeceseos ac praesertim illorum qui sub ipsis pene tuis oculis in seminario degunt. Equidem persuasum habemus, te, ven. frat., hisce clericis informandis moderatores et praeceptores destinasse zelo fidei, doctrinaeque laude, ac morum integritate probatissimos. Insta igitur, ut iidem creditos sibi adolescentes eruditant in doctrina vere catholica atque a profanae cuiusque novitatis periculo aliena ; et exerceant ipsos ad pietatem solidamque virtutem ; praesertim vero ut omni ope atque opera connitantur in teneros eorum animos horrorem schismatis et studium custodiendae promovendaeque catholicae unitatis infundere, atque adeo eosdem adversus acatholicorum fraudes seu impetus praeparare ac muniri. Tu etiam, ven. fr., ne cesses adire saepius ad seminarii aedes, ut de profectu alumnorum, ac de ipsa praesidum magistratorum ratione certior fias, eorumque labores adiuves praesentia monitisque tuis, atque ut invigiles efficacius ne quis ab officio declinet ; maxime autem ut irritas facias acatholicorum machinationes, qui aut per libros et scripta fallacia, aut per subdolos homines vario sub obtentu in seminarium immissos venena doctrinarum suarum in alumnorum animos clanculum instillare conentur. Iamvero Nos, qui nihil optamus magis quam tuas curas in gravissimo hoc clericorum informan-

1 Ep. ad Hebraeos cap. XI, v. 6.

2 In relatione ad Leonem Papam, in collectione Conciliorum Labeana, Venetiis edita a Coleto, tom. VI, 1775, 1776.

3 Lib. 3 contra haereses, cap. 3.

4 Epistola ad Damasum, quae est epistola XV in tom. V Operum S. Hieronymi, Veronae editorum a Vallarsio.

5 Matthaei cap. XVI, v. 26.

dorum negotio iuvare, significamus insuper fore Nobis gratissimum excipere, atque in aliquo collegiorum almae Urbis collocare unum aut alterum ex istis adolescentibus bonae indolis a te delectos, si scilicet pro tua prudentia fieri posse cognoveris, ut caute ac sine periculo illos huc mittas. Quidquid praeterea erit, in quo tibi commodare valeamus, aeque id, prout opportunum in Domino visum fuerit, perlibenter praestabimus. Verum de his quae apud vos fiunt, rari admodum ad S. hanc Sedem nuncii perveniunt. Itaque a tua fraternitate vehementer exposcimus, ut de omnibus, quae timenda vobis aut speranda noveris, immo et de universo sacrarum istic rerum statu ad Nos referas tuis literis, quas tuto aliquo modo Nobis afferendas curabis. Interea vide etiam atque etiam, ven. fr., ne remittas ulla ex parte ardorem pastoralis tui zeli; sed potius curas laboresque tuos ad Dei gloriam salutemque animarum quotidie magis adauge. Et quoniam non ignoras incidisse te in tempora periculosa, cave ne ulla unquam in re acatholicorum rationi connivere vel minimum videaris. Quo spectat ut erga viros acatholicos, licet in potestate constitutos, eo semper prudenti modo te geras, unde manifesto appareat, te, ad religionem quod attinet, nihil habere cum illis commune: maxime autem ut iisdem invicto animo resistas, quoties novum aliquem liturgicum religiosumve librum catholicis istic obtrudere vel te clerumque tuum adducere conantur ad catholicos ritus quantulacumque in re immutandos. Aliter enim contingeret, ut catholicae oves haereticum schismaticumque cultum quotidie minus aversantes, atque assuescentes, paullatim ad maiorem cum acatholicis rituum similitudinem, longe facilius decipi deinde ab illis possent, atque ad suam sectam traduci.

Haec, ut initio dictum est, ad te pro supremi apostolatus Nostri officio scribenda censuimus, ven. fr., ut qui iam asperrimis hisce temporibus minime negligis custodire vigilias, nostris porro adiutus monitis, et hortationibus exstimulatus, in eamdem curam alacrius incumbas. Utinam vero datum Nobis esset fraternitatem tuam a tribulationibus et periculis eripere in quibus versaris. Equidem non desistimus, licet indigni, fervidas Deo in eum finem orationes et supplicationes offerre. Tu autem bono semper animo sis, et per patientiam curre ad propositum tibi certamen; ac sciens omnia te posse in Christo Domino qui te confortat, coronam recogita perseverantibus repromissam.

Interea Nostrae in te studiosissimae caritatis pignus adiungimus apostolicam benedictionem quam ex intimo corde depromptam tibi ipsi, ven. fr., et omnibus quibus praees, clericis laicisque fidelibus, Nobis etiam in Christo carissimis peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum die vigesima tertia maii millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XX.

NOTA OFFICIALIS

S. R. E. cardinalis secretarii Status qua nomine Romani Pontificis dolet de malis quibus afflicta est Religio Catholica in regnis Russicis [1].

Il sottoscritto cardinal segretario di Stato si è fatto un dovere di porre sotto gli occhi del S. Padre la nota direttagli da vostra eccellenza, in data del 17 maggio ora decorso, concernente la communicazione delle misure di rigore adottate da sua maestà l'imperatore di tutte le Russie e re di Polonia a carico di monsignor Gutkowsky vescovo di Podlachia. Lo scrivente si astiene dall'esporre a v. e. la dolorosa impressione che la notizia del fatto sopraccennato ha prodotto nell'animo del S. Padre, perchè non potrebbe trovare termini sufficienti ad esprimerla. Vostra eccellenza medesima lo caratterizza abbastanza, *un affronto fatto alla Chiesa.*

Ripeterà qui il sottoscritto a v. e. ciò che ebbe l'onore di scriverle con la sua nota del 26 febbraio 1838 cioè *che egli non intraprenderà a giustificare le forme* del rapporto di monsignor vescovo di Podlachia alla commissione dell'interno e dei culti nel regno di Polonia in data del 9 maggio, ed accorderà che alcune frasi di quel rapporto potevano evitarsi; ma non può dispensarsi dall'osservare che la frase la più forte, rilevata da v. e. nella sua nota, cioè *la speranza consolatrice nudrita dal vescovo che Dio metterebbe fine al governo di sua maestà imperiale nella Polonia,* presenta tutt'altro senso da quello così inconveniente ed audace che si è voluto attribuire.

Quantunque il S. Padre non abbia avuto sott'occhio il tenore della domanda fatta dalla commissione amministrativa al vescovo di Podlachia, nè conosca altro che la traduzione di un estratto della risposta del vescovo, pure questo solo documento indica abbastanza che

1 Ex collectanea existente in Biblioteca Angelica Urbis sub signatura YY. 6. 17 — Vide opusculum cui titulus: « Allocuzione di Greogrio XVI 22 luglio 1840 ed esposizione corredata di documenti a riparo, sulle incessanti cure di Sua Santità, dei gravi mali da cui è afflitta la Religione Cattolica in Russia e Polonia. No. LIX pag. 102 » — Vide etiam Archivium Brevium ad Principes.

monsignor Gutkowsky non ha inteso di parlare di sua maestà imperiale e reale no e del governo superiore del regno di Polonia, ma unicamente del governo inferiore ossia di quella autorità civile che è perfino soggetta agli ordini della commissione amministrativa. « A cette occasion (così si legge nell'estratto della risposta di monsignor Gutkowsky) l'evêque recommande ici à la commission administrative, qu'elle ait à s'occuper de choses plus sérieuses, et qui ont trait au bien-être des eglises, comme de leurs revenus etc.; de veiller sérieusement à aviser autant que possible *aux moyens d'obliger l'autorité civile de Podlachie, de mettre à execution les ordres de la commission administrative, ce à quoi elle ne pense pas,* ainsi que il lui en a déja fait la remarque par son rapport du 25 février dernier. A des pareilles représentations l'evêque n'a point eu de reponse »: e questo è il governo ch'egli chiama *injuste et mechamment insouciant pour les intérêts de l'Eglise Catholique.*

Ciò si conferma dalle ultime parole della risposta medesima con le quali il Vescovo domanda che la sua risposta sia letteralmente comunicata al superiore governo, cioè al ministro segretario di Stato. Qualunque frase pertanto abbia usato mons. Gutkowsky in questa sua risposta, essa è unicamente diretta all'autorità superiore contro la oscitanza o anche l'ingiustizia dell'autorità inferiore.

Conviene anche considerare la situazione del vescovo che ha dato la risposta della quale si tratta, ed accordare pure una qualche indulgenza alle dolorose circostanze nelle quali si trova. Egli era da lungo tempo scopo alle animadversioni del governo per avere con apostolico zelo difesa la causa della Chiesa Cattolica. Egli trovavasi pure da qualche anno privato delle rendite del suo vescovato. Egli non ignorava di essere stato accusato di fellonia al Capo supremo della Chiesa Cattolica, mentre sentivasi innocente da questa colpa, che veramente avrebbe potuto renderlo agli occhi del S. Padre reo, come v. e. si esprime, *di non curanza* delle paterne *esortazioni della Santità Sua;* le quali però a ciò solo si riferivano, e non a prestare una cieca obbedienza agli ordini dell'autorità civile contrari alle massime ed alla disciplina della Chiesa Cattolica. Ora qual meraviglia che un vescovo posto in questa sì penosa ed insopportabile situazione, vedendo tutti i reclami da lui portati al governo restare senza risposta, dica, in un momento della più amara afflizione che la sola consolazione che gli resta nel suo dolore si è il pensare, che il governo del regno di Polonia non è l'ultima istanza per lui, ma la Provvidenza, la quale spero che vorrà por fine non già al *governo di sua maestà,* ma a *quella non curanza dei suoi reclami* in difesa dei diritti della Chiesa, *che il vescovo stesso da sì lungo tempo sperimentava?*

Del resto il cardinal sottoscritto ricorda bene le accuse portate dalla i. e r. legazione contro monsignor Gutkowsky, ma ricorda egualmente le risposte da lui date; come pure ricorda che fino al momento presente non sia stato mai prodotto alcuno di quei documenti che la legazione Russa scrisse possedersi dal governo imperiale e costituire *des données positives des coupables intelligences de l'evêque avec le refugiés qui conspirent dans les autres pays le renversement de l'ordre établi.*

In ultima analisi tutto ciò che si è portato a notizia della S. Sede contro la condotta di monsignor Gutkowsky in oggetti che non siano relativi alle leggi ed alla disciplina della Chiesa, per i quali come il sottoscritto ha lealmente detto e scritto a codesta i. e r. legazione il Santo Padre non solo non può condannarlo ma deve lodarlo, si riducano ai seguenti, cioè 1°. all'essersi il vescovo ricusato a consegnare alle autorità civili il libro intitolato « *Concordanza e discordanza fra la Chiesa Orientale ed Occidentale ossia idea della unione della Chiesa Greco-Scismatica con la Chiesa Romano-Cattolica* »: 2°. alla lettera scritta da lui a s. a. il principe di Varsavia nel novembre 1837: 3°. all'attuale risposta da lui data alla commissione dell'interno e dei culti del regno di Polonia: 4°. finalmente a delle vaghe asserzioni di costante sua avversione al governo.

Ma riguardo al 1°. il fatto della disgraziata defezione dei Greci Uniti fa ora abbastanza chiaramente conoscere, da quale spirito fosse animato il vescovo di Podlachia nel ricusarsi a consegnare spontaneamente quel libro al governo, e da quali viste fosse questo condotto nel ritirarlo; e fa perciò rientrare questo capo di querela fra quelli che riguardano il vescovo come vescovo, cioè come difensore dei dogmi e della disciplina della Chiesa. La costante avversione di mons. Gutkowsky al governo è smentita dal contegno da lui tenuto nel tempo della rivoluzione Polacca; non è provata da alcun fatto dedotto a notizia della S. Sede; e solo riducesi alla avversione di lui, non all'autorità civile, ma agli atti di questa contrari ai diritti della Chiesa; avversione spiegata forse con semplicità e senza ornamento di frasi o scelta di studiati modi, e che perciò appunto ne discopre l'indole e ne determina la natura ben diversa da quella che vorrebbe darlesi. Non restano adunque che le due lettere scritte dal vescovo Gutkowsky l'8 novembre 1837, ed il 9 maggio 1840, nelle quali, separando il fondo dalla forma, nulla vi è di ostile o di avverso, nè all'augusta persona di s. m. i., nè al suo i. e r. governo.

Considerata dunque la condotta di monsi-

gnor Gutkowsky sotto questo aspetto, che è quello sotto del quale la S. Sede deve considerarla, mentre nulla vi è stato alla medesima dedotto contro la fedeltà di quel prelato verso il suo legittimo sovrano, non è meraviglia che mentre il S. Padre nel novembre 1836 colpito dalla gravezza dei termini coi quali gli si denunziava la condotta del vescovo come suddito, sebbene non potesse persuadersene, pure paternamente e gravemente avvertivalo; ricevute poi le di lui giustificazioni nel giugno 1837 si dimostrasse soddisfatto e contento della disposizione di animo del vescovo di soffrire piuttosto qualunque male che mancare alla fedeltà promessa e dovuta a s. m. l'imperatore e re; e lo esortasse a continuare con evangelica semplicità e prudenza nell'adempimento del sacro suo ministero ed a porre tutta la sua confidenza in Dio: come pure non è da meravigliarsi che il nunzio apostolico in Vienna, informato di tutte le particolarità di questo affare, avendo avuto qualche occasione di scrivere al Vescovo di Podlachia, gli scrivesse (sebbene senza averne ricevuta commissione dalla S. Sede) nel senso medesimo in cui il S. Padre aveagli scritto.

Stando così le cose, la impressione prodotta nell'animo del S. Padre dalla lettura della nota di v. e. dovea necessariamente essere la più forte e la più dolorosa. Il fatto della deportazione del vescovo di Podlachia pone il S. Padre nella dura alternativa o di avere l'apparenza di condannare col suo silenzio come reo di violata fedeltà e di grave disobbedienza al suo legittimo sovrano in cose civili un vescovo, che in sostanza altro non fece che zelare l'adempimento de' suoi doveri ecclesiastici; o di disgustare il potentissimo imperatore della Russie. Un vescovo è un dignitario della Chiesa e non già un pubblico funzionario che può essere collocato o rimosso dalla sua carica dalla volontà del sovrano. Il vescovo è unito con vincolo sacrosanto alla diocesi per la quale ha ricevuto la missione dalla suprema autorità ecclesiastica, nè contro il suo volere può esserne disciolto che per gravissimi motivi espressi nel diritto canonico, e con certe forme dal medesimo prescritte. Vostra eccellenza dichiara nella sua nota che nella opinione di Sua Santità monsignor Gutkowsky non merita di esser destituito dalla sua sede vescovile, la soluzione di tale questione appartiene a S. Santità, e sua maestà l'imperatore non vuole costituirsene l'arbitro. Ma il fatto della deportazione di mons. Gutkowsky è direttamente contrario alla dichiarazione. Dicesi che il vescovo di Podlachia agli occhi di s. m. i. si è reso colpevole di disobbedienza manifesta agli ordini del governo in questioni intieramente straniere alla religione; ma i fatti allegati sono di tutt'altra natura; ed il S. Padre non può dubitare che se i medesimi fossero stati rappresentati a s. maestà l'imperatore sotto il loro vero punto di vista, il vescovo Gutkowsky non avrebbe incontrato la disgrazia del suo sovrano, il quale avrebbe in lui ravvisato un suddito, la di cui condotta, malgrado le forme, era però in sostanza regolata dal principio « *Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo* ».

Ed oh! piacesse a Dio che le doglianze del vescovo Gutkowsky contro gli ordini del governo non fossero state fondate, e che nei vastissimi dominii di sua maestà i. e r. la Chiesa Cattolica non avesse i più gravi ed i più giusti motivi di doglianze! Ma le cose disgraziatamente non sono così. I lamenti dei cattolici sudditi di s. m. imperiale giungono da ogni parte al S. Padre; malgrado i sommi rigori coi quali si vuole impedire la comunicazione dei fedeli col loro capo visibile il sommo Pontefice, a meno che questa non passi pel canale del ministero imperiale. Molti e molti sono gli stessi editti imperiali che da pochi anni hanno aggravato la mano sopra la Chiesa Cattolica. Il Santo Padre ha voluto che in questa dolorosa circostanza, nella quale rivolgesi alla equità ed alla magnanimità del potentissimo imperatore di tutte le Russie in favore del vescovo di Podlachia, non si omettesse di portare al trono della maestà sua i suoi più impegnati reclami contro tutto ciò che opprime nei dominii di sua maestà la libertà della Chiesa Cattolica, e ne offende i diritti; e nominatamente contro la proibizione fatta al clero latino di ascoltare le confessioni sacramentali di persone che non siano dal clero stesso conosciute e di ammetterle alla comunione.

Non può egualmente il sottoscritto passare sotto silenzio nè l'ukase del 26 ottobre 1833 col quale fu soppresso il celebre monastero di Poczayow dell'ordine Basiliano ed eretto in cattedrale Greco-Russa col titolo di vescovato di Volivia; nella quale occasione fu soppressa la sede Rutena di Luck; nè quello del 1833, col quale fu ordinata la chiusura di tutti i noviziati per accelerare la estinzione degli ordini religiosi; nè gli altri fatti, contro i quali fu già reclamato con nota del 6 settembre 1832.

Non l'ukase del 23 novembre del testè citato anno intorno ai matrimonii misti, esteso anche alla Polonia, malgrado gli antichi trattati fra la Russia e l'antica republica Polona:

Nè quello del 1833, col quale fu richiamato in vigore altro ukase dell'imperatrice Caterina II, ove si disponeva che per ogni 400 abitanti vi fosse una chiesa ed un prete, per potere così facilmente sopprimere molte parrocchie, come di fatti è seguito:

Nè finalmente gli ukasi del 24 giugno 1833 e del 22 aprile 1834 coi quali ordinavasi la

erezione di due vescovati Greci non cattolici a Varsavia ed a Polosck, per la esecuzione dei quali ukasi fu tolta ai cattolici la magnifica chiesa di S. Croce che avevano in Varsavia, come hanno anche perduto in Vilna il gran tempio di S. Casimiro.

Oltre a questi imperiali ordini sono quasi senza numero le prescrizioni delle autorità subalterne, tendenti tutte a dilatare per ogni modo la religione Greca non unita, e ad avvilire, opprimere ed estinguere se sia possibile la Religione Cattolica. Infelicemente i fatti dimostrano abbastanza questa universale tendenza delle autorità civili. La recente defezione dei Greci Uniti, preparata da lungo tempo con mezzi indiretti, ma efficaci, ne è una prova palpabile; ma altra non meno chiara se ne scorge nelle provincie Polacco–Russe aggregate all'impero nel 1793. In esse esistevano moltissime scuole a vantaggio della gioventù, le quali erano assistite dai religiosi Domenicani e Scolopi, o dai monaci Basiliani Ruteni, o anche dai maestri secolari cattolici, e l'istitutore nelle dottrine religiose era sempre un ecclesiastico cattolico. Ora la maggior parte di quelle scuole ha cessato di esistere in forza della seguita soppressione dei conventi: le superstiti poi sono regolate secondo il metodo delle Greche non unite ed assistite da maestri secolari della stessa confessione o protestanti, ovvero da qualche cattolico di solo nome. L'istitutore poi in punto di religione è in tutte un prete Greco non cattolico. Per distruggere in fine tutte le speranze del clero, dopo esser stati chiusi in Polonia parecchi seminari sotto il pretesto della rivoluzione del 1830, fu resa quasi impossibile l'ammissione dei nuovi alunni per le gravissime condizioni impostevi.

All'aspetto di un insieme di circostanze, di leggi, di fatti, di tendenze così minaccevoli per la Chiesa Cattolica nei dominii Russi, non altro conforto gli resta che quello di rivolgersi con piena confidenza alla giustizia ed alla magnanimità dell'imperatore e re, lusingandosi che con l'autorità sua vorrà por fine a tanti mali.

Il Santo Padre, posponendo ogni umano riguardo all'adempimento dei doveri del suo apostolico ministero, confida nella divina grazia che non sarà mai per mancarvi; e se i suoi reclami dovessero restare senza effetto, avrà almeno la consolante testimonianza della sua coscienza di aver fatto dal canto suo quanto era in suo potere e di non essere colpevole innanzi a Dio, il quale secondo le sue infallibili promesse non abbandonerà mai la sua Chiesa.

Il sottoscritto nel pregare l'e. v. di voler elevare la presente risposta all'alta cognizione di sua maestà imperiale il di lei augusto sovrano, profitta di questo incontro per rinnovarle le proteste della sua distinta considerazione.

Roma 1 giugno 1840.

LUIGI CARD. LAMBRUSCHINI
SEGRETARIO DI STATO.

XXI.

BULLA

Occasione divisionis territorii inter reges Belgarum et Belgii (vulgo de' Paesi Bassi), *separatis a dioecesibus Leodiensi et Namurcensi pluribus civitatibus, oppidis, paroeciis etc., ex eorum nonnullis constituit vicariatum apostolicum Limburgensem; alia addit cum districtibus Ravestein et Megen vicariatui apostolico Buscoducensi, a quo tamen vicariatu separat oppidum de Lommel, quod Leodiensi dioecesi unit; alia tandem aggregat vicariatui Luxemburgensi* [1].

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam.

Ubi universalis Ecclesiae procurationem Nobis divinitus demandatam intelleximus, nulli curarum ac laboris generi parcendum duximus, ut christifidelibus tutius salutis via muniri possit. Cui rei assequendae illuc etiam cogitationes Nostras convertimus, ut, immutatis temporum ac locorum circumstantiis, nova interdum dioecesium circumscriptio fieret, quoties Ecclesiae utilitas id ipsum postulare videbatur.

Nuper itaque preces Nobis oblatae sunt, ut a dioecesibus Leodiensi et Namurcensi, in regno Belgarum positis, eas magni ducatus Luxemburgensis et provinciae Limburgensis civitates, terras et oppida, quae ex nuperrima conventione a Belgarum regno seiuncta serenissimi Belgii, vulgo *de' Paesi Bassi*, regis ac magni Luxemburgi et Limburgi ducis ditioni et auctoritati restitutae sunt, divideremus ac seiungeremus, eaque ab spirituali Leodiensis et Namurcensis episcoporum pro tempore existentium iurisdictione sic avulsa ac subtracta, regimini ac potestati spirituali vicariorum apostolicorum in memorato Belgii regno ac Luxemburgensi ducatu existentium subiiceremus atque supponeremus.

Nos vero, inspecta maiori christifidelium in locis disiungendis commorantium commoditate ac utilitate, et probe instructi hodiernos Leo-

---

1 Ex Iure Pontificio de P. F.

diensem et Namurcensem autistites eiusmodi dismembrationi libenter iam praestitisse assensum, porrectis postulationibus annuentes, ex certa scientia, ac etiam Motu–Proprio, deque apostolicae potestatis plenitudine mandamus, perpetuum in modum a dioecesibus Leodiensi et Namurcensi eas magni ducatus Luxemburgensis civitates, terras, oppida, loca, paroecias, quae in serenissimi, ut supra, Belgii regis ditione nunc existunt, vel ex nova territorii descriptione inter serenissimos Belgii ac Belgarum reges quamprimum explenda essent, seiungi, dividi ac divelli, atque etiam inibi existentes et existentia ecclesias, monasteria, beneficia tam saecularia quam regularia, nec non clerum, populum ac utriusque sexus personas, habitatores et incolas tam laicos quam clericos cuiusque gradus, ordinis et conditionis, ab ordinaria iurisdictione, potestate ac superioritate episcoporum Leodiensis et Namurcensis pro tempore existentium similiter eximi ac liberari.

Hinc civitates, oppida aliaque loca, ut supra, provinciae Limburgensis a dioecesi Leodiensi sic dismembrata et avulsa, una cum ecclesiis, paroeciis, monasteriis, beneficiis, clero, populo, aliisque personis inibi existentibus, non tamen exemptis, nec non paroecias et alia loca Limburgensis eiusdem provinciae, nempe de Horst, de Sittard, de Arcem, Herkenbosh, Melich, Fegelen, Velden et Well, quae hactenus vi literarum apostolicarum in forma Brevis diei vigesimae quartae decembris millesimo octingentesimo vigesimo primo et trigesimae iul. millesimo octingentesimo vigesimo secundo, Episcopi Leodiensis curae commissa fuerant tamquam apostolici administratoris, quem propterea eadem administratione exoneramus; paroecias item et adnexa loca supradictae Limburgensis provinciae, nempe de Afferden, Bergen, Gennep, Heyen, Middelaer, Mook et Ottersum, quae dilecti filii Ioannis Hermans administrationi huc usque tradita fuerunt, quem similiter, attenta gravi aetate et infirma valetudine, ab omni administrationis onere solvimus ac liberamus; has omnes civitates, terras, oppida, loca et paroecias in unum coniungentes, vicariatum apostolicum constituimus, Limburgensem in posterum nuncupandum, et ad beneplacitum Apostolicae Sedis curae et administrationi vicarii apostolici a Nobis eligendi ac deputandi committendum et commentandum.

Caeteras autem paroecias et adnexa loca ad vicariatum supradicti Ioannis Hermans administrationi creditum pertinentia, una et vicariatui apostolico, olim dioecesi, Buscoducensi adiungimus atque subiicimus. Ut vero satius huiusce vicariatus circumscriptioni limitibusque rite prospiciamus, perspecta districtuum Ravenstein ac Megen positione, hos quoque districtus, quorum interim dilectus filius Henricus Vander Velden a Nobis demandatam curam gessit, regimini ac spirituali eiusdem vicariatus Buscoducensis administratoris iurisdictioni adiicimus atque committimus. Ecclesiam item succursalem ac terram respective de Luiks-gestel cum suis adnexis intra limites Barbantis septemtrionalis provinciae positam, iisdem de causis ac motu, a dioecesi Leodiensi divellimus atque seiungimus, eamque intra vicariatus apostolici Buscoducensis limites inclusam, eiusdem administratoris curae traditam ac subiectam esse declaramus. E contra a dicto vicariatu apostolico dismembratum seiunctumque oppidum seu communitatem de Lommel in ea provinciae Limburgensis parte, quae serenissimi Belgarum regis auctoritati subest, Leodiensi dioecesi eiusque episcopo pro tempore existenti adiicimus et tradimus.

Quoad civitates vero, oppida, terras aliaque loca provinciae Luxemburgensis, una cum omnibus et singulis eorum adnexis cunctisque personis ibidem commorantibus, a dioecesi Namurcensi, ut supra, divisa, avulsa et subtracta, uniri atque adnecti ad beneplacitum tantum Nostrum et Apostolicae Sedis vicariatui apostolico Luxemburgensi ad interim constituto anno millesimo octingentesimo trigesimo tertio, adeo ut eadem loca et personae, non vero exemptae, spirituali vicarii apostolici Luxemburgensis in tempore existentis, ut supra, administrationi, quamdiu Apostolicae Sedi placuerit, omnino subsint.

Tandem ut omnia et singula superius sancita suum sortiantur effectum, in exequutorem apostolicarum literarum deputamus dilectum filium Antonium Antonucci gestorem negotiorum Sanctae Sedis apud memoratum serenissimum Belgii, vulgo *de' Paesi Bassi*, regem, ac vice–superiorem illius regni missionum, cum facultatibus necessariis et opportunis, ut per se ipsum vel per aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, ab ipso subdelegandam, omnia statuere ac decernere valeat, ut quae superius decreta sunt, ad exitum cumulate perducantur, atque etiam cum facultate eidem exequutori seu eius subdelegato definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praedicta quomodolibet oritura. Eidem insuper exequutori obligationem imponimus, distincte ac singillatim describendi in decreto executoriali ab ipso exarando omnia oppida, terras, civitates, paroecias aliaque loca magni ducatus Luxemburgensis ac provinciae Limburgensis a dioecesibus Leodiensi et Namurcensi, ut supra, perpetuum in modum dismembranda et avellenda, atque vicariatibus Luxemburgensi et Limburgensi, ut supra, constituto unienda et coniungenda ad beneplacitum Nostrum et Sedis Apostolicae, nec non diligenter mittendi ad congregationem de Propaganda Fide quamprimum exemplar authentica forma exscriptum

decretorum omnium, quae in praefatarum literarum exequutionem emittet, ut in praedictae congregationis tabulario de more asservari possit.

Eidem pariter negotiorum Nostrorum gestori ac praesentium exequutori potestatem tribuimus vicariatui Limburgensi interim et provisoria ratione, donec a Nobis vicarius apostolicus electus ac nominatus fuerit, aliquem sibi benevisum ac probatum dignumque presbyterum praeficiendi, cum titulo pro-vicarii et cum facultatibus necessariis et opportunis.

Praesentes quoque literas et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod ii quorum interest aut interesse posset in futurum, vocati et auditi non fuerint, aut praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quacumque auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae nuncios, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi ac interpretandi facultate, iudicari atque definiri, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate contigerit attentari, irritum ac inane decernimus et declaramus.

Non obstantibus Nostris et cancellariae apostolicae regulis *de iure quaesito non tollendo,* et *de unionibus committendis ad partes,* vocatis, quorum interest, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis ac in generalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, etiam iuramento, confirmatione apostostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ac quibuscumque concordiis et conventionibus forsan initis roboratis, confirmatis et approbatis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Huiusmodi vero literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem ubique locorum in iudicio et extra fidem haberi volumus, quae ipsis praesentibus haberetur si originaliter fuissent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae voluntatis, dismembrationis, divisionis, exemptionis, unionis, subiectionis, commissionis, deputationis, mandati, decreti ac derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die secunda iunii millesimo octingentesimo quadragesimo pontificatus Nostri anno decimo.

XXII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Domus Filiarum oppidi Lovere (Brescia), *aliaeque omnes quae in posterum in regionibus regni Insubrium Venetorum* (Lombardo Veneto) *a domo eiusdem instituti civitatis Vesontii* (Besanzone) *seiunguntur* [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Multa inter pia atque illustria mulierum instituta, quibus catholica fulget Ecclesia, illud profecto mirandum in modum emicat quod a s. Vincentio de Paulo excitatum, a Filiabus Caritatis nomen habet. Ipsius enim instituti feminae, ab omnibus mundi illecebris penitus abhorrentes et christianae caritatis igne succensae, id unum mente agitare, id unum pro viribus eniti summopere gloriantur, ut aegrotantibus sedulo inserviant, puellas sanctissimae fidei praeceptis imbuant, easque diligenter rebus omnibus instituant, ad virtutem honestatemque mature fingant, ac orbitate laborantes, omni ope iuvent, et aliis quibuscumque possunt rationibus ea omnia exerceant opera, quae caritatem in Deum et erga homines praeseferunt. Ex quo quidem salutari instituto maxima in christianam aeque ac in civilem rempublicam bona cum summa christifidelium utilitate redundare videmus. Hinc merito atque optimo iure Romani Pontifices praedecessores Nostri ac summi quoque principes singulari benevolentia institutum ipsum sunt prosequuti. Nos vero vehementer optantes institutum idem maiora semper in dies incrementa suscipere, atque ubique si fieri posset vigere et florescere, iis postulationibus quam libentissime obsecundamus, quae illud magis magisque promovere posse videntur. Itaque non mediocri certe laetitia affecti fuimus, ubi primum a ven. fratre hodierno

---

[1] Ex Cancellaria Episcopali Brixiensi.

Brixien. episcopo accepimus, tam praeclarum tamque utile institutum in oppido *Lovere* eiusdem Brixien. dioeceseos iam existere, atque spem affulgere fore ut illud in alias etiam civitates et regiones regni Insubrium ac Venetorum, vulgo *Regno Lombardo-Veneto,* sese extendat. Verum, ut maiori eiusdem instituti bono et propagationi consulatur, idem ven. frater Nobis exponendum curavit oportere, ut domus filiarum Caritatis, eo in oppido iam existens, aliaeque omnes quae futuris temporibus in regionibus commemorati regni extiterint, seiunctae omnino sint ac minime pendeant a congregatione Filiarum Caritatis Vesontii, vulgo *Besançone,* earumque suprema antistita seu *superiora generale,* ac tantum subiectae sint episcopo illius dioecesis in qua domus ipsae apertae fuerint. Nos igitur quantum in Domino possumus, institutum ipsum promovere eiusque bono prospicere vel maxime cupientes, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R E. ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum consilio, piis eiusdem ven. fratris desideriis annuere haud dubitavimus.

Quamobrem omnes, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes ac absolutos fore censentes, et constitutionibus a rec. mem. Pio VII praedecessore Nostro pro instituto Filiarum Caritatis Vesontii approbatis expresse derogantes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, domum Filiarum Caritatis in oppido *Lovere,* Brixien. dioecesis, fundatam, aliasque omnes quae in civitatibus, locis, regionibus regni Insubrium et Venetorum, vulgo *Regno Lombardo-Veneto,* futuris temporibus existere poterunt, a domo Vesontii eiusdem instituti et qualibet illius domus supremae antistitae potestate et subiectione auferimus, seiungimus ac perpetuo seiunctas omnino esse debere declaramus, illasque ordinariae episcoporum, in quorum dioecesibus extiterint, iurisdictioni subiicimus et subiectas esse decernimus, atque ipsis episcopis facultatem facimus ut, auctoritate Nostra apostolica, eas immutationes in istituti regulis libere et licite facere possint, quas pro eorum prudentia ac locorum et temporum praesertim ratione habita ad maius instituti bonum procurandum pertinere posse existimaverint. Praeterea eadem auctoritate Nostra apostolica ipsius Filiabus Caritatis oppidi *Lovere* et aliis omnibus quae in commemoratis locis et regionibus in posterum fuerint, omnes et singulas indulgentias et spiritualia beneficia domui Filiarum Caritatis Vesontii quovis modo iam collata, perpetuo concedimus atque largimur, exceptis tamen privilegiis super exemptione ab ordinariorum iurisdictione et aliis facultatibus quae ab ipsis derivant. Insuper potestatem tribuimus, cuius vi, consiliis inter ipsos ordinarios initis atque collatis, sorores huius instituti peti possint, ut in alia collocentur domo, quemadmodum ipsius instituti praescripto statuitur.

Haec concedimus atque indulgemus, statuimus, declaramus, mandamus, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat et spectabit in posterum inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus commemoratis constitutionibus, a fel. rec. Pio VII praedecessore Nostro probatis, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non legis fundationis eiusdem instituti etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, aliisque etiam speciali et individua mentione et derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die quinta iunii millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XXIII.

INDULTUM

Quo fit concessio indumentorum magis insignium canonicis Lucensis civitatis [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romani munificentia Pontificis honorifica insignia iis potissimum tribuit viris, qui conspi-

1 Ex Cancellaria Episcopali Lucensi.

cuis in templis divino ministerio addicti, in hymnis et canticis laudes Deo persolvunt, ut ipsi, acriori veluti stimulo permoti, virtutum omnium ornatu magis magisque fulgere conentur.

Exponendum Nobis curarunt dilecti filii beneficiarii metropolitani templi Lucensis, eos in praesentia almutiam gestare, dum eiusdem templi canonici statutis temporibus vel sacram trabeam, vulgo cappa magna, violacei coloris cum mustelae alpineae pellibus, vel palliolum seu mozzettam violacei coloris et lineum manicatum amiculum, vulgo rocchetto, deferunt, aliisque potiuntur insignibus. Iam vero cum beneficiarii iidem, ad ipsius templi decus augendum a Nobis postulaverint ut splendidioribus insignibus eos ornare velimus, Nos eorumdem votis benigne annuendum censuimus.

Quamobrem omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, beneficiariis commemorati templi Lucensis, iis, qui modo sunt quique in posterum erunt, perpetuum in modum concedimus atque indulgemus, ut rocchettum sine manicis et lacernam seu cappam cum pelle cinerea, quando canonici illius templi cappam magnam cum pellibus supra expressam deferunt, palliolum vero seu mozzettam nigram quando canonici violaceam mozzettam induunt in choro, in conventibus seu capitulis, in solemnibus supplicationibus aliisque publicis functionibus, gestare libere et licite possint et valeant.

Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, Sedis Apostolicae nuntios, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quoties opus fuerit, rec. mem. Bened. XIV praed. Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non illius metropolitani templi canonicorum collegio et beneficiatorum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima sexta iunii millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XXIV.

BULLA

Qua fit erectio episcopalis ecclesiae s. Caroli in America meridionali [1].

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam.

Ubi primum universalis Ecclesiae procurationem, Nobis licet immerentibus, collatam divinitus intelleximus, nullis profecto curis ac laboribus parcendum duximus, ut, qui catholicae veritatis luce perfusi, filii Dei vocantur et sunt, stabiles in fide permanerent; quos vero ab ipsius sinu longe aberrantes lamentaremur, iidem ad Christi ovile omni sollicitudinis genere traducerentur. Quibus sane praecipuis supremi apostolatus muneribus rite adimplendis maxime inservit ea dioecesium circumscriptio, qua dilecti animarum pastores fideles oves facile cognoscant, ab iisdemque cognoscantur, perditos autem homines et errorum laqueis misere implicitos in libertatem filiorum adoptionis per verbum Christi restituant. Si vero tanta sit regionum amplitudo, vel naturalis eorumdem conditio, ut singulos episcopi adire locos praesentes nequeant, vix ac ne vix quidem hisce rebus, ea qua decet, vel sedulitate vel utilitate gerendis pares evadent.

Hisce rationibus adductus supremus Chilensis ditionis praeses, a Nobis humiliter efflagitavit, ut SSmae Conceptionis dioecesim dismembrare ac civitatem seu oppidum S. Caroli, quod provinciae, cui nomen Chiloa, caput est

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

et princeps ac maximo quoque portu celebratur, quodque prae aliis opportunius videtur, in sedem episcopalem nomine eiusdem S. Caroli nuncupandam erigere alterumque ibi episcopum praeficere apostolica auctoritate vellemus. Retulit enim incolarum numerum per eas regiones ab institutione dioecesis SSmae Conceptionis labentibus annis maxime increbuisse, adeo ut unus antistes curis laboribusque, in regimine dioecesis perferendis, omnino impar iure meritoque dignoscatur. Ea idcirco dioecesis, quae latissime fines suos protendit, ducenta ac septuaginta comprehendit hominum millia praeter quamplurimas infidelium tribus hac illac per nemora et montes vagantes; civitas vero episcopalis in extremo propemodum dioecesis boreali territorio sita est, ac propterea quam longissime absunt, qui in adversa dioecesis parte commorantur. Huc illuc etiam accedit, quod ea loca inter se longius dissita sunt quoque plerumque admodum praerupta, asperrimis itineribus vix obvia, pluribus aerumnis laboribusque obnoxia et infestissimis barbarorum incursionibus identidem vexata.

Quibus rebus facile colligitur istiusmodi dioecesis pastorem praepediri quominus gregem sibi concreditum, ea qua par est sedulitate utilitateque depascat, integram dioecesim pro suo quoque tempore perlustret, civibus pro rerum opportunitate necessitateque communicet, illorum denique conversioni strenue incumbat, qui evangelica doctrina nondum instituti in discrimine aeternae salutis versantur. Haec profecto praecipue spectant populi ad extremam eiusdem dioecesis meridionalem partem degentes, et longissimo ab hinc tempore destituti omnino praesentia pastoris, qui nedum pueris sed senioribus etiam sacramentum Confirmationis impertiatur, qui sacros Ordines poscentibus idoneisque viris conferat, qui denique verbo et exemplo infirma curet, depravata corrigat, disrupta consolidet, periclitantes in fide confirmet et caecos illuminet.

Quare percommodum Nos existimavimus consilium dismembrandi a dioecesi Ssmae Conceptionis provinciae Valdiv. cum archipelagis de Chiloe et Guaitecas, itemque insulam Mocham, ut novam inde sancti Caroli dioecesis erigatur, quae quidem istiusmodi posita circumscriptione, fines suos prolatura est in leucas circiter centum a nordicis ad australes plagas, ab orientalibus autem ad occidentales in leucas circiter quinquaginta, ita ut, praeter quamplurima indorum ethnicorum millia, incolar. septuaginta millia sub ecclesiastica iurisdictione sit habitura.

Iam vero haec atque alia rationum momenta a Chilensi Gubernio sollicita prece delata tanti ponderis apud Nos fuerunt, ut in reservatione utentes, quam apostolicis literis expressimus super nuperrima sanctissimae Conceptionis ecclesiae provisione, novam scilicet dioecesis circumscriptionem prout in Domino expedire iudicaverimus, decernendi, et quatenus opus sit eorum quorum interesse posset consensui derogantes, cunctis rebus matura deliberatione perpensis, porrectisque supplicationibus obsecundare cupientes, ex certa scientia, Motu-Proprio et apostolicae potestatis plenitudine praefatas provincias Valdivian. et Chiloaam nec non archipelagum de Chiloe et Guaitecas ac etiam insulam Mocham a dioecesi Ssmae Conceptionis perpetuo dividimus ac dismembramus, proindeque omnes paroecias, ecclesias, capellas, coenobia, monasteria et alia quaecumque secularia ac quorumvis ordinum regularia beneficia, quae inibi forsitan existant, itemque sexus utriusque personas tam laicos quam clericos, non tamen exemptos, presbyteros beneficiatos et religiosos cuiuscumque gradus, status, ordinis et conditionis, potestate ac superioritate episcopi Ssmae Conceptionis pro tempore existentis seu eius dioecesis Ordinarii perpetuum pariter in modum eximimus atque liberamus.

Hac vero dismembratione, divisione et exemptione peracta, oppidum seu civitatem s. Caroli quae est in provincia Chiloaae, in civitatem episcopalem erigimus atque instituimus cum curia et cancellaria ecclesiastica, eamque in civitatem episcopalem sic erectam et institutam omnibus et singulis frui honoribus, iuribus, privilegiis et praerogativis volumus, quibus coeterae pontificali sede insignitae in Chilensi ditione civitates eorumque cives utuntur ac fruuntur; ecclesiam praestantiorem praefatae civitatis Sancti Caroli ab executore praesentium literarum Nostrarum, qui inferius a Nobis delegabitur, designandam ad honorem dignitatemque cathedralis ecclesiae erigimus atque attollimus, ut in ea sedem episcopalem pro uno deinceps episcopo s. Caroli nuncupandam, qui eidem ecclesiae civitati et dioecesi infra assignandae eiusque clero et populo praesit, synodum convocet, atque omnia et singula iura officia et munia episcopalia habeat exerceatque cum suis capitulo, arca, sygillo, mensa ut infra constituenda caeterisque pontificalibus insigniis, iuribus, honoribus, praeeminentiis, quibus reliquae cathedrales ecclesiae Chilensis ditionis earumque praesules potiuntur, dummodo titulo oneroso aut ex peculiari indulto non sint eis attributa, perpetuo pariter erigimus atque instituimus.

Cathedrali ecclesiae s. Carolo hoc modo erectae ut propria deinceps dioecesis tribuatur, illius antistiti provincias Valdivae et Chiloaae, itemque archipelagum de Chiloe et Guaitecas, nec non insulam Mocham nuncupatam, uti superius significata est pro dioecesi novi episcopatus S. Caroli perpetuo adiungimus atque adsignamus; quod quidem territorium sic attributum atque assignatum, existentesque in eo

paroecias, ecclesias, coenobia, monasteria et quaecumque alia saecularia et quorumvis ordinum regularia beneficia, utriusque sexus personas et incolas, tam laicos quam clericos, non tamen exemptos, cuiuscumque gradus, ordinariae novi pro tempore existentis episcopi ecclesiae S. Caroli iurisdictioni, regimini, potestati ac superioritati perpetuo similiter subiicimus, eique pro civitate, territorio, dioecesi, clero et populo perpetuum pariter in modum adsignamus atque attribuimus.

Ut autem futurus qui extet pro tempore episcopus S. Caroli, suam possit decenter tueri dignitatem atque valeat vicario generali et curiae episcopali opportuna satisque providere, congruam dotem, quam Chilense gubernium ex data fide quamprimum constituet, episcopali mensae adscribimus atque attribuimus, uti similiter fabricae novae cathedralis ecclesiae eam congruam dotationem, quam gubernium ipsum praestabit, perpetuum in modum adscribimus atque adiudicamus.

Proprias aedes pro futuri episcopi habitatione eiusque curiae episcopalis residentia decenti forma et commodo loco, ac, quantum fieri poterit, ecclesiae cathedrali proximiores quamprimum adsignari volumus; quae si modo desint easque conduci oporteat, tunc pensionis pro illarum conductione solvendae rationem habendam esse decernimus atque declaramus.

In maiori vero ecclesia civitatis S. Caroli, ut supra in cathedralem erecta, suum constituimus atque erigimus capitulum, undecim constans canonicalibus praebendis pro totidem presbyteris, nimirum tribus dignitatibus, quarum prima decanatus, quae post pontificalem erit maior ac omnibus potietur honoribus, privilegiis et praeeminentiis, eidem ex iure competentibus, secunda archidiaconatus, ac tertia magisterium scholae nuncupabitur; nec non octo canonicatibus comprehensis theologali ac poenitentiaria praebendis, quae iuxta canonicas sanctiones ac praesertim concilii Tridentini decreta in capitulis ecclesiarum cathedralium extare debent; ac praeterea eidem ecclesiae pro servitio chori erunt addicti sex praebendati seu vicarii, aliique clerici.

Huiusmodi autem dignitatum non minus quam canonicatuum ac praebendarum futuros ac pro tempore existentes possessores apud eamdem ecclesiam cathedralem S. Caroli personaliter residere, ac ibidem divina quoque officia caeterasque ecclesiasticas functiones celebrare horasque canonicas tam diurnas quam nocturnas decantare, recitare et psallere, missamque conventualem pro benefactoribus in genere quotidie celebrare, et eidem cathedrali ecclesiae in omnibus laudabiliter deservire, illiusque statuta in posterum edenda diligenter observare teneri volumus, decernimus et constituimus.

Quod vero spectat ad dignitatum et canonicatuum huiusmodi collationem, eam fieri omnino ac peragi volumus praevio examine vel alio experimento per episcopum qui pro tempore extiterit designando. Si vero agatur de prebendis canonicalibus theologali ac poenitentiaria, vel de dignitate, vel alia praebenda cui forsitan animarum curam episcopo pro tempore placeat adnectere, adhibeatur concursus ad praescriptum concilii Tridentini et apostolicarum constitutionum.

Eidemque sic efformato capitulo cathedrali facultatem impertimus condendi statuta, ordinationes et decreta, sacris tamen canonibus, concilio Tridentino et apostolicis constitutionibus consona, atque Ordinarii approbationi prorsus subiicienda, nec non ius concedimus fruendi omnibus et singulis privilegiis, honoribus et gratiis quibus alia capitula cathedralium ecclesiarum in ditione Chilensi existentium utuntur ac fruuntur, dummodo adhuc sint in usu et non fuerint revocata, nec sacris canonibus et decretis apostolicis repugnent, neque titulo oneroso aut peculiari indulto sint quaesita.

Capitulo autem novae cathedralis ecclesiae S. Caroli sic erecto et constituto congruam similiter dotationem quam tradet memoratum gubernium adsignamus, sin autem integram dotem pro singulis capitularibus illico praestare nequiverit, eorum saltem partem dotabit prudenti arbitrio executoris literarum apostolicarum mox deputandi, suspensa interim dotatione et collatione reliquarum dignitatum, canonicatuum ac praebendarum, quam tamen dotationem, quantocitius fieri poterit, complendam praecipimus, atque hac in re studium, zelum et curam omnem episcoporum S. Caroli pro tempore existentium ipsiusque gubernii vehementer excitamus.

Ecclesiasticum item clericorum seminarium iuxta concilii Tridentini decreta erigimus atque instituimus, ipsique aedes ecclesiae cathedrali, si fieri poterit, proximas adscribi, eamque dotationem a praeposito gubernio, cum primum pro locorum ac temporum adiunctis datum fuerit, assignamus, quam seminariis ecclesiasticis Chilensis ditionis tribui solet, atque in hoc similiter Chilensis gubernii et episcoporum Sancti Caroli studium omne impense excitamus.

Praefatam ecclesiam Sancti Caroli ut supra erectam archiepiscopo Sancti Iacobi Chilensis ditionis metropolitico iure subiicimus, iisque omnibus frui volumus facultatibus, exemptionibus, praerogativis et iuribus, quae ad ceteras suffraganeas ecclesias metropolitanae ecclesiae Sancti Iacobi pertinent.

Fructus vero eiusdem novae ecclesiae S. Caroli ex more taxari ad florenos auri de camera triginta tres ac tertiam floreni partem, ac hu-

iusmodi taxam in libris camerae apostolicae et sacri collegii describi volumus ac mandamus.

Ut vero cuncta a Nobis ut supra disposita rite ad suum perducantur effectum, futuro episcopo novae cathedralis ecclesiae S. Caroli, quem harum literarum Nostrarum executorem eligimus ac deputamus, necessarias omnes ac opportunas tribuimus facultates, ut ipse vel per se vel per aliam personam, ecclesiastica dignitate constitutam ab eo subdelegandam, omnia statuere ac decernere valeat, atque etiam cum facultate eidem exequutori sive eius subdelegato definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praedicta quomodolibet oritura, iniuncta ipsi obligatione diligenter in decreto executoriali describendi et praefiniendi limites novae dioecesis ac mittendi ad sacram Consistorialem congregationem infra sex menses ab expleta litterarum apostolicarum executione exemplar authentica forma exaratum decretorum omnium, quae in harum literarum exequutionem emittet, ut in tabulario congregationis Rebus Consistorialibus praepositae de more asservetur.

Praesentes autem literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes, vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, eorum consensui, quatenus opus sit, de apostolicae potestatis plenitudine supplentes, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae vel aliquo alio etiam substantiali defectu notari, impugnari aut in controversiam vocari possit, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere volumus, mandamus atque decernimus.

Non obstantibus *de iure quaesito non tollendo,* de suppressionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regulis ac in synodalibus universalibus provincialibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum dispositionibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus praeterea ut harum literarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberentur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum dismembrationis, seiunctionis, separationis, erectionis, institutionis, assignationis, attributionis, subiectionis, concessionis, indulti, commissionis, deputationis, mandati, decreti, derogationis ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadrigesimo kalendis iulii, pontificatus Nostri anno decimo.

XXV.

BULLA

Qua fit erectio episcopalis ecclesiae de Serena in America Meridionali [1].

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam.

Ad apostolicae potestatis fastigium, nullo licet meritorum suffragio divinitus evecti, universos plane Christi fideles pastorali cura complecti debemus, utpote qui in b. Petri apostolorum principis locum suffecti sumus, cui Christus Dominus gregem suum pascendum commisit universum. Quapropter ad eos etiam quos remotissimae orbis terrarum partes a Nobis seiungunt, studia Nostra curasque serio convertimus, eorumque, quos animo praesentes cernimus, saluti studentes, nihil praetermittendum ducimus, quod ad aeternam beatitatem eisdem comparandam pertinere quoquomodo videatur.

Cum haec cura animo Nostro potissimum inhaereat, ut Christi gregem ad salutis pascua ducamus, humillimas preces benigne excepimus supremi Chilensis ditionis moderatoris, enixis precibus efflagitantis, ut in urbe Serena novam episcopalem sedem apostolica auctoritate constituamus, eique novum episcopum adsignemus, quippe quod unus episcopus suo fungendo muneri, pascendis nimirum illis gentibus, omnino sit impar. Sane ea est dioecesis S. Iacobi amplitudo, ut octingenta ferme hominum millia complectatur, qui in provinciis commorantur, quas vocant Santiago, Talca Colchaqua, Anconcaqua et Conquimbo. Iam vero harum postrema, cuius princeps est urbs Serena, in extremis finibus posita, dioecesis S. Iacobi, a flumine Choapa ad deserta Atacamae loca excurrit,

---

1 Ex Iure Pontificio de P. F.

et per ducentas quinquaginta leucas protenditur, atque incolarum centies millia continet. Cum adeo vasta sit dioecesis S. Iacobi et provincia Conquimbo a pastore pro tanto regionis intervallo seiungatur, atque asperrimae imprimis viae sint, quae illuc ducant, mirum non est si ea incolarum pars quae in extremis dioecesis finibus degit, nec pastores sui praesentia recreari, nec praeceptis eruditi, nec sacro adhuc chrismate inungi potuerit.

Huic tanto malo pro apostolica, qua urgemur, sollicitudine succurrere optantes, uti ea christianorum multitudo pastoris sui monitis in viam salutis dirigi possit, et miserrimae gentes evangelii lumine collustrentur, quae teterrimis errorum tenebris obvolvuntur, humillimis precibus Chilensis gubernii per negotiorum gestorem exhibitis benigne indulgere constituimus. Itaque certa scientia ac etiam Motu–Proprio deque apostolicae potestatis plenitudine, habita ratione propitiae sententiae ven. fratris Nostri Emanuelis Vicuna hodierni archiepiscopi S. Iacobi iamdiu pansae, et consensui eorum quorum forte intersit, quatenus opus sit, derogantes, universam provinciam Conquimbo ac omnes et singulas paroecias, ecclesias, conventus et monasteria aliaque quaecumque saecularia et quorumvis ordinum regularia beneficia, quae inibi forsitan existant, a dioecesi S. Iacobi de Chile perpetuo dismembramus, dividimus, secernimus, separamus, utriusque pariter sexus personas habitatores et incolas tam laicos quam clericos, presbyteros beneficiatos et religiosos cuiuscumque gradus, status, ordinis atque conditionis ab ordinaria iurisdictione, potestate ac superioritate archiepiscopi pro tempore existentis S. Iacobi seu eiusdem dioecesis Ordinarii perpetuum in modum eximimus et liberamus. Terram insuper seu civitatem Serenam positam in provincia Conquimbo sic dismembrata et divisa a dioecesi S. Iacobi de Chile in civitatem episcopalem erigimus et instituimus cum curia et cancellaria ecclesiastica, illamque in civitatem episcopalem sic erectam et institutam omnibus et singulis honoribus, iuribus, privilegiis atque praerogativis, quibus caeterae civitates pontificali sede decoratae in Chilensi ditione eorumque cives utuntur et gaudent, frui, uti et potiri volumus et indulgemus.

Maiorem ecclesiam in praedicta terra Serena in civitatem episcopalem erectam existentem et designandam ab executore litterarum apostolicarum, quem inde nominabimus, ad honorem et dignitatem ecclesiae cathedralis de Serena nuncupandam, evehi atque attolli pariter mandamus, ac in ea sedem et cathedram pontificalem pro suo episcopo de Serena appellando, qui eidem ecclesiae, civitati ac dioecesi infra adiudicandae eiusque clero et populo praesit, synodum convocet, ac omnia et singula iura, officia muniaque episcopalia habeat atque exerceat cum suis capitulo, arca, sigillo, mensa, ut infra constituenda, ceterisque cathedralibus insigniis, iuribus, honoribus, privilegiis, gratiis, favoribus, indultis, iurisdictionibus ac praerogativis, quibus reliquae cathedrales ecclesiae Chilensis ditionis eorumque praesules potiuntur et gaudent, dummodo ex peculiari indulto seu privilegio non sint eis attributa, perpetuo pariter erigimus atque instituimus.

Cathedrali de Serena ecclesia hoc modo erecta, ut propria deinceps dioecesis illius antistiti tribuatur, universam praedictam provinciam Conquimbo a dioecesi S. Iacobi ut supra avulsam et disiunctam pro dioecesi novi episcopatus de Serena perpetuo adiudicari atque adsignari volumus et mandamus; quam quidem provinciam ac in ea existentes seu existentia paroecias, ecclesias, conventus, monasteria et quaecumque alia saecularia ac quorumvis ordinum regularium beneficia, utriusque sexus personas et incolas tam laicos quam clericos, non tamen exemptos, cuiuscumque gradus, ordinis, iurisdictionis, regimini, potestati ac superioritati novi pro tempore existentis antistitis ecclesiae de Serena perpetuum similiter in modum subiici, eique pro civitate, territorio, dioecesi, clero et populo, pariter perpetuo adsignamus atque attribuimus.

Ut autem futurus pro tempore existens episcopus de Serena suam decenter valeat tueri dignitatem et vicario generali curiaeque episcopali apte provideri, congruam dotationem, quam Chilense gubernium ex data fide quantocito constituet, mensae episcopali perpetuo adscribi atque attribui volumus et mandamus.

Quod vero ad fabricam attinet novae cathedralis ecclesiae, eam similiter congruam dotationem quam idem gubernium tradet, perpetuum quoque in modum adscribimus atque adiudicamus.

Pro futuri episcopi habitatione eiusque curiae episcopalis residentia, proprias aedes decenti forma et commodo loco ac proximiores quoad fieri poterit ecclesiae cathedrali ab ipso gubernio quam primum assignari volumus, quae si modo desint, easque conduci oporteat, tunc pensionis pro illarum conductione solvenda rationem habendam esse decernimus et declaramus.

In maiori autem ecclesia civitatis de Serena, uti supra in cathedralem erecta, suum constituimus atque erigimus capitulum, undecim constans canonicalibus praebendis pro totidem presbyteris, tribus nimirum dignitatibus, quarum prima decanatus, quae post pontificalem erit maior ac omnibus potietur honoribus, privilegiis et praeeminentiis eidem ex iure competentibus; secunda archidiaconatus, ac tertia magisterium scholae nuncupabitur; nec non octo canonicatibus, comprehensis theologali ac poenitentiaria praebendis, quae iuxta canonicas san-

ctiones, ac praesertim conc. Trid. decreta, in capitulis cathedralium ecclesiarum extare debent; eidem praeterea ecclesiae pro chori servitio sex praebendati seu vicarii aliique clerici addicti erunt.

Harum vero dignitatum non minus quam canonicatuum ac praebendarum futuros ac pro tempore existentes possessores apud eamdem cathedralem ecclesiam de Serena personaliter residere ac ibidem divina quoque officia ceterasque ecclesiasticas functiones celebrare horasque canonicas tam diurnas quam nocturnas decantare, recitare et psallere, missamque conventualem pro benefactoribus in genere quotidie celebrare, et eidem collegiatae ecclesiae in omnibus laudabiliter deservire, illiusque statuta imposterum edenda diligenter celebrare, teneri volumus, decernimus et constituimus.

Quod vero spectat ad dignitatum et canonicatuum huiusmodi collationem, eam fieri omnino ac peragi volumus, praevio examine vel alio experimento per episcopum, qui pro tempore extiterit, designando. Si vero agatur de praebendis canonicalibus theologali vel poenitentiaria, vel de dignitate vel alia praebenda cui forsitan animarum curam episcopo pro tempore placeat adnectere, adhibito concursu ad praescriptum Conc. Trid. et apostolicarum constitutionum.

Eidemque sic efformato capitulo cathedrali, facultatem impertimur condendi statuta, ordinationes et decreta, sacris tamen canonibus, concilio Tridentino et apostolicis constitutionibus consona, atque ordinarii approbationi prorsus subiicienda; nec non ius concedimus fruendi omnibus et singulis privilegiis, honoribus et gratiis quibus alia capitula cathedralium ecclesiarum in ditione Chilensi existentium utuntur ac fruuntur, dummodo adhuc sint in usu et non fuerint revocata, nec sacris canonibus et decretis apostolicis repugnent, neque titulo oneroso aut peculiari indulto sint quaesita.

Capitulo autem novae cathedralis ecclesiae s. Caroli sic erecto et constituto congruam similiter dotationem quam tradet memoratum gubernium adsignamus, sin autem integram dotem pro singulis capitularibus illico praestare nequiverit, eorum saltem partem dotabit prudenti arbitrio executoris litterarum apostolicarum mox deputandi, suspensa interim dotatione et collatione reliquarum dignitatum, canonicatuum ac praebendarum, quam tamen dotationem quantocitius fieri poterit complendam praecipimus, atque hac in re studium, zelum et curam omnem episcoporum de Serena pro tempore existentium ipsiusque gubernii vehementer excitamus.

Ecclesiasticum item clericorum seminarium iuxta conc. Trid. decreta erigimus atque instituimus, ipsique aedes ecclesiae cathedrali, si fieri poterit, proximas adscribi, eamque dotationem a praedicto gubernio, cum primum pro locorum ac temporum adiunctis datum fuerit, assignamus, quam seminariis ecclesiasticis Chilensis ditionis tribui solet, atque in hoc similiter Chilensis gubernii et episcoporum de Serena studium omne impense excitamus.

Praefatam ecclesiam de Serena, ut supra erectam, archiepiscopo S. Iacobi Chilensis ditionis metropolitico iure subiicimus, iisque omnibus frui volumus facultatibus, exemptionibus, praerogativis et iuribus, quae ad ceteras suffraganeas ecclesias metropolitanae ecclesiae S. Iacobi pertinent.

Fructus vero eiusdem novae ecclesiae de Serena ex more taxari ad florenos auri de camera triginta tres ac tertiam floreni partem, ac huiusmodi taxam in libris camerae apostolicae et sacri collegii describi volumus.

Ut vero cuncta a Nobis ut supra disposita ad suum perducantur effectum, ven. fratri Nostro Emanueli Vicuna, metropolitanae ecclesiae S. Iacobi de Chile archiepiscopo, quem harum litterarum Nostrarum executorem eligimus ac deputamus, necessarias omnes et opportunas tribuimus facultates, ut ipse vel per se vel per aliam personam, ecclesiastica dignitate constitutam, ab eo subdelegandam, omnia statuere ac decernere valeat, atque etiam cum facultate eidem exequutori sive eius subdelegato definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praedicta quomodolibet oritura, iniuncta ipsi obligatione diligenter in decreto executoriali describendi et praefiniendi limites novae dioecesis ac mittendi ad sacram consistorialem congregationem infra sex menses ab expleta litterarum apostolicarum executione exemplar, authentica forma exaratum, decretorum omnium quae in harum litterarum executionem emittet, ut in tabulario congregationis Rebus Consistorialibus praepositae, de more asservetur.

Praesentes autem literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes, vel habere praetendentes, vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, quatenus opus sit, de apostolicae potestatis plenitudine supplentes, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae vel aliquo alio etiam substantiali defectu notari, impugnari aut in controversiam vocari possit, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, volumus, mandamus atque decernimus.

Non obstantibus *de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes,* vocatis quorum interest, aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regulis ac in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus

et ordinationibus apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum dispositionibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus praeterea ut harum literarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum dismembrationis, seiunctionis, separationis, erectionis, institutionis, assignationis, attributionis, subiectionis, concessionis, indulti, commissionis, deputationis, mandati, decreti, derogationis ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo, kalendis iulii, pontificatus Nostri anno decimo.

XXVI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Statuit abbatem s. Mauritii in inferiori Valesia pro tempore episcopali charactere decorandum esse, eique conferendum episcopatum Bethleem Syriae in partibus infidelium [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

In amplissimo apostolicae dignitatis atque auctoritatis gradu, nullis certe Nostris promeritis, sed ineffabili divinae providentiae consilio, collocati, ac propterea de universo dominico grege, quem pastor aeternus Nobis pascendum commisit, vehementer solliciti, ea profecto omnia libenter agere solemus, quae ad maiorem Dei gloriam promovendam ac spiritualem animarum salutem procurandam pertinere posse videntur. Itaque sedulo diligenterque inspicientes quid ecclesiarum omnium decori atque utilitati conveniat, decessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, amplis honoribus abbatiales interdum ecclesias decorare opportunum ducimus, ut divini cultus splendor magis eniteat, atque uberior inde dominici gregis fructus existat.

Equidem Nos minime latet insignem abbatialem et regalem ecclesiam s. Mauritii penes Helvetios, inferiore in Valesia sitam, cum proprio territorio originis vetustate, territorii eiusdem amplitudine, populi frequentia, cleri numero et canonicorum collegio summopere praestare, ac plura regularia et saecularia beneficia habere. Ipsius autem abbas, qui canonicorum collegii princeps ac primicerii dignitate ornatus, infulae ac pedi seu pastoralis honore insignitus, in pluribus illius districtus paroeciis iurisdictionem quasi episcopalem exercet, atque huic Apostolicae Sedi una cum canonicorum collegio totaque abbatia immediate subiectus, Sardiniae comitis titulo, et magna cruce regii ac militaris ordinis ss. Mauritii et Lazari semper decoratur. Canonicorum vero collegium ex pluribus viris conflatum, quorum alii spiritualia paroeciis praebent subsidia, alii divinas in choro laudes concelebrant, alii communem agunt vitam ex regula a fel. mem. Pio VII praedecessore Nostro approbata. Quod quidem canonicorum collegium eo in districtu studiorum curam agens, omni diligentia et industria prospicit, ut iuventus in binis praesertim gymnasiis ad pietatem omnemque virtutem mature fingatur, atque amoenioribus literis severioribusque disciplinis rite imbuatur. Accedit etiam, quod maxime interest, ut idem canonicorum collegium catholicae religionis propagandae studio vehementer incensum, nullis neque curis neque laboribus neque impensis sibi parcendum ducat, quo illis in regionibus maiora in dies ipsa religio incrementa suscipiat, atque homines e caecis errorum fluctibus emersi ad catholicae Ecclesiae gremium redeant.

Iam vero cum Nobis expositum fuerit rei catholicae ac spiritualis animarum salutis bono utile omnino esse, si illius abbatiae in tempore abbas episcopali titulo in part. infid. honestetur; Nos, quibus nihil potius esse potest, quam omni cura, vigilantia, contentione, in Dei opt. max. gloriam amplificandam ac sempiternam hominum salutem quibusque rebus procurandam incumbere, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum consilio, abbatiam ipsam huiusmodi dignitate atque honore decorandam, eique episcopalem titulum de Bethleem in Syria in part. infid. perpetuo adsignandum existimavimus. Quamobrem eiusdem abbatiae et canonicorum collegii meritorum ratione habita, firmis tamen semper in ea abbatia manentibus ibique vigentibus omni statu, qualitate, denominatione, Motu-Proprio, certa scientia, matura deliberatione, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hisce literis, abbatiae s. Mauritii penes Helvetios in Valesia inferiori episcopalem titulum de Bethleem in part. infid. perpetuum in modum adsignamus atque attribuimus, atque illius in tempore abbatem episcopum de Beth-

---

1 Ex Iure Pontificio de P. F.

leem in Syria constituimus et declaramus, eumque nomine, titulo et honore episcopali perpetuo decoramus; ac volumus, ut abbas s. Mauritii et episcopus de Bethleem appelletur cum omnibus et singulis iuribus, privilegiis, honoribus, insignibus, praerogativis, quibus episcopi in part. infid. utuntur, fruuntur, vel uti ac frui possunt et poterunt, atque id ita concessum volumus, ut, sequuta eiusdem abbatis canonica electione, etiam episcopus de Bethleem in part. infid. electus maneat, utque electionis confirmationem una cum ecclesiae episcopalis provisione ab hac Apostolica Sede literis apostolicis sub annulo piscatoris semper obtinere debeat et teneatur.

Haec concedimus atque indulgemus, statuimus et mandamus, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quoties opus fuerit, fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non eiusdem abbatiae et canonicorum collegii, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, aliisque omnibus etiam speciali et individua mentione et derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die tertia iul. millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XXVII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Ex quatuor vicariatibus apostolicis Angliae regnum complectentibus octo constituit, unicuique nomine et limitibus assignatis [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad futuram rei memoriam.

Muneris apostolici ratio, quod occulto Dei consilio ad supremam hanc cathedram evecti, meritis licet imparibus, sustinemus, eos Nos esse intentos expostulat, ut catholicae religioni ad divini nominis gloriam animarumque salutem tuendae et quaquaversus amplificandae, auctoritatem, studium operamque Nostram non intermissa sollicitudine impendamus.

Inter alia vero, in quibus Nostra quotidiana instantia versatur, animum curasque Nostras, ut par est, intendimus ad inclytam illam catholici gregis partem, quae in florentissimo Angliae regno magnis nuper per Dei gratiam auctibus crevit. Quo sane tam prospero eventu laetantes et exultantes in Domino, iamdudum cogitabamus de antistitum numero illic augendo, quandoquidem vicariis apostolicis numero quatuor, inibi calamitoso alio tempore a Sancta hac Sede constitutis, hodie quidem operosum nimis et arduum est advigilare ad custodiam atque ad culturam eius vineae, quae tanta undique novorum palmitum foecunditate succrescit. In eamdem vero sententiam plures advenerunt catholicorum petitiones, quas sive ex Anglia per literas, sive coram hic Nobis oblatas, benevolentissimo equidem animo accepimus. Verum ut de negotio huiusmodi ea, qua oportet, maturitate statueremus, primum quidem Deo opt. max. pro tot tantisque sùis erga catholicum in Anglia gregem beneficiis humillimas iterum atque iterum egimus gratias, et Bmae Mariae Virginis ac Sanctorum, qui in regione illa floruerunt, deprecatione implorata, eidem clementissimo Domino per Unigenitum suum Iesum Christum enixe supplicavimus, ut Nostra pro illius bono dirigeret, atque ad felicem exitum adduceret: deinde vero totam rei causam considerandam commisimus congregationi venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, qui Propagandae Fidei negotiis praepositi sunt.

Atque hi post sedulam accuratamque habitam deliberationem, unanimi suffragio censuerunt, esse omnino e re catholica, ut ex quatuor vicariatibus apostolicis, qui hactenus in Anglia fuerunt, congrua divisione facta, octo constituantur. Communicaverat antea non semel de

---

1 Ex Iure Pontificio de P. F.

hoc negotio Nostra eadem congregatio cum quatuor venn. fratribus, antiquos illos vicariatus obtinentibus; gratumque fuit perspicere ex acceptis responsis, ipsos omnes eius, de qua agitur, vicariatuum eorumdem divisionis novaeque circumspectionis utilitatem agnoscere. Nos quoque ipsi rem universam diligenter perpendimus, ac, probato tandem praedictorum cardinalium consilio, eamdem illam apostolicorum vicariatuum divisionem novamque constitutionem apostolicis hisce literis perficere proposuimus.

Itaque Motu-Proprio, ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, cunctas regiones seu provincias, ex quibus constabant vicariatus apostolici Londinensis Occidentalis, Medius et Septentrionalis, ita posthac divisos edicimus, ut octo vicariatus apostolici efformentur, Londinensis, Occidentalis, Orientalis, Centralis seu Medius, Walliensis, Lancastriensis, Eboracensis et Septentrionalis. Insuper singulis horum octo vicariatuum pro cuiusque circuitu ac finibus, apostolica eadem auctoritate, loca seu regiones mox describendas tribuimus et assignamus. Scilicet Londinensis vicariatus comprehendet provincias sive comitatus Middlesexiensem, Hertfordiensem, Eseexiensem, Bercheriensem, Suth-Hantoniensem, Surreiensem, Sussexiensem, Kantiensem, cum insulis Vecta, Gerseja, Guernseia. Occidentalis autem vicariatus continebit provincias seu comitatus Glocestriensem, Wiltoniensem, Somersettensem, Dorcestriensem, Divoniensem, Cornubiensem, una cum insulis, quae Scilly vocantur. Praeterea Orientalis vicariatus habebit provincias seu comitatus Lincolniensem, Rutlandiensem, Huntingdoniensem, Northantoniensem, Cantabrigiensem, Norfolciensem, Suffolciensem, Bedfordiensem, Buckinghamiensem. Centralis deindeseu Medius vicariatus complectetur provincias seu comitatus Derbiensem, Nottinghamiensem, Staffordiensem, Leicestriensem, Worviciensem, Wigorniensem, Oroniensem, Salopiensem. Vicariatus Walliensis habebit provincias seu comitatus illos duodecim, qui in principatu Walliensi continentur, Brechiniensem scilicet, Maridunensem, Cereticensem, Denbighensem, Flintensem, Glamorganiensem, Merviniensem, Montgomeriensem, Penbrokiensem, Radnoriensem et Angleseiam insulam, una cum comitatibus Herefordiensi et Monumethensi in Anglia. Lancastriensis vicariatus continebit provincias seu comitatus Lancastriensem, Cestriensem, et insulam Monam. Eboracensis vicariatus provinciam seu comitatum omnem Eboracensem complectetur. Denique ad Septentrionalem vicariatum pertinebunt provinciae seu comitatus Northumbriensis, Westmorlandiensis, Cumbriensis et Dunelmensis. Haec igitur loca sunt unicuique vicariatui attributa, intra quorum fines ecclesiasticam iurisdictionem suam vicarius quisque apostolicus exercebit. Iam vero ut providentia haec Nostra catholicae in Anglia rei sine mora proficiat, delegimus iam ecclesiasticos viros virtute praestantes, quorum scilicet praeclara merita supradictae Nostrae congregationi Propagandae Fidei Nobisque ipsis probata sunt; eosque aliis Nostris apostolicis literis hac item die sub piscatoris annulo datis in novis illis vicariatibus apostolicis constituimus.

Postremo temperare Nobis non possumus quin dilectos filios tum e saeculari tum e regulari clero, qui sacris ministeriis in Anglia funguntur, maxime autem venn. fratres veterum quatuor vicariatuum apostolicorum antistites, ob exantlatos ab ipsis labores debitis laudum praeconiis prosequamur; eosdemque, uti et alios quatuor apostolicos vicarios nunc institutos, adhortemur in Domino vehementer, ut mysticum illum agrum, tanta recentis messis ubertate commendatum, excolere sedulo et alacriter studeant. Nos interim, animo cum ipsis in Christi caritate coniuncto, divinum eumdem pastorum principem in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione precamur, ut super ministros suos, in sola eius auxilii spe innixos, dona multiplicet gratiae suae, atque omnibus, quae dante ipso plantaverint et rigaverint, incrementum tribuat.

Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos spectat et spectabit hoc futurisque temporibus, plenissime suffragari. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die tertia iul. millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XXVIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Confirmantur tituli marchionis di Roma Vecchia, *principis* di Civitella Cesi, *et ducis* di Ceri *pro Alexandro Torlonia eiusque posteris primogenitis* [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum nobiles viri religionis ac virtutis laude spectati, et divitiarum copia abundantes, magno christianae ac civili reipublicae ornamento atque praesidio esse soleant, tum Romani Pon-

---

1 Ex Archivio Secretariae Brevium.

tifices eorum decori atque splendori quam libentissime prospicere consueverunt, ut ipsi magis magisque huic Petri Cathedrae adhaerentes, in rei catholicae ac civilis societatis bono procurando praeclaram atque utilem operam collocare glorientur, aliisque virtutum exempla imitanda praebere nitantur.

Equidem Nos minime latet defunctum ducem Ioannem Torlonia, praeter primogenituram pro illius primigena Marino, dum ipse vivebat, institutam, suis testamentariis tabulis, die vigesima augusti anno millesimo octingentesimo vigesimo quinto confectis, alteram quoque pro dilecto filio Alexandro statuisse, cui secundogenituraе amplissimum fundum, vulgo *di Roma Vecchia,* a rec. me. Pio VI praedecessore Nostro per similes apostolicas literas marchionatus titulo decoratum, et oppidum privi iuris usu fructuque, seu principatum, vulgo *di Civitella Cesi,* quem idem Ioannes a principe Pallavicini cum omnibus fundis ac iuribus et privilegiis emerat, atque alia bona attribuit. Hinc ipse dilectus filius Alexander Torlonia solemnibus tabulis a tabellionibus Calvaresi et Bartoli, die vigesima nona iulii anno millesimo octingentesimo trigesimo tertio, exaratis, a principe Innocentio Odescalchi, ducatum, vulgo *di Ceri,* omniaque illius bona et privilegia pretio sibi comparavit.

Cum vero Nos in praesentia noverimus eumdem dilectum filium Alexandrum Torlonia cupere, huiusmodi titulos, suprema Nostra auctoritate confirmari, Nos eiusdem votis ob eximia eius merita, alacri libentique animo obsecundandum censuimus. Ipse enim dilectus filius Alexander Torlonia egregiis animi ingeniique dotibus ornatus, ac rebus optimis institutus, litteris excultus ac religione praestans, singulari erga Nos et hanc Apostolicam Sedem obsequio clarus, atque amplissimis facultatibus pollens, eas instrumentum virtutis exercendae esse ducens, ita se munificum praebet, ut non mediocrem pecuniae vim in sacras aedes splendidissimo cultu exornandas, in pauperes iuvandos, in artifices cuiusque generis excitandos, in liberales artes fovendas conferat, nihilque unquam intentatum relinquat ut de hac Apostolica Sede deque civili societate optime mereri possit. Quae cum ita sint, perenne aliquod peculiaris Nostrae in ipsum benevolentiae monumentum extare summopere optantes, maiori illius familiae splendori consulere haud dubitavimus, ea profecto spe freti fore, ut ipse eiusque posteri quemadmodum generis nobilitate et rerum abundantia aliis antistant, ita virtutum omnium laude atque exemplo excellere nitantur.

Quamobrem ratione etiam habita matrimonii quod idem Alexander cum nobilissima lectissimaque femina, dilecta in Christo filia, Theresia Columna contrahere statuit, ipsum dilectum filium Alexandrum Torlonia, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, absolventes et absolutum fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, eumdem Alexandrum Torlonia eiusque posteros primogenitos legitimos et naturales, dummodo a catholica religione non deficiant, qui commemoratis fundis potientur, marchiones *di Roma Vecchia,* principes *di Civitella Cesi,* et duces *di Ceri* dicimus, constituimus et renuntiamus, eisque concedimus ut hisce titulis etiam in apostolicis literis publicisque tabulis appellentur, ac singulis quibusque iuribus, honoribus, privilegiis, indultis, quibus alii marchiones, principes et duces ex iuris praescripto vel ex usu et consuetudine modo utuntur, fruuntur vel uti ac frui possunt et poterunt, libere et licite perfruantur; quin tamen praedictis fundis maiora ex hisce literis obveniant iura ac privilegia, quae recentissimis legibus huiusmodi praediis concessa sunt.

Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis etiam speciali mentione dignis, nec non in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie ac aliis quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die septima iul. millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XXIX.

EPISTOLA

Cum Leopoldo Belgarum rege gratulatur de nova suscepta prole [1].

Serenissimo ac potentissimo
Leopoldo
Belgarum regi illustri.

GREGORIUS PP. XVI

Serenissime ac potentissime rex

salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras accepimus regiae maiestatis tuae die decima iunii ad Nos datas, quibus fausto laetus eventu, Nosque in partem vocans laetitiae tuae, nuntias a carissima in Christo filia Nostra regina uxore tua, iure meritoque tibi dilectissima, editam principem infantem, eamque delegato a dilecto filio Nostro Engelberto S. R. E. cardinali archiepiscopo Mechliniensi ministerio, sacro baptismate ablutam fuisse, nominibus impositis Mariae, Carolottae, Amaliae, Augustae, Victoriae, Clementinae, Leopoldinae.

Gaudemus sane quidem et Nos, et gratulamur fausta item semper et felicia regiae maiestati familiaeque tuae precantes a Domino: natam vero prolem patrocinio B. G. Dei Mariae, et earumdem cognominum caelitum sanctarum suppliciter commendamus, ut earum deprecatione, quam semel adepta est, gratia novis quotidie cum aetate actibus accrescat. Ac pro ista Nobis gratissima, ceteris addita officiis, confirmatione voluntatis, erga Nos, regiae maiestatis tuae gratias agentes ex animo, Deum luminum patrem et misericordiarum impense obsecramus, ut te sospitem et incolumem quam diutissime servet, Nobisque perfecta caritate coniungat: auspicem praeterea caelestis praesidii, apostolicam benedictionem natae infanti regiaeque familiae tuae amantissime impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima tertia iul. millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XXX.

EPISTOLA

Regi Birmannorum gratias agit ob eius benevolentiam in christianos, eique, additis nonnullis muneribus, illos cum vicario apostolico Avae et Pegù ac missionariis commendat [2].

Potentissimo et augustissimo
Birmannorum regi

GREGORIUS PP. XVI.

Potentissime et augustissime rex.

Certiores facti a ven. in Christo fratre Friderico episcopo Zamensi pro christianis omnibus tuae subditis maiestati, vices Nostras gerente, te peculiari benevolentia catholicos missionarios et ipsum excepisse, muneri Nostro deesse arbitraremur, si redeunti in imperium tuum ven. fratri non committeremus, ut grati animi significationem tibi Nostro nomine exhiberet. Pauca itaque Nostrarum artium specimina habeto, ut in iis gratum erga te animum Nostrum deprehendas. Nobis vero nil superest aliud, quam ut catholicos omnes imperii tui, quos fidelissimos semper tuique amantissimos experieris, maiestati tuae etiam atque etiam commendemus, rogemusque praesertim, ut redeuntem apostolicum vicarium, una cum eius missionariis, benigne suscipias ac patrocinio tuo validissimo tuearis. Hi quidem, quo latius istius imperii populos perlustrabunt, eo vividiores in animis excitabunt eos obedientiae atque amoris erga principem sensus, quos sanctissima Christi religio catholicis omnibus apprime praecipit. Interea illud pro comperto habeat maiestas tua, omnes ad unum fideles catholicos Nobis animo ac caritate coniunctos, fervidas Nobiscum assiduasque oblaturos esse preces aeterno atque uni Deo, qui rerum omnium dominator existit ac regum rex, ut maiestati tuae diuturnam felicemque vitam largiatur, ac tibi illud securumque iter ostendat, quod ad veram atque indeficientem beatitatem perducit.

Datum Romae in palatio apostolico Quirinali die decima quinta iul. millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

---

1 Ex Archivio Brevium ad Principes.

2 Ex Iure Pont. de P. F.

XXXI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Approbatur et confirmatur donatio novi templi et coenobii Viaregii in dioecesi Lucensi, a Lucensium duce, favore fratrum ordinis Servorum B. M. V., facta [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum ex religiosis familiis multa in christianam aeque ac in civilem rempublicam bona redundent, propterea quod earum alumni, abdicatis omnibus, Deo propius adhaerere, ac sempiternae hominum saluti, qua verbo, qua opere, qua exemplo summopere studere profitentur; tum Romani Pontifices singulari benevolentia religiosas ipsas familias prosequi, earumque decori atque utilitati prospicere merito atque optimo iure semper existimarunt. Nos itaque illustria decessorum Nostrorum exempla aemulantes ac vestigiis inhaerentes, omnique studio earumdem familiarum rationibus consulere vehementer optantes, illis postulationibus quam libentissime annuendum ducimus, quae in illarum commodum utilitatemque cedere posse videntur.

Quam ob rem non mediocri certe laetitia affecti fuimus ubi a venerabili fratre Aloysio Grati episcopo Callinicensi in partibus infidelium, ac supremo moderatore seu generali fratrum ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis accepimus, dilectissimum in Christo filium Nostrum Lucensium ducem, spirituali Viaregii populi utilitati prospiciendi summopere cupidum, pio ac provido sane consilio novum coenobium et templum Viaregii a fundamentis excitasse, ac ven. fratre archiepiscopo Lucensi annuente, religiosae eiusdem ordinis familiae coenobium ipsum ac templum dedisse, ut illius alumni ibi morantes, ac novam paroeciam ex ipsius ven. fratris archiepiscopi Lucensis consensu atque praescripto instituendam moderantes atque administrantes, in Dei gloriam promovendam atque in animarum salutem procurandam sedulo diligenterque incumbant.

Atque iccirco idem dilectissimus in Christo filius Noster Lucensium dux, ad illius templi et coenobii dotem constituendam, varios fundos, qui centum tredecim mille quinquaginta novem libellarum et duodecim solidorum summam attingunt, attribuit, cuius redditu, eiusdem coenobii ac templi tuitioni, ac paroeciae impendiis ferendis, ac religiosi ordinis alumnis alendis consuli possit, prout fundi ipsi ex indice a Laelio Ignatio Di Poggio, ab intimis epistolis eiusdem ducis, atque a Tito Merli ab actis primae sectionis munerum publicorum, vulgo *dell' interno,* obsignato, et ab ipsis religiosis asservato, clare aperteque apparent.

Iamvero cum idem ven. frater Aloysius Grati episcopus Callinicensis, et supremus moderator ordinis Servorum B. M. V. a Nobis postulaverit, ut huiusmodi rem suprema Nostra auctoritate sancire atque approbare velimus, Nos eiusdem votis alacri libentique animo annuendum censuimus. Quapropter eximiam dilectissimi in Christo filii Nostri Lucensium ducis pietatem ac religionem meritis laudibus efferentes, atque omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, commemorati coenobii ac templi Viaregii, in Lucensi dioecesi, donationem ab eodem dilectissimo in Christo filio Nostro Lucensium duce fratrum ordini Servorum B. M. V. factam una cum attributis fundis, de quibus habita mentio est, ac novam paroeciam ex auctoritate et praescripto ven. fratris archiepiscopi Lucensis eo in templo instituendam, atque a religiosis commemorati ordinis regendam atque administrandam perpetuum in modum approbamus, sancimus atque confirmamus.

Haec concedimus et indulgemus, statuimus et approbamus, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat et spectabit in posterum hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos dictaeque Sedis nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quoties opus fuerit, fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum* ac Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo,* aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus atque ordinationibus, nec non eiusdem religiosi ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, aliisque omnibus etiam spe-

[1] Ex Archivio Cancellariae Episcopalis Lucensis, et ex Archivio Brevium.

ciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum ab arce Gandulphi die vigesima prima iul. anni millesimi octingentesimi quadragesimi, pontificatus Nostri anno decimo.

XXXII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Delegatum et visitatorem apostolicum intuitu fidei propagandae ad Abyssinos mittit Theodorum Abukarim episcopum Italiensem, cui iam commissa fuerat cura catholicorum Coptorum Aegypti [1].

Venerabili fratri
Theodoro Abukarim
episcopo Italiensi ritus Copti

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Pastorale officium Nobis ex alto commissum postulat atque efflagitat, ut animarum saluti summa vigilantia, cura et studio pro viribus consulemus.

Itaque cum ad Abyssinorum gentem in communionem Ecclesiae Romanae iterum adducendam catholicamque fidem in illis regionibus latius propagandam valde opportunum Nobis visum fuerit, ut illuc mittatur episcopus ritus Copti, quem ritum ferme sequuntur Abyssini; de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, huiusmodi munus tibi, ven. frater, committendum censuimus, qui religionis zelo, prudentia, scientia, integritate summopere praestas, quique catholicorum Coptorum in Aegypto curam iamdiu demandatam sustines.

Quamobrem peculiari te benevolentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, ad Nostrum et huius Apostolicae Sedis arbitrium te in delegatum ac visitatorem apostolicum ad Abyssinorum gentem eligimus, constituimus et deputamus, cum omnibus et singulis facultatibus, iuribus, quae huiusmodi propria sunt muneris, salva tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Mandamus etc.

Datum ab Arce Gandulphi sub annulo piscatoris die vigesima quarta iul. millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

XXXIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Confraternitas Boni Pastoris et Beatae Mariae Virginis in cathedrali ecclesia Rhedonensi in confraternitatem evehitur [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Piorum hominum societates ad fovendum Dei cultum atque ad christianae caritatis opera obeunda provido consilio rite institutas, decet sane pontificiae Nostrae beneficentiae muneribus aliquando donari, ut ipsae magis magisque in dies floreant ac vigeant, aliasque etiam in earumdem virtutum exercitationem inducant.

Exponendum Nobis curavit ven. frater Claudius Ludovicus episcopus Rhedonensis se iam inde ab anno millesimo octingentesimo trigesimo in cathedrali suo templo, quod est etiam parochiale, sodalitatem seu confraternitatem constituisse pro peccatorum conversione sub titulo Boni Pastoris et Beatae Mariae pro peccatoribus morienti compatientis, eiusque pietatem et studium adeo fuisse auctum, ut singuli quique in illam cooptati novem millium numerum excedant.

Quum autem maiores sibi polliceatur utilitates si huiusmodi christifidelium coetus ad alias quoque paroecias suae Rhedonensis dioecesis protenderetur, supplici cum prece a Nobis postulavit ut hanc confraternitatem in cathedrali suo templo conditam, archiconfraternitatis nomine et privilegiis benigne decorare velimus.

Nos igitur piis ipsius ven. fratris votis alacri libentique animo annuere volentes, omnesque, quibus hae literae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, confraternitatem de qua agitur, sub titulo Boni Pastoris et Beatae Mariae pro peccatoribus morienti compatientis, in cathedrali templo Rhedonensi rite institutam, archiconfraternitatis nomine, auctoritate Nostra apostolica, harum literarum vi, perpetuo decoramus. Illi propterea omnia et singula iura, privilegia, honores, praerogativas, voce quavis

[2] Ex Iure Pontificio de P. F.

designandas, quibus aliae archiconfraternitates ex usu et consuetudine utuntur, fruuntur vel uti, frui possunt ac poterunt concedimus atque indulgemus. Heteriarchis vero aliisque moderatoribus istius confraternitatis, in archiconfraternitatis honorem evectae, eadem Nostra apostolica auctoritate, in perpetuum facultatem facimus, cuius ope alias quascumque confraternitates eiusdem invocationis et instituti extra Urbem ubilibet erectas praedictae archiconfraternitati, servata tamen forma constitutionis a fel. rec. Clemente VIII praedecessore Nostro editae, adsciscere seu aggregare libere et licite possint, atque cum illis omnes quascumque indulgentias, peccatorum remissiones ac poenarum relaxationes quibus ipsa pollet, communicare.

Haec volumus atque elargimur decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sic in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, eiusdem confraternitatis etiam iuramento atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum ab Arce Gandulphi sub annulo piscatoris die vigesima octava iul. millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XXXIV.

INDULTUM

Gestandi nonnulla insignia senioribus illius templi participantibus a Pio VII concessum, ad reliquos participantes protenditur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romanorum indulgentia Pontificum honorum insignia ecclesiasticis viris divino ministerio addictis concedere solet, ut ipsi magis magisque virtutum omnium ornatu praefulgeant, aliisque imitanda praebeant exempla. Hac sane mente rec. mem. Pius VII praedecessor Noster, suis similibus apostolicis literis die vigesima octava aprilis anno millesimo octingentesimo vigesimo datis, perpetuum in modum concessit et indulsit, ut praeter alios, octodecim seniores participantes cathedralis ecclesiae Melphiten., nonnullis honorificis insignibus uti possent, prout iisdem in literis, quas hic etc. clare aperteque patet. Iamvero cum in praesentia ven. frater Ioannes hodiernus Melphiten. episcopus, enixis precibus a Nobis postulaverit, ut eadem insignia reliquis omnibus participantibus benigne concedere velimus, Nos eiusdem votis annuendum censuimus. Itaque omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, concedimus et indulgemus, ut reliqui omnes participantes commemoratae cathedralis ecclesiae Melphiten. iisdem omnibus insignibus quibus ex commemoratis apostolicis literis seniores illius templi participantes decorati fuere, libere et licite perfrui possint, eadem prorsus ratione quae iisdem in literis praescripta fuit.

Haec concedimus atque indulgemus, decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus commemoratis apostolicis literis fel. rec. Pii VII praedecessoris Nostri, ac rec. me. Bened. XIV decessoris pariter Nostri, *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis, atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, etiam iuramento atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi sub annulo piscatoris die quarta augusti millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

---

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

XXXV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus ecclesia s. Mariae oppidi Scigliano–Diano, in Neocastrensi dioecesi, in collegialem ecclesiam erigitur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum viri, conspicuis in templis divino ministerio addicti, ac levantes manus eorum in sancta, et sacrificium laudis Domino praestantes, quasi conciliatores pacis facti, Deum inter et homines christianam plebem Domino placare, ac divina quaeque auxilia ad aeternam assequendam salutem eidem impetrare debeant, tum Romani Pontifices huiusmodi viros, singulari semper benevolentia prosequi, eisque interdum honorum insignia concedere consueverunt, ut ipsi alacriores in excubiis Domini ac studiosiores in Dei laudibus, non tam ore quam spiritu concinendis, magis magisque decorem domus Dei diligere, animarum saluti prospicere, ac virtutum omnium exemplo coruscare conentur.

Expositum Nobis est in principe ecclesia oppidi vulgo Scigliano–Diano Marturanensis olim, nunc autem Neocastrensis dioeceseos, Deiparae Virgini in coelum evectae sacra, iam inde ab anno millesimo sexcentesimo septuagesimo septimo a Marturanensi tunc temporis episcopo Palemonio, canonicorum collegium fuisse institutum, in quo quinque dignitatis titulo honestati, nempe decanus qui primi parochi munus ea in ecclesia semper exercet, archipresbyter, abbas, cantor et custos seu thesaurarius, ipsamque ecclesiam in collegiale templum erectam. Qui quidem canonici, alternis vicibus choro inservientes aliaque divina obeuntes munia, in posterum sericum capulatum palliolum, vulgo *mozzetta col cappuccio,* violacei coloris, et lineum manicatum amiculum seu rocchetum veluti canonicalia insignia gestare et peculiarem crucem in publicis supplicationibus deferre coeperunt. Cum autem in praesentia dubitatio sit exorta an rite ea omnia peracta fuerint, idcirco idem canonicorum collegium, vigintiduo viris conflatum, quorum duodeviginti e gremio appellantur, et quatuor extra gremium seu supra numerum nuncupantur, enixis precibus a Nobis postularunt, ut suprema Nostra auctoritate omnia benigne sancire et confirmare velimus. Nos vero rebus omnibus maturo examine perpensis, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium Sacris Ritibus praepositorum consilio, huiusmodi postulationibus annuendum censuimus.

Quamobrem omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, tum commemorati templi Deiparae Virgini in coelum evectae sacri, oppidi Scigliano–Diano Neocastrensis dioecesis, in collegiatam ecclesiam erectionem, tum canonicorum collegii cum commemoratis dignitatibus institutionem inibi factam approbamus et confirmamus, et quoties opus fuerit, ecclesiam ipsam in collegiatam perpetuo erigimus, illique omnia et singula iura et indulta concedimus, quibus aliae collegiales ecclesiae ex more et consuetudine utuntur, fruuntur, vel uti et frui possunt ac poterunt. Praeterea eadem auctoritate Nostra apostolica, canonicorum collegium cum praedictis dignitatibus in eadem ecclesia confirmamus et, si oportet, instituimus atque omnibus et singulis illis canonicis qui modo sunt quique in posterum erunt, tam de gremio quam extra gremium seu supra numerum, uti dicunt, perpetuum in modum concedimus atque indulgemus ut sericum capulatum palliolum violacei coloris et lineum manicatum amiculum in choro, in conventibus seu, ut dici solet, in capitulis, quum deliberationis causa coguntur, in sacris supplicationibus aliisque collegii canonicorum functionibus publice gestare libere et licite possint et valeant.

Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum* aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non legis fundationis eiusdem ecclesiae et canonicorum collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesenti-

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

bus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque, etiam speciali et individua mentione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi sub annulo piscatoris die septima augusti millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XXXVI.

NOTA

S. R. E. cardinalis secretarii Status, qua conqueritur quominus episcopus Podlachiensis longe a sua dioecesi sit detentus, et cum dilecto grege communicare non possit [1].

Il sottoscritto cardinale segretario di Stato ha messo sotto gli occhi del S. Padre la lettera del capitolo della cattedrale di Janow nella diocesi di Podlachia, che v. s. illma ha accompagnato colla sua nota del giorno 7 dello scorso mese. Col più vivo rammarico e con egual sorpresa Sua Santità è venuto a conoscere da detta lettera come mons. Ozeransk Gutkowky dal punto della sua rilegazione nel monastero di Ozeransk trovasi per colmo di violenza nella dura circostanza di non potere in alcun modo comunicare col suo gregge, nè dare per iscritto le disposizioni occorrenti al retto andamento della sua diocesi. Ed egli è ben facile il comprendere i giusti motivi della inaspettata dispiacevole impressione onde è stato colpito l'animo del S. Padre. Cotesta imperiale legazione nell' antecedente sua nota del 17 maggio dichiarò, che se nell' opinione del capo della chiesa cattolica mons. Gutkowsky non meritava di esser destituito dalla sua sede vescovile, la soluzione di tal questione compresa nella sfera della disciplina ecclesiastica, apparteneva al S. Padre, e sua maestà l' imperatore non voleva costituirsene l' arbitro: essendosi d' altronde creduto in diritto di procedere contro lo stesso prelato, non come vescovo, ma come suddito e funzionario pubblico, e come quello che si era reso colpevole di disobbedienza manifesta agli ordini del governo in oggetti interamente stranieri alla religione. Il S. Padre non potendo ammettere siffatte asserzioni, mentre ordinò che in risposta si chiarissero anche una volta i fatti addebitati a mons. Gutkowsky, e si mostrasse di qual natura essi fossero realmente, fece altresì rilevare che un vescovo, essendo non già un pubblico funzionario ma un dignitario della Chiesa unito col vincolo sacrosanto alla sua diocesi per cui ha ricevuto la missione dalla suprema autorità ecclesiastica, non può esserne allontanato a talento del sovrano territoriale. Comunque però Sua Santità non potesse permettere che si passassero in silenzio le suddette asserzioni espresse nella precitata nota, tuttavia a senso pure delle medesime, niente doveva attender meno che monsignor Gutkowsky, rilegato, al dire dell' imperiale legazione, non come vescovo, ma come funzionario pubblico, fosse posto nell' impossibilità di adempire in alcun modo, anche per via di comunicazioni epistolari, ai doveri che gl' incombono come vescovo. Siccome infatti sua maestà ha riconosciuto esser unicamente riservato al capo della Chiesa cattolica il giudicare se il prelato anzidetto meritasse di essere destituito dalla sua sede vescovile; così per identità di principio deve riconoscere, essere di esclusa pertinenza della suprema autorità ecclesiastica l'impedire allo stesso prelato l' uso delle funzioni inerenti alla sua dignità.

Astretto quindi il S. Padre dai sacri doveri dell'apostolico ministero, ha imposto al cardinal sottoscritto di reclamare altamente nel pontificio suo nome contro le suindicate misure del pari ingiuste che violente, prese a carico di monsignor vescovo di Podlakia e contro la grave offesa che ne risulta ai diritti della Chiesa, della S. Sede, del venerando ordine episcopale. Intanto il S. Padre nella lusinga che sua maestà l' imperatore e re vorrà quanto prima far cessare un fatto contro del quale ogni buon diritto reclama, ha manifestato al capitolo di Janow le pontificie sue intenzioni per il provvisorio regime di quella diocesi, avendo in pari tempo ordinato al sottoscritto di dichiarare che ove le sue speranze andassero deluse, si vedrebbe allora costretto per il presente e per più altri fatti che opprimono troppo la Chiesa cattolica nei dominii di sua maestà, di venire suo malgrado a quei passi ulteriori che dagli apostolici suoi doveri gli saranno consigliati ed imposti.

Il cardinale scrivente in adempimento dei venerati comandi del S. Padre prega v. s. illma di portare tutto ciò a cognizione di sua maestà imperiale il di lei augusto sovrano, e profitta di quest' incontro per confermarle i sensi della sua distinta stima.

Roma 16 agosto 1840.

Luigi card. Lambruschini.

1 Ex collectanea existente in Biblioteca Angelica Urbis sub signatura YY. 6. 17 — Vide opusculum cui titulus: « Allocuzione di Greogrio XVI 22 luglio 1840 ed esposizione corredata di documenti, a riparo, sulle incessanti cure di Sua Santità, dei gravi mali da cui è afflitta la Religione Cattolica in Russia e Polonia. No. LIX pag. 107 » — Vide etiam Archivium Brevium ad Principes, anno 1840.

XXXVII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Aloysium S. R. E. cardinalem Lambruschini deputat pro consecratione augusti templi Mariae Sanctae Angelorum, ad Assisium siti [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad futuram rei memoriam.

Ubi primum magno cum animi Nostri dolore accepimus religiosissimum augustissimumque templum Sanctissimae Dei Genitrici Mariae Angelorum sacrum, atque ad Assisium situm, originis vetustate, molis amplitudine, operis pulchritudine, ac s. Francisci Assisinatis potissimum memoria, qui inibi amplissimis caelestibus cumulatus donis, sui ordinis fundamenta iecit, conspicuum, tot miraculis nobilitatum, atque etiam ob Ecclesiae thesauros, quibus ditatum, populorum concursu frequentiaque celebratum, terraemotus impetu magna ex parte labefactatum fuisse atque convulsum, nulla interposita mora, propter singularem Nostrum erga Deiparam Virginem affectum, ad illud reficiendum instaurandumque curas omnes cogitationesque convertimus.

Itaque per similes apostolicas literas, die septima februarii anno millesimo octingentesimo trigesimo secundo, ad omnes venerabiles fratres archiepiscopos et episcopos Italiae et adiacentium insularum datas, illorum studium excitandum curavimus, ut populi eorum fidei commissi atque concrediti, piis largitionibus, tanto operi perficiendo omnem opem praebere studerent. Maxima nunc vero laetitia perfundimur, atque exultamus in Domino, nam quod tam vehementer optabamus, ut longe maximum religionis monumentum in pristinum restitueretur splendorem, id, ineffabili divinae bonitatis abundantia, octo vix elapsis annis evenisse laetamur. Etenim egregia christifidelium erga Deiparam Virginem mirandum in modum refulsit pietas, qui ad insignem illam sacram instaurandam aedem pro viribus copiosa dona certatim offerre, atque adiutricem manum porrigere non dubitarunt. Neque minori studio et contentione hac in re praestiterunt religiosi fratres ordinis Minorum s. Francisci de Observantia, ac praecipue dilectus filius Ioseph Maria ab Alexandria, totius illius ordinis supremus moderator seu minister generalis, qui nihil inausum nihilque intentatum reliquit, ut opus ipsum prospere feliciterque confici posset. Summis praesertim laudibus dilectus in Christo filius Noster Augustinus S. R. E. diaconus cardinalis Rivarola, merito atque optimo iure est efferendus, omnique praeconiorum genere decorandus. Ipse enim vix dum a Nobis veluti commissarius apostolicus illi operi conficiendo fuit praepositus, nullis neque curis neque laboribus neque consiliis sibi parcendum duxit, ac tam mira solertia, alacritate, vigilantia, providentia in eius templi instaurationem rite absolvendam incubuit, ut communi omnium admiratione templum ipsum non modo in pristinam dignitatem restitutum, verum etiam splendidiore cultu exornatum, ac magnificis pretiosisque operibus omni ex parte auctum, in praesentia conspiciatur.

Iam vero cum templum idem ita instauratum, solemni ritu sit consecrandum, Nostris erat in votis, nonnullorum Romanorum Pontificum decessorum Nostrorum vestigiis insistere, et commemorati templi consecrationem solemnibus caeremoniis Nos ipsos peragere. Verum cum gravissimis de causis votorum compotes minime esse possimus, illud consilium suscepimus, in eamque devenimus sententiam, ut relicta pariter a quibusdam Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris documenta sequentes, praestantissimum aliquem eligeremus virum, qui Nostro nomine illam perficeret. Atque huiusmodi officium dilecto in Christo filio Nostro Aloysio Sanctae Romanae Ecclesiae card. Lambruschini nuncupato committendum censuimus, qui totius ordinis fratrum Minorum s. Francisci de Observantia vigilantissimus patronus, quique a Nostris Publicis Negotiis et a Brevibus, atque aliis amplissimis fungens muneribus, magnarum virtutum et multorum recte factorum gloria clarissimus, tanta cum sui nominis laude tantaque fide, religione, pietate, integritate, prudentia, doctrina, omnem operam Nobis atque huic Petri Cathedrae praestare nunquam cessat, ac tot sane nominibus de Nobis deque hac Apostolica Sede, ac de christiana et civili republica optime meritus.

Quam ob rem hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, eumdem dilectum filium Nostrum Aloysium S. R. E. cardinalem Lambruschini eligimus, constituimus et deputamus, ut ipse faustissimo die octavo proximi mensis septembris, quo gloriosa Deiparae Virginis Nativitas annua solemniter recolitur, Nostra vice, solemnem commemorati templi Mariae Sanctae Angelorum consecrationem faciat atque perficiat.

Ut autem haec caeremonia solemniore pompa et maiore christifidelium spirituali utilitate fieri possit, atque omnium erga sospitatricem Virginem augeatur pietas, caelestes Ecclesiae thesauros reserandos et plenariam indulgentiam in

1 Ex Collectione Card. Falzacappa, penes Bibliothecam Vallicellianam Urbis. Vide in catalogo Greg. XVI, tom. 64 doc. 240.

forma Iubilaei tribuendam censuimus. Quocirca auctoritate Nobis a Domino tradita, deque omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui templum idem, quo die solemnis consecratio peragitur usque ad dominicam proxime sequentem inclusive, visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac Sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam spatio praedictorum dierum per unumquemque christifidelem semel dumtaxat ad sui libitum eligendum, lucrifaciendam, omnium peccatorum suorum indulgentiam atque remissionem, quam etiam animabus christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Et quo christifideles caelestium munerum huiusmodi facilius evadant participes, ipsi dilecto filio Nostro Aloysio Lambruschini aliquos presbyteros saeculares, vel cuiusvis ordinis, congregationis aut instituti regulares ad excipiendas ipsorum sacramentales confessiones alias approbatos deputandi; qui eosdem christifideles, eorum confessionibus diligenter auditis, ab omnibus et quibuscumque excessibus et criminibus, ac casibus Sedi Apostolicae reservatis (haeresis, simoniae, duelli, violationis clausurae monasteriorum monialium, et recursus ad iudices laicos contra formam sacrorum canonum) exceptis, nec non excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, imposita cuilibet arbitrio suo poenitentia salutari, in foro conscientiae tantum absolvere, votaque simplicia in aliud pium opus eorum similiter arbitrio et prudentia commutare possint, facultatem, auctoritate apostolica, tenore praesentium, tribuimus atque elargimur.

Regularibus vero intra claustra degentibus, nec non aliis quibuscumque etiam in carcere, vel aliqua corporis infirmitate seu alio quovis impedimento detentis, qui praescripta obire nequiverint, ut illa confessarii iam approbati in alia pietatis opera commutare possint, eaque iniungere, quae ab ipsis peragi possint, pariter concedimus et indulgemus. Non obstantibus apostolicis ac universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus hac vice tantum valituris [1].

Datum in Arce Gandulphi sub annulo piscatoris die decima octava augusti millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XXXVIII.

MOTU-PROPRIO

Provinciam Yun-nan in Sinis segregat a vicariatu Sutchuensi, et erigit in novum vicariatum apostolicum, cuius curam committit seminario Parisiensi missionum ad exteros [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum ad augendam usquequaque firmandamque rem catholicam nil magis conferre aut validius unquam fuerit, quam episcoporum quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, numerum augere, qui satius christifidelium necessitatibus occurrat, hinc de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, attenta vicariatus apostolici Sutchuensis amplitudine, provinciam Yun-nan, ab anno millesimo septingentesimo octuagesimo primo, gravibus de causis eidem vicariatui ad huius Apostolicae Sedis beneplacitum coniunctam, segregandam atque seiungendam ac in distinctum vicariatum

---

1 Ut facti memoria posteritati traderetur, lapis marmorea in eadem ecclesia a cornu evangelii est posita, in qua haec inscriptio legitur:

Hanc basilicam — anno MDCCCXXXII prope disiectam — Quum idibus mart. terra movit — Augustinus Rivarola — card. tit. Mariae ad Mart. curator aedificationis — a D. N. Gregorio XVI P. M. — designatus — ingentis operis molitionem — anno demum MDCCCXXXVI invicto animo aggressus — fornicibus qui prolapsi erant — alis quae fuerant utrinque prostratae — fronte quae labefactata — tholo arcubus qui vitium fecerant — partim instauratis partim redintegratis — in meliorem formam — per Aloisium Polettum architect. — restituit. — Opus consummatum a. MDCCCXL — mense augusto — itaque — consecratio eius in proxime sequentem septembr. — indicta fuit. — Quam solemni ritu D. F. Mariae Nascenti — Aloisius Lambruschinius — card. tit. Calixt. — patronus F. F. Franciscalium veter. observant. peregit — summo magistro ordinis — Iosepho Maria ab Alexandria.

S. R. E. cardinalis Lambruschini titulo grati animi erga eñum cardinalem diaconum Rivarola qui a summo Pontifice veluti commissarius apostolicus illi operi conficiendo fuerat praepositus, curavit ut praeclarissimi principis imago, ad perpetuam memoriam, in lapide marmorea sculpi mereretur, sub qua haec leguntur:

Augustinus Rivarola — card. tit. Mariae ad Martyres — consilio, solertia in operibus publicis procurandis — perficiundis clariss. molis huius templi conlabentis — restituendae, cura suscepta non adsiduis laboribus — non imparata pecunia, non temporis difficultatibus — fractus incredibili celeritate annos vix quatuor — opus absolvit.

2 Ex Iure Pont. de P. F.

apostolicum erigendam esse censuimus, atque huiusce novi vicariatus regimen alumnis optime meriti seminarii missionum ad exteros committendum duximus cum iisdem conditionibus, quibus ceterorum ipsis vicariatuum cura fuit concredita.

Motu igitur proprio, certa scientia et matura deliberatione, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hisce literis, provinciam Yunnan a commemorato vicariatu apostolico Sutchuensi penitus seiungimus, subtrahimus, ac in peculiarem ac distinctum vicariatum erigimus et constituimus, atque huiusmodi vicariatus regimen alumnis seminarii missionum ad exteros committimus iisdem cum conditionibus, quibus ceteri vicariatus ipsis commissi sunt, atque ita, ut inter eos qui dignior in evangelico munere habetur, ab Apostolica hac Sede in vicarium apostolicum eligatur cum charactere et titulo episcopali in part. infid., et cum facultatibus necessariis et opportunis, quae hisce vicariis ab ipsa Apostolica Sede concedi solent. Haec volumus etc.

Datum in Arce Gandulphi sub annulo piscatoris die vigesima octava augusti millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XXXIX.

EPISTOLA

Superiori seminarii Parisiensis missionum ad exteros committit electionem vicarii apostolici Yun-nan, charactere episcopali decorandi, ex missionariis eiusdem seminarii in Sinis laborantibus [1].

Dilecto filio
superiori seu directori
seminarii missionum ad exteros

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Cum per similes apostolicas literas, hoc ipso die datas, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Progagandae Fidei praepositorum consilio, Sinensem provinciam Yunnan ab anno millesimo septingentesimo octuagesimo primo vicario apostolico Sutchuensi in administrationem traditam, in peculiarem et distinctum apostolicum vicariatum erigendam seu restituendam duxerimus, eiusque curam istius seminarii alumnis committendam existimaverimus; novi huiusce vicariatus regimini prospicere summopere cupientes, eidem vicariatui idoneum praesulem praeficiendum statuimus cum charactere episcopali ac titulo ecclesiae in part. infid. Quamobrem de eorumdem cardinalium sententia tibi, dilecte fili, qui istius seminarii superior seu director existis, auctoritate Nostra apostolica, hisce literis, committimus et mandamus, ut eum inter tuos probatos missionarios in Sinis laborantes eligas atque deputes, quem ad id muneris magis idoneum ac digniorem in Domino iudicaveris, quem quidem a te, auctoritate Nostra, electum in vicarium apostolicum Sinensis provinciae Yunnan auctoritate et tenore praesentis constituimus et deputamus cum omnibus et singulis facultatibus necessariis et opportunis, salva tamen semper in praemissis cardinalium eiusdem congregationis auctoritate.

Datum in Arce Gandulphi sub annulo piscatoris die vigesima octava augusti millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XL.

MOTU-PROPRIO

Mongoliam erigit in peculiarem vicariatum apostolicum a vicariatu Leao-tung disiunctum, eiusque curam tradit congregationi missionis sancti Vincentii a Paulo [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum per similes Nostras apostolicas literas, alias die decima quarta augusti anni millesimi octingentesimi trigesimi octavi, alias die tertia septembris anni millesimi octingentesimi trigesimi noni, datas, ad rem christianam in quibusdam dioecesis Pekinensis regionibus periclitantem tuendam firmandamque, regiones ipsas ab antedicta ecclesia disiunctas ac dismembratas in distinctos vicariatus apostolicos erexerimus: provinciam scilicet Leao-tung addita Mantchouria et Mongolia, nec non alteram provinciam Xantung nuncupatam, iisque apostolicos vicarios cum charactere ac titulo episcopali in part. infid. praeficiendos duxerimus, nunc satius prioris vicariatus regimini, seminarii Parisiensis ad exteros alumnis credito, prospicere summopere cupientes, nimia eius attenta amplitudine ac perpendentes missionariorum s. Lazzari in Mongolia laborantium numerum ac sol-

1 Ex Iure Pontificio de P. F.

2 Ex Iure Pontificio de P. F.

licitudinem, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, Mongoliam a vicariatu Leao-tung seiungendam, eamque in distinctum vicariatum alumnis instituti s. Vincentii a Paulo committendum erigere constituimus.

Motu igitur proprio ac certa scientia et matura deliberatione, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hisce literis, Mongoliam a commemorato vicariatu Leao-tung penitus seiungimus, subtrahimus ac in peculiarem et distinctum vicariatum erigimus et constituimus, ac huiusmodi vicariatum alumnis instituti s. Vincentii a Paulo committimus, cum eisdem conditionibus quibus vicariatus Tche-Kiang et Kiang-si eis creditum fuit, electo ex eorum gremio ab hac Apostolica Sede Vicario apostolico cum charactere ac titulo episcopali in partibus infid., omnibusque cum facultatibus necessariis et opportunis, quae huiusmodi vicariis apostolicis ab hac Apostolica Sede concedi solent.

Haec statuimus etc.

Datum in Arce Gandulphi sub annulo piscatoris die vigesima octava augusti millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XLI.

EPISTOLA

Superiori generali congregationis Missionis mandat ut novo vicariatui Mongoliae unum ex alumnis congregationis praeficiat, episcopali titulo, decorandum [1].

Dilecto filio
Ioanni Baptistae Nozò
superiori generali
instituti s. Vincentii a Paulo Missionis

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Cum per similes apostolicas literas hoc ipso die datas, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, Sinensem Mongoliae regionem, a dioecesi Pekinensi iam disiunctam, ac vicariatui apostolico Leao-tung anno millesimo octingentesimo trigesimo octavo adiectam, in distinctum vicariatum apostolicum erigendam duxerimus, eiusque curam alumnis instituti s. Vincentii a Paulo Missionis commiserimus, novi huiusce vicariatus regimini prospicere vehementer optantes, eidem vicariatui idoneum praesulem praeficiendum constituimus cum charactere episcopali ac titulo ecclesiae in part. infid. Quamobrem de eorumdem cardinalium sententia, tibi, dilecte fili, qui illorum alumnorum superior generalis existis, auctoritate Nostra apostolica, per hasce literas, committimus et mandamus, ut ex tuis alumnis eligas quem ad id muneris magis idoneum ac digniorem in Domino existimaveris, quem quidem a te, auctoritate Nostra, electum in vicarium apostolicum Mongoliae constituimus et deputamus auctoritate et tenore praesentis cum omnibus et singulis facultatibus necessariis et opportunis, quae ab hac Apostolica Sede hisce apostolicis vicariis concedi solent, salva tamen semper in praemissis cardinalium eiusdem congregationis auctoritate.

Datum in Arce Gandulphi sub annulo piscatoris die vigesima octava augusti millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XLII.

EPISTOLA

Visitatorem apostolicum pro missione in Bosnia eligit [2].

Venerabili fratri
Iosepho de Kukovich
episcopo Bosniensi et Sirmiensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater

salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ad iurgia sedanda dissidiaque extinguenda inter dilectos filios fratres ordinis Minorum s. Francisci de Observantia, qui missionariorum munere in Bosnia funguntur, eosque in concordiam adducendos subiiciendosque, ut par est, auctoritati ven. fratris vicarii apostolici inibi constituti, Nobis necesse prorsus visum fuerit, novum apostolicum visitatorem pro illa missione statuere, suspensa interim in ea provincia quavis superiorum regularium potestate ademptaque ipsis religiosis viris facultate capitulum celebrandi electionemque quamcumque in posterum faciendi, Nos de consilio venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, tibi, ven.

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

[2] Ex Iure Pontificio de P. F.

frater, huiusmodi munus committere statuimus. De tua igitur prudentia ac probitate plurimum in Domino confisi, atque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, te episcopum Bosniensem et Sirmiensem in visitatorem apostolicum in praedicta missione cum omnibus facultatibus ad id negotii necessariis et opportunis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, ad Nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, eligimus et constituimus, salva semper in praemissis congregationis eorumdem cardinalium auctoritate. Quapropter interea temporis quamvis superiorum regularium potestatem in ea provincia suspensam declaramus, ipsisque religiosis viris interdicimus capitulum celebrare electionemque quamcumque in posterum facere. Idcirco mandamus in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis ad quos spectat etc.

Datum in Arce Gandulphi sub annulo piscatoris die vigesima octava augusti millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XLIII.

EPISTOLA

Ad Fridericum Guilelmum Borussiae regem scribens, dolet de eius luctu; hinc cum eo laetatur de suscepto imperio, eumque vehementer hortatur ut nihil impediat quominus catholici iis utantur quibus ad liberum cultus exercitium opus habent [1].

Serenissimo ac potentissimo
Friderico Guilelmo
Borussiae regi illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Serenissime ac potentissime princeps,

salutem.

Longe alia vellemus causa fuisset, cur ad Nos scriberes, quam ut rem nuntiares, quae regiam maiestatem domumque tuam luctu acerbissimo affecisset. Doluimus sane quidem infortunium huiusmodi, ac tibi satis esse animi persuasum habentes ad res adversas, quibus natura ipsa conditionis humanae nemo mortalium non est obnoxius, fortiter ferendas, teque scire sapienter spe consolari eventuum prosperiorum, hos tibi et quidquid veram afferre queat felicitatem, enixe precamur a Domino. Quatenus vero iisdem humanissimis literis Nos facis certiores, te serenissime ac potentissime rex, imperium ac regimen regionum Borussiae, ditioni tuae subiectarum, iure successionis adeptum, id iam fuisse auspicatum, gratissima officio erga Nos tuo voluntate, laeti gratulantesque respondemus.

Quod quidem eo impensius praestamus, quo magis iustitia et aequitate tua freti, confidimus fore ut, constent catholicis iura sua, nihilque impediat quominus conventis utantur conditionibus, quibus ad liberum cultus catholici exercitium opus habent. Invicem autem profitemur optatissimum Nobis esse, ut crebrae offerantur occasiones, quibus quam officioso in regiam maiestatem tuam animo simus, ipsa re confirmemus: atque interim Deum luminum patrem et misericordiarum supplices obsecramus, ut te, serenissime ac potentissime rex, sospitem et incolumem quam diutissime servet, Nobisque perfecta caritate coniungat.

Datum in Arce Gandulphi sub annulo piscatoris die prima septemb. millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

XLIV.

EPISTOLA ENCYCLICA

Deplorat impiorum conatus ad religionem evellendam; animum recreat suum recolendo Ecclesiae triumphos per apostolicos operarios; societatem propagationis fidei, Lugduni institutam, laudibus prosequitur; praesules hortatur huius societatis incrementa fovere etc. [1].

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres,

salutem et apostolicam benedictionem.

Probe nostis, venerabiles fratres, quantis undique calamitatibus tristissimo hoc tempore urgeatur, et quam miserandum in modum catholica vexetur Ecclesia; nec ignoratis quanta omnis generis errorum colluvione, effrenataque errantium audacia, religio sancta oppugnetur, et quali astutia quibusque fraudibus haeretici atque increduli homines connitantur fidelium corda mentesque pervertere. Nostis, uno verbo, nullum prope esse laboris ac moliminum genus, quod ad inconcussum sanctae civitatis aedificium ex imis, si fieri posset, sedibus evellen-

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

dum non insumatur. Enim vero, ut cetera praetereamus, nonne (proh dolor!) videre cogimur longe lateque vaferrimos veritatis hostes impune diffundi, eosque nedum religionem irrisionibus, Ecclesiam contumeliis catholicosque insultationibus et calumniis lacessire, verum et urbes atque oppida invadere, erroris et impietatis scholas instituere ac venena doctrinarum suarum, pravo etiam scientiarum naturalium recentiumque inventorum usu, ad occultiorem fallaciam comparata, typis evulgare; immo et in pauperum penetrare tuguria, rura percurrere et se se in infimae plebis agricolarumque familiaritatem insinuare? Ita scilicet nihil intentatum relinquunt, quo tum vernaculis corruptisque bibliis, tum pestiferis ephemeridibus, aliisque parvae molis libellis, tum captiosis alloquiis, tum simulata charitate, tum denique pecuniarum largitione vel ipsum rudem populum, maxime iuventutem, ad suas sectas alliciant, atque ad deserendam inducant catholicam fidem.

Facta innuimus, venn. fratres, quae non modo vobis comperta sunt, sed quorum testes vos ipsi estis; qui dolentes quidem, et pro pastorali officio minime silentes, tolerare cogimini in vestris dioecesibus memoratos haeresum et incredulitatis propagatores, procacesque praecones, qui gradientes interdum sub vestimentis ovium, intrinsecus autem lupi rapaces, gregi insidiari, eumdemque dilacerare non cessant. Quid plura? Nulla pene iam extat in universo orbe vel barbara regio, ad quam notissimae haereticorum et incredulorum centrales societates, nullis parcentes sumptibus, suos non mittant excursores et emissarios, qui aut per insidias, aut palam coacto agmine ac perfricata fronte, catholicae religioni eiusque pastoribus et ministris indicentes bellum, fideles ab Ecclesiae gremio divellant, eiusque aditum infidelibus intercludant.

Coniici hinc facile potest, quantis Nos propterea in angustiis diu noctuque versemur, qui cura totius Christi ovilis et omnium ecclesiarum sollicitudine onerati, divino pastorum principi de cunctis rationem reddere debemus. Easdem vero communium Nobis vobisque molestiarum causas idcirco Nostris hisce literis commemorandas censuimus, venerabiles fratres, ut animo intentius recogitetis, quantum Ecclesiae intersit sacros antistites universos geminatis studiis iunctisque laboribus atque omni contentione adniti, ut tot frementium religionis hostium reprimantur impetus, telaque retundantur, et contra callidas, quibus persaepe utuntur, blanditias praemoneantur munianturque fideles. Quod Nos, ut scitis, praestare quavis opportunitate curavimus, nec desistemus: sicut et vos hactenus praestitisse non ignoramus, et impensiori usque studio praestituros confidimus.

Ceterum, ut in mediis quibusque difficultatibus non deficiamus animo, « cavere nos omnes oportet, venerabiles fratres, ne illas unquam extimescamus, quasi propriis viribus, superandas; cum et consilium nostrum et fortitudo sit Christus, ac, si sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus: qui confirmans praedicatores evangelii et sacramentorum ministros, *Ecce ego,* inquit, *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi;* et iterum: *Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis: in mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum;* quae pollicitationes quia sine dubio manifestae sunt, nullis debemus scandalis infirmari: ne electioni Dei videamur ingrati, cuius tam potentia sunt adiutoria, quam vera promissa » [1].

Divinae autem promissionis fructus, qui nunquam in Ecclesia defuerunt, nec defuturi sunt, quis non videat Nostra etiam hac aetate manifestissimos? Iidem profecto evidenter apparent in insuperabili Ecclesiae firmitate inter tot inimicorum aggressiones, in religionis inter tot perturbationes ac pericula dilatatione, et in consolatione, qua propterea *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Dum enim ex una parte plorandum Nobis est super iactura, quam aliquibus in regionibus passa est et patitur religio catholica: Nobis laetandum est ex alia, de crebris triumphis, quos etiam inibi, ob invictam catholicorum pastorumque constantiam, passim reportasse noscitur et reportare: quemadmodum et magno gaudio perfruimur ob felices illius inter tot obstacula mirosque profectus, ut ii etiam, qui ex adverso sunt, perspiciant, oppressiones et vexationes, quibus exagitatur Ecclesia, non raro eius gloriae ac fidelibus in catholica religione magis magisque confirmandis inservire.

Verum, ut de apostolicis missionibus loquamur: quam laetandi causam Nobis non praebent et universae Ecclesiae uberes earumdem missionum fructus, fideique progressus in America, in Indiis atque in aliis infidelium praesertim terris? Haud enim ignoratis, venerabiles fratres, Nostris quoque temporibus late illis in partibus diffundi virorum apostolicorum numerum indefessumque zelum, qui non pecuniarum copia, non armorum apparatu suffulti, sed fidei tantum clypeo muniti, nedum voce et scriptis, privatim et publice, *praelia Domini* contra haereses et incredulitatem, et quidem prospero successu, *praeliari* non reformidant; verum etiam caritatis ardore incensi, nullaque deterriti itinerum asperitate aut gravitate laborum, terra marique conquirunt sedentes in tenebris et umbra mortis, ut eos ad lumen et vitam evocent catholicae religionis. Hinc ad

[1] Ita iisdem fere verbis S. Leo M. in epistola ad Rusticum Narbonensem.

quaecumque discrimina intrepidi per barbarorum silvas cavernasque magno animo permeant, illosque christiana paulatim suavitate delinitos ad veram fidem veramque virtutem informant, ac tandem per lavacrum regenerationis a diaboli servitute eripiunt, atque in libertatem vindicant filiorum adoptionis Dei.

Non possumus autem sine lacrymis, tum doloris, immanitatem execrantes persecutorum et carnificum, tum consolationis, heroicam suspicientes confessorum fidei constantiam, gloriosa hic commemorare recentium martyrum gesta in remotissimis Orientis plagis, quorum equidem laudes consistoriali haud ita pridem allocutione celebravimus. Fumant adhuc Tunquini et Cocincinae regiones plurium sacrorum antistitum et presbyterorum fideliumque incolarum sanguine, qui christianorum martyrum, quibus prisca praesertim aetas inclaruit, exempla renovantes, impavido in tormentis animo mortem crudelissimam pro Christo in fidei testimonio oppetierunt. Qui itaque praeclarior Ecclesiae ac religionis triumphus; quae maior eam persequentium confusio, quam facto comprobatas videre Nostris etiam hisce diebus divinas perpetuae protectionis et adiutorii promissiones, unde fit, quod *nullo* (ut verbis utamur s. Leonis) *crudelitatis genere destrui possit Sacramento Crucis Christi fundata religio?* [1]

Hactenus memorata, consolatoria quidem sunt, venerabiles fratres, et gloriosa catholicae religioni; sed et alia non desunt, quae in tantis quibus premitur tribulationibus solantur Ecclesiam: piae nempe institutiones, quae in bonum religionis et christianae societatis succrescunt, quarum nonnullae adiumento sunt et subsidio sacris ipsis missionibus apostolicis. Sane quis vere catholicus non laetetur omnipotentis Dei providentiam considerans, qui Ecclesiae suae, iuxta promissiones, perpetuo protector assistens, novas pro opportunitate temporum ac locorum aliarumque circumstantiarum in ea suscitat societates, quae sub eiusdem Ecclesiae auctoritate, suo unaquaeque modo, in caritatis officia, in instructionem fidelium atque in dilatationem fidei suum coniunctis viribus studium atque operam conferunt?

Iucundum inter alias catholico orbi, ipsis stupentibus acatholicis, spectaculum offerunt tot illae ac tam late diffusae piarum feminarum sodalitates, quae sub regulis s. Vincentii a Paulo, vel probatis aliis institutis consociatae, christianarumque virtutum splendore conspicuae, totas se alacresque devovent aut mulieribus a perditionis via retrahendis, aut puellis ad religionem solidamque pietatem atque ad labores conditionis suae proprios informandis, aut proximorum aerumnis omni ope sublevandis; quin vel naturali sexus infirmitate, vel cuiusvis periculi metu retardentur.

Nec minori Nos bonosque omnes gaudio perfundunt alii illi fidelium coetus, qui in multis praesertim illustrioribus civitatibus novi identidem coalescunt; et quorum scopus ac studium est, perversis libris vel sua vel aliorum utilia opera, errorum monstris puritatem doctrinae, iniuriis conviciisque christianam opponere mansuetudinem et caritatem.

Quid denique, nisi magna cum laude, dicendum de celebri illa societate, quae non solum in catholicis regionibus, sed etiam in acatholicorum et infidelium terris nova semper obtinet incrementa; quaeque fidelibus omnibus cuiuscumque conditionis facilem viam modumque aperit, ut de apostolicis missionibus bene mereantur, ac de spiritualibus illarum bonis participes et ipsi fiant? Iam intelligitis, sermonem hic esset de notissima societate sub titulo *Propagationis fidei.*

Communicatis modo vobiscum, venerabiles fratres, et angoribus quibus ob iacturas conficimur, et consolationibus quibus sustentamur ob catholicae religionis triumphos; restat nunc, ut pariter vobis communicemus sollicitudinem, quae Nos urget pro maiori societatum tam bene de religione merentium prosperitate. Vos igitur impense hortamur in Domino, ut eas in vestrarum dioecesium finibus fovere, tueri atque augere studeatis.

Imprimis autem vobis summopere commendamus memoratam societatem *Propagationis fidei,* quae inde ab anno millesimo octingentesimo vigesimo secundo in perantiqua ac nobilissima Lugdunensi urbe primum instituta, mirabili subinde celeritate ac prosperitate longe lateque diffusa est. Nec minori profecto commendatione reliquas huiuscemodi sodalitates prosequimur, quae Vindobonae aut alibi conflatae, diverso licet nomine distinguantur, in idem tamen opus propagationis fidei, religiosissimo etiam catholicorum principum favore sustentatum, aequa animorum contentione conspirant. Magnum sane opus et sanctissimum, quod modicis oblationibus et quotidianis precibus a quolibet sodalium ad Deum effusis sustinetur, augetur, invalescit; quodque apostolicis operariis sustentandis, christianaeque caritatis operibus erga neophytos exercendis, nec non fidelibus ab impetu persecutionum liberandis inductum, bonorum omnium admiratione atque amore dignissimum existimamus. Nec sine peculiari divinae providentiae consilio tantum commodi atque utilitatis Ecclesiae nuperrimis hisce temporibus obvenisse censendum est. Dum enim omnigena inferni hostis machinamenta dilectam Christi sponsam lacessunt; nihil illi opportunius contingere poterat, quam ut

[1] In Natali Apostolorum Petri et Pauli Serm. 82 al. 80.

desiderio propagandae catholicae veritatis Christi fideles inflammati, iunctis studiis, collataque ope, omnes Christo lucrifacere conniterentur.

Quare Nos in suprema, licet indigni, Ecclesiae specula constituti, nullam praetermisimus opportunitatem, quominus praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes et pronam Nostram in tam praeclarum opus voluntatem disertissime testaremur, et fidelium in id caritatem congruis acueremus incitamentis. Et vos igitur, venerabiles fratres, qui in partem vocati estis sollicitudinis Nostrae, sedulo agite, ut tantum illud opus ampliora quotidie penes commissum cuique gregem incrementa accipiat. *Canite tuba in Sion*, paternisque monitis et suasionibus curate, ut qui pientissimae societati nondum sese comites adiunxerunt, illam perlibenter ingrediantur; qui vero eidem se addixerint, in proposito perseverent.

Hoc sane tempus est, « quo per totum mundum saeviente diabolo, acies debet christiana confligere » [1]; atque adeo tempus hoc est omni studio providendi, ut plorantibus, orantibus ac pro fide laborantibus sacerdotibus sancta hac sese coniungant conspiratione fideles. In spem autem firmissimam erigimur fore, ut Deus, qui Ecclesiam suam in tanto religionis discrimine, et in tam duro ac diuturno cum hostibus certamine, omnipotentiae suae dextera sustentare non desinit, fideliumque constantia, caritate ac devotione laetificat; multiplicatis pastorum atque ovium precibus piisque operibus propitiatus, eidem tandem optatam tranquillitatem ac pacem misericorditer largiatur.

Interea vobis, venerabiles fratres, et creditis vestrae curae clericis laicisque fidelibus universis apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima octava sept. millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XLV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus praedium vulgo Solfagnano *in marchionatum erigitur* [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum nobiles familiae, virtutis ac religionis laude praestantes et divitiarum copia pollentes, magno christianae et civili reipublicae ornamento atque psaesidio esse soleant, tum Romani Pontifices amplissimos honorum titulos et praecipuae benevolentiae testimonia iis clarissimis viris deferre consueverunt, qui, opibus instructi et egregiis dotibus ornati, de re catholica et civili optime mereri summopere student.

Equidem Nos minime latet, dilectum filium Franciscum Prat Ianuensem, nobili genere natum, rebusque optimis institutum, equitem a magna cruce Stephaniani ordinis, fortunae bonis ditatum, acri ingenio praeditum, egregia indole, morum honestate, vitae integritate, religione, pietate, beneficentia spectatum, summa Nos atque hanc Petri Cathedram observantia et veneratione colere, eumque singulari studio in pia opera omnem opem conferre. Itaque cum idem dilectus filius amplissimum praedium, *Solfagnano* appellatum, acquisiverit, a marchione Nicholao Antinori Perusino, ut commodius quod ei libuerit, in pontificia Nostra ditione moretur, Nobisque exponendum curaverit eius in votis esse praedium ipsum ad marchionatum evehi, Nos clarissimi aeque ac pientissimi viri desideriis quam libentissime annuendum censuimus.

Quamobrem omnes et singulos quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, auctoritate Nostra apostolica, praedium *Solfagnano* ad Perusiam, a dilecto filio Francisco Prat acquisitum, in marchionatum evehimus, quin tamen maiora ex hisce literis illi obveniant iura ac privilegia, quae ex recentissimis legibus huiusmodi praediis concessa sunt. Praeterea ipsum dilectum filium Franciscum Prat eiusque posteros, qui hoc potiuntur fundo, legitimos et naturales, dummodo a catholica religione non deficiant, marchiones dicimus ac renuntiamus, eisque concedimus, ut hoc titulo etiam in apostolicis literis publicisque tabulis appellentur, ac singulis quibusque iuribus, honoribus, privilegiis, indultis quovis nomine designandis, quibus alii marchiones, ex iuris praescripto vel ex usu et consuetudine modo utuntur, fruuntur, vel uti ac frui possunt et poterunt, libere ac licite perfruantur.

Decernentes has praesentes literas et in eis quaecumque contenta, etiam ex eo quod huiusmodi ad marchionatum necessaria requisita non habeant et alio quovis praetextu, colore seu ingenio de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio vel intentionis Nostrae alioque quovis defectu, etiam ex eo quod ii quorum

---

[1] Ita iisdem fere verbis S. Leo M. in epistola ad Rusticum Narbonensem.

[2] Ex Archivio Secretariae Brevium.

interest aut interesse posset in futurum cuiusvis status, ordinis, praeeminentiae et dignitatis sint etiam specifica mentione digni illis non consenserint aut minime vocati et auditi fuerint, tametsi suorum indultorum aut privilegiorum vigore vocari aut audiri debuissent, aut ex eo quod solemnitates aut quaecumque alia forsan servanda minime servata fuerint, impugnari aut in controversiam vocari aut adversus illas quodcumque iuris vel facti vel iustitiae remedium impetrari non posse, sed semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque in omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; sicque in praemissis, non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis, nec non in omnibus statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die vigesima quinta septembris millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XLVI.

EPISTOLA

Cum Francisco Estense archiduce Austriae et Mutinae duce dolet de morte eius uxoris, eumque consolatur [1].

Dilectissimo in Christo filio Nostro Francisco Estensi archiduci Austriae, duci Mutinae

GREGORIUS PP. XVI.

Dilectissime in Christo fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Praeclara christianae omnis virtutis ornamenta, quibus in exemplum eminebat dilectissima in Christo filia Nostra archidux Austriae et dux Mutinae, princeps Sabaudiae nata, Maria Beatrix Victoria, coniux imperialis celsitudinis tuae, Nobiscum reputantes, haud sane miramur quod eam in medio ipso vitae suae cursu diuturno molestoque morbo ereptam, acerbissimo affectus dolore deplores. Iactura huiusmodi non facile dixerimus quam gravis et Nobis acciderit, qui amissam egregiam principem merito suo habebamus in Domino carissimam, planeque dignam ducebamus, quam imperialis celsitudo ac familia tua et subiectus tibi populus plurimi faceret summoque amore prosequeretur. Verum in morte carorum, ita contristari, ut dolor nulla queat consolatione leniri, eorum sit qui, ut inquit Apostolus, *spem non habent*. At qui a Deo illuminati sunt per fidem, habent sane cur se consolentur, scientes, videri quidem iustos oculis insipientium mori, illos autem esse in pace. Hoc te, qua es religione ac fide, uti levamine cum ex ipsis testibus moeroris tui literis intelligamus, nihil esse ducimus, cur aliud quidquam quaerendum Nobis sit, quo te consolemur, praeter id unum quod a Nobis pie postulas, nempe ut Deo preces pro anima illa Nostras offeramus. Itaque tibi confirmamus eo Nos toto animo fungi officio et functuros pollicemur. Quod superest, maximas tibi, dilectissime in Christo fili Noster, pro eximiae erga Nos et Sanctam Sedem Apostolicam pietatis tuae significatione, gratias agimus, ac paternae grataeque voluntatis testimonium, auspicem caelestis praesidii, apostolicam benedictionem imperiali celsitudini familiaeque tuae amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die prima octobris millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

XLVII.

De consecratione altaris maximi basilicae s. Pauli [2].

ALLOCUTIO

HABITA IN SUPERIORE PARTE BASILICAE S. PAULI POST CONSECRATIONEM ALTARIS MAXIMI EIUSDEM BASILICAE TERTIO NONAS OCTOBRIS ANNO MILLESIMO OCTINGENTESIMO QUADRAGESIMO

Sacra inter monumenta, quae in alma Urbe Nostra venerationem habent, illa profecto celeberrima semper fuerunt in quibus sanctorum apostolorum Petri et Pauli exuviae in ipso scilicet triumphi loco adquiescunt. Quare antiquissimus auctor Caius, Ecclesiae Romanae pre-

---

1 Ex Archivio Brevium ad Principes.

2 Ex Collectanea inventa in Bibliotheca Casanatense Urbis, cui titulus « Editti » anno 1840 vol. 2°. doc. 167.

sbyter, disputans contra Proculum Montanistam quorumdam in Asia prophetarum sepulcra iactantem: « *Ego vero,* inquit [1], *Apostolorum trophaea possum ostendere, nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi trophaea eorum, qui Ecclesiam illam fundaverunt* ». Itaque Romana Ecclesia sepulcris horum Apostolorum ut propugnaculis suis maxime gloriatur, ac summo ambos veneratur studio religionis; proinde et magnificas ultra quam dici potest basilicas duas, in honorem alteram Petri, Pauli alteram ad eosdem tumulos aedificandos curavit.

Verum hoc etiam infelicissima Nostra aetate deplorandum fuit infortunium, quod basilica Ostiensis, quam non modo et eius antiquitas, et eorum dignitas qui eidem extruendae ornandaeque identidem reparandae opem impenderunt, sed materia praecipue et ratio ipsa operis mirifice commendabant, subito uno incendio conflagraverit. Id, ut nostis, paulo ante obitum accidit Pii VII immortalis memoriae decessoris Nostri, qui nedum erga Petrum apostolorum principem, cuius dignitatis erat heres, sed et in apostolum Paulum singulari afficiebatur pietate, ad cuius etiam decus basilicae, magnas antea fecerat impensas. Opportunissime autem mox talis a Deo datus est Ecclesiae catholicae Pontifex maximus, qui nullis perterritus difficultatibus non dubitaret novum aedificium veteri, quoad fieri posset, simile extruendum suscipere. Ergo vix quem indicavimus Leo XII, omnibus quidem sed in primis Nobis ipsis honorandae memoriae, Pontifex creatus est, nihil magis curae habuit, quam ut illico manum operi admoveret, eo etiam spectans, ut pristinis templi formis, quemadmodum artium magistri suadebant, repraesentatis, maior ex recentioris industriae perfectione splendor accederet. Vidit ille quidem quanto maius viribus facinus aggrederetur: sed tamen non despondit animum, ac divina fretus providentia, eiusdemque beati apostoli meritis et patrocinio confirmatus, id primum cepit consilii, ut et quantum ipse posset pecuniae in fabricae sumptus assignaret, et missis ad universos orbis catholici antistites encyclicis literis, fideles omnes adhortaretur ad opem, oblatis sponte donariis afferendam. Neque spes eum destituit: quippe emissa ex suprema Ecclesiae specula illius voce excitati, nec non et suae quisque in doctorem gentium pietatis ardore permoti, sacri antistites per orbem dispersi, alacriter suis ipsis subsidiis opus iuverunt, atque ad idem iuvandum, greges sibi commissos magno cum successu incitaverunt. Non possumus autem, quin nominatim commemoremus venerabiles fratres Nostros S. R. E. cardinales, reliquosque ecclesiastici ordinis gradus, unaque et reges et principes, quorum insignia piae liberalitatis extiterunt specimina. Omnium Nos quidem promerita, qui opibus in eam rem suis contulerunt, quam maximo, ut aequum est, praeconio extollimus, Deus autem cumulate remunerabit. Talibus enim accedentibus auxiliis factum est, ut magis magisque tum ipsius Leonis XII, tum successoris eius fel. rec. Pii VIII in incepto opere provehendo, studia viguerint, tum Nos ipsi in eamdem curam annos iam decem incumbere potuerimus. Et multum sane nunc in Domino gaudemus, uberes tot tantisque conatibus fructus respondisse, quum non modo in anteriore templi parte externi utriusque lateris muri extructi sint, et columnae fere omnes erectae, sed tota etiam pars transversa simul cum abside penitus fuerit absoluta. Etsi vero non parum adhuc abesse a perfectione universi tantae molis aedificii probe cognoscimus; tamen eodem quo praedecessores Nostri exarserunt studio inflammati, divinam Nobis providentiam confidimus adfuturam, ut opus prosequi ac tandem absolvere feliciter possimus. De gloria enim agitur Apostoli et Deo et hominibus summopere dilecti, utpote qui, ut verbis utamur unius ex eius cooperatoribus [2] Clementis I, sanctissimae memoriae decessoris Nostri [3]: « *In oriente ac occidente verbi praeco factus illustrem fidei suae famam sortitus est: in iustitia mundum universum instruens... et sub Imperatoribus martyrium subiens, sic e mundo migravit* ».

Iamvero absoluta cum esset haec inter Placidiae arcum templi pars, ubi tumulus extat Apostoli, eam iussimus, hoc interim tempore obiectis muris, reliquo spatio seiungi; quod ea mente provisum Nobis est, ut remotis a sacro illo tumulo ruderibus, machinamentis et operariorum fragoribus, eadem saltem pars absque ulteriore mora divinorum officiorum cultui restitueretur. Quum autem quae usibus destinantur rerum divinarum, sacris ab Ecclesia institutis caeremoniis Deo sint dedicanda; peracta iam hesterno die de mandato Nostro benedictione huius partis templi per abbatem insignis huius religiosae Benedictinorum familiae monasterii, Nos ipsi Nostra impulsi in apostolum Paulum pietate et in laetitiam effusi, quod Nobis adeo productum aedificium videre clementissimus Dominus concesserit, altare maximum de novo erectum solemni ritu consecrare hodierno die voluimus. Porro sponte Nostra et animo lubenti sacrae huic rei hunc diem delegimus, propterea quod eodem ipso die pontificia corona Leoni XII fuit imposita, a quo nova istius templi decreta et coepta est aedificatio, cuique Nos plurimum debere grato animo profitemur.

---

1 Apud Euseb. Histor. Eccl. 46. 2. cap. 25.
2 Philipp. cap. 4 vers. 3.
3 Epistola I ad Corinth. cap. 5 in Tom. I conc. Labb. Col. 126 edit. Ven. Coleti.

Restat nunc ut hic ad gloriosum tanti Apostoli sepulcrum humiliantes animos Nostros oremus, ut per ipsum cum gratiarum actione petitiones Nostrae innotescant apud Deum. Una igitur voce concordes eum rogemus: O sancte Paule apostole, vas electionis et veritatis, praedicator in universo mundo, respice super sanctam Urbem istam, pro qua tot tantosque sustinuisti labores, quam tuo etiam sanguine consecrasti; respice in omnes simul fideles supremae huic Cathedrae consociatos, de quorum salute tum peregrinationibus tum scriptis tum exemplis praeclare te fuisse meritum omnes consentiunt; denique et in eos respice qui foris sunt, et enixe precare, ut effundat Deus spiritum suum super omnem carnem, quo et cunctis mundum purget erroribus, et omnium corda igne sui amoris inflammet, atque uti collectis ex toto orbe muneribus praecipuum hoc honori tuo templum instauratur, ita et quot ubique sunt homines templum efficiantur Dei vivi; cui laus, honor et gloria sempiterna. Amen.

XLVIII.

EPISTOLA

Cum Guilelmo Neerlandiae rege illustri laetatur de nova suscepta prole [1].

Serenissimo ac potentissimo
Guilelmo Neerlandiae regi illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Serenissime ac potentissime rex, salutem.

Ita reipsa affecti erga regiam maiestatem domumque tuam, quemadmodum literis officiosissimis ad Nos datis die quarto septembris proximi significas, laetum admodum gratumque accidisse Nobis tibi confirmamus quod nuntias, serenissimam principem hereditariam Arausionensem, principem filiolum in lucem edidisse. Speramus, Deo iuvante, fore, ut qui feliciter nascens Nobis tecum communis laetitiae causa fuit, idem adultus vitam agens, prosperam aeque ac dignis principe virtutibus ornatam, gaudium istud sit magis in dies cumulaturus. Hoc a benignissimo Domino impense precamur, et regiae maiestati tuae pro humanissima tuae erga Nos confirmatione voluntatis, gratias agentes, mutuae in te voluntatis Nostrae testificatione respondemus.

Quod superest, eumdem luminum patrem et misericordiarum Dominum supplices rogamus, ut regiam maiestatem tuam sospitem et incolumem quamdiutissime servet, et Nobiscum perfecta caritate coniungat.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem die decima secunda octobris millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

IL.

EPISTOLA

Respondet principi insularum Gambieres, propriam conversionem ac pietatis opera ac praesertim templi aedificationem ex lapide susceptam Pontifici manifestanti; eum cum populo ad perseverandum allicit, et plura numismata ex auro et argento ad eum eiusque uxorem dono mittit [2].

Dilectissimo in Christo filio Nostro
Gregorio Stanislao
principi insularum Gambieres

GREGORIUS PP. XVI.

Dilectissime in Christo fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Quo cor Nostrum gaudio repleverint literae a celsitudine tua ad Nos missae, haud facile explicare verbis possumus. Nihil enim amabilius, nihil optatius, quam vel quod de tua simul ac tui populi conversione ad veram catholicam fidem laetabundus commemoras, vel quod de summo in Christum Iesum religionis studio significas, qui publicis etiam supplicationibus apud vos colitur, cuique templum ex lapide suscepistis aedificandum, vel denique quod scribis de singulari, qua estis affecti, pietate in Deiparam Virginem Mariam, quam vestram appellare matrem et sollemniter honorare, ei istam quoque regionem dicando, gloriamini. Vere igitur speciosi fuisse, dicendi sunt, pedes evangelizantium istic pacem, evangelizantium bona, quum adeo uberes ex eorum labore fructus extiterint. Gratulamur itaque quammaxime tibi ac tuae genti universae, quod ita vobis ostenderit Deus misericordiam suam. Quare aequissimum est, quod virtutes eius annuncies qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Quum autem nunc sitis lux in Domino, ut filii lucis semper ambulate, abundantes, in omne opus bonum, et spe gaudentes, quoniam merces vestra copiosa erit in coelo. Pro vobis autem et Nos, magna cum spiritus exultatione, Deo gratias agimus: ac tuae celsitudinis gentisque tibi subiectae memores in ob-

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

[2] Ex Iure Pontificio de P. F.

secrationibus et orationibus nocte ac die eumdem luminum patrem et misericordiarum enixe precamur, ut per dilecti Filii sui merita, et Ssmã Matre eius Maria intercedente, sub umbra vos protegat alarum suarum, custodiatque ut pupillam oculi. Porro quod meministi etiam de veste a Nobis accepta, ingenuum gratumque animum tuum agnovimus: verum persuasum tibi esse, dilectissime in Christo fili Noster, praeterea volumus, Nos quacumque in re possimus celsitudini tuae commodare, paratissimos in Domino semper futuros. Interim tria ad te mittenda duximus numismata argentea, quae imagines referunt Alphonsi confessoris atque pontificis, Francisci, Ioannis, Pacifici confessorum, et Veronicae virginis, quos superiore anno, in festo augustissimae Trinitatis, solemni decreto venerandos sanctorum cultu pronunciavimus: et tria insuper numismata ex auro, in quibus imago conspicitur D. N. I. C. dum in novissima coena Petri apostoli pedes lavaret. Ipsorum vero numismatum duo, videlicet ex utroque genere unum, dilectissimae in Christo filiae Nostrae praestantissimae principi tuae uxori trades: et haec munuscula tamquam indicia habebitis effusissimae illius caritatis, qua ambos in visceribus Christi prosequimur. Denique benedictionem apostolicam coelestium atque terrestrium bonorum auspicem tibi, dilectissime in Christo fili Noster, eidemque tuae coniugi, et fidelibus tuis populis toto paterni cordis affectu amantissime impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem die quarta novembris millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

L.

EPISTOLA

Scipionem Fabbrinium ad aulam Brasiliae imperii internuntium mittit [1].

Carissimo in Christo filio Nostro Petro imperatori Brasiliae

GREGORIUS PP. XVI.

Carissime in Christo fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Quae dilectum filium Scipionem Fabbrinium praeclara ingenii animique ornamenta Nobis valde commendaverant, minimeque dubiam fecerant spem fore, ut munere sibi commisso curatoris Nostrorum Sanctaeque huius Sedis negotiorum apud aulam imperialis maiestatis tuae esset cum insigni laude functurus; est sane cur gaudeamus quod iudicium de ipso Nostrum exitus comprobaverit. Cum igitur eius merita visa Nobis sint huiusmodi quorum habenda esset ratio, opportunam existimavimus oblatam occasionem ad eius amplificandam dignitatem, cum tu, carissime in Christo fili Noster, insignia imperialia esses induturus, ut Nostrae gratulationis et in imperialem maiestatem tuam observantiae testis ornatior appareret. Itaque eumdem inter domus Nostrae antistites adlectum, internuntium apostolicum, legatum Nostrum et Sanctae huius Sedis extraordinarium apud imperialem maiestatem tuam duximus declarandum. Futurum speramus, iuvante Domino, ut qui adhuc utrique parti integritate, fide, prudentia se probaverit, idem novo auctus honore ac munere, nova assidue tibi Nobisque sui praebeat specimina. Quare petimus abs te, carissime in Christo fili Noster, ut hominem ad te adeuntem, ac paternos sensus Nostros explicantem, aequo animo excipias, fidemque ipsi habeas in iis omnibus, quae ad te nomine Nostro deferet. Hoc te libenter, pro religione ac virtute tua, facturum confidimus, eodemque ipso interprete, tum singularem in te dilectionem Nostram, tum tua in Nos studia et filialem pietatem fore in dies exploratiora. Pignus interim praecipuae paternaeque caritatis Nostrae sit apostolica benedictio, quam imperiali maiestati tuae toto animo gratulantes, ac felix faustumque in annos quamplurimos imperium enixe precantes, a Domino amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die quinta novembris millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

LI.

EPISTOLA

Coadiutorem vicariatus apostolici Madraspatani, vicarium apostolicum Bengalensem seu Calcuttae constituit [1].

Venerabili fratri Iosepho Carew episcopo Philadelphiae et coadiutori vicarii apostol. Madraspatani

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Pastorale officium Nobis ex alto commissum postulat atque efflagitat, ut animarum saluti,

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

[2] Ex Iure Pontificio de P. F.

summa vigilantia, cura et studio pro viribus consulamus. Itaque cum per obitum bo. me. Ludovici Tabord episcopi Isauropolitani et Bengalensis ecclesiae, vicarii apostolici interini, memorata missio seu vicariatus praesule ac pastore destituta remanserit, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae fidei praepositorum consilio eidem missioni seu vicariatui consulendum esse censuimus. Quamobrem tibi, qui in praesentia coadiutor vicarii apost. Madraspatani existis, eiusque vices ac munus geris, quique singulari prudentia, pietate, doctrina ac rerum gerendarum peritia maxime praestas, illud munus de eorumdem venn. fratrum consilio tribuendum existimavimus.

Quocirca te, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, a vicariatu Madraspatano ad Bengalensem transferimus, teque ad Nostrum et huius Apostolicae Sedis beneplacitum in vicarium apostolicum praedictae Bengalensis missionis eligimus, constituimus et deputamus. Praeterea eadem auctoritate Nostra apostolica tibi facultatem facimus, ut in Madraspatana missione interim pro–vicarium apostolicum ex illis operariis evangelicis constituas atque relinquas, qui missionis ipsius curam gerat, donec ab hac Apostolica Sede aliter provisum fuerit.

Mandamus propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis, ad quos spectat ac spectabit in tempore, ut huiusmodi coadiutorem ita eligendum, ad liberum eiusdem muneris exercitium iuxta praesentium tenorem recipiant, admittant, illique in omnibus, quae ad officium huiusmodi pertinent, praesto sint atque obediant, suaque salubria monita et mandata reverenter suscipiant et efficaciter adimpleant, alioquin sententiam seu poenam, quam rite tulerit in rebelles seu statuerit, ratam habebimus et faciemus, Deo auctorante, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima secunda novemb. millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

LII.

EPISTOLA

Ad Guilelmum I Neerlandiae regem scribit, qui Pontificem certiorem fecerat de regni abdicatione facienda [1].

Serenissimo ac potentissimo
Guilelmo I
Neerlandiae regi illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Serenissime ac potentissime rex, salutem.

Redditae Nobis sunt literae, regiae maiestatis tuae, datae die septimo mensis octobris proximi, quibus Nos facis certiores, te aetate satisque diuturnis regiae gubernationis curis suadentibus, plena libenti et irrevocabili voluntate consilium cepisse, omni auctoritate in subiectas tibi regiones titulisque eius omnibus te abdicandi, deinceps uno regis nomine contentum, ac iura illa omnia legitimo successori dilecto filio tuo Guilelmo, Friderico, Georgio, Ludovico, principi Arausionensi, concedendi, legitimis eius successoribus transmittenda atque actum solemnem abdicationis coram principibus filiis et nepotibus tuis, ac praecipuis curatoribus regni et magni ducatus Luxemburgi die supra dicto peractum esse, ac manu tua subscriptum. Dubium Nobis non est quin ea re simul et iustae quieti tuae et commodis populorum tuorum, pro tua sapientia consulere tibi visum sit. Officiosi erga Nos testificationi animi tui gratissima respondemus voluntate, et quod reliquum est, exitum suscepti consilii omni ex parte vere solideque prosperum regiae maiestati regnoque isti universo precamur a Domino; quod dum impense facimus illud una supplices petimus ut eamdem regiam maiestatem tuam sospitem et incolumem quamdiutissime servet, Nobisque perfecta caritate coniungat.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima secunda novemb. millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

[1] Ex Archivio Brevium ad Princeps.

LIII.

EPISTOLA

Cum Guilelmo II Neerlandiae rege laetatur de suscepto regno, atque ei omnia prospera ominatur [1].

Serenissimo ac potentissimo

Guilelmo II
Neerlandiae regi illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Serenissime ac potentissime rex,

salutem.

Duplex debemus responsum duabus regiae maiestatis tuae epistolis, die septimo octobris proximi ad Nos datis, utrisque luculentis testibus voluntatis, erga Nos, tuae. Altera enim nuntias potentissimum regem patrem tuum Guilelmum subditarum sibi regionum regimine sponte se abdicasse, teque fuisse in solium eius iure successionis evectum, ac vehementer optare, ut societatis necessitudo, quae Nobis cum eodem parente tuo fuit, tecum non intermissa perduret: altera vero optatum hoc ipsum insigni confirmas testimonio: quippe Nos facis certiores renovatas a te fuisse literas, quibus ab ipso rege parente tuo comes Augustus de Liede Kerke, regius cubicularius, commendator ordinis Leonis Neerlandensis, legatus ad Nos et Sanctam Sedem extraordinarius, ac minister plenipotentiarius fuerat constitutus. Itaque adeptum gratulantes regnum, gratias regiae maiestati tuae maximas et agimus et habemus. Porro quatenus in una ex hisce literis augurari significas bene atque feliciter tibi populisque tuis mutuam inter Nos vicissitudinem eventuram officiorum, pro certo habere te volumus id ipsum Nos et summo studio cupere, et, quantum contendere precando possumus, ab auctore bonorum omnium Domino postulare. Quod vero in altera pro eodem legato et ministro tuo optare te scribis, ample libenterque spondemus, eum Nos semper omni honoris et benevolentiae officio prosecuturos, nedum plenam ut antea ipsi habituros fidem, quidquid tuo nomine apud Nos aget, homini praesertim Nobis acceptissimo, cuius prudentiam, probitatem, rerum usum probe cognita habemus. Quod superest grata habeat, rogamus, regia tua maiestas vota Nostra, quibus tibi a Deo optimo maximo, luminum patre et misericordiarum, diutissimum vitae cum vera solidaque tua regnique tui prosperitate cursum toto animo precamur, et coniunctionem Nobiscum caritate perfectam.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima secunda novemb. millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

LIV.

EPISTOLA

Antonium Mussabini archiep. Smyrnarum visitatorem apostolicum eligit ad inquirendum de fide et moribus Graecorum et Albanensium regni utriusque Siciliae [2].

Venerabili fratri
Antonio Mussabini
archiepiscopo Smyrnae

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Cum graves acceperimus relationes, ex quibus necessarium sit apostolicum visitatorem in regnum utriusque Siciliae mittere, ad ea inquirenda, quae fidem moresque respiciunt inter Graecos et Albanenses graeci ritus, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te, ven. frater, archiepiscopum Smyrnaeum, virum doctrina, prudentia ac religionis zelo commendatissimum, ad id muneris eligendum esse censuimus atque decernimus.

Quapropter te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, te visitatorem apostolicum Italo-Graecorum in regno utriusque Siciliae, cum necessariis et opportunis facultatibus ad negotia componenda, auctoritate apostolica, tenore praesentium ad Nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum facimus et constituimus, iniuncto onere, omnia deinde pro definitiva approbatione referendi, ac salva semper in praemissis congregationis eorumdem cardinalium auctoritate.

Mandamus propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit in tempore, ut huiusmodi visitatorem ita eligendum ad liberum eiusdem muneris exercitium iuxta praesentium tenorem re-

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

[2] Ex Iure Pontificio de P. F.

cipiant, admittant, illique in omnibus, quae ad officium huiusmodi pertinent, praesto sint atque obediant, suaque salubria monita et mandata reverenter suscipiant et efficaciter adimpleant, alioquin sententiam seu poenam, quam rite tulerit in rebelles seu statuerit, ratam habebimus, et faciemus Deo auctorante usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima tertia novemb. millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

LV.

EPISTOLA

Petro Brasiliae imperatori ex animo gratulatur, quod per generalem conventum maior sit declaratus ut imperii prehenderet gubernacula; spem fore declarat ut fides catholica integra et inviolata servetur; ei tandem omnia prospera ominatur [1].

Carississimo in Christo filio Nostro Petro Brasiliae imperatori

GREGORIUS PP. XVI.

Carissime in Christo fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Nuntium afferunt laetissimum literae imperialis maiestatis tuae, ex quibus intelligimus, te, per generalem Brasiliae conventum, maiorem fuisse declaratum, ut imperii prehenderes gubernacula, et reipsa regimen et administrationem imperii suscepisse. Gratulamur tibi ex animo, carissime in Christo fili Noster, eoque magis gratulamur, quo maiorem Nobis indoles moresque tui spem afferunt fore, ut te gubernante et exemplo subditis populis praelucente, floreant in ipsis virtutes omnes, quae tranquillas ac felices facere nationes possunt; in primis catholica fides integra et inviolata servetur quae unum est firmissimum, ut omnis morum bonitatis, ita et regnorum atque imperiorum fundamentum. Itaque gratissimum Nobis accidit quod significas, imperiali maiestati tuae maxime esse curae, ut vincula amicitiae et necessitudinis quibus mutuo feliciter coniuncti sumus, maneant, ac magis magisque constringantur. Nihil ea re magis esse Nobis in optatis pro certo habeas, Nosque omni studio operam daturos, ut nullum a Nobis, quod praestare possimus, officium tibi sit desiderandum. Interim tibi, carissime in Christo fili Noster, pro iucundissima cordi Nostro filialis erga Nos animi tui significatione, gratias maximas agimus, ac diutissimum et vere prosperum imperium omnisque gratiae caelestis incrementum precamur a Domino. Pignus autem paterni in te animi Nostri praecipuaeque caritatis sit benedictio apostolica, quam imperiali maiestati tuae et Brasiliensi nationi, ut pie postulas, universae amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima tertia novembris, millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

LVI.

Ioannem Mariam Mastai-Ferretti episcopum Imolensem et Gasparem Pianetti episcopum Viterbiensem, S. R. E. cardinales creat ac declarat [2].

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE DECIMA QUARTA DECEMBRIS
ANNO MILLESIMO OCTINGENTESIMO QUADRAGESIMO

Venerabiles fratres

Quot quantaque cum honore hoc summi pontificatus imposita sint onera infirmitati Nostrae, saepenumero Nobiscum reputantes, horremus animo, atque si non deficimus, Eius fieri agnoscimus beneficio misericordiae, cuius inscrutabili consilio providentiae tanta Nobis curarum moles incumbit. Hinc, si quispiam alius, Nos vel maxime idoneis ac fidelibus indigemus adiutoribus, qui tum in regimine rei civilis publicae subditorum ditioni Nostrae populorum, consiliis et opera Nobis praesto sint, tum praesertim in Ecclesia, cui licet immerito praesumus, universa gubernanda. Ad utriusque autem procurationis tam multa tamque difficilia obeunda negotia, auxilium Nobis praecipue in sapientia studioque vestro, venerabiles fratres, positum est; ut proinde nemo non videat quantum intersit Nos sedulo considerare, cuiusmodi in collegium vestrum homines adsciscendos putemus.

Itaque curae Nobis est antistites in istum gradum provehere, qui suis quique implendis muneribus, Sanctae Ecclesiae et Sedis Apostolicae commodis inserviendi, neque facultatem sibi deesse neque voluntatem ipsa re comprobaverint. Verum si qui sunt potissimum digni fiducia Nostra, ii profecto sunt, quorum eximiam ac salutarem virtutem praeclare gestus

---

1 Ex Archivio Brevium ad Principes.

2 Ex Secretaria Congr. Consistorialis.

episcopatus quam luculentissime declarat. Eorum enim huiusmodi est ministerium, ut, quem pateat omnibus eius partibus plane satisfacere, eum apostolico agi spiritu minime sit dubitandum, ab eoque consilia operamque suam expectari tuto posse ex affectu verae erga Nos et Sanctam Dei Ecclesiam caritatis profecta. Cogitantibus igitur Nobis de supplendo, quatenus modo possumus, numero collegii vestri, duo ex ordine venn. episcoporum visi sunt in vestrum ordinem cooptandi, quos compertum est officiis omnibus pastoralibus egregie fuisse perfunctos, quo uno laudes omnes complexae dici optimo iure possunt. Eos vero ut libentius provehamus, illud etiam facit, quod inde meritissimis, ad quas illi pertinent, provinciis Nostris decus ac splendor sit accessurus. Sunt autem illi Ioannes Maria Mastai-Ferretti episcopus Imolensis, olim archiepiscopus Spoletinus, Gaspar Pianetti episcopus Viterbiensis et Tuscaniensis. Quorum alterius, ob singulare ac diuturnum in pueris Urbis pauperrimis in Hospitium collectis sedulo tutandis educandisque, caritatis exemplum inter cetera spectatissimi, additi apostolico in Chiliensem regionem legato praeclara extiterunt specimina; alterius in Rotae auditorio et in supplendo vice gubernatoris urbis integerrime diligentissimeque versati: utriusque autem genus, ingenium, mores, pietas, zelus religionis, prudentia pari, in personam Nostram et in hanc Sanctam Sedem fides et devotio notissima sunt; quos ambos in consistorio secreto habito die vigesima tertia decembris anni millesimi octingentesimi trigesimi noni cardinales S. R. E. creavimus et in pectore reservavimus.

Nos igitur duos cardinales intendimus declarare; duos autem alios creare constituimus et in pectore reservare, quandocunque visum in Domino fuerit evulgandos.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostol. Petri et Pauli ac Nostra declaramus S. R. E. presbyteros cardinales Ioannem Mariam Mastai-Ferretti episcopum Imolensem, et Gasparem Pianetti episcopum Viterbiensem et Tuscaniensem, cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis.

Alios autem duos cardinales creamus et in pectore reservamus arbitrio Nostro quandocumque declarandos.

In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

LVII.

EPISTOLA

Laudat praesules provinciae Baltimoren. in America, ob celebratam IV synodum, et decreta ad fidem et disciplinam servandam promovendamque lata, quaeque Sedis Apostolicae examini subiecerant: eisque significat accepturos esse per literas sacrae congregationis, quae peculiariter de decretis illis eorumque petitionibus statuerit [1].

Venerabilibus fratribus
Samueli archiepiscopo Baltimorensi
et eius suffraganeis

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Plures accepimus literas, quas in exitu concilii provincialis Baltimorensis IV a vobis mense maio celebrati, ad Nos dedistis, tum ut vestrum erga personam humilitatis Nostrae Sanctamque hanc Sedem obsequium repetita, una omnes, declaratione confirmaretis, Nostrumque animum ex afflictis non uno in loco Ecclesiae rebus sollicitum vehementerque dolentem amantissime consolaremini; tum vero ut de omnibus concilii actis more maiorum, ad supremam Petri Sedem referentes, enixe precaremini, ut decreta in illo edita probare vel etiam, ubi opus fuerit, emendare velimus, atque insuper nonnulla indulgere ac decernere, quae vobis istic in religionis bonum cessura visa sunt. Iam vero ad memoratas petitiones vestras responsum accipietis per Nostram Propagandae Fidei congregationem, cui concilii acta cognoscenda mandavimus ac Nostram super illis mentem significavimus. Et habebitis quidem in eiusdem congregationis literis novum documentum singularis benevolentiae, qua vos, venn. fratres, ecclesiasque vestras impense prosequimur. Verum abstinere non possumus, quominus hac etiam nostra epistola meritis celebremus laudibus pastoralem sollicitudinem, qua inducti rursus ex canonum praescripto convenistis in unum, et invocato lumine Spiritus Sancti, consiliisque invicem communicatis, tueri studuistis cleri disciplinam, et pietatem fovere fidelis populi, atque adeo convellere vitiorum germina, seductionis pericula propulsare, ac prospicere ut pueri puellaeque ad veram fidem solidamque virtutem accuratius informentur; denique vos ipsos excitare ad Ecclesiae iura sarta tecta servanda, et partes vestri muneris in animarum salutem alacriori usque sedulitate implen

[1] Ex Iure Pont. de P. F.

das. Profecto in iis, quae in synodo a vobis gesta scriptaque sunt, libentissime recognovimus zelum, quo inflammati estis, ut de Catholica Ecclesia, de Sancta hac Sede, ac de vestris dioecesibus bene mereamini. Hinc autem firmiori vobiscum spe nitimur fore, ut Deo bene iuvante floreat istic quotidie magis religio Nostra sanctissima, et merito iuxta atque numero catholicus populus augeatur. Nos interea, licet indigni, non desistimus fraternitates vestras creditosque vobis greges Deo et Verbo gratiae ipsius suppliciter commendare, nec dubitamus quin vos pariter minime intermittatis Patrem misericordiarum per Iesum Christum filium suum fervidis precibus obsecrare, ut infirmitatem Nostram difficillimis hisce temporibus sub immenso supremi apostolatus pondere laborantem, omnipotenti sua virtute sustentet, omnesque actus nostros dirigat atque ad bonum exitum adducat. Denique Nostrae in vos propensissimae voluntatis pignus adiungimus apostolicam benedictionem, quam ex imo corde depromptam, vestrum singulis atque istarum ecclesiarum clericis laicisque fidelibus universis peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima nona decembris millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo [1].

LVIII.

EPISTOLA ENCYCLICA

Commemorat quae gesta sunt ad basilicae S. Pauli restaurationem de cuius consecratione a se peracta vehementer laetatur. Ad templum perficiendum christifideles rogat, ut propria liberalitate Pauli sepulcrum exornent [1].

Venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis universis gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Augustissimam beatissimi apostoli Pauli gentium doctoris honori sacram basilicam a Constantino imperatore conditam, a magno Theodosio amplificatam, ab Honorio imperatore auctam, atque a Romanis Pontificibus decessoribus Nostris summa contentione et studio maximisque sumptibus continenter instauratam, ac splendidiore cultu exornatam, subito incendio conflagrasse, nemo certe est tam rerum omnium ignarus, qui nesciat, nemo tam duro animo, qui miserabili illa ruina vel inspecta vel audita non vehementer doluerit. Ad amplissimum illud templum reficiendum curas omnes cogitationesque convertit pientissimus rec. mem. Leo XII praedecessor Noster, qui flagrantissimo incensus desiderio, vestustissimam illam reparandi molem, nullis neque impendiis, neque consiliis sibi parcendum duxit, ut catholicae religionis longe maximum monumentum in pristinam restitutum formam, maiore, quo fieri posset, splendore, iterum surgeret atque fulgeret. Itaque tanto operi perficiendo, ingentem pecuniae vim a pontificio aerario, quamvis tot acceptis calamitatibus fere exhausto, quotannis dandam esse decrevit. Cum autem probe nosceret tam praeclarum facinus maximis quibusque indigere subsidiis, quae pontificii aerarii angustiae suppeditare minime poterant, divino fretus auxilio, non despondit animum, opusque suscepit ac totius christiani orbis provinciis encyclicam misit epistolam, qua christifidelium animos vehementissime excitavit, inflammavit, ut omnes tanto operi auxiliariam manum praeberent. Neque illius Pontificis irrita vota cessere; namque non mediocri pecuniae vi ex universo catholico orbe collecta atque ad hanc Urbem missa, opus ipsum iam faustis coeptum ominibus, atque a fel. rec. Pio VIII praedecessore Nostro brevissimo illius temporis spatio, quo pontificatum gessit, continuatum, communi omnium gaudio prospere feliciterque progredi visum est. Ubi vero nullis quidem Nostris promeritis, sed arcano divinae providentiae consilio in tanta temporum asperitate tantisque rerum omnium perturbationibus ad hanc Petri Cathedram evecti fuimus, maximas inter gravissimasque curas et sollicitudines, quibus distinemur ac pene obruimur, nihil profecto Nobis potius, nihil gratius nihilque optabilius esse poterat, quam omnia conari, ut nobilissimum apostoli Pauli, quem summa colimus veneratione, templum, celeriter perfectum esset atque absolutum. Quamobrem singulari studio et contentione omnia artis et industriae praesidia comparavimus, ac nihil inausum nihilque intentatum reliquimus, ut magnificentissimum opus ad optatum exitum posset perduci. Et quamvis asperrimis hisce temporibus gravissimi sumptus pontificium Nostrum aerarium prope oppresserint, atque subsidia quae christifidelium pietas ad Ostiensem basilicam instaurandam ultro libenterque mittebat, sensim defecerint, tamen splendidissimi operis molitiones non solum minime intermissae, ve-

---

1 Ex collectanea inventa in Bibliotheca Angelica, Urbis, sub signatura F. VI. 15.

rum etiam alacriori et fidentiori conatu properatae in eam spem inducunt fore, ut paucis annis insigne illud templum omni ex parte absolutum conspici possit. Hinc porro evenit, ut incredibili animi Nostri laetitia, quod vix fieri posse arbitrabamur, transversum novi aedificii latus splendido iam artificio confectum, sacris caeremoniis lustrare, atque altare maximum sanctissimo Pauli sepulchro vel maxime venerandum atque antiquissimo fornice furentibus flammis prodigiose erepto et servato, et nunc exquisita diligentia instaurato nobilitatum una cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus III nonas octobris solemni ritu consecrare potuerimus. Quod quidem dum catholico orbi significamus, vehementer in Domino exultamus atque laetamur. Etsi vero ad ceteras illius basilicae partes perficiendas singulari industria ac diligenti studio magna quidem comparanda curavimus, tamen multa adhuc desunt, ut splendidissimum illud templum propediem possit absolvi. Et quoniam res eo devenit, ut omnis pecunia ex pontificio aerario sit depromenda, atque idcirco opus tanta celeritate properatum lente admodum progredi deberet, officii Nostri ratio postulat, ut aliorum Pontificum praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, exempla aemulantes, omnium christifidelium religionem ac pietatem maxime excitemus, quo ipsi omnem opem et operam amplissimo illi ac nobilissimo templo perficiendo praebere conentur. Atque in eam profecto spem erigimur fore ut, omnes alacri libentique animo, ac summa cura, industria, contentione Nostris hisce votis obsecundare velint, cum de apostoli Pauli agatur gloria, qui nationum magister, fulgidissimum christianae legis lumen, intimus arcanorum Dei scrutator, et mortalibus licet indutus exuviis, felix caeli hospes, Christi Ecclesiam sapientissimis suis divinisque scriptis, clarissimisque rebus gestis provexit, illustravit, suoque sanguine irrigavit, coagmentavit. Nemo certe ignorat, neque ignorare potest, quot ille minas, poenas, aerumnas, labores, cruciatus, dolores, pericula, terra marique invictissimo animo pertulit, devoravit, contempsit, ut ubique terrarum caelestis doctrinae praedicatione synagogas confunderet, paganam philosophiam perstringeret, idololatriam de solio deturbaret, omnesque gentes, populos, nationes, errorum dispulsa caligine ethnicaque superstitione eiurata, ad Iesum Christum converteret, divinae legis praeceptionibus imbueret, erudiret, atque ad salutis semitam caelique viam deduceret. Quis igitur haec animo volvens, ac memoria repetens, ad illius sepulcrum, immo trophaeum, pro viribus decorandum non commoveatur? Quis ardentissimo non excitetur desiderio ad Pauli templum suis opibus nobilitandum, quem veluti magistrum atque parentem se colere et venerari debere sentit atque cognoscit? Quis non vehementissimo impellatur amore ad basilicam illam omni honore cultuque propria liberalitate exornandam, in qua omnes summa religione venerantur *pulverem corporis illius*, ut Chrysostomi verbis utamur, *quae Christo deerant adimplentis, stigmata illa gestantis, praedicationem ubique disseminantis, pulverem illius corporis per quod ubique discurrebat, pulverem corporis per quod Christus loquebatur, et lux splendebat omni fulgore clarior, et vox exiliebat quovis tonitru daemonibus terribilior, per quod Paulum didicimus et Pauli Dominum?* [1] Atque utinam, venerabiles fratres, ea ubertas ingenii, eaque incredibilis et pene divina dicendi scribendique vis et copia, qua mirandum in modum eloquentissimus excellit Chrysostomus, Nobis suppeteret, ut quemadmodum ipse de Paulo loquitur, ita et Nos loqui possemus, ac fidelium mentes animosque permovere ad eorum erga Apostolum pietatem omni ope declarandam. Vos itaque, venerabiles fratres, pro eximia vestra religione, atque egregia in Paulum, cuius doctrinis enutriti estis, observantia, quantum in vobis est, populos fidei vestrae et curae commissos etiam atque etiam excitate, ut ipsi eo, quo par est, obsequio, apostolum Paulum prosequentes, ad illius templum perficiendum subsidia mittere summopere glorientur. Eorum ante oculos ponite rem gratissimam se Deo facturos, si ad Ipsius domus decorem promovendum suas opes facultatesque contulerint. Etenim quamvis Ipse caeli terraeque conditor et dominus nulla Nostra indigeat ope, tamen ita benignus et misericors est, ut non modo Nostram operam ad domum divino suo nomini aedificandam exposcat, Nostrosque conatus fortunet, verum etiam tantum sibi honorem a Nobis deberi gaudeat atque laetetur. Et quidem cum Moysi iussit ex pretiosissimis rebus tabernaculum construi, altare erigi, vestes comparari, vasa confici, ut ab omnibus filiis Israel pecunia daretur, praecepit ipse Deus, *susceptamque pecuniam*, inquit, *quae collata est a filiis Israel, trades in usus tabernaculi testimonii, ut sit monimentum eorum coram Domino, et propitietur animibus eorum.* Hac tam insigni et salutari Dei ipsius promissione quis non vehementer excitabitur ad pecuniae vim pro sua facultate in opus Dei elargiendam, ut sit *monimentum coram Domino, et propitietur animae suae?* Magnam profecto coepit animo voluptatem sanctissimus ille Israelitici populi dux, cum praefectos operum audivit nuntiantes, *populum plus offerre quam necessarium esset*, atque coactus fuit prohibere populum adhuc dona ferentem, *cum iam oblata sufficerent et*

[1] S. Ioan. Chrysost. Homilia XXXII in Epist. ad Rom. tom. 9.

superabundarent. Atque ita clementissimus Deus desideriis annuere velit, ut piis copiosisque fidelium donis atque oblationibus celeberrimum illud aedificium omni ex parte reparare atque absolvere possimus. Quantam vero gratiam ipse apostolus Paulus habebit iis qui insignem basilicam eius honori dicatam, ac deplorabili infortunio dirutam, ab interitu vindicare, in pristinam maiestatem restituere, ac splendidiore opere instaurare studuerint! Equidem Nos, venerabiles fratres, in Domino, qui dives est in misericordia, summopere confidimus, omnes cuiusque ordinis et conditionis christifideles Dei gloria, Pauli apostoli honore, vestrisque hortationibus vel maxime excitatos, ac tanti operis molitione magna ex parte iam producta alacriores effectos, tantam auri argentique vim esse collaturos, ut nobilissimo illi aedificio conficiendo oblata sufficere posse videantur.

Vestrum autem erit, venerabiles fratres, oblatam a fidelibus pecuniam colligere, eamque ad Nos mittere, atque omni studio et conatu sanctissimum Pauli apostoli sepulcrum, summa universi catholici orbis veneratione, et christianorum omnium concursu frequentiaque semper celebratum ornare, ut apostolico patrocinio magis magisque suffulti, commissas vobis Christi oves luctuosissimis hisce temporibus facilius ab venenatis pascuis arcere, ad salutaria propellere, easque regere ac tueri possitis. Hac igitur spe freti, omnia vobis a Patre misericordiarum et Deo totius consolationis fausta et laeta adprecantes, apostolicam benedictionem vobis et gregi vestrae curae commisso, amantissime ex animo impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum die vigesima prima decembris millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

LIX.

LITTERAE APOSTOLICAE

Vicarium apostolicum districtus Walliae, in Anglia, visitatorem deputat provinciae Anglicanae ordinis fratrum Minorum s. Francisci Strictioris Observantiae [1].

Venerabili fratri Dominico Brown congregationis Anglo-Benedictinae episc. Apolloniae in part. infid., et vicario apostolico districtus Walliae.

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ex testimoniis, gravitate praestantibus, Nobis constiterit, talem in praesentiarum esse provinciae Anglicanae ordinis fratrum Minorum s. Francisci Strictioris Observantiae statum, ut ad illam conservandam, augendam atque ad rationem statuendam, qua illa amplificetur et copiosiorem fratrum numerum habere possit, necesse omnino sit, plura negotia componere eamdem provinciam respicientia, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, apostolicum visitatorem illius provinciae statuere decrevimus.

Itaque probe noscentes, te singulari prudentia etc., huiusmodi munus de eorumdem venn. fratrum consilio tibi committendum censuimus.

Quamobrem peculiari te benevolentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, te, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, ad Nostrum et huius Apostolicae Sedis beneplacitum, in visitatorem apostolicum provinciae Anglicanae ordinis fratrum Minorum s. Francisci Strictioris Observantiae eligimus, constituimus et deputamus, tibique omnes necessarias et opportunas facultates tribuimus, quibus ea omnia perficere possis, quae ad superius commemorata peragenda in Domino expedire censueris, salva tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Mandamus etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima quinta decembris millesimo octingentesimo quadragesimo, pontificatus Nostri anno decimo.

LX.

INDULTUM

Quo fit concessio indumentorum magis insignium canonicis ecclesiae collegiatae Aquae Spartae, Tudertinae dioecesis [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romani indulgentia Pontificis peculiaria ornamenta aliquando illis tribuit viris, qui conspi-

---

[1] Ex Iure Pont. de P. F.

[2] Ex Archivio Secretariae Brevium.

cuis in templis laudes Deo persolvunt, ut magis magisque virtutum ornatu fulgere, et maiore studio et diligentia sacra ministeria obire conentur.

Exponendum Nobis curarunt dilecti prior et canonici insignis collegialis templi s. Caeciliae Aquae Spartae, Tudertin. dioeceseos, eos in praesentia gestare lineum manicatum amiculum, vulgo *rocchetto*, et palliolum seu mozzettam nigri coloris. Verum cum eorum in votis esset palliolum violaceum gerere, enixis precibus a Nobis postularunt, ut huiusmodi insigne ipsis benigne concedere velimus.

Nos itaque gravissimo venerabilis fratris Tudertini testimonio accepto, ex quo illos hac gratia dignos esse cognovimus, eorum desideriis alacri libentique animo annuendum censuimus. Quamobrem commemoratum priorem ceterosque canonicos, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, iis qui modo sunt, quique in posterum erunt, priori et canonicis collegialis ecclesiae s. Caeciliae Aquae Spartae, Tudertinae dioecesis, auctoritate Nostra apostolica, hisce literis, perpetuum in modum concedimus atque indulgemus, ut rocchetum et palliolum, vulgo *mozzetta*, violacei coloris in choro, in conventibus, seu ut dici solet capitulis, quum deliberationis causa coguntur, in sacris supplicationibus, libere et licite gestare possint et valeant. Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus ac per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum*, aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quoties opus fuerit eiusdem collegialis ecclesiae et canonicorum collegii etiam iuramento, atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima secunda ianuarii millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo.

LXI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Societati erectae in ecclesia S. Mariae in Monterone indulgentia plenaria in die inscriptionis conceditur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Piis hominum societatibus religionis opera obeuntibus libenter sane pontificiae Nostrae beneficentiae munera tribuere solemus. Exponendum Nobis curavit dilectus filius presbyter Iosephus Maria Mautone procurator generalis Congregationis SSmi Redemptoris, ac praepositus seu superior domus et ecclesiae S. Mariae in Monterone, huius almae Urbis, ea in ecclesia, ipsius cura et studio piam christifidelium societatem rite fuisse institutam, quae eo potissimum spectat, ut multiplici et perpetua oratione animae piaculari carcere, seu purgatorio igne detentae, continuis suffragiis iuventur, quo illae ad coelorum regnum maturius perveniant. Iam vero cum idem dilectus filius summopere cupiat huiusmodi piam societatem coelestibus Ecclesiae thesauris ditari, Nos alacri libentique animo annuendum censuimus. Auctoritate igitur Nobis a Domino tradita, deque omnipotentis Dei misericordia, ac bb. Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi; omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac s. communione refectis, die quo eidem piae societati adscribentur plenariam; ac tam adscriptis, quam pro tempore adscribendis in dicta pia societate in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes confessi ac s. communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam: nec non iisdem nunc et pro tempore existentibus dictae piae societatis confratribus et consororibus etiam vere poenitentibus et confessis ac s. communione refectis, qui praedictam seu aliam ecclesiam publicam de Urbe in Nativitatis D. N. I. C., Epiphaniae, SSmi Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli festis diebus, ac in quinque de praecepto Ecclesiae B. M. V. I. festivitatibus, nec non in Commemoratione omnium fidelium defunctorum, ac septem diebus continuis immediate respective sequentibus

---

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam, similiter spatio praedictorum respective octiduorum per unumquemque ex confratribus et consororibus praedictae piae societatis semel tantum quolibet anno ad sui libitum eligendum respective lucrifaciendam, omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In qualibet vero ex reliquis festivitatibus D. N. I. C., B. M. V. I., SS. Apostolorum, ac septem diebus immediate sequentibus Commemorationem omnium fidelium defunctorum, sabbato ante dominicam sexagesimae, ac decem diebus immediate sequentibus et prima feria secunda cuiuslibet mensis praefatis confratribus et consororibus omnia praemissa peragentibus septem annos et totidem quadragenas: quoties autem saltem contritis eamdem ecclesiam et altare eiusdem confraternitatis, vel aliam publicam ecclesiam, ut supra, visitantibus et orantibus, tercentum dies: denique iisdem confratribus et consororibus pariter saltem contritis, cum aliquod quodcumque pium opus peregerint, centum dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae, ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse etiam in Domino indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut si alias praedictis confratribus et consororibus praemissa peragentibus aliqua alia indulgentia perpetua vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, praesentes nullae sint.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima nona ianuar. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo.

LXII.

BULLA

Iacobo Holas patriarchae Ciliciae Armenorum, pallium tradit [1].

Venerabili fratri
Iacobo Holas
nuper archiepiscopo Amasen.
in patriarcham Ciliciae Armenorum electo.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nos hodie patriarchali ecclesiae Ciliciae Armenorum certo nunc expresso modo pastoris solatio destitutae de persona tua Nobis et venn. fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, iuxta decretum in congregatione eorumdem fratrum Nostrorum negotiis de Propaganda Fide praepositorum desuper emanatum, et per Nos adprobatum, de fratrum eorumdem consilio, apostolica auctoritate, providerimus, teque eidem patriarchali ecclesiae in patriarcham praefecerimus, et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius patriarchalis ecclesiae in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in Nostris inde confectis litteris plenius continetur; ac postmodum pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, pro parte tua fuerit Nobis hodie per dilectum filium Thomam comitem Gnoli, Nostrae consistorialis aulae advocatum, ea qua decuit reverentia, postulatum: Nos tuis postulationibus annuentes, pallium ipsum de corpore beati Petri sumptum, et per duos venn. fratres Nostros archiepiscopos vel episcopos in illis partibus degentes, gratiam tamen et communionem Sedis Apostolicae habentes, tibi assignandum, per dilectum quoque filium Ioannem Topus presbyterum Armenum, nuncium tuum duximus destinandum, ut iidem archiepiscopi vel episcopi aut eorum alter illud tibi sub infrascripta forma assignent vel assignet, et a te, Nostro et Romanae Ecclesiae nomine, sub altera etiam praesentibus inserta forma fidelitatis debitae solitum iuramentum recipiant seu recipiat. Tu autem pallio eodem intra patriarchalem ecclesiam tuam illis dumtaxat diebus uteris, qui expressi in ipsius patriarchalis ecclesiae privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius serves interius in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, quatenus humilitatem et iustitiam, dante Domino, qui dat praemia et munera elargitur, observare studeas, quae suum servant et promovent servatorem, ac eamdem patriarchalem ecclesiam Ciliciae Armenorum sponsam tuam cures sollicite auctore Domino spiritualiter et temporaliter augere. Quocirca praefatis archiepiscopis vel episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum dictum pallium iuxta eamdem subsequentem formam tibi curent seu curet assignari et a te Nostro et eiusdem S. R. E. nomine, sub reliqua forma huiusmodi fidelitatis debitae solitum recipiant seu alter eorum re-

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

cipiat iuramentum, eiusdemque sic a te praestiti iuramenti formam, Nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas, tuo sigillo munitas, per proprium nuncium, quanto citius destinare procures. Forma autem qua praefati archiepiscopi vel episcopi in assignando tibi dicto pallio utentur, haec est: *Ad honorem omnipotentis Dei ac Beatae Mariae Virginis ac sanctorum apostolorum Petri et Pauli ac Domini Nostri Domini Gregor. PP. XVI et S.R.E. necnon patriarchalis ecclesiae Ciliciae Armenorum tibi commissae, tradimus tibi pallium de corpore beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pastoralis officii, ut eo utaris intra ecclesiam tuam certis diebus qui exprimuntur in privilegiis ei ab Apostolica Sede concessis.* — Forma autem iuramenti quod praestabis, haec est: Ego Iacobus Holas archiepiscopus Amasen. in patriarcham Ciliciae Armenorum electus, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae et Domino Nostro Domino Gregor. PP. XVI suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto ut vitam perdant vel membrum, seu capiantur mala captione. Consilium vero quod mihi crediturі sunt per se aut nuncios seu literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum et regalia sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Vocatus ad synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis quinquenniis visitabo aut per me aut per meum nuncium, nisi apostolica absolvar licentia. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo inconsulto Romano Pontifice. Et constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium de an. Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo primo, quinto kalendas februarii, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXIII.

BULLA

Iacobum Holas archiepiscopum Amasen. in patriarcham Ciliciae Armenorum eligit [1].

Venerabili fratri
Iacobo Holas
archiepiscopo nuper Amasen.
in patriarcham Ciliciae Armenorum electo.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei

salutem et apostolicam benedictionem.

Romani Pontificis, quem pastor ille coelestis et episcopus animarum potestatis plenitudine sibi tradita ecclesiis praetulit universis, sollicitudo requirit ut circa cuiuslibet ecclesiae statum sic vigilanter excogitet sicque prospiciat diligenter, quod per eius providentiam circumspectum tunc per simplicis provisionis officium quandoque vero per ministerium translationis accommode, prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit et ecclesiarum utilitas persuadet, ecclesiis singulis pastor accedat idoneus et rector providus deputetur, qui populum sibi commissum salubriter dirigat et informet, ecclesiamque sibi traditam non solum gubernet utiliter, sed etiam multimodis efferat incrementis. Sane patriarchali ecclesia Ciliciae Armenorum, cui bo. me. Gregorius denominatus Sextus, ultimus illius patriarcha dum viveret praesidebat, per obitum dicti Gregorii patriarchae, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta, Nos ad provisionem huiusmodi patriarchalis ecclesiae Ciliciae Armenorum paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo ipsi ecclesiae patriarchali Ciliciae Armenorum personam utilem ac etiam fructuosam cum venn. fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus habuimus diligentem, demum ad te nuper archiepiscopum Amasen., quem venerabiles etiam fratres Nostri episcopi catholici nationis Ciliciae Armenorum ad patriarchalem ecclesiam huiusmodi pro illis patriarcha elegerunt seu postularunt, quique fidem catholicam iuxta articulos iampridem a Sede Apostolica Orientalibus praescriptos expresse professus fuisti, consideratis grandium virtutum meritis quibus personam tuam illarum largitor altissimus multipliciter insignivit, et attendentes quod tu qui ad archiepiscopalem ecclesiam Amasen. evectus, munere consecrationis suscepto, pontificalia exercuisti, ordi-

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

nationes habuisti, confirmationis sacramentum administrasti et in reliquis ita te bene gessisti, ut praedictae ecclesiae patriarchali Ciliciae Armenorum praefici dignus censearis, ipsamque patriarchalem ecclesiam scies, voles et poteris, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos Nostrae mentis. Intendentes igitur tam dictae patriarchali ecclesiae Ciliciae Armenorum quam eius gregi dominico salubriter providere, teque a quibusvis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad hoc dumtaxat ut translatio, provisio et praefectio per Nos ut infra faciendae praesentesque literae suum debite sortiantur effectum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, ac eiusmodi electionem seu postulationem de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate adprobantes et confirmantes, omnesque et singulos etiam substantiales defectus, si qui in electione seu postulatione huiusmodi quomodolibet intervenerint, quatenus opus sit, eadem apostolica auctoritate supplentes et sanantes, iuxta decretum a congregatione eorumdem fratrum Nostrorum praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum emanatum et per Nos etiam adprobatum, te licet absentem, a vinculo quo dictae ecclesiae Amasen., cui hactenus praefuisti, tenebaris, de simili consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ad dictam patriarchalem ecclesiam Ciliciae Armenorum de consilio et apostolicae potestatis plenitudine similibus transferimus, teque illi in patriarcham praeficimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius patriarchalis ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi ad dictam patriarchalem ecclesiam transeundi licentiam tribuendo, in illo qui dat gratias et largitur praemia confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, ipsa patriarchalis ecclesia sub tuo felici gubernio regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus ad praefatam patriarchalem ecclesiam cum gratia Nostrae benedictionis accedens, curam et administrationem praefatas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod exinde sperati fructus proveniant ac tuae bonae famae odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur, ipsaque patriarchalis ecclesia gubernatori provido ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium Nostram et dictae Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis; necnon venerabilibus fratribus Nostris suffraganeis orthodoxis ac dilectis etiam filiis Vassallis dictae patriarchalis ecclesiae ac clero et populo ipsi patriarchali ecclesiae subiectis, per apostolica scripta mandamus, ut suffraganei tibi tamquam membra capiti obsequentes, exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas, ita quod mutua inter te et ipsos gratia gratos sortiatur effectus et Nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare; clerus autem, te, pro Nostra et eiusdem Sedis Apostolicae reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent; populus vero te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vassalli praeterea praefati, te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem solitam ac consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam tu rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Volumus autem quod tu, in tua patriarchali ecclesia, Montem Pietatis ad praescriptum sacrosancti conc. Trid. instituas, conscientiam tuam super hoc onerantes. Volumus etiam quod tu antequam regimini et administrationi dictae patriarchalis ecclesiae te in aliquo immisceas, in manibus duorum pariter fratrum Nostrorum archiepiscoporum vel episcoporum gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentium, et in istis partibus degentium, seu alterius eorum, fidelitatis debitae solitum praestes iuramentum, iuxta formam praesentibus adnotatam, et sic a te praestiti iuramenti formam ad eamdem congregationem de Propaganda Fide de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo sigillo munitas, per proprium nuncium quantocitius transmittere omnino tenearis; quibus et eorum cuilibet per easdem praesentes pariter mandamus ut ipsi vel eorum alter a te, Nostro et Romanae Ecclesiae nomine, iuramentum huiusmodi iuxta eamdem formam recipiant seu recipiat. Forma autem iuramenti quod praestabis, haec est: « Ego Iacobus Holas patriarcha Ciliciae Armenorum, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero b. Petro ap. Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae et Domino Nostro Domino Gregorio PP. XVI suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu literas, ad eorum damnum me

sciente nemini pandam. Papatum Romanum et regalia sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Iura, honores, privilegia et auctoritatem Sanctae Romanae Ecclesiae, Domini Nostri Papae et successorum praefatorum conservare, defendere, augere et promovere curabo. Non ero in consilio, facto vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum Nostrum vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel praeiudicialia personae, iuris, honoris, status et potestatis eorum machinentur, et si talia a quibuscumque procurari novero vel tractari, impediam hoc pro posse, et quantocitius commode potero significabo eidem Domino Nostro vel alteri per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas sanctorum patrum, decreta, ordinationes, reservationes, dispositiones, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari. Haereticos schismaticos et rebelles Domino Nostro ac successoribus praefatis pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis quinquenniis personaliter et per ipsum visitabo et Domino Nostro successoribusque praefatis rationem reddam de toto meo pastorali officio deque rebus omnibus patriarchalis ecclesiae meae statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique quae meae fidei creditae sunt, salutem quoquomodo pertinentibus, et vicissim mandata apostolica praefata humiliter recipiam et quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo per certum nuncium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio cleri mei aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum seu alias personatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per dioecesanum sacerdotem et, clero deficiente omnino, per aliquem alium presbyterum saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis de supradictis omnibus plene instructum. De huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad S. R. E. cardinalem proponentem in congregatione sacri concil. Trid. per supradictum nuncium transmittendas. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu cleri patriarchalis ecclesiae meae, inconsulto Romano Pontifice. Et constitutionem super prohibitione investiturarum, bonorum iurisdictionalium de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo, et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia ».

Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo primo, quinto kalendas februarias, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXIV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Abbati monasterii s. Pauli datur facultas celebrandi missam pontificalem in altari maximo basilicae s. Pauli [1].

Dilecto filio
Iohanni Francisco Zelli
abbati monasterii sancti Pauli
extra moenia Urbis
ord. s. Benedicti

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Magnitudo et praestantia inclyti ordinis sancti Benedicti, quem a vetustissimis temporibus Summi Pontifices decessores Nostri plurimis donarunt privilegiis, Nos inducunt illum specialibus concessionibus condecorare. Hinc est, quod Nos, qui tertio nonas octobris elapsi anni millesimi octingentesimi quadragesimi, Ostiensis basilicae, quae iam incendio absumpta fuerat, aram maximam divi Pauli apostoli sepulchro venerandam, una cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus solemni ritu consecravimus, cum redeat nunc dies illa, quae festiva celebritate in omnium christifidelium mentem revocat ipsius apostoli et doctoris gentium conversionem, cupientes ut in eadem ara divina mysteria renoventur, ac te dictumque Ordinem, cui eiusdem basilicae custodia tradita est, benigno favore prosequi volentes, tibi ut proximo die festo praedicto in ipso altari maximo pontificalem missam aliaque officia divina (adstantibus tuae religiosae domus monachis) celebrare valeas, licentiam et facultatem, apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus et indulgemus. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima tertia ianuarii millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

---

[1] Ex Archivio Monasterii S. Pauli extra moenia Urbis.

LXV.

EPISTOLA

Ad Ludovicum Philippum scribens, Mauritii De Bonald merita declarat, eumque Romana purpura dignum existimat [1].

**Carissimo in Christo filio Nostro
Ludovico Philippo
Francorum regi christianissimo**

GREGORIUS PP. XVI.

Carissime in Christo fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Quae Nos erga regiam maiestatem tuam officiose indicas paternae dilectionis dedisse testimonia, quaecumque ea sint, meritis illa debuimus tuae in Nos voluntatis, eamque pro iis vicem a te redditam sensimus, ut maximae tibi a Nobis agendae sint gratiae. Proinde parati cum simus, uti esse Nos convenit, ad dilectionem Nostram quibuscumque possimus documentis confirmandam, existimari facile potuit minime Nobis fore dubitandum in re tibi gratificari, quam non minus Nobis gratum concedere futurum esset, quam tibi ipsi qui petis accipere. Est enim Nobis pro sollicitudine Nostra pastorali in praecipuis curis, ut ad commoda ac decus amplissimi regni tui ecclesiarum quantum per Nos fieri possit conferamus; ad utrumque autem pertinet optatum regiae maiestatis tuae; ut vero quod optas aequissimo animo tibi assentiamur, accedit quod talem virum Nobis Romana purpura ornandum proponas, quem Nos ipsi honore hoc sine ulla dubitatione merito suo dignissimum iudicamus, videlicet venerabilem fratrem Ludovicum Iacobum Mauritium De Bonald archiepiscopum Lugdunensem, de cuius ingenio, pietate, virtutum praeclarissimarum exemplis, fama ipsa loquitur. Instar omnium esse potest exemplum illud recens omni certe maius praeconio, cum in teterrima illa, incredibilis et post memoriam incolarum inauditae inundationis, calamitate nullis parcens neque sumptibus neque incommodis neque laboribus, vitamque ipsam obiiciens periculo, pastorem se vere de salute gregis sui sollicitum praebuit. Quare iam nunc constituimus praedictum ven. fratrem archiepiscopum Lugdunensem in primo quod, si Deus permiserit, habebimus consistorio S. E. R. cardinalem creare, pro certo habentes amplificata eius dignitate tum coetui senatus Nostri, tum spectatissimo Galliarum clero decus ac splendorem accessurum. Gaudemus in Domino additum a te hoc insigne specimen addicti Nobis Sanctaeque Sedis Apostolicae animi regiae maiestatis tuae subditisque tibi populis gratulamur fructus ex studio religionis tuo in dies magis salutares experientibus: ac pignus praecipuae paternaeque caritatis Nostrae, divini auspicem praesidii, benedictionem apostolicam tibi, carissime in Christo fili Noster, amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima sexta ianuar. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXVI.

MOTU-PROPRIO

Statuitur pensio annua scutatorum sexaginta, ab omni onere libera, super fructibus, ab Apostolica Sede sibi reservatis, quae Chryptae Ferratae attribuitur [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum ad religionis et ecclesiasticae disciplinae bonum atque utilitatem, magni interest, ut adolescentes praesertim clerici, ex sapientissimo ac providentissimo Conc. Trid. praescripto, a mundi illecebris periculisque remoti in seminariis morentur, ibique eorum vitam ad omnem virtutem pietatemque mature fingant, atque ad amoeniores literas severioresque disciplinas potissimum sacras addiscendas, toto pectore incumbant; tum Romani Pontifices omni quidem cura, vigilantia, contentione diligentissime prospexerunt, ut seminaria ipsa prospere feliciterque florescere ac vigere possent. Hac sane mente rec. me. Pius IV decessor Noster, anno vix elapso post Tridentinam Synodum, Romanum seminarium excitandum curavit, atque illius commodis consulens, praeter bona illi attributa, pensionem seu taxam a nonnullis Romae districtus monasteriis seminario ipso quotannis solvendam decrevit. Alia inter monasteria, huiusmodi legi subiecta, illud quoque Cryptae Ferratae recensebatur, quod pensionem annuam argenteorum centum quinquaginta Romano seminario pensitare debebat, veluti in Motu-Proprio fel. rec. Urbani VIII praedecessoris Nostri, anno millesimo sexcentesimo vigesimo nono cautum fuit. Quam quidem pensionem commemoratum Cryptae Ferratae monasterium perpetuo solvendam curavit, nemine unquam obsistente, donec rec. me. Leo XII praedecessor Noster eam commendam penitus sustulit, at-

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

[2] Ex Archivio Secretariae Brevium.

que illius universa bona perpetuae emphyteusis titulo monachis Basilianis attributa fuere cum annuo canone scutatorum sex mille tercentorum camerae spoliorum persolvendo, et obligatione omnia onera implendi quae bonis ipsis inhaerebant. Verum idem Cryptae Ferratae monasterium, ab remotissimo tempore adolescentem, veluti dilectus filius Noster Iosephus S. R. E. presbyter cardinalis Della Porta Rodiani hodiernus in Urbe vicarius asserit, seu unum, itidemque alterum per mutuas vices, quemadmodum dilectus filius Noster Marius S. R. E. diaconus cardinalis Mattei eiusdem monasterii visitator apostolicus et praefectus oeconomicis negotiis congregationis Propagandae Fidei testatur, perpetuum ius habuit nominandi qui liberalibus disciplinis excolendis in seminario Romano operam navaret. Ac postremus ex his qui hanc beneficentiam obtinuit, fuit quidam iuvenis Martinetti, qui debitum naturae reddidit. Quo e vivis erepto, idem apostolicus visitator omnes illius oppidi patresfamilias certiores fecit, ut eius rei ergo pro suis filiis supplices exhiberent preces. Tunc vero primum contigit ut syndacus et consiliarii eiusdem municipii sacrum Consilium Conc. Trid. decretis tuendis et interpretandis supplices adierint, atque exposuerint, in maiorem eiusdem oppidi utilitatem redundare, si eorum filii ante parentum oculos in dioecesano Tusculano seminario educarentur. Hinc enixis precibus efflagitarunt, ut pensio seu taxa quae ad hunc usque diem Romano seminario fuit soluta, in posterum Tusculano seminario tribuatur, utque iuvenis nominandus, eodem in seminario Tusculano omnino institui debeat. Huiusmodi preces eadem congregatio dilectis filiis Nostris S. R. E. cardinalibus Ludovico Micara episcopo Tusculano, Iosepho della Porta Rodiani Nostro in alma Urbe vicario in spiritualibus generali et Mario Mattei Cryptae Ferratae visitatori apostolico et praefecto oeconomicae rei congregationis Propagandae Fidei, atque ab internis Nostris Negotiis significandas curavit ut ipsi eorum sententiam dicerent, atque eamdem congregationem hac de re diligentissime certiorem facerent. Qui quidem omnes singulari illa, qua summopere praestant, doctrina atque prudentia omnia rationum momenta erudite sane exposuerant, quibus quisque opinionem probare studuit. Itaque rebus omnibus ab ipsa Concilii congregatione diligenter sapienterque discussis, atque accuratissima de iis narratione Nobis ab eiusdem congregationis secretario facta, ac propterea peculiaribus causis et rerum adiunctis ad huiusmodi negotium pertinentibus maturo examine perpensis, supremam Nostram auctoritatem interponendam censuimus, ut res ipsa non solum conciliari posset, verum etiam omnibus quos illa respicit bene atque feliciter eveniret.

Quamobrem omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Motu-Proprio, certa scientia, matura deliberatione, deque Nostrae apostolicae potestatis plenitudine, hisce literis, perpetuum in modum seminario Romano pensionem annuam scutatorum sexaginta a quolibet prorsus onere omnino liberam super reditibus ab hac Apostolica Sede sibi reservatis, abbatiae Cryptae Ferratae concedimus atque attribuimus. Pensionem vero scutatorum centum quinquaginta usque adhuc ex reditibus eiusdem abbatiae seminario Romano persolutam, eadem auctoritate Nostra apostolica, perpetuo in dioecesanum Tusculanum seminarium transferimus, ut summa scutatorum centum viginti, bini alumni e Crypta Ferrata in ipso seminario Tusculano gratis alantur et erudiantur. Volumus autem ut hi duo alumni semper nominentur a cardinali visitatore apostolico monasterii Cryptae Ferratae, et quoties visitator apostolicus non extiterit, a cardinali in tempore praefecto negotiis oeconomicis congregationis de Propaganda Fide. Mandamus autem ut reliqua triginta scutata, arbitrio et prudentia eiusdem cardinalis visitatoris apostolici, et eo non existente, cardinalis praefecti oeconomiae congregationis Propagandae Fidei, de intelligentia tamen cardinalis episcopi Tusculani, vel erogentur in persolvenda medietate pensionis favore tertii alumni ut supra nominandi, vel distribuantur pro aequali inter duos commemoratos alumnos in sumptus vestium, aliaque impendia iisdem necessaria prout magis in Domino expedire censuerit.

Haec volumus, statuimus, concedimus, praecipimus atque mandamus, decernentes has praesentes literas et in eis contenta quaecumque quovis praetextu, colore, ingenio de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio vel intentionis Nostrae aut alio, quamvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, retractari non posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis au-

ctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus apostolicis literis rec. me. Urbani VIII praedecessoris Nostri mensis augusti, anni millesimi sexcentesimi vigesimi noni, incipientibus « *Cum sicut Nobis* » ac fel. rec. Leonis XII decessoris pariter Nostri, incipientibus « *Recolentes* », nec non Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo,* et, quoties opus fuerit, fel. rec. Bened. XIV antecessoris item Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ac tum seminarii Romani, tum seminarii Tusculani etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, aliisque etiam speciali et individua mentione et derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima sexta ianuar. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXVII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Fratribus archisodalitatis s. Mariae in Monterone indulgentiae conceduntur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius presbyter Iosephus M. Mautone, procurator generalis congregationis SSmi Redemptoris, ac praepositus seu superior domus et ecclesiae s. Mariae in Monterone de Urbe, in eadem ecclesia, ab ipso canonice institutam fuisse piam unionem seu societatem, quae eo spectat, ut perpetua oratione animae purgatorii igne detentae continuis suffragiis iuventur, ut illae ad coelestia regna perveniant, et cuius confratribus et consororibus dictam ecclesiam, seu aliam huius almae Urbis visitantibus, et ibidem orantibus aliaque iniuncta opera adimplentibus nonnullae indulgentiae, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes per similes in forma Brevis expeditas literas, quarum tenorem praesentibus pro expresso et inserto haberi volumus perpetuo concessa fuerunt. Cum autem confratres et consorores societatis, seu piae unionis huiusmodi non Romae tantum, sed et alibi moram trahant, Nos propterea per supplices preces adiit, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ut societas huiusmodi maiora in dies suscipiat incrementa, huiusmodi supplicationibus permoti, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis confratribus et consororibus dictae societatis seu piae unionis tam adscriptis, quam pro tempore adscribendis ubicumque moram trahentibus, qui de cetero pro consecutione indulgentiarum praedictarum, iniunctis operibus adimpletis, aliquam respective ecclesiam, in qua ssmum Eucharistiae sacramentum asservatur praescriptis, ut supra, diebus pie visitaverint; infirmis autem, aliove legitimo impedimento detentis, qui alia pietatis opera quae pro viribus exercere poterunt peregerint, ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, ut eas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequi possint et valeant, perinde ac si ecclesiam almae Urbis visitarent, auctoritate apostolica, tenore praesentium, similiter perpetuo concedimus et indulgemus.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de non concedendis indulgentiis ad instar,* aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima secunda februar. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXVIII.

EPISTOLA

Patriarchae nationis Maronitarum scribit de subsidiis, quae catholicae nationes tribuunt, ut Maronitis et Ecclesiae apud illos belli vicissitudinibus afflictae, succurrant [2].

Venerabili fratri
Iosepho Habaisci
patriarchae Antiocheno Maronitarum

1 Ex Archivio Secretariae Brevium.

2 Ex Iure Pontificio de P. F.

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Quum dilectus filius Nicolaus Murad, ecclesiae tuae negotiorum gestor, in Montem Libanum reverteretur, praetermittere noluimus, ut literis hisce, Nostram sollicitudinem Nostramque dilectionem tum erga fraternitatem tuam, cum erga universam Maronitarum gentem testificaremus. Ob calamitates sane gravissimas, quas ab hostilibus armis sanctissima Christi religio istic perpessa est, intima confecti fuimus amaritudine; verum eo loco positi, qua contritiones Israel deplorare non sufficit, eo curas cogitationesque Nostras intendimus, ut quantum per Nos fieri posset, afflictis Maronitarum rebus opitularemur. Cum vero fidelium caritatem excitaverimus, ut fratribus inopia aerumnisque gravatis, suppetias ferrent, praecipuae catholicorum nationes paratas sese exhibuerunt ad ea suppeditanda subsidia, quibus prostratae istic Maronitarum ecclesiae res passim instaurarentur; quapropter confidimus opportuna tibi ad opus auxilia non defutura. Quae cum ita se habeant, ven. frater, pietatis caritatisque tuae erit providere, ut ea primo in pristinum statum restituantur, quae Dei cultum ac religionis exercitium attingunt; tum vero et illa diligenter curare, quibus miserrima Maronitarum conditio sublevari queat. Ad haec, quamquam Nos minime lateat pastoralis sollicitudo studiumque plane singulare, quo ecclesiam tibi creditam moderaris, attamen pro supremo apostolatus, quo fungimur munere, sane non possumus, quin fraternitatem tuam sedulo enixeque in Domino adhortemur, ut vigilantiam qua hactenus ad Maronitarum procurandam salutem incubuisti, augeas in praesentia, immo et ingemines. Novimus enim regiones istas ab heterodoxis non paucis perlustrari, ex quo quidem in quantum discrimen catholicorum fides adducatur, tristissima omnium fere saeculorum ac Nostrorum praesertim temporum experientia satis superque manifestat. Attende igitur, ven. frater, universo gregi, cui te regendo Spiritus Sanctus praeposuit, atque in id modo operam industriamque omnem colloca, ut ab eodem sive haereseos sive schismatis venenum arceatur. Ceterum in rebus, quae sive ad tui commodum, sive ad utilitatem ecclesiae tuae pertinebunt, Nostram Sanctaeque Sedis Apostolicae benignitatem paratissimam fore pollicemur. Interea tibi gregique tuo, quem paterna peculiarique complectimur caritate, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima sexta februar. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXIX.

LITTERAE APOSTOLICAE

Dominicum Lefebvre vicar. ap. Cochinchinae missionis eligit, si episcopus Metellopolitanus, non iam designato coadiutore, ex hac vita migraverit [1].

Dilecto filio
presbytero Dominico Lefebvre

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Pastorale officium Nobis ex alto commissum postulat, ut quibusque rebus omnibusque modis spirituali christifidelium bono continenter vehementerque consulamus. Itaque quamvis per similes Nostras apostolicas literas die decima mensis decembris anno millesimo octingentesimo trigesimo nono datas, tam Ludovico Taberd episcopo Isauropolitano, vicario apostolico Cochinchinae paulo ante in Bengalae missione defuncto, quam eius coadiutori ven. fratri Stephano Theodoro Cuenet episcopo Metellopolitano, nunc vicario apostolico, attentis peculiaribus circumstantiis, data fuerit, cuique, altero obeunte, facultas deligendi sibi coadiutorem cum futura successione et cum charactere et titulo episcopali in partibus, quem defunctus praesul habuerat, tamen cum gravioribus iugiter memoratis ven. frater episcopus Metellopolitanus versetur in angustiis, instantibusque persecutionis magis magisque saevientis periculis, ita ut impediri forsan possit quominus facultate sibi elargita uti valeat, ac propterea Cochinchinae missione episcopali regimine destitueretur.

Nos tam gravi rei occurrere volentes, perspecta etiam mente eiusdem ven. fratris episcopi Metellopolitani quoad coadiutoris eligendi personam ei acceptam et ad id muneris idoneam, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, aliquem eximium virum eligendum censuimus, qui in casu quo vicarius apostolicus, non designato sibi coadiutore, e vita migraret, illius successor et vicarius apostolicus Cochinchinae existat et charactere ac titulo episcopali insignitus quoque sit.

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

Quamobrem ex gravissimis testimoniis probe noscentes eximiam tuam pietatem, religionem, prudentiam, integritatem, ac singulare catholicae fidei studium et rerum peritiam quae ad illam missionem pertinent, de eorumdem venn. fratrum sententia te peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, quoties contigerit ut commemoratus ven. frater episcopus Metellopolitanus, non designato sibi coadiutore, ex hac vita migret, te, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, vicarium apostolicum Cochinchinae Missionis iam nunc eligimus, constituimus et deputamus cum omnibus et singulis facultatibus necessariis atque opportunis alias Cochinchinensi vicario apostolico concessis, salva tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium. Cum autem ad eumdem vicariatum regendum charactere et titulo episcopali ornatus sis oporteat, atque episcopalis ecclesia Isauropolitana, quae in partibus infidelium existit, sui pastoris solatio fuerit destituta; Nos ad eiusdem ecclesiae provisionem celerem atque felicem, in qua nemo praeter Nos potuit seu potest intromittere, paterno ac sollicito studio intendentes, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem et fructuosam cum iisdem venn. fratribus habuimus diligentem, ad te, qui ex legitimo matrimonio procreatus et in aetate etiam legitima constitutus existis, de cuius morum integritate et catholicae fidei zelo, ac spiritualium providentia et temporalium circumspectione fide digna accepimus testimonia, oculos mentis Nostrae direximus. Quibus omnibus mature perpensis, eamdem episcopalem ecclesiam de persona tua Nobis et memoratis cardinalibus probata, de eorumdem venn. fratrum consilio, auctoritate Nostra apostolica, hisce literis, providemus, teque illi in episcopum praeficimus atque pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod dirigente Domino actus tuos praedicta ecclesia tuae circumspectionis industria et studio utiliter et prospere dirigetur, grataque in spiritualibus et temporalibus orthodoxa religio incrementa suscipiet. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta animi devotione amplectens, curam et administrationem praescriptas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut ecclesia praedicta gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, et tu, praeter aeternae retributionis praemium, Nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam.

Praeterea tibi, ut ad ecclesiam praedictam, quandiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis, dicta auctoritate concedimus et indulgemus. Ceterum ad ea quae in tuae cedere possunt commoditatis augmentum favorabiliter respicientes, tibi, ut a quocumque, quem malueris, catholico sacrorum antistite, Sanctae Nostrae Sedis gratiam et communionem habente, accitis et in hoc ei assistentibus duobus aliis episcopis, vel, quatenus si commode reperiri non poterunt, duobus eorum loco presbyteris saecularibus, vel cuiuscumque ordinis, congregationis et instituti regularibus, similem praedictae huius Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere et licite possis et valeas; ac eidem antistiti, ut receptis a te prius catholicae fidei professione iuxta articulos pridem a Sede Nostra propositos, ac Nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae iuramento solito, praedictum munus tibi, auctoritate Nostra, impendere licite valeat, eadem auctoritate, plenam et liberam, harum serie, tribuimus facultatem. Volumus tamen eademque auctoritate praecipimus atque decernimus, ut, nisi receptis a te prius per praedictum antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi, ipse antistes consecrationis munus tibi impendere, tuque illud recipere praesumpseritis, idem antistes a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

Denique omnibus et singulis ad quos spectat vel spectabit in posterum, mandamus, ut tibi tanquam Cochinchinae vicario apostolico prompti pareant et obediant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant et implenda curent, alioquin sententiam seu poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctorante Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Non obstantibus apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo

piscatoris die vigesima sexta februar. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXX.

LITTERAE APOSTOLICAE

Vicario ap. Tunquini occidentalis committit eligere et consecrare novum vic. ap. Cochinchinae, si vic. ap. et coadiutor diem supremum obeant [1].

Venerabili fratri
episcopo de Acanto in partibus infidelium
vic. ap. Tunquini occidentalis

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

De Cochinchinae missionis bono vehementer solliciti, per similes Nostras apostolicas literas, hodierno die datas, dilectum filium presbyterum Dominicum Lefebvre in vicarium seu successorem ven. fratris Stephani Theodori Cuenot episcopi Metellopolitani vic. apostolici Cochinchinae designavimus, eumdemque presbyterum Isauropolitanae ecclesiae in partibus infidelium episcopum renuntiavimus, quoties commemoratus ven. frater episcopus Metellopolitanus et vicarius nunc apostolicus Cochinchinae, non designato sibi coadiutore, ex hac vita migraret.

Cum autem evenire possit, ut, saeviente adhuc illis in locis persecutione, tam episcopus Metellopolitanus quam eius coadiutor seu electus Dominicus Lefebvre diem obeant supremum, ne Cochinchinae missio maioribus afficiatur detrimentis, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, missionis ipsius incolumitati consulendum esse censuimus. Quapropter tibi, ven. frater, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, facultatem facimus atque impertimur, ut, cum tam episcopus Metellopolitanus, quam eius coadiutor seu electus, de quibus habita mentio est, debitum naturae reddiderint, non solum administres ac regas interea temporis Cochinchinensem vicariatum, verum etiam novum eligas vicarium, quem ex missionariis vel Tunquini vel Cochinchinae digniorem in Domino ac magis idoneum iudicaveris. Praeterea eadem auctoritate Nostra apostolica, huic viro a te eligendo, characterem episcopalem ac titulum alterutrius defuncti praesulis conferes, cum omnibus facultatibus necessariis atque opportunis, servatis tamen iis omnibus, quae in episcoporum consecratione ab hac Apostolica Sede servari praecipiuntur.

Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima sexta februar. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXXI.

EPISTOLA

Archiepiscopo Armacano et per eum ceteris praesulibus Hiberniae gratulatur ob unanimem consensionem in iis excipiendis quae circa nationale instituendae iuventutis systema s. congregatio responderat [2].

Ven. fratri Guillelmo Crolly
archiepiscopo Armacano
totius Hiberniae primati

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Non sine iucunda admodum animi Nostri laetitia perlegimus datas die decima quinta februar. huius anni atque ab universis Hiberniae archiepiscopis et episcopis subscriptas literas, in quibus quidquid circa nationale iuventutis erudiendae systema congregatio de Propaganda Fide, Nobis probantibus, constituit, unanimi omnium consensione ac grato animo receptum esse significabatur. Quae quidem quum splendidissimum praeseferant testimonium devotionis atque obsequii, quo Sanctam Apostolicam Sedem Hibernenses antistites prosequuntur, facile perspicis, ven. frater, cur in causa fuerint, ut Nos, dolore atque aegritudine confecti ob crebra quae afflictae Christi Sponsae infliguntur vulnera, singulari ac periucundo gaudio perfusi simus. Nihil enim in hac tristissima temporum conditione ad religionis causam tuendam atque ad confirmandos fideles expedit magis, quam ut episcoporum coetus, civitas nempe illa supra montem posita, quae omnium ad sese oculos trahit, firmitatem qua Sanctae Petri Sedi semper adhaesit, luculentioribus argumentis patefaciat. Quamobrem, ven. frater, in Domino exultantes, et tibi et Hiberniae praesu-

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

[2] Ex Iure Pontificio de P. F.

libus universis etiam atque etiam gratulamur ob egregiam virtutem qua, gloriosis maiorum vestrorum vestigiis insistentes, filialem prorsus observantiam coram catholico orbe erga Cathedram istam exhibuistis; ac Deo misericordiarum patri, ac patri totius consolationis, gratias agentes quam maximas, ipsum sedulo enixeque deprecamur, ut exemplis hisce nobilissimis, omnium dignetur animos permovere, ut ii etiam qui iamdiu catholicam Ecclesiam, quae sola *columna* est *ac firmamentum veritatis,* dereliquerunt, tandem ad desertae matris sinum, divina adiuvante gratia, revertantur. Ceterum in rebus omnibus, quae ad Hibernensium ecclesiarum utilitatem pertinebunt, huius S. Sedis benignitatem fraternitati tuae et omnibus Hiberniae pastoribus, quibus ut haec communicentur operam dabis, paratissimam semper fore pollicemur. Interim tibi ac venerabili episcoporum Hibernensium coetui, nec non fidelibus universis ipsorum curae commissis, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima octava februar. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXXII.

Vehementer dolet de iniuria S. Sedi a Matritensi gubernio illata; impia decreta recenset quibus bellum catholicae rei indicitur. Tristatur de nonnullis sacerdotibus qui cum gubernio, in oppressionem Ecclesiae conspirant. Memorat quae gesta sunt contra Ramirez vicesgerentem nuntiaturae. Loquitur de usurpato a laicis iudicio in rebus, fidei doctrinam respicientibus. Queritur violatam pontificiam dignitatem in persona vicesgerentis et violata pene omnia Ecclesiae iura [1].

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
KALENDIS MARTII
MILLESIMO OCTINGENTESIMO QUADRAGESIMO PRIMO.

Venerabiles fratres

Afflictas in Hispania religionis res, et plura contra Ecclesiae ius decreta inibi ac gesta lamentati fuimus in consessu vestro, quinque ante annos, venerabiles fratres; et Nostram illam orationem publici iuris fecimus, ut Matritense gubernium excitare ad saniora consilia conniteremur; aut certe, ut Nostrae super iis quae contigerant, apostolicae improbationis solemne aliquod documentum extaret. Abstinuimus post id temporis a severioribus aliis publicisque expostulationibus; non quod cessatum in Hispania fuerit ab Ecclesia novis iniuriis afficienda, sed videbamus reclamationes venerabilium fratrum eius regni antistitum, bonum identidem aliqua ex parte habuisse exitum; atque ideo Nos pariter Ecclesiae causam, mitioribus quibusque modis, tueri perreximus, ea interim spe sustentati, ut progressu temporis, ex longanimitate hac Nostra, facilior Nobis aperiretur via ad sanandas illic contritiones Israel, sacrasque res, sin minus in splendorem pristinum, ast saltem in satis honestam conditionem restituendas. Sed contra omnino accidit ac Nobis pollicebamur, venn. fratres; quum Matritense gubernium post provincias, quae nuper ei non parebant, in suam ditionem receptas, ex pacatiore ipso suarum rerum statu, maiores sumpsisse animos videatur ad sacra ecclesiarum Hispaniae Sanctaeque huius Sedis iura conculcanda. Eo inter alia spectat, quod laicis magistratibus nuper mandatum est, ut caveant, ne suo unquam frustrentur effectu decreta illa, quibus episcopi inde ab anno millesimo octingengentesimo trigesimo quinto prohibiti fuerant, ne quemquam, nisi raris quibusdam in casibus, ad sacros ordines promoverent [2]. Item decretum aliud [3], quo praecedentes sanctiones de coenobiis virorum pene universis cum suo patrimonio occupandis, ad ea etiam pertinere declarantur, quae in memoratis provinciis modo ad suam dominationem adiectis salva perstiterant. Ac ne ipsis quidem parcitur sacris aedibus: cum alio decreto [4] statutum sit, ut sine mora ad hastam vendantur templa omnia coenobiis adiuncta; iis tantum exceptis in quibus divina adhuc officia celebrentur; quae sane vix in aliquo celebrari possunt, postquam sacrae ipsae aedes, una cum coenobiis, tota sua dote spoliatae sunt. Accessit his decretum novissime editum [5] de lege proximis comitiis proponenda, ut saecularis item clerus, qui iamdiu permagna suorum proventuum parte privatus fuerat, ab omni tandem ecclesiasticorom bonorum possessione deiiciatur, atque una cum religiosis viris ad mercenariam veluti conditionem adductus, precario vivat stipendio, quod ipsis a gubernio promittitur.

Ceterum quibus oculis gubernii praesides clerum respiciant, apparuit insuper ex edicto illo [6], quo haud ita pridem in patriam redire

---

1 Ex opere « Editti di Gregorio XVI » in Bibliotheca Casanatensi, Urbis, vide an. 1841, vol. I, doc. 114.
2 Decret. 10 decembris 1840.
3 6 et 13 decembris 1840.
4 9 decembris 1840.
5 21 ianuarii 1841.
6 30 novembris 1840.

permissi sunt, qui civilis belli occasione exulaverant. Scilicet in eo edicto ecclesiastici homines universim leguntur excepti. Et tamen explorata res est, multos eorum virtute ac sana doctrina spectatos ex Hispaniae finibus per id temporis pulsos fuisse; non quod revera in contentione illa alterius partis causam iuvarent, sed quod Ecclesiae causam contra gubernii ausus strenue tuebantur.

Verum, dolentes dicimus, non deest in Hispania parvus quidam sacerdotum numerus, qui benevolentiam sibi a Matritensi gubernio conciliarunt; ii nimirum, qui obliti ordinis officiique sui, conspirare cum illo in oppressionem Ecclesiae non dubitarunt; quive ad nutum gubernii eiusdem, dioeceses regunt, quarum episcopi defuncti sunt, aut exulare coacti. Eo in numero fuit presbyter quidam e metropolitano capitulo Hispalensi, qui iamdiu in Malacensem episcopum a gubernio nominatus fuerat, atque ad eius voluntatem in vicarium capitularem electus. Is porro ob pravas quasdam doctrinas, quae ex publicis suis sermonibus scriptisve innotuerant, cum in gravem venisset suspicionem haereseos, a Malacensi eodem capitulo ad tribunal Hispalensis archiepiscopi delatus est; et primum quidem gubernio ipso ad postulationem eius tribunalis annuente, in urbem Hispalim amandatus. Sed postea cum laicos provinciae iudices appellasset, tantam non modo ab his, sed a supremis gubernii praesidibus iniit gratiam, ut eum a memorato tribunali ecclesiastico sub illatae violentiae ac iurisdictionis non competentis obtentu subtraxerint, atque ad Malacensis ecclesiae regimen restituerint; ea, in decreto in id facto, apposita pene irrisoria clausula, ut praecipue de haeresi causae nihil inde praeiudicatum haberetur. Adversus hanc sacri iuris in doctrinali re immanem adeo violationem reclamavit literis ad gubernium missis die vigesima mensis novembris proximi dilectus filius Ioseph Ramirez de Arellano, nuntiaturae Nostrae Hispaniarum in spiritualibus vicesgerens; quemadmodum et literis aliis datis die quinta et die decima septima mensis eiusdem reclamaverat, tum ob nonnullos iudices tribunalis eiusdem nuntiaturae seu rotae ecclesiasticae, quos laicus urbis magistratus a suo gerendo officio suspenderat; tum ob venerabilem fratrem episcopum Cacerensem et plures ecclesiasticos viros huc illuc vexatos, pulsos aut ab officio deiectos, aliis etiam in eorum locum saecularium magistratuum violentia suffectis; tum ob novam Matriti parochiarum circumscriptionem, quam laica item potestas usurpare sibi visa fuerat. At vero tantum abfuit, venerabiles fratres, ut gubernium a suscepta ecclesiastici iuris invasione dimoveretur, quin potius iisdem reclamationibus, ac postrema praesertim quae de Hispalensis presbyteri negotio erat, indignatum contra ipsum nuntiaturae Nostrae vicesgerentem desaevire institit. Rem nostis iam plurimis nunciis divulgatam, cuius et documenta extant a gubernio ipso edita; ut satis sit illam hoc loco paucis detestari.

Ut primum gubernii praesides novissimam illam reclamationem acceperunt, statim de re universa sententiam rogarunt supremi laicorum tribunalis; idque ipsum vicesgerenti Ramirez renunciantes significarunt, ut interim ab alia quavis cum ipsis communicatione abstineret. Deinceps vero sub decembris finem ex tribunalis consilio decreverunt, ut idem dilectus filius Ioseph Ramirez a vicesgerentis nuntiaturae munere cessaret, cessaretque pariter apostolicum rotae tribunal; insuper ut praedictum supremum laicorum tribunal nova quamcitius consultatione referret de ratione, quam porro teneri oporteat ab Hispanis civibus ad negotia persequenda, de quibus rota illa cognoscebat; nec non ad gratias, quae a nuntiatura concedebantur, posthac pariter obtinendas, quin pro his preces Romam mittere opus sit: denique ut ipse Ramirez quasi gubernii dignitatem iniustis, inobsequentibus, nec permissis sibi reclamationibus offendisset, occupatione multaretur redituum quorumcumque ei aut ab aerario, aut ab Ecclesia obvenientium et statim extra fines Hispaniarum deduceretur. Omnia hinc, ut mandata fuerant, militari manu consummata sunt; ac tota rei series kalendis ianuar. ab ipso, uti diximus, gubernio, in publicum edita bonorum catholicorum animos contristavit.

Supervacaneum arbitramur ea hic perstringere, quae contra Ecclesiae ius, perperam affirmata leguntur in sententia illa seu consultatione supremi tribunalis a gubernio approbata. Ex ipsa vero manifestum est, tribunal gubernii que praesides in dilectum filium Ramirez eo consilio severius egisse, ut alios a similibus reclamationibus deterrerent. Atque hinc probe perspicitis, venerabiles fratres, qualis futura sit Ecclesiae conditio in Hispaniae regno, si ne literis quidem ad gubernium datis liberum fuerit contra ea reclamare, quae adversus Ecclesiae ius a laica ipsa potestate perpetrantur. Vae autem Nobis, si in tanta inibi commotione sacrarum rerum et oppressione ecclesiasticae libertatis non opponamus murum pro domo Israel, sed gemitus Nostros intra secretae expostulationis limites ulterius contineamus. Urget Nos etiam studium quo tenemur, paternae caritatis erga catholicam Hispanorum gentem de Ecclesia et de Sancta hac Sede bene admodum meritam, quam ex memorata rerum ecclesiasticarum perturbatione in religionis periculum adductam conspicimus.

Igitur attollimus iterum in hoc consessu vestro apostolicam vocem, venerabiles fratres, et testes invocando coelum et terram, de omnibus

quae in Hispania contra Ecclesiae ius gesta sunt, hodieque geruntur, etiam atque etiam vehementer expostulamus. Querimur nominatim de usurpato a laicis qualicumque iudicio in rebus quomodolibet respicientibus fidei doctrinam, quam ex mandato Christi Iesu Domini dominorum et Regis regum, et potestate saeculi frustra contradicente, ipso apostolorum aevo in Hispaniis annuntiatam postmodum sacri pastores inibi sub auctoritate ac ductu Apostolicae huius Sedis dilatarunt ulterius strenueque in magna publicarum rerum varietate tutati sunt, atque ad Nostra haec tempora incorruptam custodierunt. Querimur violatam supremi Nostri apostolatus dignitatem in persona vicesgerentis nuntiaturae Nostrae, nec non in tribunali rotae illic Sanctae huius Sedis indulgentia constituto, ecclesiasticis causis, in quibus ad Sedem ipsam appellatum fuerit, cognoscendis: quarum quidem appellationum ius suo primatui cohaerens Romanus Pontifex vel primis Ecclesiae saeculis in Hispania exercuit [1], quarum etiam cognitionem legatis suis in Hispaniam euntibus identidem in peculiaribus causis delegavit [2]. Querimur de pluribus venn. fratribus a suo cuiusque grege divulsis, in quo eos Spiritus Sanctus posuerat episcopos regere Ecclesiam Dei, ac de illorum vicariis a demandata sibi procuratione saepius prohibitis; nec non de canonicis vacantium ecclesiarum temere inductis, aut aperta etiam vi adactis, ut munus vicarii capitularis viro a gubernio in episcopum nominato deferrent, contra sanctiones concilii Lugdunensis II [3], aliis subinde constitutionibus, et recenti memoria notissimis Pii VII decessoris Nostri literis [4] confirmatas. Querimur religiosos viros e coenobiis depulsos, in quae evangelicae perfectionis consilia sequuturi sese receperant; et saecularem pariter clerum multimodis afflictum, et in rebus quoque ad sacrum munus suum pertinentibus divexatum. Querimur Ecclesiae patrimonium maxima iam ex parte usurpatum; perinde ac si pertinuerit illud ad publicam nationis potestatem, et immaculata Christi Sponsa non habeat ex nativo iure suo facultatem acquirendi possidendique bona temporalia; atque adeo uti invasores alieni iuris reprehendendi fuerint maiores Nostri, qui bona eiusmodi sub ethnicis etiam principibus possederunt, et ubi decretis ab his editis ablata Ecclesiae fuerant, illorum restitutionem tanquam ex iustitiae lege sibi debitam a succedentibus imperatoribus acceperunt [5]. Querimur decreta actusque ceteros, quibus Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constituta [6] contemnitur; et infando ausu impetitur sacra potestas ad religionis negotia pertinens, quam Ecclesia a divino suo conditore plenam accepit, et in media etiam saecularium principum contradictione libero prorsus iure exercendam. Querimur templa Domini Sabaoth, sanctorum imagines, supellectilem, ornamenta et sacratiora ipsa tremendi sacrificii instrumenta, in profanum usum conversa. Querimur denique nefarios libros huc illuc in catholico regno magistratibus haud semper ignaris disseminatos, et ipsos interdum haereticae pravitatis magistros, a simplicium fide corrumpenda non interdictos; atque hinc crescente improborum licentia, functiones divini cultus nonnunquam derisione, tumultu, blasphemiis et sacerdotum caedibus impune faedatos.

Iuxta haec igitur pro sollicitudine omnium ecclesiarum, qua Deo auctore distringimur, omnia et singula, quae sive in his, sive aliis in rebus ad Ecclesiae ius pertinentibus, a Matritensi gubernio, seu ab inferioribus quibusque magistratibus, decreta, gesta, seu quomodolibet attentata sunt, auctoritate Nostra apostolica, reprobamus, et decreta ipsa cum omnibus inde consecutis, eadem auctoritate, cassamus, abrogamus, et irrita prorsus nulliusque roboris fuisse ac fore declaramus. Ipsos autem illorum auctores, qui filiorum Ecclesiae catholicae nomine gloriantur, obtestamur atque obsecramus in Domino, ut aperiant tandem aliquando oculos super vulnera eidem beneficentissimae Matri illata; insuper et meminerint censurarum poenarumque spiritualium, quas apostolicae constitutiones et oecumenicorum conciliorum decreta contra invasores iurium Ecclesiae facto ipso incurrendas infligunt, atque adeo misereantur suae quisque animae huiusmodi *vinculis invisibilibus constrictae* [7], ac recogitantes *quoniam iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet* [8], *serio considerent summum futuri eiusdem iudicii praeiudicium esse, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis et conventus et omnis sancti commercii relegetur* [9].

---

1 Ita S. Stephanus PP. appellationem suscepit Basilidis Asturicensis et Martialis Emeritensis de qua S. Cyprianus epist. 68 iuxta edit. Balutii et Maurin.

2 Ita in causa presbyteri cuiusdam et duorum episcoporum, de qua extat S. Gregorii Magni epist. 45 libri 13 ad Ioannem defensorem.

3 Cap. 5 de electione in VI.

4 5 novembris 1810 ad cardinalem Maury, 2 decembris 1810 ad Averardum Corboli, ecclesiae Florentinae vicarium capitularem, et 18 decembris 1810 ad Paulum d' Astros, vicarium capitularem ecclesiae Parisiensis.

5 Ex constitutione imperatoris Constantini apud Eusebium lib. 10. H. E. cap. 5 et apud Lactantium seu Lucium Caecilium de Mortib. persec. cap. 48. Vide etiam constitutionem eiusdem Constantini apud Eusebium de vita Constantini lib. 2 cap. 39.

6 Concilium Tridentin. sess. 25 c. 20 de Reform.

7 Ex S. Gregorio Nysseno in oratione adversus eos qui castigat. aegre ferunt, tom. 3 opp. edit. Morelli pag. 314.

8 Sapientiae VII, 6.

9 Ex Tertulliano, Apologetici cap. 39.

Interea venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis Hispaniarum vehementer in Domino gratulamur pastorale studium, quo sive permanerent in suis dioecesibus, sive inde discedere compulsi, omnes ferme sollicitam dedere operam tuendae, quoad per eos fieri potuit, Ecclesiae causae, nec destiterunt seu voce seu literis, tum per seipsos tum saltem per alios admonere gregem officii sui, eumdemque adversus circumstantia religionis pericula praemunire. Debito etiam laudum praeconio prosequimur reliquum fidelem clerum, quod labores in id suos conferre pro viribus non praetermiserit. Collaudamus pariter catholicum ipsum populum, cuius pars longe maxima in veteri sua erga episcopos et inferiores pastores canonice institutos reverentia perseverat. Hinc vero firmiorem erigimur in spem fore, ut dives in misericordia Dominus super vineam illam suam propitiatus respiciat. Vos interim pergite ut certe facitis, venn. fratres, una Nobiscum assiduas pro illis orationes et supplicationes Deo per Iesum Christum offerre, atque invocare clementissimum interventum Immaculatae Deiparae Virginis Hispaniarum patronae, nec non beatos Coelites, qui in ea regione vixerunt, ut quemadmodum ipsi olim virtute, doctrina, laboribus aut fuso etiam in fidei testimonium sanguine, patriam illam suam sanctificarunt et illustrarunt, ita nunc praesidio adsint et pia ad Dominum deprecatione implorent populariibus suis misericordiam et gratiam in auxilio opportuno, et omnes quibus premuntur, calamitates et pericula potenter avertant.

LXXIII.

Ludovicum de Bonald archiepiscopum Lugdunensem S. R. E. presbyterum cardinalem creat atque declarat, alium vero praestantissimum virum S. R. E. cardinalem creat et in pectore reservat [1].

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE PRIMA MARTII
MILLESIMO OCTINGENTESIMO QUADRAGESIMO PRIMO.

Venerabiles fratres

Amplitudinem collegii vestri augere cupientibus, Nobis illud inter cetera s. Bernardi monita venit in mentem *viros probatos oportere deligi non probandos*. Hinc libenti sane animo huc accedimus homines duos in gradum vestrum hodie evecturi, quorum tamen alterum in pectore reservare, alterum hoc ipso die etiam declarare constituimus.

Hac autem occasione vobis, venn. fratres, non sine moerore nuntiamus, unum e duobus viris spectatissimis, quos in consistorio habito die duodecima februarii anni millesimi octingentesimi trigesimi octavi in pectore reservavimus, iamdiu rebus humanis ereptum esse. Porro ut nunc de illo uno loquamur, quem hodie creare atque evulgare consilium est, hominem eum esse insigni meritorum suorum laude probatum nemo inficiabitur. Is enim est ven. frater Ludovicus de Bonald archiepiscopus Lugdunensis. Notae iam erant fama, egregiae virtutes eius, nota opera et fides, notus pari cum prudentia zelus religionis et salutis animarum; at quousque progredi ardore caritatis posset, modo luculentissime patefactum est in teterrima illa dioecesis suae finitimaeque regionis calamitate, aquis inaudita post incolarum memoriam inundatione cuncta vastantibus, quandoquidem nec sumptibus nec incommodis nec laboribus nec periculis parcens, mirifica planeque paterna sollicitudine subvenire necessitatibus animarum corporumque omnis generis hominum saluberrime studuerit. Talia ob specimina cum ille universae Galliarum genti, nedum clero, sit iure optimo acceptus, rex ipse christianissimus meritorum aequissimus aestimator, pro ea qua afficitur cura de catholicae in regno suo religionis incremento ac dignitate, sua Nobis officia sponte adhibuit, ac summis eum ornans laudibus, maximis honoribus apprime dignum esse gravissimo suo testimonio confirmavit, atque eadem ob specimina Nos provectionem eius admodum utilem ac decoram S. R. E., cui est singulari pietate devotus, futuram in Domino iudicavimus simulque inde praeclarum ordini vestro ornamentum esse accessurum.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, creamus et declaramus S. R. E. presbyterum cardinalem Ludovicum de Bonald archiepiscopum Lugdunensem.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis.

Alium vero cardinalem creamus et in pectore reservamus arbitrio Nostro quandocumque declarandum.

In nomine Patrris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

LXXIV.

INDULTUM

Fit concessio indumentorum insignium favore canonicorum collegialis ecclesiae, oppidi Capo di Monte, *Montis Falisci dioeceseos* [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Honorum insignia libenter quidem ecclesiasticis viris qui conspicuis in templis levantes manus eorum in sancta in hymnis et canticis omnipotenti Deo laudes concelebrant, deferre solemus, ut ipsi magis magisque virtutum omnium ornatu fulgere, atque in Dei gloriam et sempiternam hominum salutem procurandam incumbere summopere conentur.

Exponendum Nobis curarunt dilecti filii canonici collegialis templi oppidi *Capo di Monte,* Montis Falisci dioeceseos, eos impense cupere lineum manicatum amiculum, vulgo *rocchetto,* et palliolum seu mozzettam violacei coloris gerere posse, ut eiusdem templi et canonicorum collegii decus augeatur et splendor. Itaque supplici cum prece a Nobis postularunt, ut huiusmodi privilegium ipsis benigne concedere velimus. Nos vero gravissimo ven. fratris episcopi Montis Falisci et Corneti accepto testimonio, ex quo illos hac gratia omnino dignos esse cognovimus, eorum postulationibus alacri libentique animo annuendum censuimus.

Quamobrem commemorati collegialis templi canonicos peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, iis qui modo sunt, quique in posterum erunt, canonicis oppidi *Capo di Monte* Montis Falisci dioeceseos, perpetuum in modum, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, concedimus atque indulgemus, ut lineum manicatum amiculum et palliolum vulgo *mozzetta* violacei coloris, in choro, in conventibus seu, ut dici solet, in capitulis, quum deliberationis causa coguntur, in sacris supplicationibus aliisque canonicorum collegii functionibus, libere et licite gestare possint et valeant.

Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et quoties opus fuerit eiusdem collegiatae ecclesiae et canonicorum collegii etiam iuramento, atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die quinta mart. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXXV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Separat a dioecesi Gandavensi eas paroecias provinciae Zelandiae, quae modo ditioni regis Belgii (Paesi Bassi) *subsunt, easque unit vicariatui apostolico Bredae* [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Universi dominici gregis salus Nobis divinitus commissa atque concredita postulat et efflagitat, ut nullis neque consiliis, neque curis, neque laboribus parcamus, atque ea omnia perficienda curemus, quae in maiorem christifidelium utilitatem redundare posse cognoscimus.

Compositis itaque per similes Nostras apostolicas literas die secunda iunii anno superiori millesimo octingentesimo quadragesimo datas ecclesiasticis negotiis earum regionum, quae ex conventione a Belgarum regno seiuncta, serenissimi Belgii, vulgo *Paesi Bassi,* regis ac magni Luxemburgi ac Limburgi ducis ditioni restitutae fuerunt, nec non designatis vicariatuum in eodem regno existentium seu erectorum limitibus, cum eiusdem serenissimi regis apud Nos et hanc Apostolicam Sedem orator Nobis exponendum curaverit, vel maxime congruum ipsi regi videri eiusque in votis esse, ut illae pariter, quae adhuc subsunt ven. fratris Gandavensis episcopi auctoritati, provinciae Zelandiae paroeciae cum suis adnexis, seu cum actuali earumdem territorio, ab eadem Gandavensi dioecesi seiunctae et dismembratae, vicariatus apostolici Bredani administratoris iurisdictioni sub-

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

[2] Ex Iure Pont. de P. F.

iiciantur: Nos rebus omnibus maturo examine perpensis, et inspecta praesertim maiore christifidelium in iis locis disiungendis commoditate atque utilitate, atque accepto ipsius ven. fratris Gandavensis episcopi assensu ac voluntate pro huiusmodi dismembratione, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, hisce postulationibus annuendum censuimus.

Quamobrem Motu Proprio, certa scientia, matura deliberatione deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hisce literis, eas Zelandiae provinciae paroecias cum actuali earumdem territorio, quae hactenus Gandavensi episcopo subiectae fuerant, ab ipsa Gandavensi dioecesi perpetuo auferimus, distrahimus, divellimus, ipsasque cum vicariatu apostolico Bredano coniungimus, et Bredani in tempore praesulis iisdem in locis existentis auctoritati et iurisdictioni omnino subiicimus ac subiecta esse mandamus.

Atque ut huiusmodi res suum sortiatur effectum, in harum literarum exequutorem deputamus ven. fratrem Antonium Antonucci episcopum Feretranum, gestorem negotiorum huius S. Sedis apud commemoratum serenissimum Belgii regem ac vice-superiorem illius regni missionum, cum omnibus et singulis facultatibus necessariis atque opportunis, eadem prorsus ratione, prout exequutio commemoratarum Nostrarum apostolicarum literarum in simili forma Brevis diei secundae iunii superioris anni millesimi octingentesimi quadragesimi ipsi demandata fuit.

Haec volumus, statuimus, mandamus, decernentes has praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod ii, quorum interest aut interesse posset in futurum, vocati et auditi non fuerint, aut praemissis etiam non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios ac integros effectus sortiri et obtinere; sicque, in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, Sedis Apostolicae nuntios ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi seu interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostris et cancellariae apostolicae regulis *de iure quaesito non tollendo*, et *de unionibus committendis ad partes*, vocatis, quorum interest, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis ac in generalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, necnon statutis et consuetudinibus, ac quibuscumque concordiis et conventionibus forsan initis, roboratis, confirmatis et approbatis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Huiusmodi vero literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis et sigillo personae ecclesiastica dignitate ornatae munitis, eamdem ubique locorum in iudicio et extra, fidem haberi volumus, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae voluntatis, dismembrationis, divisionis, exemptionis, unionis, subiectionis, commissionis, deputationis, mandati, decreti ac derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die nona mart. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXXVI.

EPISTOLA

Praesidi reipublicae Haitarum in insula S. Dominici commendat episcopum S. Ludovici, quem illuc mittit novum delegatum, ut damna religionis ibi gliscentia, eius praesidio fultus, reparare possit [1].

Dilecto filio illustri et honorabili viro
Iohanni Petro Boyer
Haitarum reipublicae praesidi

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili illustris et honorabilis vir, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontificii muneris ratio et sollicitudo universalis Ecclesiae, cui regendae per immensam

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

divinae bonitatis abundantiam plane immerentes praefecti fuimus, nullam Nos sinunt occasionem praetermittere, ut, quae gentis Haitianae spirituale emolumentum attingunt, ea opportune ac salubriter procuremus. Cum igitur ven. frater Iosephus episcopus S. Ludovici in foederatis Americae provinciis reditum ex Urbe in suam dioecesim pararet, illum ad nobilitatem tuam mittendum duximus, ut tamquam delegatus Noster, quae ad religionem pertinent, praesens inviseret, ac de iis componendis tecum pertractaret. Novimus enim, (quod sine maximo animi dolore commemorare non possumus), religionem catholicam in republica ista sensim sine sensu labefactari, nec iam ad vitam moresque recte conformandos vim suam exercere, adeoque aeternam animarum salutem in gravissimum discrimen adduci. Quandoquidem vero, dilecte fili, te minime lateat morum perversitatem religionisque contemptum non leve reipublicae detrimentum inferre, supervacaneum profecto foret, si ea rursus hic percenseremus, quae alias per ven. fratrem Ioannem episcopum Carolopolitanum tibi in hanc rem significavimus, quum videlicet plurium regionum exempla proposuimus, quibus, ob catholicam in eis florentem fidem, omnia bene ac feliciter successerunt. Verum, ne Haitarum gens iis destituatur commodis praesidiisque, quae ex divinae religionis cultu proficiscuntur, ab ea removeatur oportet quidquid impedimento esse potest, ne sic res christiana geratur, quemadmodum fidei auctor et consummator Christus divinitus constituit atque sancivit. Quae quidem cum ita se habeant, illustris et honorabilis vir, legationem istam veluti peculiarem benevolentiae Nostrae significationem erga te et rempublicam istam excipias, illudque certo scias, praesulem amplissimum a Nobis ad tale munus destinari, quem ob egregias animi sui dotes atque ob plurimos pro Christi fide exantlatos labores singulari prorsus dilectione prosequimur. Ceterum eo vota Nostra referuntur (quae a patre misericordiarum ac Deo totius consolationis benigne excipienda confidimus), ut quaecumque catholicae fidei obsunt, e regionibus istis eliminentur, quae vero ad religionem instaurandam et ad aeternam animarum salutem promovendam conducunt, ea instituantur atque firmentur. Itaque, dilecte fili, ven. fratrem episcopum S. Ludovici munus suum apostolicum exequentem, tuearis patrocinio tuo validissimo, ac negotium huiusmodi, quo Dei gloria gentisque tuae agitur salus, pro viribus adiuves foveasque; ita enim Haitianae reipublicae eam firmitatem ac pacem comparabis, quae nunquam a germana pietate seiungi potest; simulque, dum apud tuos viri optime de patria meriti consequeris laudem, indeficienter apud Deum beatitudinem promereberis. Ad cuius interim auspicium et pignus apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima quarta mart. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXXVII.

MOTU-PROPRIO

Nonnulla declarat et decernit circa missiones custodiae Terrae Sanctae in Palaestina ac in vicariatibus apostolicis Syriae et Aegypti; poenitentiarios in urbe Hierosolymitana constituit; tempus pro officialibus ac visitantibus ad sexennium prorogat [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

In supremo episcopatus culmine positi, muneris Nostri esse censemus non modo apostolicos viros per orbem universum mittere, qui novas missiones constituant, atque evangelii lumen longe lateque diffundant, verum etiam illorum labores apte dirigere, eaque ratione rei catholicae ubicumque providere, quae fidei propagandae ac conservandae utilior existat. Enimvero, si primum illud, Deo favente, feliciter Nobis contigisse gaudemus, nullis profecto curis, nullis laboribus pepercimus, ut alterum quoque consequeremur, aptioremque rerum ordinem locis congruentem induceremus. Peculiarem hanc Nostram sollicitudinem postulare videntur regiones illae, quae fratribus Minoribus s. Francisci, custodiae Terrae Sanctae addictis, sunt commendatae, quorum profecto munus latissime patet: primo enim sanctuaria Palaestinae, quae Christus Dominus praesentia sua ac passione decoravit, ipsis debito cultu servanda tradita fuerunt; iisdem catholicorum fidelium ritus latini, quandoque etiam rituum orientalium, cura est demandata; denique omni ope adlaborare debent, ut schismatici haeretici ac infideles viam veritatis agnoscant et, unicum Christi ovile, Ecclesiam catholicam ingrediantur.

Porro facultates et mandata, quae vicariis apostolicis Alepi, ab ipsa vicariatus erectione in hanc usque diem, tradita fuerunt, huiusmodi profecto sunt, ut inde aliqua ex parte imminuta videantur iura ac privilegia, quibus ex praedecessorum Nostrorum concessione fruebatur guardianus seu custos Terrae Sanctae. Pluries proinde ad sacram congregationem de

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

Propaganda Fide preces delatae fuerunt ex parte praesertim vicariorum apostolicorum, ut utriusque muneris iurisdictio certis limitibus praefiniretur, atque omnis adimeretur locus controversiis, quae, si ubivis, in locis praesertim missionum, non sine magno religionis detrimento inter ecclesiasticos viros agitarentur. Rem proinde venn. fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus sacri consilii de Propaganda Fide sedulo examinandam tradidimus, ac de eorum sententia, habitaque ratione eorum omnium quae dilectus filius Noster Aloysius tituli s. Callisti S. R. E. presbyter cardinalis Lambruschini nuncupatus seraphici ordinis protector, ac dilectus pariter filius fr. Ioseph Maria ab Alexandria minister generalis Minorum Observantium ac Reformatorum s. Francisci hac super re Nobis repraesentaverunt, auctoritatem tam praefati vicarii apostolici Alepi, quam custodis ac guardiani Terrae Sanctae, aptiori modo definiendam decrevimus.

Motu igitur Proprio, ex certa scientia ac matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine constituimus, ut guardianus Terrae Sanctae pro tempore, iura quae eidem competunt ad normam apostolicarum constitutionum, libere exerceat in universa Palaestina atque insula Cypri, quin vicario apostolico Alepi ulla in regionibus illis auctoritas competere amplius valeat. Cum vero ad custodiam pp. Minorum Terrae Sanctae conventus et hospitia nonnulla pertineant in variis Syriae locis extra Palaestinam, ubi sacro etiam ministerio in populi utilitatem funguntur; decernimus, ut in iis quoque permaneant et omnia, uti antea, pro fidelium bono praestare prosequantur. Attamen, reservata in eos auctoritate p. guardiani Terrae Sanctae, prout regularis superior existit provinciae seu custodiae Terrae Sanctae, in iis, quae regularem observantiam spectant, volumus et constituimus, ut vicario apostolico Alepi, cui Syria universa subest, ii quoque subiiciantur, quemadmodum ceteri missionarii regulares, qui in praefato Syriae vicariatu degunt. Ita vicarii apostolici et guardiani Terrae Sanctae iurisdictione composita, limitibusque statutis, quos uterque servare in posterum debeant, fore confidimus ut, difficultatibus omnibus de medio sublatis, in satis ampla provincia eorum respective sollicitudini commissa adlaborare impensius pergant. Neque vero diversa ratione agendum putavimus, cum, animo recolentes quot quantaque incrementa catholica fides in Aegypti regione sibi polliceri posset, per Nostras literas in simili forma Brevis die decima octava maii anno millesimo octingentesimo trigesimo nono quae incipiunt *Ex munere pastoralis ministerii*, missionem inferioris Aegypti a guardiani Terrae Sanctae, qui eam uti praefectus apostolicus regebat, iurisdictione abstulimus, missionem insuper superioris Aegypti atque Arabiam a vicariatu apostolico Alepi disiunximus; quibus ex regionibus novum constituimus vicariatum apostolicum, quem ven. fratri perpetuo episcopo Fesseitano commisimus. Porro, ut ea omnia, quae regimen Terrae Sanctae respiciunt, Nostra hac constitutione complectamur, praefatam dismembrationem in omnibus suis partibus, ac vicariatus apostolici in Aegypto erectionem ratam habentes ac confirmantes, declaramus pariter, quod fratres Minores custodiae Terrae Sanctae addicti missionem, quam in inferiori Aegypto exercebant, obtinere adhuc debeant, ea ratione, ut subiectio, quam vicario apostolico, quemadmodum alii missionarii regulares ipsius vicariatus, praestare debebunt, nullo pacto impediat, quin ad regularem familiam Terrae Sanctae adhuc pertineant, atque in iis omnibus, quae regularem observantiam respiciunt, p. guardiano obsequi omnino debeant.

Ad ipsam vero Terrae Sanctae custodiam, seraphici ordinis alumnis creditam, sollicitudinem Nostram propius convertentes, quod pro maiore ipsius cultu ac splendore, et pro fidelium illuc confluentium utilitate iam praestitimus, iterum sancire ac solemniori modo confirmare statuimus. Perpendentes enim ad sanctuaria illa, ubi reparationis Nostrae mysteria peracta fuere, devotionis causa magno numero fideles ex omnibus nationibus properare, per Nostram congregationem de Propaganda Fide poenitentiarios in urbe Hierosolymitana constituendos curavimus, qui peccatorum confessiones in praecipuis illarum nationum linguis excipere assidue valerent. Ut igitur Nostrae huius sollicitudinis fructus iugiter percipiatur, praefatum congregationis decretum iterum approbantes, mandamus, ut in urbe Hierosolymitana duodecim poenitentiarii ad normam poenitentiariorum basilicarum Urbis semper haberi debeant, quorum tres pro lingua araba, ceteri vero pro itala, hispanica, gallica, britannica, germanica, hungarica, polonica, graeca ac turcica deputentur. Muneris porro erit superioris generalis ordinis s. Francisci in Urbe constituti diligenter curare, ut praesto semper sint viri pietate, scientia ac zelo praestantes, pro singulis ex praedictis linguis, quos ad ipsam congregationem de Propaganda Fide deferet, ut ab eadem, ceterorum missionariorum more, missionarii apostolici ac poenitentiarii instituantur. Ii vero omnibus iuribus ac privilegiis gaudebunt, quibus alii missionarii ex ordine Minorum s. Francisci de Observantia potiuntur, attamen sub obedientia p. guardiani Terrae Sanctae suo muneri satisfacient.

Denique supramemorati dilectus filius Noster Aloysius card. Lambruschini ordinis protector ac dilectus filius Iosephus ab Alexandria minister generalis considerationi Nostrae subiecerunt, breve nimis atque angustum videri trien-

nii spatium, quo munus guardiani aliorumque officialium Terrae Sanctae perdurat, quemadmodum et praefinitum tempus in custodia permanendi pro fratribus Minoribus, qui ex variis ordinis provinciis visitantium nomine ad illam destinantur: optantes proinde, ut illorum ministerium s. custodiae ac populo ibidem degenti magis utile evadat, preces Nobis obtulerunt, ut perduratio dictorum munerum ac mansio in custodia pro visitantibus, ad longius tempus protraherentur. Nos igitur qui vel maxime cupimus, ut praefati regulares non modo in rite custodiendis sanctuariis Palaestinae, verum etiam in animarum salute procuranda diligentem navent operam, derogantes in hac parte constitutioni s. m. Bened. XIV praedecessoris Nostri, quae incipit *In supremo militantis Ecclesiae solio,* decernimus, ut in posterum custos Terrae Sanctae seu guardianus sancti sepulchri, quemadmodum et ceteri officiales, quorum munus triennio concludebatur, ad sexennium illud exerceant, idemque temporis spatium pro iis constituimus, qui visitantium nomine in custodiam se conferunt ex omnibus ordinis provinciis, ut eidem inserviant, firmis ceteris remanentibus, quae in praefata atque in aliis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum constitutionibus continentur pro regimine Terrae Sanctae.

Superest iam, ut ecclesiasticos viros et sacros ministros cuiuscumque gradus, ordinis ac ritus, qui in praefatis missionibus ac praesertim in custodia Terrae Sanctae degunt, etiam atque etiam hortemur, ut sollicitudini Nostrae in primis respondeant, in vinea Domini strenue adlaborare curent, prae oculis habeant illorum exempla, qui in ministerio isto difficilioribus sane temporibus eos praecesserunt, quorum intuentes exitum conversationis, imitentur fidem, zelum domus Dei, sollicitudinem, qua omnes cupiebant in visceribus Christi, pro quo interdum gravissima quaeque libentissime pertulerunt; ita enim eamdem ac illi immarcescibilem gloriae coronam a pastorum principe consequentur.

Decernimus vero has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae apud s. Petrum snb annulo piscatoris die vigesima tertia martii millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXXVIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Congregatio Presbyterorum Adoratorum et Contemplatorum Sanctissimi Cordis Iesu, ab archiepiscopo Tolosano instituta, laudatur atque commendatur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad futuram rei memoriam.

Cum Nobis nihil potius, nihil gratius nihilque optabilius esse possit, quam ut christiana religio maiora in dies ubique incrementa suscipiat, omnesque enutriti magis verbis fidei crescant in scientia Dei, atque alacri et inoffenso pede incedentes, per semitas Domini vitam assequantur aeternam; tum pia eorum sacerdotum instituta vehementer commendare solemus, qui, hac praesertim tanta temporum asperitate, tantaque rerum omnium perturbatione, praeliantes praelia Domini, atque opponentes murum pro Domo Israel, divini verbi praeconio ac multiformis gratiae Dei dispensatione in spiritualem hominum salutem procurandam pro viribus incumbunt. Non mediocri certe paterni animi Nostri voluptate accepimus, venerabilem fratrem Paulum d' Astros, in praesenti archiepiscopum Tolosanum, virum ingenio, doctrina, virtute, pietate, religione, ac singulari in hanc Petri Cathedram affectu summopere praestantem, et de catholicae Ecclesiae bono deque animarum salute vehementer sollicitum, cum Baionensi ecclesiae praeesset, congregationem nonnullis legibus instituisse presbyterorum, qui *Adoratores et Contemplatores Sanctissimi Cordis Iesu* appellati, eo spectare debent, ut sacris potissimum expeditionibus seu missionibus, tum propriam, tum aliorum sanctificationem curare, corruptos depravatosque mores reformare, hominesque a vitiorum coeno ad rectam virtutis viam traducere, atque ad sanctioris vitae rationem impellere, fidei incrementa promovere, atque adiutricem episcopis pro animarum bono manum praebere, omni cura, industria, labore, consilio conentur. Atque idem pientissimus antistes, ubi anno millesimo octingentesimo trigesimo ad Tolosanae ecclesiae regimen fuit evectus, eiusdem congregationis domum Tolosae excitandam curavit, easdemque constitutiones, quibusdam tantum immutatis, Tolosanae domus presbyteris servandas dedit. Cum vero idem ven. frater summopere cuperet, eam congregationem huius Apostolicae Sedis approbatione vel commendatione muniri, idcirco supplex Nos adiit, atque congregationi venn. fratrum Nostrorum S. R. E.

---

[1] Ex Archivio Domus Generalis.

cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, regulas ex constitutionibus excerptas exhibuit, quibus praescribitur ut huius congregationis presbyteri simplicia vota ad tempus nuncupent, communem vitam suorum superiorum regimini subiectam agant, atque episcoporum auctoritati subditi, illis in vinea Domini excolenda omnem opem et operam ferant.

Nos itaque, auditis nonnullis venn. fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus eiusdem congregationis Episcoporum et Regularium, atque acceptis honorificentissimis literis venn. fratrum archiepiscoporum Auscitani, Aquensis et Burdigalensis, et episcoporum Carcassonensis, Aloniensis et Apamiensis, qui omnes hanc presbyterorum societatem summis laudibus efferre non dubitant, inspectisque eiusdem societatis regulis, quae ad propositum finem assequendum accommodatae esse videntur, rebusque omnibus maturo et accurato examine perpensis, ea profecto spe freti fore ut, benedicente Domino, ex hac pia presbyterorum congregatione in christianam et civilem rempublicam maxima bona redundent, piissimi, religiosissimi archiepiscopi congregationis eiusdem institutoris votis quam libentissime annuendum censuimus.

Quamobrem hisce literis, eumdem ven. fratrem d'Astros, de catholica Ecclesia tot sane nominibus praeclare meritum, ac pro divini nominis honore et gloria, pietatis cultu, animarum salute, tam provide tamque sapienter adlaborantem, praecipuo paternae caritatis affectu prosequentes, illum meritis laudibus efferimus, et congregationem Presbyterorum Adoratorum et Contemplatorum Sanctissimi Cordis Iesu, ab ipso institutam, summopere in Domino commendamus, neque dubitamus quin divina adspirante gratia, ex solida eorum doctrina, religione ac zelo uberes bonorum operum fructus in populos derivare possint. Pontificiae autem Nostrae benevolentiae testem eidem ven. fratri Paulo d'Astros atque ipsius congregationis presbyteris, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima sexta mart. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXXIX.

LITTERAE APOSTOLICAE

Ruralis paroecia s. Bartholomaei supprimitur atque illarum animarum cura cum paroecia s. Silvestri oppidi Piegaro coniungitur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad futuram rei memoriam.

Cum universi dominici gregis salus Nobis divinitus concredita atque commissa postulet, ut omni quidem vigilantia et sollicitudine prospiciamus, ne quidem animae pretiosissimo unigeniti Dei Filii sanguine redemptae detrimenti capiant, atque iis omnibus iuventur subsidiis, quibus vitam assequantur aeternam, tum alacri sane libentique animo iis postulationibus annuere solemus, quae ad spirituale ipsarum animarum bonum pertinere posse cognoscimus.

Exponendum Nobis curavit magistratus oppidi Piegaro, dioeceseos Civitatis Plebis, unum animarum curatorem ibi existentem parochialis templi s. Silvestri haud posse illius regionis populum sacramentorum ope iuvare ac pascere. Cum autem alia desint beneficia atque presbyteri, idcirco ut huic gravissimae rei consulatur, opportunum omnino esset ruralem paroeciam s. Bartholomaei quae ab illa regione mille passuum distat, ac nonaginta septem capitibus constat, atque ob census tenuitatem decem iam ab hinc annis parocho caret, supprimere, atque ita eiusdem ruralis paroeciae reditibus capellaniam ad nutum amovibilem instituere, eamque presbytero conferre qui parocho s. Silvestri in animarum cura tum in regione tum in agro opem praebere deberet. Addit vero ex ruralibus paroeciae reditibus summam annuam scutatorum quinque et assium triginta esse demendam, quae ex censu Milanesi obveniens, in cultum templi s. Bartholomaei esset eroganda. Ad huiusmodi rem perficiendam conventio et pactio ab hodierno parocho inita fuit hisce conditionibus quibus praescribitur:

1. Ut parochus s. Silvestri ius acquirat in omnes decimas et alia quaecumque incerta emolumenta populi paroeciae s. Bartholomaei.
2. Ut eidem parocho s. Silvestri perpetuo cedatur summa scutatorum quinque et assium triginta quam census ratione Franciscus Milanesi solvit.
3. Ut omnis sacra supellex quae in ecclesia s. Bartholomaei nunc reperitur, templo parochiali s. Silvestri cedatur.
4. Ut ipse parochus s. Silvestri pro se et suis successoribus obligationem suscipiat,

---

[1] Ex Cancellaria Episcopali Civitatis Plebis (Città della Pieve).

cuius vi, fideles omnes paroeciae s. Bartholomaei divini verbi praeconio, sacramentorum administratione, eisque aegrotantibus assistere eorumque spirituali saluti quibusque modis consulere debeat, quemadmodum parochi officium postulat.

5. Ut commemorata summa scutatorum quinque et assium triginta penes parochum vel penes alium ab episcopo designandum depositi loco esse debeat, quo summa ipsa in tuitionem templi s. Bartholomaei et in divinum illius cultum unice erogetur, ita ut quoties episcopo placuerit de commemorata summa ipsi episcopo ratio sit reddenda.
6. Ut pro tempore parochus s. Silvestri teneatur tueri et renovare perpetuo omnis generis sac. supellectilem qua s. Bartholomaei templum indigebit.
7. Ut die s. Bartholomaei festivitati sacro, parochus oppidi Piegaro una cum cappellano et sodalitatibus ibi existentibus solemni pompa ad s. Bartholomaei templum pergere debeat; ibique sacrum cum cantu peragere, Sancti reliquiam populi venerationi proponere et cum ea populo ipsi benedictionem impertiri teneatur.
8. Ut die omnium fidelium defunctorum commemorationi sacro, parochus vel capellanus in templo s. Bartholomaei, sacrum cum cantu ad expiationem seu *de requiem* celebrare, ac solitas absolutiones peragere debeat.
9. Ut pluries per annum eodem in templo s. Bartholomaei sacrosanctum missae sacrificium ipse parochus vel capellanus celebrare debeat, diebus etiam non festis de praecepto, et praesertim diebus omnibus antea festivitati sacris, vulgo *feste levate*.
10. Ut quodlibet impendium sive cerae, sive olei, sive cuiusque rei causa erit peragendum, id omne parochus s. Silvestri substinere debeat.
11. Ut sacrum aes, vulgo *campana*, perpetuo in s. Bartholomaei ecclesia permanere debeat, ut signum rei sacrae, cum peragatur, dari queat, ac populus ad salutationem angelicam recitandam, aut ad opem a Deo pro fidelibus defunctis implorandam excitetur consuet horis, atque huiusmodi signum a viro, a parocho statuendo, dari debebit.
12. Denique ut parochus pro tempore omnino praestare teneatur, quidquid episcopus in tempore pro maiore utilitate et bono ac divini cultus decore statuere in Domino censuerit.

Iam vero idem magistratus enixis precibus a Nobis efflagitavit, ut supremam Nostram auctoritatem interponere velimus, quo haec omnia perfici possint atque optatum exitum obtineant. Nos vero quibus nihil gratius, nihil potius nihilque iucundius esse unquam potest, quam modis omnibus spirituali populorum bono pro viribus consulere, eosque pro viribus iuvare, ut post huiusce mortalis vitae stationem ad caelestem patriam perveniant, gravissimo ven. fratris Iosephi Mariae Severa, hodierni Civitatis Plebis antistitis, testimonio accepto, ex quo res ita se habere cognovimus, prout expositae, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium conc. Trid. interpretum consilio, huiusmodi postulationibus libenter annuendum censuimus.

Quamobrem omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, eidem ven. fratri episcopo Civitatis Plebis facultatem facimus atque impertimur, ut titulum parochialitatis in rurali ecclesia s. Bartholomaei supprimere atque huius paroeciae animarum cura cum paroecia s. Silvestri oppidi Piegaro, perpetuum in modum coniungere libere, licite ac valide possit et valeat. Praeterea eidem ven. fratri potestatem tribuimus, ut eadem auctoritate Nostra, pro suo tamen arbitrio atque conscientia, ex reditibus commemoratae ruralis paroeciae s. Bartholomaei exstinguendae, capellaniam amovibilem presbytero conferendam gratis erigere queat, imposito tamen onere capellano, a parocho eligendo, cum episcopi approbatione, eumdem parochum in animarum cura coadiuvandi. Ex hisce tamen reditibus fructus annuus scutatorum quinque et obulorum triginta ex censu Milanesi proveniens, erit omnino reservandus pro cultu eiusdem ecclesiae s. Bartholomaei. Iubemus vero omnes et singulas conditiones, de quibus habita mentio est, hoc futurisque temporibus diligentissime servari, atque ipsis conditionibus, in Nostris hisce literis descriptis, inviolabile Nostrae potestatis robur adiicimus.

Haec concedimus atque indulgemus, praecipimus et mandamus decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, Sedis Apostolicae nuntios ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula, *de iure quaesito non tollendo,* nec non fel. rec. Benedicti XIV praedecessoris Nostri, *super divisione materiarum,* et aliis apostolicis, atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non legis fundationis utriusque commemoratae paroeciae, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis ; quibus omnibus et singulis illorum tenores, praesentibus pro plene ac sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die trigesima martii millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXXX.

EPISTOLA

Cum Ferdinando regni utriusque Siciliae rege laetatur de nova suscepta prole [1].

Carissimo in Christo filio Nostro
Ferdinando
regni utriusque Siciliae regi illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Carissime in Christo fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Quaecumque illa sint, quae filiali erga Nos pietate significas studii in regiam maiestatem familiamque tuam Nostri habere documenta, ea tibi confirmamus ex voluntate, qua in te ac tuos sumus, vere paterna fuisse profecta. Hinc existimare facile potes quantam ceperimus partem laetitiae tuae, ob natum tibi ex carissima in Christo filia Nostra regina coniuge tua felici partu principem filium Alphonsum Mariam, Iosephum, Albertum in sacro baptismate nuncupatum, uti literis nuntias officiosissimis die vigesima octava martii ad Nos datis. Adsit propitius Dominus votis Nostris Sanctorum deprecatione, quorum ei nomina sunt imposita; teque et egregiam puerperam, amplioribus quotidie auctos donis coelestibus, det novam prolem aetate et gratia crescentem quam diutissime cernere. Hoc ab eodem istius bonorumque omnium auctore Deo suppliciter imploramus, dum gratulantes ex animo habentesque pro officio tuo gratiam, tibi, carissime in Christo fili Noster, iisdemque puerperae et infanti cunctaeque regiae maiestatis tuae domui, divini auspicem praesidii, apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die quinta aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXXXI.

EPISTOLA

Nicolaum imperatorem Russorum per epistolam datam die septima aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo primo denuo obsecrat Summus Pontifex, ut catholicos sui imperii libere ipsorum religionem profiteri sinat [2].

Serenissimo et potentissimo
Nicolao
Russiarum regi illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Serenissime et potentissime rex.

Magna cum animi voluptate parique observantia accepimus literas ab imperiali et regia maiestate tua ad Nos missas die tertia decembris superioris anni per alterum ex imperii consiliariis, quem immatura morte in hac urbe sublatum, nuper indoluimus. Cumque una simul allata fuerit epistola, qua ven. frater Ignatius Ludovicus tunc episcopus Megarensis doctrinae suae integritatem, praecipuamque Nobis et Apostolicae Sedi devotionem profitebatur, nil amplius distulimus, quin ipsum ad metropolitanam ecclesiam Mohiloviensem promovendum decerneremus: quod reapse in subsequente mox consistorio calendis martii perfectum est. Modo vero scripsimus ad ven. fratrem Ioannem Marcellum episcopum Podlachiensem, hortantes nimirum ac suadentes, ut ecclesiam suam sponte dimittat. Ita porro consentaneus ex parte Nostra respondit exitus votis maiestatis tuae peculiari semel atque iterum missione patefactis. Hinc autem iure confidimus fore, ut vota item Nostra pro catholicis imperiali et regiae tuae dominationi permagno numero subiectis, eum

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.
[2] Ex opere cui titulus « Monumenta Catholica » auctore Roskovani vol. 2°, p. 426.

consequantur effectum, de quo data ipso tuo nomine fides dubitare non sinit. Et sane cogimur hoc loco, serenissime ac potentissime imperator et rex, haerentem cordi Nostro amaritudinem angoresque gravissimos, quibus indesinenter huiusmodi de causa divexamur, maiestati tuae aperte significare. Licet in ea conditione molestissime simus, ut nec aliquem istic habeamus, qui Nostram Sanctaeque huius Sedis personam gerat, nec facultas detur cum episcopis vastissimae ditionis tuae, circa Ecclesiae negotia, libere communicandi, minime tamen Nos latet, quot quantisque ibidem malis catholica religio iam dudum prematur. Id quidem pro ea, quam gloriae tibi ducis, aequitate animique magnitudine, voluntati tuae prorsus alienum arbitramur.

Attamen, ne singula percenseamus, id unum dicimus, potentissime imperator, quod aliunde exploratum satis est, talem nempe in variis dissitisque imperii ac regni provinciis agendi rationem adhiberi consuevisse, quae certe catholicae Ecclesiae incolumitati ac commodis plurimum adversatur. Haec profecto ratio ut expectatum tandiu Nobis finem quantocius habeat, vel unico supremae auctoritatis tuae nutu vales efficere. Atque huc omnino spectant curae, postulationes precesque etiam Nostrae, quibus apostolici ministerii sollicitudine impulsi, apud imperialem et regiam maiestatem tuam maiorem in modum vehementer instamus. Prae ceteris autem miserrimos graeci ritus catholicos iustitiae ac clementiae tuae studiosissime commendamus. Movet enim Nos planeque conturbat asperrima eorum conditio, unde in proximum discrimen adductam sentiunt suam, in catholica unitate, constantiam. Illud tantummodo, serenissime imperator ac rex, efflagitamus, ut libera in ipsis et integra stet eius fidei professio in qua nati sunt et instituti, cuique hactenus adhaeserunt absque ullo detrimento externae tranquillitatis et concordiae, quae ad imperii bonum maxime confert. Merito proinde ab excelsa benignitate tua validissimum praestolantur praesidium, quo ab tanta calamitate liberentur. Hanc et Nos fiduciam de re, quae in primis animum Nostrum urget, ultro foventes, sane non praetermittimus multas maiestati tuae habere gratias, pro desponso Nobis studio, quod utique maximi facimus, ad temporalium Nostrarum ditionum integritatem tutandam. Quod superest, Deum suppliciter obsecramus ut te, potentissime imperator et rex, amplioribus augeat largitatis suae donis, perfectaque Nobiscum caritate coniungat.

Datum Romae die septima aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXXXII.

EPISTOLA

Marcellum Gutkowski episcopum Podlachiensem, ab episcopali sede expulsum, hortatur, ut suam dioecesim ad bonum pacis et gregis incolumitatem relinquat [1].

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Memores officii tuendorum Ecclesiae iurium, quod Nobis impositum est, ut primum accepimus illatam superiori anno fraternitati tuae calamitatem, expostulationes Nostras iis, ad quos pertinebat, deferendas curavimus. Quod deinceps etiam praestare, data occasione, non praetermisimus. At dolentes cogimur significare iteratas in id a Nobis curas, exitu, quem optabamus, omnino caruisse. Quemadmodum enim imperiali ac regio nomine declaratum non semel fuit, suscepta in te duriora consilia ab causis Religionis negotio prorsus extraneis promanasse: ita nil plane imminuta est adversa, de te ipso potentissimi totius Russiae imperatoris ac Poloniae regis, opinio. Hinc porro eo rem devenisse, non sine maxima cordis aegritudine, sentimus, ut stante huiusmodi maiestatis suae aversione, tuus in Podlachiensem sedem reditus desperandus procul dubio videatur. Interim autem elapso iam anno a violenta tua absentia, simulque impedita penitus tibi episcopali administratione, probe noscis, quo maiori in dies detrimento grex fidei tuae creditus afficiatur. Proinde studio pacis ducti, de tua et cui praees dioeceseos incolumitate solliciti, nec non illecti spe desponsi Nobis ab serenissimo ac potentissimo imperatore et rege praesidii in levamen malorum, quibus catholica religio in vastissimis Russiae et Poloniae regionibus dudum affligitur, hortatores ac suasores tibi, ven. frater, esse debemus ad Podlachiensem ecclesiam sponte abdicandam.

Nec profecto dubitamus, te, Nostris hisce consiliis, quae apostolica suggerit caritas, facile obsecuturum. Pro ea namque, qua praestas, sapientia, certe non ignoras, quod s. Augustinus, Africanorum episcoporum nomine, ad Marcellinum tribunum scribebat, cum antistites illos paratos testaretur ad episcopatum dimittendum: « *Episcopi autem propter christianos populos ordinamur. Quod ergo christianis populis ad christianam pacem prodest, hoc de Nostro episcopatu faciamus* ». Cumque praeterea non minus virtute polleas, religioni tibi duces *Redemptori Nostro sacrificium istius humilitatis offerre,* quo ceteroquin amplissimam

[1] Ex opere cui titulus « Monumenta Catholica » auctore Roskovani, vol. 2, p. 426. Vide etiam in Bibliotheca Angelica, de Urbe, collectaneam sub signatura YY. 6. pag. 113.

in coelis mercedem promerebis. Quod ad Nos attinet, persuasum fraternitati tuae esse volumus, nihil unquam omissuros ad te quibuscumque rebus liceat iuvandum, et firmissimos usque fore in paterna propensione, cuius veluti certum pignus apostolicam benedictionem tibi peramanter impertimur.

Datum Romae die septima aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXXXIII.

EPISTOLA

Ad aulam Caroli Alberti, Sardiniae regis, nuntium Thomam Paschalem, archiepiscopum Thebanum, mittit [1].

**Carissimo in Christo filio Nostro
Carolo Alberto
Sardiniae regi illustri**

GREGORIUS PP. XVI.

**Carissime in Christo fili Noster,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Ad regiam tuam maiestatem ordinarium Nostrum et Apostolicae huius Sedis nuntium destinavimus ven. fratrem Thomam Paschalem archiepiscopum Thebanum, virum ingenio, doctrina ac virtute praestantem. Is cum tibi se sistet, hasce Nostras literas reddet. Non dubitamus quin pro regio more tuo, ac singulari qua erga Nos Sanctamque ipsam Sedem afficeris devotione, sis eum benignissime acceptu-rus. Rogamus porro te, carissime in Christo fili Noster, ut in omnibus, quae idem tibi nomine Nostro exponet, fidem ipsi perinde habeas, ac si Nos ipsi coram loqueremur. Persuasum autem habentes, nihil maiestatem tuam magis cupere quam Dei gloriam et veram christiani populi utilitatem, illud Nobis omnino pollicemur, fore ut regio velis praesidio tuo ven. eidem fratri suo istic fungenti ministerio praesto esse. Nos quidem quidquid ei praestiteris tanquam Nobis ipsis collatum existimabimus. Interim vero studium Nostrae in maiestatem tuam paternae praecipuaeque caritatis, apostolica confirmamus benedictione, quam caelestium atque terrestrium bonorum auspicem tibi, carissime in Christo fili Noster, regiaeque tuae familiae universe amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima nona aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

LXXXIV.

EPISTOLA

Agit cum praesulibus Hungariae de matrimoniis mixtis ab Ecclesia reprobatis, de causis et cautionibus quibus nonnunquam permittuntur, ac de improbando parochorum usu qui, nulla accedente dispensatione nec cautionibus exactis, eisdem matrimoniis benedicunt. Praesules laudat quod hunc abusum passim sustulerint: permittit tamen, ipsis petentibus, ut, ad maiora mala evitanda, parochi materialem tantum praesentiam hisce matrimoniis, quae impedire nequeunt, exhibeant excepturi dumtaxat coniugum consensum; non omissuri tamen catholicum postea coniugem de obligationibus, quas habet, admonere [2].

**Venerabilibus fratribus praesulibus
Hungariae**

GREGORIUS PP. XVI.

**Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Quas vestro et communi istius regni antistitum nomine ad Nos per ven. fratrem Iosephum episcopum Canadiensem misistis, obsequentissimae literae, partim moeroris, partim laetitiae causa Nobis extiterunt. Et sane, cum pro apostolici muneris officio, sacrae doctrinae et disciplinae integritati cavere studiosissime debeamus, non possumus non moleste ferre quidquid in earum discrimen induci fortasse contingat. Exploratum porro satis superque est quid Ecclesia de matrimoniis, catholicos inter et acatholicos, perpetuo senserit. Ipsa nimirum tamquam illicitas planeque perniciosas semper habuit eiusmodi nuptias, tum ob flagitiosam in divinis rebus communionem, tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum pravamque sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi canones iilis severe interdicentes, et recentiores summorum Pontificum sanctiones, a quibus speciatim recensendis iuvat abstinere, cum ea abunde sufficiant, quae in rem disseruit insignis memoriae praedecessor Noster Benedictus XIV in encyclicis literis ad Poloniae regni episcopos, atque in celebratissimo opere quod *de Synodo Dioecesana* inscriptum est. Quod si alicubi propter locorum ac temporum difficultatem talia connubia tolerentur, id profecto ad eam referendum est aequanimitatem, quae nulla ratione adprobationis vel consensus cuiuspiam loco habenda sit, sed merae patientiae, quam ad maiora vitanda mala affert necessitas, non

[2] Ex Iure Pontificio de P. F.

voluntas; quemadmodum in data ad archiepiscopum Moguntinum die nona octobris millesimo octingentesimo tertio, epistola fel. recor. Pius VII, decessoris sui ad episcopos Vratislaviensem, Rosnaviensem, Scepusiensem responsiones commemorans, sapienter animadvertit.

Hinc etiam accidit ut, si aliquid de canonum severitate remittens, haec Apostolica Sedes mixta istiusmodi matrimonia quandoque permisit, id gravibus dumtaxat de causis aegreque admodum fecerit, et nonnisi expressa sub conditione, de praemittendis opportunis cautionibus, non modo ut coniux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed insuper ut proles utriusque sexus, ex hisce coniugiis procreanda, in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Quae certe cautiones in ipsa divina et naturali lege fundantur, in quam procul dubio gravissime peccat quisquis se vel futuram sobolem perversionis periculo temere committit.

Iam vero ex praedictis vestris literis comperimus per istius regni dioeceses abusum communiter inolevisse, ut matrimonia, catholicos inter et acatholicos, nulla licet accedente Ecclesiae dispensatione, nec praeviis necessariis cautionibus, per catholicos parochos benedictione sacrisque ritibus honestarentur. Ac propterea intelligitis, venn. fratres, quam graviter exinde affici debuerimus, maxime cum invectam ita lateque propagatam perspiceremus omnimodam mixtarum nuptiarum libertatem, atque adeo magis in dies promotum funestissimum, uti vocant, indifferentismum in religionis negotio intra vastissimi illius regni fines, quod antea catholicae fidei gloria tantopere praestabat. Nec sane dissimulamus, Nos sanctissimi quo fungimur muneris partes minime fuisse praetermissuros, si scilicet res pridem innotuisset. Hanc autem silentii Nostri causam ex eo etiam vobis pronum est coniicere, quod vel nuperis temporibus nulla prorsus ad promiscuas nuptias istic ineundas apostolica dispensatio fuerit concessa, nisi praescriptis necessariis conditionibus, iniunctisque regulis quae ex Sanctae huius Sedis instituto servari consueverunt.

Inter haec tamen non parum solatii Nobis allatum est quod, uno tempore de ingruenti malo certiores facti, didicerimus pariter adhibita per vos collegasque vestros studia, ad illud opportune medendum. Et superabundavit quidem gaudio cor Nostrum, cum noverimus, quo coniunctim zelo inflammemini, ut catholicae fidei puritas illaesa usque permaneat, quaque unanimiter hanc Apostolicam Sedem, veritatis ducem et magistram, observantia ac devotione prosequamini, ad illius nutum crediti vobis pastoralis officii rationem sedulo dirigentes. Ubi enim, docti Nostris in rem ipsam declarationibus ad alias regiones spectantibus, perpendistis, praxim, quae istic invaluerat, Ecclesiae principiis ac legibus penitus adversari, ac proinde sine gravi periculo tolerari per vos diutius non posse; minime dubitastis communi consilio atque opera eidem tollendae, ut par erat, insistere, parati etiam fortiter sustinere pericula, si quae forent, pro aeterna vestra gregisque salute obeunda. Ad Nostram autem laetitiam complendam accesserunt uberes fructus qui ex vestris curis illico dimanarunt. Neque enim ignoramus quam fideliter parochi et reliquus clerus vestris ea de re monitis praeceptisque fuerint obsequuti, ita ut, illegitima consuetudine iam passim sublata, primaevae sacrorum canonum disciplinae consultum sit. Itaque gratulamur vobis maiorem in modum, venn. fratres, et, gratias agentes Deo, qui vosmetipsos in fidei suae ac doctrinae tutelam fortitudine induit ex alto, hortari ac vehementius etiam excitare non desistimus, ut pari firmitate atque constantia pergatis catholicae Ecclesiae causam propugnare, ne pravus usus uspiam reviviscat, et si quod adhuc superest, illius germen funditus eradicetur.

Interim vero non potuimus non attente respicere ad ea omnia quae in memoratis vestris literis addebatis, exponentes nimirum gravissimas circumstantiarum difficultates, unde permoti ac propemodum coacti tolerandum censuistis ut, si quando catholicus vir aut mulier, conantibus, licet contra per debitas suasiones hortationesque, sacris pastoribus, in contrahendis mixtis matrimoniis citra necessarias cautiones sententia persistat, nec aliunde res absque maiori catholicae religionis discrimine valeat impediri, tum parochi, matrimonio ipsi passive tantum intersint, ab omni religioso ritu et a quovis approbationis indicio prorsus abstinendo. Qua quidem providentiae forma, dum propositum vobis erat praesenti necessitati prudenter occurrere, arduum huiusmodi negotium ad Nos quamprimum deferendum statuistis, assensum in id Nostrum impetraturi, quem ex urgenti causarum concursu praesumi tunc quodammodo posse arbitrabamini. Et reapse Nos, qui, ceteroquin sanctissimis catholicae Ecclesiae doctrinis institutis integre retinendis iugiter intenti, nequaquam omittimus calamitosis istarum regionum circumstantiis ortisque inde vestris angustiis, pro tradita Nobis potestate, subvenire, quin susceptam per vos consilii rationem improbemus, petitioni vestrae ducimus indulgendum. Idque facimus congruenter ad ea quae et Nos ipsi, praedecessorum Nostrorum exemplo, circa aliarum ditionum loca haud ita pridem tolerantes admisimus; et iam ante alter illorum, san. nempe mem. Pius VI, pro aliqua ipsiusmet Hungarici regni dioecesi pluries declaraverat. Is namque in responsione quam, tum anno millesimo septingentesimo octuage-

simo secundo, Vindobonae degens, tum subsequenti post suum in Urbem reditum, dandam mandavit episcopo Scepusiensi, quamque huius successori anno millesimo septingentesimo nonagesimo quinto iterari iussit, ita, de mixtis connubiis in iis temporum adiunctis agens, mentem suam aperuit: « quaecumque, scilicet, de hac re latae essent leges, oportere ut episcopus et parochi studiose et prudenter curent, ne huiusmodi matrimonia fiant, et si contrahantur, ut proles universa in catholica religione educetur: quoties vero ipsis invitis secus fuerit factum, abstineant semper a nuptiali benedictione impertienda, eorumque praesentia, si necessitas urgeat, sit tantummodo materialis, neque actibus et declarationibus coniungatur, quae confirment vel adprobent prolem aliter quam in religione catholica posse educari ».

Si quidem igitur, venn. fratres, in regni istius dioecesibus ex temporum, locorum ac personarum conditione quandoque contingat, ut matrimonium acatholici viri cum catholica muliere, et vicissim, deficientibus licet cautionibus ab Ecclesia praescriptis, absque maioris mali scandalique periculo in religionis perniciem interverti omnino non possit, simulque (verbis utimur gloriosae memoriae Pii VII supranunciata epistola ad archiepiscopum Moguntinum) in Ecclesiae utilitatem et commune bonum vergere posse dignoscatur, si huiusmodi nuptiae, quantumlibet vetitae et illicitae, coram catholico parocho potius quam coram ministro haeretico, ad quem partes facile confugerent, celebrentur; tunc parochus catholicus, aliusve sacerdos eius vice fungens, poterit iisdem nuptiis materiali tantum praesentia, excluso quovis ecclesiastico ritu, adesse, perinde ac si partes unice ageret meri testis, ut aiunt, *qualificati* seu *auctorizabilis*, ita scilicet ut, utriusque coniugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat.

His tamen in circumstantiis, uti idem decessor Noster apposite commendabat, haud impari imo maiori etiam conatu et studio per episcopos et parochos elaborandum est, ut a catholica parte perversionis periculum, quoad fieri poterit, amoveatur, ut prolis utriusque sexus educationi in religione catholica, quo meliori modo fas erit, cautum sit, atque ut coniux, catholicae fidei adhaerens, serio admoneatur de obligatione, qua tenetur, curandi pro viribus acatholici coniugis conversionem, quod ad veniam patratorum criminum facilius a Deo obtinendam erit opportunissimum.

Ceterum, intime dolentes quod haec tolerantiae ratio erga regnum professione catholicae religionis insigne fuerit ineunda, sincerissime coram Deo profitemur, Nos ad ipsam unica de causa adduci, seu verius pertrahi, ne graviora Ecclesiae catholicae incommoda obveniant. Idcirco vos, venn. fratres, cunctosque collegas vestros per viscera Iesu Christi, cuius personam immerentes utique gerimus in terris, tota animi contentione obtestamur, ut id demum in tam gravi negotio agere studeatis, quod, implorato Spiritus Sancti lumine, istiusmodi fini revera censueritis respondere. Atque illud una simul satagite, ne tali tolerantiae ratione erga homines mixta connubia illicite contracturos fiat, ut in catholico populo extenuetur memoria canonum ea matrimonia detestantium et constantissime curae, qua sancta mater Ecclesia filios suos avertere studet ab illis in suarum animarum iacturam contrahendis. His vestrum aliorumque sodalium antistitum et parochorum erit, in erudiendis sive privatim sive publice fidelibus, flagrantiori in posterum zelo doctrinam et leges, ad connubia eadem pertinentes, commemorare, accuratamque earum custodiam iniungere. Haec omnia ex spectata vestra religione, fide et in hanc b. Petri Cathedram reverentia, Nobis certissime pollicentes, caelestis auxilii auspicem et paternae Nostrae caritatis testem apostolicam benedictionem vobis universisque collegis vestris, cum proprio cuiusque grege communicandam, peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die trigesima aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXXXV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Ad consulendum gravibus religionis et fidelium necessitatibus in republica Haitarum, illuc mittit delegatum apostolicum episcopum S. Ludovici in America septentrionali [1].

Venerabili fratri
Iosepho Rosati
episcopo S. Ludovici
in foederatis Americae septentr. provinciis

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Universi dominici gregis salus Nobis divinitus concredita atque commissa postulat et efflagitat, ut summa vigilantia et cura omnium christifidelium bono consulamus, eaque peragenda curemus, quae in catholicae Ecclesiae utilitatem animarumque salutem cedere posse videntur.

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

Itaque quum magno paterni animi Nostri dolore noverimus in Haitarum republica, res ecclesiasticas adeo afflictas ac perturbatas reperiri, ut peculiaris aliqua huius Apostolicae Sedis providentia necessaria prorsus videatur, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, aliquem idoneum virum eligendum censuimus, qui in Haitarum insula, delegati apostolici munere fungens, ac omnibus facultatibus necessariis et opportunis instructus, catholicae religionis causam agat, eiusque necessitatibus consulat: huiusmodi vero munus de eorumdem fratrum consilio tibi committendum duximus, cuius prudentia, probitas, religionis zelus et in rebus ecclesiasticis sollertia atque peritia Nobis satis est probata.

Quamobrem egregiis tui animi ingeniique dotibus summopere in Domino fidentes, hisce literis, te, ven. frater, auctoritate Nostra apostolica, in Nostrum et huius S. Sedis delegatum apostolicum apud totius Haitarum reipublicae praesidem cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis eligimus, constituimus et deputamus, ut ea in republica catholicae religionis causam suscipere et agere possis, eiusque bono et commodo pro viribus consulere valeas.

Te vero in Domino hortamur, ut singulari cura, studio et diligentia ea omnia provide scienterque agenda cures, quae ad spiritualem illorum fidelium salutem procurandam et religionis bonum augendum pertinere posse videntur. Nos interim in humilitate cordis Nostri patrem misericordiarum et Deum totius consolationis rogare non desinemus, ut det tibi spiritum sapientiae et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, quo omnia a te hac super re perficienda optatum exitum consequantur.

Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die trigesima aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXXXVI.

INSTRUCTIO

De matrimoniis mixtis [1].

Ad primatem, archiepiscopos et episcopos in Hungariae regno.

Memores officii, quo assidue tenentur advigilare, ut catholicae fidei puritas et sacrae disciplinae integritas nihil unquam detrimenti capiat, Hungarici regni antistites ubi primum animadverterunt invectam illic praxim benedicendi ac religiosis ritibus honestandi matrimonia, quae catholicos inter et acatholicos, nulla praevia Ecclesiae dispensatione, neglectisque necessariis cautionibus, iniri consueverant, utpote sanctissimis religionis Nostrae principiis et canonum statutis repugnantem, diutius citra grave piaculum tolerari non posse, omnem unanimiter curam atque operam impendere non distulerunt ad opportuna tanto huic malo remedia comparanda. At sicuti laetandum ipsis fuit de fideli parochorum et reliqui cleri studio in pastoralibus documentis monitisque perficiendis; ita pariter praesenserunt quot quantisque difficultatibus ac molestiis se se atque illos his de causis obiicerent. Eiusmodi namque praesunt dioecesibus, ubi acatholicorum pars catholicorum saepe numerum exaequat, et nonnunquam etiam excedit: atque adeo tales inibi leges vigent, quibus ratione inductae pridem utrinque civilium iurium aequalitatis, et consilio tuendae publicae pacis ac quietis, libertatem mixtas nuptias ineundi fovent, proindeque cum canonicis, ea de re, sanctionibus conciliari minime possunt. Nec reapse multum abfuit ut in maximas redigerentur angustias; cum ex una parte nequirent Dei Ecclesiaeque causam prodere, ex altera vero violatae legis patriae perturbatique inde ordinis, tam ipsi quam inferiores sacrorum ministri insimularentur. In hac difficili conditione positi, eoque insuper spectantes, ut imminentia catholicae religioni graviora incommoda prudenter averterent, subditumque sibi clerum adversariorum iurgiis ac vexationibus eriperent, nec non iis potissimum ex leviori sexu prospicerent, quae ob negatam omnino illicitis suis nuptiis catholici sacerdotis praesentiam, a fide facile essent defecturae; in sententiam devenerunt tolerandi ex praesumpto Sedis Apostolicae assensu, ut parochi iisdem nuptiis, siquidem absque maioris mali periculo interverti non possent, passive tantum, exclusisque penitus sacris ritibus, adessent. Mox autem re ad ipsam Sanctam Sedem obsequentissime delata, fusiusque expositis angustiis, quae ex ingravescentibus in dies impedimentis clero videntur impendere, tum per litteras ad SSm̃um Dominum Nostrum Gregorium PP. XVI, communi nomine datas, tum per legatum huc votorum suorum interpretem episcopum Csanadiensem, initi abs se consilii ratihabitionem, simulque opportunum super universo hoc negotio apostolicae auctoritatis auxilium atque adiumentum magna cum animi sollicitudine implorarunt.

Porro Sanctitas Sua, singulis, matura consideratione, perpensis, auditoque suffragio em̃orum

---

[1] Ex opere cui titulus *De matrimoniis mixtis,* auctore Roskovani. Vide etiam in Bibliotheca Angelica, de Urbe, collectanea, sub signatura YY. 6. p. 113.

S. R. E. cardinalium ex s. congregatione Extraordinariis Ecclesiae Negotiis praeposita, summopere studens, salvis catholicae doctrinae principiis, unde nec minimum deflectere fas est, quantum pro supremi apostolatus munere possit, subvenire postulantium eorum antistitum angustiis, et molestas quibus premuntur difficultates minuere, maxime vero tristiora in religionem et Ecclesiam, mala praecavere, primum quidem debitas rependit laudes alacri ipsorum zelo in illicita, de qua dictum est, praxi tollenda, eosque vehementius excitavit ad firmiorem usque in salutari proposito constantiam: deinde susceptam per eosdem tolerantiae rationem ratam censuit habendam. Hinc rescribens ad memoratas nuper literas, tolerari posse declaravit, ut quoties ex temporum, locorum ac personarum conditione, matrimonium acatholici viri cum catholica muliere, et vicissim, omissis licet necessariis cautionibus, sine graviori discrimine nequeat impediri; atque insuper Ecclesiae utilitati communique bono expedire videatur, si illud quantumvis vetitum et illicitum, coram catholico parocho potius quam coram ministro acatholico, ad quem partes facile confugerent, contrahatur; idem catholicus parochus, aliusve sacerdos eius vice fungens, matrimonio ipsi materiali tantum praesentia, nullo adhibito ecclesiastico ritu, intersit, perinde ac si partes unice agat meri testis, ut aiunt, *qualificati* seu *auctorizabilis;* ita scilicet ut, utriusque coniugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum *in matrimoniorum librum* valeat referre. Quibus tamen in circumstantiis apposite subdidit, non impari, immo maiori etiam, conatu ac studio ab episcopis et parochis elaborandum fore, ut a catholica parte perversionis periculum, quoad fieri poterit, amoveatur, ut universae prolis educationi, quo meliori liceat modo, cautum sit, utque catholicae religioni adhaerens, coniux serio admoneatur de obligatione curandi pro viribus conversionem acatholici coniugis; quippe quod ad patratorum criminum veniam a Deo facilius impetrandam apprime conducat.

Permotus praeterea SSmus Dominus Noster iis, quae in praenunciatis literis per Hungaricos antistites addebantur, quaeque ex ipsorum sensu uberius expressit episcopus Csanadiensis, tali nempe providentiae forma haud satis mederi multiplici regionum necessitati, nec auferri suarum et cleri anxietatum causas, habita praesertim ratione nuptiarum, quas ob denegatam etiam ex defectu cautionum catholici parochi benedictionem coram acatholico ministro iniri contingat; alia nonnulla pari benignitate decrevit super mixtis connubiis in Hungariae regno et magno Transylvaniae ducatu indulgenda seu toleranda. Itaque praesenti instructione primati, archiepiscopis et episcopis eiusdem regni pontificio nomine significatur, si recensitae superius circumstantiae in re, de qua agitur, intercesserint, pati ipsos ulterius posse, ut a parocho catholico tum consuetae proclamationes fiant, omni tamen praetermissa mentione circa religionem illorum qui nuptias sint contracturi, tum etiam de peractis hisce proclamationibus literae mere testimoniales concedantur, in quibus (dummodo nullum adsit dirimens impedimentum) unice enuncietur, nil aliud, praeter Ecclesiae vetitum ob mixtae religionis impedimentum, conciliando matrimonio obstare, nullo prorsus addito verbo, unde consensus aut adprobationis vel levis suspicio sit oritura. Quod autem attinet ad connubiorum istorum coram acatholico ministro, seu non servata conc. Trid. forma, celebrationem, erit omnino sacrorum praesulum ac parochorum studiosissime instare, atque in caritate Dei et patientia Christi partem catholicam hortari ac monere, ut illam nimirum ab tanti scandali turpitudine, quantum possint, absterreant. Si quidem vero huiusmodi ipsorum monitis atque hortamentis nihil, quod absit, proficientibus, mixta matrimonia ea ratione fuerint inita; inspectis tam praeteritis quam praesentibus locorum, de quibus sermo est, peculiaribus circumstantiis, erunt ab episcopis et parochis prudenter dissimulanda, et, quamvis illicita, pro validis habenda; nisi tamen canonicum aliunde officiat dirimens impedimentum, seu in nuptiarum celebratione appositae fuerint conditiones substantiae matrimonii ex catholica doctrina repugnantes. Ceterum quocumque demum modo mixta haec matrimonia citra Ecclesiae dispensationes et necessarias cautiones, sive per passivam parochi catholici praesentiam, sive coram acatholico ministro contracta fuerint; illud episcopis et parochis Sanctitas Sua magnopere commendat, ut omni pastorali sollicitudine catholicum coniugem ad patratae culpae detestationem congruamque poenitentiam opportune conentur excitare, eumque solerter adducant ad obligationes implendas, quibus gravissime tenetur, illam praesertim, quae est de catholica universae prolis educatione impense curanda. Quae si ex voto contingant, adeoque constet, eum revera resipuisse, paratumque esse ad opportunam, quoad valuerit, scandali reparationem; tunc sane poterit ipse sacramentorum Ecclesiae particeps fieri, quemadmodum respondens die decima tertia iulii millesimo septingentesimo octogesimo secundo archiepiscopo Mechliniensi sa. me. Pius VI in rem adnotavit.

Datum Romae die trigesima aprilis anno Domini millesimo octingentesimo quadragesimo primo.

A. card. Lambruschini.

LXXXVII.

EPISTOLA

Respondet archiepiscopo Parisiensi, notam sibi esse novam societatem pro missionibus in locis haereticorum Europae sitis, disiunctam ab illa, Propagationis Fidei, *dicta; at ob graves rationes se optare ut eadem societas exitum non habeat; responso adnectit literas s. congregationis de re agentes et indicantes, quid a fidelibus peragendum sit* [1].

Venerabili fratri
Dionysio Augusto
archiepiscopo Parisiensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ex literis, quas sub die vigesima sexta martii huius anni fraternitas tua ad Nos misit, intelleximus, id quod gratum vehementer accidit Nobis, desiderari scilicet a te, ut quo essemus animo erga nuperrimam pro catholicis missionibus constituendam societatem, tibi significaremus. Etsi enim antea minime dubitabamus, quin fraternitas tua ea, qua par esset observantia, Petri Cathedram prosequeretur, hac tamen occasione, tui erga Nos Sanctamque Sedem obsequii splendidissimum accepimus testimonium. Novimus quidem illud a te existimari, naturam atque indolem novae illius institutionis notam haud satis Nobis esse atque perspectam; verum adnexa hisce literis epistola dilecti filii Nostri cardinalis Fransonii de Propaganda Fide praefecturam gerentis [2] ad generalem tui vicarium fraternitatem tuam certiorem reddet, plane Nobis eiusmodi societatem ab ipsis sui primordiis innotuisse, Nosque nonnisi gravioribus permotos rationum momentis exoptasse, ut opus illud, optima licet mente susceptum, ad propositum tamen exitum non perveniret. Itaque egregium catholicae religionis amplificandae studium in iis fidelibus qui ei societati sive instituendae sive fovendae operam navare parati erant, etiam atque etiam in Do-

---

1 Ex Iure Pont. de P. F.

2 Litterae cardinalis Franzonii S. C. de Propaganda Fide praefecti.

All' Illmo Sig. Mons. Augé Vicario Gen. di Parigi.

4 maggio 1841.

Illustrissimo Signore,

Sonosi quasi ad un tempo ricevuti i fogli che v. s. unitamente ai rispettabili soggetti che seco lei si sono associati coll' intendimento di promuovere *l' Opera del Cattolicismo in Europa,* si è compiaciuta dirigere non meno al Santo Padre, che all'emo sig. card. Lambruschini, e a me istesso, in data dei 10 dello scorso aprile, e mi è grato il tributare i maggiori encomi alle piissime intenzioni, e ai lodevoli religiosi sentimenti che in detti fogli vengono espressi. Nell' applaudire però all' edificante commendevolissimo zelo di v. s., e degli egregii illustri suoi collaboratori, e nel tutti ben apprezzare i nobili motivi onde furon mossi ad una impresa il di cui scopo onora sommamente quanti vi presero parte, è pur forza il richiamare la loro attenzione sopra i fatti precorsi, e sui provvedimenti che giusta la espressa mente del S. Padre vennero qui adottati.

Sin dall' aprile 1839 mons. Gillis coadiutore del vicario apostolico di Edimburgo, autore primario del progetto dell' *Opera del Cattolicismo,* ne implorò la sanzione dalla Santa Sede, quale appunto richiedesi all' *articolo 29 degli statuti* ora inviatimi da v. s., e la Santità di N. S. dopo avere bene maturamente ponderata la cosa, in sua sapienza, giudicò spediente per giusti prudenziali motivi il non acconsentirvi, e col mezzo di mons. internunzio di Parigi, si fecero conoscere a quel prelato le intenzioni del S. Padre. In pari tempo volle però l' augusto Pontefice, che la propaganda raddoppiasse gli assegni soliti pagarsi ai vicarii apostolici di Scozia, e che per quanto il permettevano le piccole risorse del pio istituto, loro si dessero più generosi sussidi pei gravi bisogni delle loro chiese. Ma all' ampiezza di questi bisogni era ben lungi dal corrispondere la tenuità de nostri sovvenimenti, e però i vicarii apostolici di Scozia nel prontamente sottomettersi alla determinazione di Sua Santità, e nel rinunziar quindi alla meditata nuova *Opera del Cattolicismo* di cui eransi già incominciati a pubblicare gli annali (qui giudicati *inopportuni,* e *poco prudenti*), invocarono di essere compresi nella benemerita *Opera della Propagazione della Fede.* Interpellò dapprima la Propaganda il Consiglio di Lione con cui si trova sin dall' origine dell' associazione in diretta corrispondenza, e ritenendo pei riscontri ricevuti, che laddove intervenisse una pontificia dichiarazione, niun ostacolo sarebbesi più incontrato per tutte comprendere anche le missioni Europee nel riparto de' fondi della Propagazione della Fede, propose al Santo Padre se creduto avesse in sua saviezza opportuno, che quest'opera *universale,* e veramente *cattolica,* accogliesse quind' innanzi nel suo seno le missioni Europee tuttavia escluse dalle beneficenze della medesima; e Sua Santità applaudì alla proposta, e manifestò il maggior gradimento di questa misura, che tutti conciliava i bisogni delle varie missioni coi gravi riflessi pei quali non avea saputo convenire nel progetto della novella parziale opera del *Cattolicismo.* Comunicate da me le intenzioni del Santo Padre al Consiglio di Lione, fu questi sollecito di uniformarvisi, ma insorto dubbio nel Consiglio di Parigi circa le medesime, nell' acconsentire che fece ad assegnare nel frattanto *ventimila franchi* alle missioni di *Scozia,* e *cinquemila* a quelle di *Svezia,* propose gli argomenti di sua esitanza, e viceversa di sua propensione al progetto della nuova Associazione Cattolica. Fu la risposta coerente alle risoluzioni con tanto di maturità già adottate, e per viemaggiormente confortarlo a non ricusarvi la propria cooperazione, s' interessò mons. internunzio ad adoperarsi con ogni efficacia non meno presso il Consiglio di Parigi, che presso l' egregio prelato il quale meritamente presiede a codesta archidiocesi. Mons. arcivescovo procedendo però con saggia cautela e riservatezza, prima di decidersi ad una definitiva misura, con ottimo avvedimento si è direttamente rivolto al Santo Padre, affine di avverare e riconoscere nel suo fonte nel migliore e più auten-

mino commendamus, redditamque ipsis propterea volumus meritissimam laudem; ceterum ex tenore literarum praefati cardinalis Nostri, quid ipsis hac in re optimum factu sit, significari curavimus. Tu vero, ven. frater, gratissimum Nobis feceris, si tantum apud fideles illos consilii tui atque auctoritatis impenderis, quantum pro tua prudentia ac virtute ad Apostolicae Sedis confirmandam sententiam opus esse duxeris, id enim Nobis valde acceptum, et in eo ipso religionem virtutemque tuam plurimum commendabimus. Interea tibi gregique tuo apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die quarta maii millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXXXVIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Altare archisodalitatis s. Mariae in Monterone privilegio apostolico decoratur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Omnium saluti paterna charitate intenti, sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animae Domini Nostri Iesu Christi eiusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, et illis adiutae ex purgatorii poenis ad aeternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant. Volentes igitur altare societatis seu congregationis in suffragium animarum purgatorii in ecclesia s. Mariae in Monterone de Urbe canonice, ut asseritur, erectae, privilegio apostolico decorare, auctoritate Nobis a Domino tradita, deque omnipotentis Dei misericordia ac bb. Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ut quandocumque sacerdos aliquis secularis, vel cuiusvis ordinis, congregationis et instituti regularis, missam defunctorum pro anima cuiuscumque confratris et consororis praedictae societatis seu congregationis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ad praescriptum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut eiusdem Domini Nostri Iesu Christi ac beatissimae

---

tico modo, quali le risoluzioni si fossero di Sua Santità, e v. s. in pari tempo coi rimembrati suoi fogli ha chiarite di bel nuovo e sviluppate le ragioni per cui pareale rimeritare benigno favorevole suffragio la novella associazione.

Or dunque, il tutto ben considerato, lungi il Santo Padre dal trovar motivo di recedere dalle già sue manifestate intenzioni, non saprebbe che sempre meglio confermarle. La divina misericordia protegge e favorisce in modo al tutto prodigioso l'opera della Propagazione della Fede, i di cui nuovi recenti progressi debbonsi in massima parte agli ulteriori eccitamenti, e stimoli dati dalla Santità Sua a tutti i vescovi della cristianità colla enciclica dello scorso anno. Per serbare l'*unità* di cui, particolarmente in tutto ciò che in alcun modo riguarda la Chiesa, i maggiori e più durevoli successi dipendono, comunque i regni di Napoli, di Piemonte, di Baviera, non che alcune diocesi del Belgio da verun'altri fuorchè dal Consiglio di Roma dipender volessero, fu procacciato e stabilito, che dovessero invece associarsi, e dipendere dai Consigli di Francia; nè qui pel vantaggio appunto dell'*unità* si rattenne la delicatezza e la deferenza di Roma, dappoichè malgrado ogni ragion di convenienza per questo centro del cattolicismo, anche gli Stati Pontificii e Roma istessa ai Consigli di Francia si unirono e assoggettarono. La Propaganda dopo di ciò, e dopo che nel promuovere e favorire in tutte guise quest'opera, si trova di aver perdute le largizioni, che dapprima direttamente le pervenivano, può a diritto lusingarsi di aver acquistato titoli efficaci a grata corrispondenza.

Un' *opera parziale* pel solo *cattolicismo di Europa* con appositi annali, trae seco non lievi inconvenienti, che il tempo maturerebbe ben tosto, e che la Santa Sede è più che tutt'altri in grado di apprezzare, nel mentre istesso che dovrebbe essa sola portarne e risentirne le conseguenze. Viceversa l'opera della *Propagazione della Fede* già per ogni dove grandeggiante e ben radicata può di leggieri e senza verun timore, estendere alle altre missioni di Europa quei soccorsi, che di già concede al regno di Grecia, alle isole Ionie, alle altre dell'Arcipelago, alla Moldavia, Albania, Macedonia ecc., e che si trova di aver pur dato di recente alla Scozia e alla Svezia. Or dunque piuttosto che la nuova associazione venga, siccome si offre, ad assumere anche i pesi dell'antica col provvedere allorchè ne abbia i mezzi alle missioni eziandio degli infedeli, meglio sarà che avvalori l'antica, *unendosi con essa* il nuovo presidio, e conforto prestandole dell'operoso attivo suo zelo.

Non ignoro che la ritrosia dell'esimio Consiglio di Parigi a tutte abbracciare le missioni Europee ha dato maggior alimento all'idea di nuovo parziale Istituto, ma per le cose dette, la Propaganda farebbe troppo torto al d'altronde rispettabilissimo Consiglio di Parigi, se concepisse anche il più picciolo dubbio, che fosse per ripugnare ulteriormente a troppo autorevoli voti espressi con tanto di solennità, e all'adempimento de' quali mons. arcivescovo, e v. s. istessa non mancheranno di vieppiù impegnarlo.

In tal modo gli egregii soggetti e prelati che giusta il rimembrato articolo 29 degli statuti, *pel supposto gradimento e beneplacito della Santa Sede*, volenterosamente concorrevano all'*Opera del Cattolicismo*, potranno assai più convenevolmente e durevolmente raggiungere lo scopo, che si erano prefissi procacciando *riuniti alla Propagazione della Fede* nuove e più copiose risorse a questa pia associazione; e nel farlo non è certo a temersi del successo, dappoichè siccome ben avverte v. s., non si appella mai indarno alla carità veramente inesauribile della Francia, che oggidì rivendica la vetusta sua prerogativa di *figlia primogenita della Chiesa*, e a tutti sembra da Iddio chiamata a rinnovare i prodigii dell'antica sua pietà.

E qui con sentimenti di sincera distintissima stima....

[1] Ex Archivio eiusdem Archisodalitatis.

Virginis Mariae, Sanctorum omnium meritis suffragantibus, a purgatorii poenis liberetur concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die quarta maii millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

LXXXIX.

EPISTOLA

Ad Petrum imperatorem Brasiliae, legatum extraordinarium mittit [1].

Carissimo in Christo filio Petro imperatori Brasiliae

GREGORIUS PP. XVI.

Carissime in Christo fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Maxime Nobis cordi est hominem aliquem semper apud imperialem maiestatem tuam habere, per quem facile possimus et summae erga te caritatis Nostrae tibi memoriam saepius renovare, et Nostros tecum communicare sensus de iis negotiis quae ad hanc Sanctam Sedem atque adeo ad catholicam, cui in eadem Sede constituti, licet indigni praesumus, Ecclesiam pertineant. Quapropter cum qui has partes istic obibat, e vita nuper migraverit, differre haud voluimus, quin id muneris alteri committeremus, quem apprime idoneum ad ipsum egregie, atque ex utriusque Nostrum voluntate sustinendum iudicaremus. Is autem est qui hasce tibi, carissime in Christo fili Noster, reddit literas dilectus filius Ambrosius Campodonico, ex ordine antistitum domesticorum Nostrorum, vir ingenio, doctrina, animi candore, religione ceterisque virtutum ornamentis probatissimus. Eum igitur internuntium apostolicum legatum Nostrum et Sanctae huius Sedis extraordinarium apud imperialem tuam maiestatem constituimus. Nec porro dubitamus quin, pro eximia tua indole ac rei catholicae studio, eumdem antistitem omni sis humanitate habiturus. Nihilo tamen minus eum tibi etiam atque etiam commendamus, a teque petimus, ut plenam ei fidem adhibeas quidquid Nostro nomine apud te acturus sit. Plane autem confidimus te, carissime in Christo fili Noster, validissima ope eum prosequente, magnam ex apostolicis ipsius curis utilitatem a subiectis imperio tuo populis perceptum iri. Ac tanti huius boni auspicium habeas apostolicam benedictionem, quam singularis vereque paternae caritatis in te Nostrae pignus, imperiali maiestati tuae, ex animo, amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima maii millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

XC.

EPISTOLA

Ad reginam Portugalliae scribens, animi consolationem patefacit ex eo quod rebus ab ea gestis in illo regno remedium afferre promittat [2].

Carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Portugalliae et Algarbiorum reginae fidelissimae

GREGORIUS PP. XVI

Carissima in Christo filia Nostra, salutem et apostolicam benedictionem.

Nullis explicari verbis potest quam Nos habuerit habeatque sollicitos catholicae in regno isto religionis conditio, rei videlicet qua una potissimum populorum salus continetur et vita. Itaque nihil cupidius expectavimus, nihil impensius precati sumus a Domino, quam ut ea removerentur quae impedimento erant, quominus tantae tamque praeclarae commissi pastorali curae Nostrae gregis parti, summa spiritualis auxilii inopia laboranti succurrere possemus; proindeque nulla ea maior accidere Nobis poterat consolatio quam quae literis allata est regiae maiestatis tuae, quibus sensus erga Nos et Sanctam Sedem Apostolicam animi tui religiosissime declarans, optare te significas, promptum adhibere malis remedium, quibus Lusitaniae conflictantur ecclesiae, atque idcirco constituisse legatum extraordinarium ad Nos mittere ad hoc deputatum egregium virum ex ordine consiliariorum tuorum, qui apud Nos de tanti momenti negotio coram acturus sit, nempe dilectum filium vice comitem De Carreira, cuius et Nobis cognita est religio, integritas et prudentia. Illum igitur libentissime accipimus, ac iure confidimus fore ut, bene ipsi credantur consilia utriusque Nostrum, et, quod ambo concordi studio spectamus, Sanctae Ecclesiae

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

[2] Ex Archivio Brevium ad Principes.

in regno isto commodis ac dignitati, eo interprete, facilius consultum sit. Tibi autem, carissima in Christo filia Nostra, spondemus fidem ipsi Nos, uti postulas, esse habituros in omnibus, quae Nobis tuo nomine sit expositurus.

Quare tum Deo toto animo benedicimus, qui consolari Nos dignatur in omni tribulatione Nostra, tum merita apud ipsum huiusmodi tibi gratulamur: quae ut quam diutissimo vitae sine ulla offensione cursu magis in dies augeantur summopere precantes, omnis boni auspicem, apostolicam benedictionem tibi eidem, carissima in Christo filia Nostra, regiae familiae tuae regnoque universo amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima septima maii millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

XCI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Sodalitas Angelorum Friburgi instituta, in archisodalitatem erigitur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum Romano Pontifici nihil gratius nihilque optabilius esse possit, quam ut christifideles ad omnipotentis Dei gloriam amplificandam atque ad aeternam salutem assequendam excitentur atque inflammentur, tum piorum hominum societates rite institutas, pontificiae beneficentiae muneribus donare semper consuevit.

Itaque cum sodalitatis nomine, quae ab Angelis appellata, atque in Friburgensi civitate canonice erecta, Nobis nuper expositum fuerit, eius in votis esse ipsum archisodalitatis titulo ac iuribus donari, ut magis magisque fidelium pietas atque religio foveatur, augeatur, Nos piis eiusdem desideriis alacri libentique animo annuendum censuimus. Quamobrem ipsius sodalitatis decus augere cupientes ac omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, sodalitatem Angelorum Friburgi institutam, archisodalitatis titulo, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, perpetuo decoramus. Illi propterea singula quoque iura, privilegia, honores atque indulta, quovis nomine designanda, quibus aliae archisodalitates ex usu et consuetudine utuntur, fruuntur, vel uti et frui possunt ac poterunt, concedimus atque indulgemus. Insuper eius moderatoribus, eadem auctoritate Nostra, perpetuum in modum facultatem facimus, cuius ope alia quaecumque sodalitia eiusdem nominis et instituti extra Urbem ubilibet erecta, in commemoratam archisodalitatem, servata tamen forma constitutionis fel. rec. Clementis VIII praedec. Nostri edita, adsciscere seu aggregare libere et licite possint, atque cum illis omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, quibus ipsa pollet, communicare.

Haec concedimus atque elargimur, decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis nec non, quatenus opus sit, eiusdem sodalitatis etiam iuramento atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima octava maii millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

XCII.

EPISTOLA

Institutum s. Dorotheae approbatur [2].

Dilectis filiis
Lucae et Marco e comitibus Passi
presbyteris Bergomatibus

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Inter praecipuas curas, quibus pro sollicitudine omnium ecclesiarum Nobis, Deo auctore, imposita distinemur, haud infimum tenet locum christiana institutio puerilis aetatis, in qua morum honestas veraeque pietatis cultus in reliqua hominis vita vel maxime nititur. *Adolescens*

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

[2] Ex Archivio Domus Generalis S. Dorotheae de Urbe.

enim *iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea* (Prov. XXII, 6). Itaque ut primum ante plures annos, perlatum ad Nos fuit de peculiari studio atque industria a Vobis, dilecti filii, in puerorum utilitatem, non uno in loco, salubriter collocata, laetati plurimum in Domino fuimus, et Nostrorum praedecessorum exempla sequuti, sacros indulgentiarum thesauros in eorum favorem pro quibus postulatae illae fuerant, libenter reseravimus. Longe autem maior consolatio modo Nobis accessit, cum venn. fratres Nostri S. R. E. cardinales, Episcoporum et Regularium consultationibus praepositi cognoverunt de pio illo vestro instituto, a s. Dorothea nuncupato, quod puellis speciatim ad religionem et virtutem informandis comparatum est; et perspicientes uberem fructum, quem plures sacri pastores ex eo in suis dioecesibus extitisse testantur, auctores Nobis fuerunt, ut benediceremus operi vestro, vosque ipsos ad opus idem sub episcoporum auctoritate, urgendum magis ac dilatandum, adhortaremur. Nos igitur cardinalium eorumdem probata sententia, Nostris hisce literis commendamus, plurimaque in Domino laude prosequimur memoratum pium institutum, quod scilicet in eo in primis positum est, ut in quavis paroecia seligatur ex sententia parochi mulier aliqua spectatae virtutis, quae aliis porro eiusdem probitatis foeminis suam operam conferentibus, puellas cuiusque conditionis, accepto tamen uniuscuiusque parentum consensu, instruendas, et leni quadam facilique ratione informandas ad virtutem, atque a circumstantibus periculis tuendas suscipiant. Utinam perficiatur adhuc, Deo dante, istud tam salutare opus, et parochorum connitentibus studiis, ac venn. fratribus episcopis pro suo munere advigilantibus, longe lateque ampliora in dies incrementa accipiat! Hoc Nos a patre misericordiarum, per Iesum Christum filium suum in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione supplices petimus. Atque interim vobis, dilecti filii, qui eiusmodi operis institutione bene adeo de religione morumque honestate meriti estis, et cunctis qui eidem operi se addixerint nec non puellis, quarum curam susceperint, benedictionem apostolicam, cum verae omnis prosperitatis voto coniunctam, toto paterni cordis affectu impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima nona maii millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

XCIII.

INDULTUM

Theresiae Mariae Verzeri, generali superiorissae instituti Filiarum S. Cordis Iesu in Gallia Cisalpina, concedit, ut in omnibus ecclesiis publicis eiusdem instituti, confraternitatem S. Cordis Iesu erigere possit, cum annexis indulgentiis et gratiis, quibus confraternitas de Urbe in ecclesia S. Mariae in Cappella nuncupata, gaudet [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Postquam inscrutabili divinae sapientiae atque bonitatis consilio ad supremum apostolatus fastigium, nullo meritorum suffragio, evecti fuimus, omni studio ac opera Nostra in id praecipue incubuimus, ut ea, quae ad spiritualem christifidelium profectum animarumque salutem utilia fore conspeximus, lubenti animo concederemus.

Exponendum Nobis curavit dilecta in Christo filia Theresia Verzeri, generalis superiorissa instituti Filiarum S. Cordis Iesu in Gallia Cisalpina, ipsam ad augendam fovendamque christifidelium pietatem ac devotionem erga sacrum Iesu cor, impense cupere in omnibus propriis eiusdem instituti publicis ecclesiis confraternitatem seu sodalitatem S. Cordis Iesu de licentia ordinariorum erigere seu instituere, eamque omnibus indulgentiis aliisque spiritualibus gratiis, quibus ditata est archiconfraternitas, sub eodem titulo, hic in Urbe in ecclesia s. Mariae *in Cappella* nuncupata, locupletari. Nos igitur piis eiusdem exponentis desideriis ac votis annuere volentes, supplicationibus huiusmodi permoti, de omnipotentis Dei misericordia ac bb. Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui supradictas confraternitates seu sodalitates, ut praefertur, in propriis publicis ecclesiis instituti Filiarum S. Cordis Iesu de licentia ordinariorum, ut supra, erectas vel erigendas, nunc et pro tempore ingredientur et adscribentur, indulgentias omnes tum plenarias, tum partiales, aliasque spirituales gratias archiconfraternitati commemoratae sub eodem titulo in ecclesia s. Mariae *in Cappella* nuncupata, de Urbe, canonice erectae, ab Apostolica Sede iam alias impertitas, dummodo iniuncta omnia pro illis consequendis rite adimpleant, auctoritate apostolica, tenore praesentium perpetuo communicamus, tribuimus et impertimur.

---

1 Ex Archivio Secretariae Brevium.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de non concedendis indulgentiis ad instar,* aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima prima maii millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

XCIV.

INDULTUM

Instituto Filiarum S. Cordis Iesu in Gallia Cisalpina existenti concedit omnes indulgentias quibus gaudet institutum illustrium foeminarum, seu Filiarum S. Cordis Iesu in Galliis fundatum [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romano certe decet Pontifici caelestibus Ecclesiae thesauris ea potissimum mulierum instituta ditare, quae in charitatis et pietatis opera exercenda, ac puellas pie et religiose educandas summopere incumbunt.

Exponendum Nobis curavit dilecta in Christo filia Thesesia Verzeri, generalis superiorissa instituti Filiarum S. Cordis Iesu in Gallia Cisalpina existentis, ipsam, ut animabus christifidelium in domibus sui instituti eligendis opportunius consultum sit, institutum eumdem omnibus et singulis indulgentiis aliisque spiritualibus gratiis, quibus ditatum est institutum illustrium foeminarum, seu Filiarum S. Cordis Iesu in Galliis fundatum, locupletari summopere cupere. Nos igitur piis exponentis desideriis ac votis annuere volentes, supplicationibus eius nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, auctoritate Nobis a Domino tradita, deque omnipotentis Dei misericordia ac bb. Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis mulieribus aliisque in domibus dicti instituti nunc et pro tempore degentibus, indulgentias omnes tum plenarias tum partiales, aliasque gratias spirituales instituto illustrium foeminarum, seu Filiarum S. Cordis Iesu in Galliis fundato, ab Apostolica Sede iam alias impertitas, dummodo iniuncta omnia pro illis consequendis rite adimpleant, auctoritate apostolica, tenore praesentium perpetuo communicamus, tribuimus et impertimur.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de non concedendis indulgentiis ad instar,* aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima prima maii millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

XCV.

INSTRUCTIO

De matrimoniis mixtis [2].

Ad archiepiscopos et episcopos Austriacae ditionis in foederatis Germaniae partibus.

Cum Romanus Pontifex, pro imposito sibi divinitus apostolici officii munere, sacrae doctrinae ac disciplinae integritati cavere studiosissime debeat, non potest non moleste ferre graviterque improbare quidquid in earum discrimen induci fortasse contingat. Exploratum porro satis superque est, quid Ecclesia de matrimoniis catholicos inter et acatholicos perpetuo senserit. Ipsa nimirum tamquam illicitas planeque perniciosas semper habuit eiusmodi nuptias, tum ob flagitiosam in divinis rebus communionem, tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum pravamque sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi canones illas severe interdicentes, et recentiores Summorum Pontificum sanctiones, a quibus speciatim recensendis iuvat abstinere, cum ea abunde sufficiant, quae in rem disseruit insignis memoriae Pontifex Benedictus XIV, in encyclicis literis ad Poloniae regni episcopos, atque in celebratissimo opere, quod de synodo dioecesana inscriptum est. Quod si aliquid de canonum severitate remittens Apostolica Sedes, mixta istiusmodi matri-

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

[2] Ex Iure Pontificio de P. F.

monia quandoque permisit, id gravibus dumtaxat de causis aegreque admodum fecit, et nonnisi expressa sub conditione de praemittendis opportunis cautionibus, non modo ut coniux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum; sed insuper ut proles utriusque sexus ex hisce coniugiis procreanda, in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Quae certe cautiones in ipsa naturali ac divina lege fundantur, in quam procul dubio gravissime peccat quisquis se vel futuram sobolem perversionis periculo temere committat.

Iam vero accepit non ita pridem Sanctissimus Dñus Noster Gregorius divina providentia pp. XVI, per istas dioeceses Austriacae ditionis in foederatis Germaniae partibus abusum passim invaluisse, ut matrimonia catholicos inter et acatholicos, nulla licet accedente Ecclesiae dispensatione, nec praeviis necessariis cautionibus, per catholicos parochos, benedictione sacrisque ritibus honestarentur. Ac propterea facile intelligitur, quo dolore exinde affici debuerit; maxime cum invectam ita lateque propagatam perspiceret omnimodam mixtarum nuptiarum libertatem, atque adeo magis in dies promotum funestissimum, uti vocant, indifferentismum in religionis negotio intra vastissimae illius ditionis fines, quae catholico nomine tantopere gloriatur. Nec sane sanctissimi, quo fungitur, muneris partes fuisset praetermissurus, si res ante innotuisset. Hanc autem pontificii silentii causam ex eo etiam pronum est coniicere, quod vel nuperis temporibus nulla prorsus, ad promiscuas nuptias istic ineundas, apostolica dispensatio fuerit concessa, nisi praescriptis necessariis conditionibus iniunctisque regulis, quae ex S. Sedis instituto servari consueverunt.

Inter haec tamen non parum solatii Sanctitati Suae allatum est, quod una pariter noverit, plerumque earumdem dioecesium antistites, permotos praesertim apostolicis in rem ipsam declarationibus, ad alias regiones spectantibus, pastorali sollicitudine incubuisse ad praxim illam, uti Ecclesiae principiis ac legibus adversantem, pro viribus tollendam. Proinde debitas rependens laudes ipsorum zelo, Sanctissimus Dominus, eos hortari ac vehementius etiam excitare non desistit, ut constanti studio pergant catholicae Ecclesiae doctrinam ac disciplinam tueri, solertissime curantes, ne pravus usus reviviscat, atque ubi adhuc superest illius germen, funditus eradicetur.

Verum non potuit Sanctitas Sua non mature respicere ad maximas difficultates et molestias, quibus memorati antistites subditusque iis clerus identidem premuntur; quemadmodum liquet ex literis, quas archiepiscopi earum regionum ad ipsam Sanctitatem Suam miserunt, opportunum super gravissimo hoc negotio apostolicae auctoritatis auxilium atque adiumentum implorantes. Cupiens hinc, salvis catholicae doctrinae principiis, unde nec minimum deflectere fas est, quantum pro supremi apostolatus munere valeat, subvenire difficilibus istarum dioecesium circumstantiis, ortasque inde antistitum angustias minuere, eam ibidem statuit adhibendam et praesenti instructione significandam tolerantiae prudentiaeque rationem, qua Apostolica Sedes mala illa patienter solet dissimulare, quae vel impediri omnino nequeunt, vel si impediantur, funestioribus etiam incommodis facilem aditum possunt patefacere.

Si quidem igitur in praedictis dioecesibus quandoque fiat ut, conantibus licet contra per debitas suasiones hortationesque sacris pastoribus, catholicus vir aut mulier in contrahendi mixti matrimonii citra necessarias cautiones sententia persistat, et aliunde res absque gravioris mali scandalique periculo in religionis perniciem interverti plane non possit; simulque in Ecclesiae utilitatem et commune bonum vergere posse agnoscatur, si huiuscemodi nuptiae, quantumvis illicitae ac vetitae, coram catholico parocho potius, quam coram ministro acatholico, ad quem partes facile fortasse confugerent, celebrentur; tunc parochus catholicus aliusve sacerdos, eius vice fungens, poterit iisdem nuptiis, materiali tantum praesentia, excluso quovis ecclesiastico ritu, adesse, perinde ac si partes unice ageret meri testis, ut aiunt, qualificati seu auctorizabilis; ita scilicet ut, utriusque coniugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat. His tamen in circumstantiis haud impari, immo impensiori etiam, conatu et studio per praenunciatos antistites et parochos elaborandum erit, ut a catholica parte perversionis periculum, quoad fieri possit, amoveatur; ut prolis utriusque sexus educationi in religione catholica, quo meliori liceat modo, prospiciatur; atque ut coniux catholicae fidei adhaerens, serio admoneatur de obligatione, qua tenetur, curandi pro viribus acatholici coniugis conversionem, quod ad veniam patratorum criminum facilius a Deo obtinendam erit opportunissimum.

Ceterum Sanctissimus Dominus intime dolens, quod haec tolerantiae ratio erga ditionem catholicae fidei professione insignem fuerit ineunda, antistites ipsos per viscera Iesu Christi, cuius personam in terris gerit, tota animi contentione obtestatur, ut id demum in tam gravi negotio agere studeant, quod, implorato Spiritus Sancti lumine, istiusmodi fini revera censuerint respondere; atque illud una simul satagant, ne tali tolerantiae ratione erga homines mixta connubia illicite contracturos contingat, ut in catholico populo extenuetur memoria canonum, ea matrimonia detestantium, et con-

stantissimae curae qua Sancta Mater Ecclesia filios suos avertere studet ab illis in suarum animarum iacturam contrahendis. Quare eorumdem antistitum et parochorum erit, in erudiendis sive privatim sive publice fidelibus, flagrantiori in posterum zelo doctrinam et leges ad ea connubia pertinentes commemorare, accuratamque illarum custodiam iniungere. Quae quidem omnia ex spectata ipsorum religione, fide, et in b. Petri Cathedram reverentia Sanctitas Sua sibi certissime pollicetur.

Datum Romae die vigesima secunda maii anno Domini millesimo octingentesimo quadragesimo primo.

A. card. Lambruschini.

Sanctissimus Dominus Noster Gregorius divina providentia PP. XVI attente respiciens ad graves causas expositas in literis ad Sanctitatem Suam nuperrime datis ab archiepiscopo et episcopis regni Galiciae Austriacae, eorumque precibus benigne annuens, praesentem instructionem ad memoratas etiam regiones extendit.

Datum Romae die decima sexta iul. anno Domini millesimo octingentesimo quadragesimo secundo.

A. card. Lambbuschini.

XCVI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Sodalitas s. Mariae in Monterone archisodalitatis titulo condecoratur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Piorum hominum societates ad omnipotentis Dei gloriam atque animarum salutem institutas decet sane pontificiae beneficentiae muneribus donari.

Exponendum Nobis curavit dilectus filius presbyter Iosephus Maria Mautone procurator generalis congregationis Clericorum Saecularium SS. Redemptoris, eius cura et studio in templo s. Mariae in Monterone huius almae Urbis Nostrae piam sodalitatem canonice institutam fuisse, quae eo potissimum spectat, ut piis christifidelium operibus animae piaculari in carcere inclusae summopere iuventur, quo coelestes sedes inire possint. Itaque cum idem dilectus filius vel maxime cupiat hanc piam sodalitatem archisodalitatis titulo ac iuribus donari, Nos ipsius votis alacri libentique animo annuendum censuimus.

Quamobrem ad istius sodalitatis decus, quantum in Domino possumus augendum, ac omnes quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, sodalitatem in ecclesia s. Mariae in Monterone, huius Urbis, ad animas purgatorio igne detentas iuvandas, institutam, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, archisodalitatis titulo perpetuo decoramus. Illi propterea singula quaequae iura, privilegia, honores atque indulta quavis voce designanda, quibus aliae archisodalitates ex usu et consuetudine utuntur, fruuntur, vel uti et frui possunt ac poterunt, concedimus et indulgemus. Tibi tuisque in procuratoris generalis munere successoribus, auctoritate Nostra, perpetuum in modum facultatem facimus cuius ope, alia quaecumque sodalitia eiusdem nominis et instituti extra Urbem ubilibet erectae in commemoratam archisodalitatem, servata tamen forma const. fel. rec. Clementis pp. VIII praedecessoris Nostri edita, adsciscere seu aggregare libere et licite possint, atque illis omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes, quibus ipsa pollet, communicare.

Haec concedimus atque elargimur, decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et spectabit, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, nec non quatenus opus sit eiusdem sodalitatis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die octava iun. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

---

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

XCVII.

INDULTUM

Canonicis cathedralis Papiensis datur facultas gestandi tibialia et floccum in pileo violacei coloris [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontifices provido sane consilio amplissima honorum munera ac privilegia iis insignibus ecclesiis conferenda esse existimarunt, quae originis vetustate, catholicae religionis laude et maiorum gloria summopere praestant.

Neminem certe latet clarissimas inter Italiae ecclesias, Papiensem fulgere, quae singulari antistitum sanctitate, suorum civium ingenio, virtute ac eximia in hanc Petri Cathedram observantia, et literarum praestantia, et antiquo Italiae regum qui in ea civitate sedem habebant, splendore insignis, summorum Pontificum praedecessorum Nostrorum benevolentiam atque elogia merito sibi comparavit. Itaque Nos eorumdem praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, atque ven. fratris Aloysii Tosi hodierni Papiensis episcopi votis quamlibentissime annuentes, illius cathedralis ecclesiae spectatissimo canonicorum collegio peculiaris Nostrae benevolentiae significationem dandam censuimus.

Quamobrem omnes et singulos quibus hae Nostrae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, omnibus et singulis canonicis cathedralis templi Papiensis, qui modo sunt quique in posterum erunt, perpetuum in modum concedimus atque indulgemus, ut intra limites Papiensis dioecesis tantum, focale seu *collare,* tibialia et floccum in pileo, violacei coloris, libere et licite gestare possint et valeant. Praeterea, eadem auctoritate Nostra, facultatem facimus, ut cum canonicale sacrum cum cantu peragunt, lectorio manuleato, vulgo *Bugia,* uti queant.

Haec concedimus atque indulgemus, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et spectabit hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quoties opus fuerit, fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non eiusdem cathedralis templi et canonicorum collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die octava iun. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

XCVIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Institutum Filiarum Sacri Cordis Iesu approbatur [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum, divino edocente Spiritu, adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea, ac propterea non civilis minus quam christianae reipublicae vel maxime intersit, ut iuventus vel a teneris annis intelligens timorem Domini et scientiam Dei inveniens, ad omnem pietatem honestatemque mature instituatur, atque addiscat servare semitas iustitiae, et vias Sanctorum custodire; tum Romani Pontifices merito atque optimo iure ea semper instituta, peculiari benevolentia prosequi, ac pro viribus tegere atque tueri consueverunt, quae piae ac rectae iuventutis institutioni omnem opem et operam impendere summopere student. Quod quidem maiore studio et contentione asperrimis hisce praesertim temporibus curandum, quibus mores ubique in deterius prolapsi ac permulti captiosissimi et peritissimi sceleris ar-

---

1 Ex Archivio Capitulari Cathedralis Papiensis.

2 Ex Archivio Secretariae Brevium.

tifices reperiuntur, qui monstruosis opinionum commentis, ac blanda orationis festivitate et lenocinio salibusque felle suffusis, improvidae atque imperitae iuventuti fel draconis in calice Babylonis propinare, eamque decipere, atque erroris veneno inficere, et misere perdere, atque ad exitium rapere impie nefarieque commoliuntur. Itaque summa certe afficimur laetitia, ubi novimus pia surgere instituta, quae in hac tanta temporum asperitate, iuventuti pietate bonisque artibus informandae, operam navare vehementer gloriantur. Non mediocri sane paterni animi Nostri voluptate accepimus, a defuncto presbytero Iosepho Benaglio, non tam generis nobilitate quam pietatis religionisque laude ac Dei gloriae et sempiternae hominum salutis studio commendato, piarum mulierum societatem, cui a Filiabus Sacri Cordis Iesu nomen, quibusdam legibus Bergomi anno millesimo octingentesimo trigesimo primo fuisse institutam, quae ad propriam aliorumque perfectam procurandam virtutem, atque ad puellas cuiusque ordinis pie et religiose educandas easque muliebribus artibus erudiendas potissimum incumbere debent. Cuius societatis approbationem ab hac Apostolica Sede postulare haud potuit pius institutor, quemadmodum impensissime exoptabat, propterea quod anno millesimo octingentesimo trigesimo sexto ex hac vita migravit. Verum summa cura tum sacerdotis Caietani Benaglio, qui nunc episcopus Laudensis, tum nobilis ac pientissimae familiae Verzeri huiusmodi societas bonis aucta et propagata est, iamque in quatuor domos excrevit, ac certa spes affulget fore ut benedicente Domino, magis magisque in dies augeatur. Hinc evenit, ut dilecta in Christo filia Theresia Verzeri suprema huiusce instituti antistita seu superiorissa generalis, excellenti ingenio, pietate, modestia, integritate, prudentia, consilio praedita, ad Urbem nuper accesserit, ac supplex Nos adierit, ut institutum ipsum eiusque constitutiones, auctoritate Nostra apostolica, approbare velimus.

Nos vero rem omnem congregationi venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum ac Regularium praepositorum examinandam commisimus. Ex constitutionibus autem eidem congregationi exhibitis clare aperteque patet has religiosas feminas, quae Filiae Sacri Cordis Iesu appellantur, caducis omnibus ac fluxis huius mundi illecebris plane spretis atque abdicatis, in propriam aliorumque sanctificationem quibusque rebus procurandam incumbere debere, ac praesertim omni industria, contentione, labore, adolescentulas cuiusque ordinis et conditionis docere timorem Domini, easque bonis sanctisque moribus imbuere, atque ad pudoris, verecundiae et religionis amorem excitare, femineisque artibus instruere, ut christianae et civili reipublicae ornamento et usui esse possint. Qua de re, salva ordinariorum iurisdictione, ad formam const. *Quamvis iusto,* a rec. mem. Benedicto XIV praedecessore Nostro pro virginibus Anglicanis editae, instituti domus certis constitutis legibus, sub regimine supremae antistitae manent, et sorores quae Choristae appellantur quaeque in congregatione primum tenent locum, post exactas praescriptas probationes, quatuor tandem simplicia nuncupant vota, nempe obedientiae, paupertatis, castitatis et sese exercendi in proximorum utilitatem, iuxta instituti finem, et cum debita supremae antistitae subiectione. Et quoniam religiosae ipsius instituti foeminae in iis dioecesibus ubi domos iam habent, ea omnia vel diligentissime peragenda curarunt, quae ad proprium aliorumque bonum et christianam puellarum educationem pertinent, idcirco ipsarum dioecesium episcopi summis eas laudibus efferre non dubitarunt. Quamobrem die decima quarta maii vertentis anni in generali congregatione ab iisdem venn. fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus habita, pro singulari eorum prudentia, consilio, doctrina, rebus omnibus mature perpensis, institutum ipsum approbari posse, atque illius regulas et constitutiones ad propositum finem consequendum accommodatas esse censuerunt.

Nos vero, quibus nihil potius, nihil gratius, nihil optabilius esse potest, quam ut omni vigilantia catholicae religionis bono et christianae iuventutis educationi prospiciamus, acceptis gravissimis aeque ac honorificentissimis literis venn. fratrum episcoporum, Comensis, Laudensis, Brixiensis et Cremonensis, qui omnes institutum ipsum amplissimis verbis laudant, summisque studiis prosequuntur, atque ex eo maxima in christianam civilemque societatem bona redundare posse existimant, ea profecto spe freti fore, ut illud in maiorem omnipotentis Dei gloriam et militantis Ecclesiae utilitatem cedat, institutum ipsum, suprema Nostra auctoritate, sancire non dubitavimus.

Quae cum ita sint, ipsas religiosas foeminas peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, institutum Filiarum Sacri Cordis Iesu Bergomi excitatum approbamus, sancimus et confirmamus, eiusque instituti leges et constitutiones quae ad propositum finem obtinendum accommodatae esse videntur, laudamus et commendamus.

Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab iis ad quos spectat et pro tem-

pore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, aliisque omnibus etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima prima mensis iun. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

IC.

LITTERAE APOSTOLICAE

Confirmatio translationis cathedralis ecclesiae Lincensis illegitime factae, restituta ecclesia ad paroeciae statum [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romanum certe decet Pontificem iis postulationibus annuere, quae in maiorem ecclesiarum splendorem ac dignitatem cedere posse videntur.

Exponendum Nobis curavit ven. frater Gregorius Thomas Ziegler, hodiernus Lincensis episcopus, apostolicis literis rec. mem. Pii VI praedecessoris Nostri, anno millesimo septingentesimo octuagesimo septimo sub plumbo datis, quarum initio *Romanus Pontifex*, instante cl. mem. Iosepho II Austriae imperatore et Hungariae ac Bohemiae rege apostolico, Lincensem episcopalem sedem excitatam fuisse, et parochialem eiusdem Lincensis civitatis ecclesiam Deiparae Virgini in coelum evectae sacram, in cathedralem archiepiscopo Viennensi suffraganeam erectam, eiusque ecclesiae primum episcopum defunctum comitem Hernestum de Herbestein renunciatum et constitutum. Hic vero ibi morans, cum animadverteret novam cathedralem ecclesiam ad sacras peragendas caeremonias haud esse accommodatam, ac dignitati minime respondere, aliudque existere templum, quod haud longe distans, magnifico opere extructum ac splendido cultu exornatum et s. Ignatio dicatum, ad Societatem Iesu olim pertinebat, consilium iniit, in templum illud sedem et cathedram episcopalem transferendi. Quod quidem consilium, cum idem antistes Austriacam ad aulam detulerit, nullum adfuit impedimentum, quominus eius sententia voti compos fieret. Hinc evenit ut ex totius Lincensis civitatis voto et gaudio in commemorato s. Ignatii templo cathedralis ecclesia fuerit constituta, ibique episcopalis sedes collocata, ac imago sanctissimae Dei Genitricis sideribus receptae in ara maxima eiusdem templi imagini s. Ignatii suffecta, quo titulus primae cathedralis servaretur, ac simul sanctissimae Virginis patrocinium consueta religione coleretur. Iam vero cum ex monumentis nuper erutis idem ven. frater hodiernus episcopus Lincensis noverit haec omnia absque huius Apostolicae Sedis venia fuisse peracta, enixis precibus a Nobis efflagitavit, ut suprema Nostra auctoritate, translationem ipsam adprobare velimus, cum praesertim quinquaginta et amplius ab hinc annis idem templum ab omnibus uti cathedrale fuerit habitum.

Nos itaque omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, translationem de qua habita mentio est, cathedralis templi ad ecclesiam s. Ignatii olim Societatis, factam, sancimus atque approbamus, et quatenus opus est, eamdem ecclesiam beatae Mariae Virgini in coelum evectae et s. Ignatio in praesentia dicatam, eadem auctoritate Nostra, in cathedralem Lincensem erigimus et constituimus, cum iis omnibus iuribus, honoribus, privilegiis, praerogativis, indultis quovis nomine designandis, quibus Lincensis cathedralis ecclesia Deiparae sacra fuerit donata, et aliae cathedrales fruuntur ecclesiae. Praeterea eadem auctoritate Nostra, primae commemoratae ecclesiae cathedralis titulum, dignitatem et iura omnia penitus auferimus, eamque ad pristinum parochialis ecclesiae statum revocamus atque redigimus.

Haec statuimus atque decernimus, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super

---

1 Ex Archivio Secretariae Brevium.

his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo,* nec non commemoratis apostolicis literis fel. rec. Pii VI praedecessoris Nostri, atque rec. mem. Benedicti XIV, pariter praedecessoris Nostri, *super divisione materiarum* aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non utriusque ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia approbatis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illarum tenore praesentium pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, aliisque, etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima octava iun. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

C.

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

Quoad congregationem Sanctissimi Redemptoris nonnulla decernuntur [1].

Presbyterorum saecularium congregationem sub invocatione Sanctissimi Redemptoris s. Alphonsus Maria de Ligorio summa qua erga Deum et proximos aestuabat charitate in Dei Ecclesia excitavit, ut qui in eam adlecti fuerint, propriam aliorumque sanctificationem curent, et saluberrimis pietatis ac charitatis operibus in animarum salute promovenda ferventissime adlaborent, ac praesertim evangelicum panem iis distribuent, qui remotam a civitatibus oppidisque vitam in agris agunt, omnique spirituali ope et adiutorio carent.

Novi instituti sodales iam ab anno millesimo septingentesimo trigesimo secundo in unum congregati sunt, emissis simplicibus paupertatis, vitae communis, castitatis et obedientiae votis, ac quasdam regulas seu constitutiones condere curarunt, quas summus pontifex Benedictus XIV per literas apostolicas in Brevi die vigesimae quintae februar. millesimo septingentesimo quadragesimo nono apostolica auctoritate confirmavit.

Congregatio, quae vivente adhuc eius auctore praesertim in utriusque Siciliae regno ac in pontificia ditione diffundebatur, post eius obitum in exteras etiam regiones adeo excrevit, ut iure sperandum sit, eam, opitulante in caelis divo Alphonso, in dies magis magisque auctum iri non sine uberi populi christiani fructu atque profectu.

Plurimae iam domus erectae sunt in ditione Austriaca, in Gallia, in Belgio, in regno Bavariae, in Helvetia, in statibus foederatis Americae. Hae domus Transalpinae vocantur, et a superiore Vindobonae commorante vice sacra, seu ex delegatione rectoris maioris reguntur, qui propterea eius vicarius generalis appellatur.

Cum igitur congregatio a s. Alphonso erecta, in dissitas regiones propagata sit, et domus plurimum excreverint, difficile admodum foret, ut ab uno tantum rectore maiori et eius vicario generali sine adiutrice opera aliorum superiorum, qui provinciis praesint, regatur. Hinc enixis precibus presbyteri eiusdem societatis Sanctitatem Suam adprecati sunt, ut societas ipsa in provincias dividatur; quin imo presbyteri transalpini etiam supplicarunt, ut munus vicarii generalis, statis legibus, ab Apostolica Sede constituatur, et ei certe attribuantur facultates, salva semper unitate totius corporis, et suprema rectoris maioris auctoritate: ac tandem declaretur quomodo servandum sit votum paupertatis de quo alias disceptatum fuerat apud hanc s. congregationem Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositam, ob nonnullas declarationes in capitulis generalibus anni millesimi septingentesimi sexagesimi quarti et millesimi octingentesimi secundi editas.

Hoc autem negotium SS. D. N. Gregorius PP. XVI septem eminentissimis patribus cardinalibus ex eadem sacra congregatione negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita delectis commisit, qui, conventu facto die vigesima quinta iunii millesimo octingentesimo quadragesimo primo, et omnibus sedulo perpensis, rati sunt, salva unitate totius instituti, ea decernere quae sequuntur:

1. Quoad votum paupertatis standum erit regulae approbatae a Benedicto XIV. Verum presbyteri aliique congregati domorum citra Alpes, quae provinciis transalpinis unitae minime sunt, uti poterunt declarationibus capituli generalis anni

[1] Ex opere existente in bibliotheca Casanatensi cui titulus «Editti del 1841», tom. 2, doc. 8.

millesimi septingentesimi sexagesimi quarti.

2. Domus transalpinae, tam erectae quam erigendae, una cum hospitio Mutinensi et domo Finariensi regantur a p. vicario generali, donec aliter a S. Sede decernatur; eique adiungantur quatuor consultores inter quos sit eius admonitor. Munus vero vicarii generalis et consultorum ad decennium perduret.
3. Rector maior suo vicario generali delegare debeat omnes suas facultates, exceptis tantum iis, quae respiciunt novas fundationes domorum, divisiones et erectiones provinciarum, eiectiones professorum, dispensationes votorum et approbationem capitulorum provinciarum.
4. Vicarius generalis ipsi rectori maiori de statu oeconomico, de ratione vivendi congregatorum, deque aliis rebus gravioribus quotannis rationem reddere teneatur.
5. Electio vicarii eiusque consultorum fiat iuxta modum: nempe per ternam conficiendam a provincialibus Transalpinis, et approbandam a vicario generali cum suis consultoribus, qui deinde eam transmittat ad rectorem maiorem, ut ipse cum consultoribus generalibus eligat unum ex propositis.
6. In proximo futuro capitulo generali celebrando, cum interventu provincialium et duorum sociorum pro qualibet provincia, decernantur quae servanda sint in celebratione capitulorum generalium, provincialium et domesticorum praesertim quoad Transalpinos, aliaeque res definiantur proponendae iuxta instructionem a s. congr. dandam, cuius approbationi deinceps omnia acta capituli subiiciantur.
7. Liceat Transalpinis Romam mittere presbyterum ex suis provinciis, qui curet eorum negotia in curia, habeatque titulum socii adiuncti p. procuratori generali pro provinciis Transalpinis, ac resideat in eadem domo una cum ipso procuratore generali.
8. Congregatio SSmi Redemptoris pro nunc in sex provincias distribuatur regendas a superioribus cum titulo provincialis, nempe in Romanam, Neapolitanam, Siculam, Austriacam, Belgicam et Helveticam. Ad provinciam Romanam spectent domus et collegia ditionis Pontificiae; ad Neapolitanam domus et collegia regni Neapolitani citra pharum; ad Siculam domus et collegia ultra pharum; ad Austriacam domus Vindobonae et Eggenburgii in Austria inferiori, Manternae et Leobii in Styria superiori, Frohleitii et Marburgii in Styria inferiori, Oenipontis et Dornanbergii in Tyrolio, Finarii et Mutinae in ducatu Mutinensi, Baltimorii et Pittsburgii in Statibus Foederatis Americae, Oetingii et Passaviae in regno Bavariae; ad Belgicam provinciam domus Leodii, Tornaci, Bruxellarum et S. Trudonopolis in regno Belgico ac Vitternii in ducatu Limburgensi; ad provinciam Helveticam domus Friburgi in Helvetia, Montis Episcopalis in Alsatia, Iohrbachii in Lotharingia. Collegia ubi residere debent superiores provinciales a rectore maiori in provinciis sibi immediate subiectis, in Transalpinis vero a vicario generali designentur; at novae erectiones vel divisiones provinciarum, inconsulta s. congregatione, fieri nequeant.
9. Rector maior provincialibus provinciae Romanae, Neapolitanae et Siculae usque ad proximum capitulum generale concedat eas facultates, quas secundum locorum distantias opportunas in Domino iudicabit; quod pari modo fiat a vicario generali quoad subdelegationem facultatum provincialibus Transalpinis ipsi a rectore maiori subdelegatarum. In capitulo vero generali ut supra celebrando, definiantur facultates per provinciales stabiliter exercendas.
10. Bona cuiusvis provinciae Transalpinae administrentur separatim per procuratorem eligendum a provinciali cum suis consultoribus, quibus ipse procurator rationem quotannis reddere tenetur; firmo quoad provincias Romanam, Neapolitanam et Siculam decreto sacrae congregationis super Disciplina Regulari die 21 maii 1838.
11. Quilibet superior provincialis duos consultores habeat, quorum primus sit eius admonitor, alter secretarius. Munus provincialis eiusque consultorum ad triennium perduret.
12. Superior provincialis eligi nequeat, qui annum quintum supra trigesimum suae aetatis, et decimum oblationis non expleverit, et munere rectoris localis vel consultoris functus non sit.
13. Electio superioris provincialis eiusque consultorum provincialium, pro provinciis citra montes, spectet ad rectorem maiorem eiusque consultores generales; pro provinciis vero Transalpinis ad vicarium generalem cum suis consultoribus; ita tamen ut electio a rectore maiori confirmari debeat.

Hoc decretum SSmus D. N. Gregor. PP. XVI in audientia habita a domino sub-secretario

s. congregationis negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae, die secunda iul. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, in omnibus approbavit et confirmavit atque executioni mandari iussit.

C. card. PATRITIUS *praef.*

A. Bizzarri sub-secret.

CI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Confirmatur institutum congregationis Oratorii s. Philippi Nerii in Urbe Lugduni dioec. Mechoacan in Indiis occidentalibus [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum in vinea Domini excolenda religiosae familiae omnem opem et operam collocare soleant, ac spirituali christifidelium bono pro viribus consulant; tum Romani Pontifices earum utilitati et decori prospicere consueverunt.

Exponendum Nobis curarunt dilecti filii presbyteri Emmanuel Samera, Emmanuel Quisomo, Vincentius Ariaga et Philippus Fernandez eos, annuente episcopo Mechoacan in Indiis occidentalibus, institutum congregationis Oratorii s. Philippi Nerii in civitate Lugduni intra limites illius dioecesis excitare. Cum autem ipsi impense cupiant institutum ipsum suprema apostolica auctoritate muniri, iccirco supplici cum prece a Nobis petierunt, ut hac super re Nostram indulgentiam tribuere velimus.

Nos itaque omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, ven. fratri Caietano Iosepho Mariae Gomez Portugal episcopo Mechoacanensi in Indiis occidentalibus, hisce literis, eas partes imponimus atque mandamus, ut si ita se res habeant prout expositae, institutum ipsum congregat. Oratorii s. Philippi Nerii in civitate Lugduni, auctoritate Nostra apostolica, in perpetuum approbet atque confirmet; illique perpetuae et inviolabilis apostolicae potestatis robur adiiciat, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, suppleat et sanet, et in eadem civitate unam praedictorum presbyterorum et clericorum secularium in illam pro tempore recipi volentium, congregationem ad instar congregationis oratorii huiusmodi in ecclesia s. Mariae ad Aedem Novam, seu ss. Mariae et Gregorii in Vallicella de Urbe, dudum apostolica auctoritate erectae, dummodo tamen presbyteri et clerici huiusmodi ordinationes et instituta domus congregationis Oratorii alias a fel. rec. Paulo PP. V praedecessore Nostro confirmata receperint, et illa pro viribus servare intendant, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo erigat et instituat.

Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra et cancellariae Nostrae apostolicae regula *de non concedendis gratiis ad instar,* aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, aliisque etiam speciali et individua mentione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die sexta iul. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

---

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

CII.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE DECIMA SECUNDA IULII
MILLESIMO OCTINGENTESIMO QUADRAGESIMO PRIMO.

Silvestrum Belli canonicum Vaticanum et assessorem Universalis Inquisitionis S. R. E. cardinalem creat atque declarat; duos autem alios praestantissimos viros creat et in pectore reservat [1].

Venerabiles fratres

Maximi sane momenti inter cetera negotium incumbit infirmitati Nostrae, munus videlicet numeri vestri identidem, cum res tempusque postulent, supplendi. Agitur enim de hominibus seligendis, qui collaterales et adiutores Nostri, seduli Nostri, intimi Nostri, ut S. R. E. cardinales vocat s. Bernardus, futuri sint, qui consiliariorum et curarum Nostrarum participes, assiduam et fidelem in gravissimis quibusque tractandis Ecclesiae et Apostolicae Sedis negotiis navare Nobis operam debeant, qui una cum praecipui in eadem Ecclesia gradus insignibus praecipue quoque modo onus suscepturi sunt, pro exaltatione sanctae fidei, pace et quiete populi christiani, augmento et statu Sacrosanctae Romanae Ecclesiae, usque ad mortem et sanguinis effusionem se intrepidos exhibendi; denique, quod caput est, quos oportet, quemadmodum ceteros omnes in Ecclesia post Summum Pontificem honore et dignitate praecedunt, ita etiam omnibus praelucere irreprehensibilis vitae integritate, et maximarum splendore virtutum. Verumtamen, venn. fratres, est profecto cur grates luminum patri et misericordiarum quammaximas agamus, cuius ope factum est, ut viros in amplissimum vestrum ordinem cooptare Nobis contigerit, qui tales reipsa extiterint, quales Leonis X const. incip. *Supernae* futuros iudicaveramus; ut gaudendum in Domino Nobis sit, quod sacrum collegium cardinalium habeamus plane dignum, cuius sapientiam narrent populi et laudem nuntiet Ecclesia. Eadem freti divini luminis gratia, confidimus fore, ut iisdem praeditos mentis animique ornamentis, viros in posterum quoque quoad a Deo placitum fuerit in gradum vestrum provecturi simus, atque interim, eadem implorata divini Spiritus gratia, consilium cepimus tres spectatissimos viros sacra purpura decorandi: unum videlicet hodierna die publicandi, in pectore reservatum in consistorio secreto habito die decima quarta decembris anni millesimi octingentesimi quadragesimi; duos vero creandi et in pectore reservandi, cum opportunum in Domino duxerimus publicandos.

Est autem primus Silvester Belli, canonicus Vaticanus, assessor ad tribunal Supremae Universalis Inquisitionis; qui antea ex professore in seminario et canonico templi cathedralis Anagniae patriae suae, officio addictus fuerat, materias redigendi et exponendi in s. congr. Propagandae Fidei examinandas, tum legationi extraordinariae additus negotiis ecclesiasticis in Belgio tractandis, inter cubicularios pontificios et praelatos domesticos adlectus, idemque factus iudex ad causas civiles ad cardinalem Urbis vicarium delatas, deinde delegatione perfunctus Urbiventana et Firmana, secretarius ad consistorium, adiutor primus cardinali datus internis status negotiis praeposito.

Quibus omnibus obeundis muneribus cuiusmodi ingenii, prudentiae, cognitionis rerum pietatis omnisque ecclesiasticae virtutis exempla praebuerit compertum habetis: ita ut confidendum Nobis videatur aequis meritorum aestimatoribus visum iri, iure Nos eum duxisse in istam gradus celsitudinem evehendum, unde lux eius, adiuvante Domino, clarius eluceat coram hominibus ad maiorem Dei gloriam Sanctaeque eius Ecclesiae utilitatem.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, ss. apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, declaramus S. R. E. presbyterum cardinalem Silvestrum Belli, Romanae et Universalis Inquisitionis adsessorem, cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis.

Alios duos cardinales creamus et in pectore reservamus arbitrio nostro quandocumque evulgandos.

In nomine Patris † et Filii † et Spiritus † Sancti. Amen.

CIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Derogat cuidam fundationi, et ex eiusdem bonis canonicatum presbyteralem in collegiali templo oppidi Rotella erigit [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

De spirituali christifidelium bono, deque ecclesiarum utilitate vehementer solliciti, iis pro-

1 Ex Secretaria Congr. Consistorialis.

2 Ex Cancellaria Episcopali Montis Alti.

fecto postulationibus libenter annuere solemus, quae ad animarum salutem et ecclesiarum dignitatem magis magisque procurandam accommodatae esse videntur.

Exponendum Nobis curavit ven. frater Aloisius Canestrari hodiernus episcopus Montis Alti, defunctum Theodomirum Felici oppidi Rotella, eiusdem dioecesis, testamentariis tabulis propriam animam haeredem instituisse, ac testamenti curatricem suam sororem Sanctam designasse, quae bona omnia ita administraret, ut ex eorum reditu singulis annis sacra ad altare Mariae Sanctae Lauretanae collegialis templi eiusdem oppidi pro portione peragerentur. Ut autem aliquid emolumenti eidem Sanctae aliisque testamenti curatoribus, huiusce administrationis causa, daret, unius domus usumfructum, omniaque mobilia reliquit. Voluit quoque ut, Sancta defuncta, Iohannes Felici nepos, eiusque posteri primogeniti testamenti curatores essent, feminis semper exceptis. Si vero nullus adesset masculus, cavit, ut huiusmodi administrationem prima inter feminas gereret, quae nuberet prolemque susciperet. Iussit etiam suam haereditatem ab omni aere alieno et hypothecario vinculo solutam ac liberam esse debere. Ubi autem idem Theodomirus ex hac vita migravit, bonorum omnium index fuit confectus, una cum illorum aestimatione, quae summam scutatorum mille septingentorum septuaginta quinque attigit. Verum cum etiam tum cognitum fuerit ipsam Sanctam imbecilli uti mente, ac propterea huic administrationi gerendae omnino imparem, contigit ut ipsius Sanctae et cleri illius oppidi postulatione ab eodem ven. fratre duo presbyteri fuerint eidem administrationi praepositi. Verum cum eadem Sancta mox diem supremum obierit, nulla interposita mora Iohannes Felici alius testamenti curator, ab ipso Theodomiro designatus, haud omisit illius haereditatis administrationem petere, quae iustissimis de causis ab ipso ven. fratre ei minime fuit concessa. Iam vero cum ipse ven. frater clare aperteque cognovit huius pii legati administrationem, partim incuria, partim administratorum arbitrio in deterius prolabi, ut huic negotio provide consulatur, opportunum existimaret, ex omnibus eiusdem haereditatis bonis, quae in praesentia mille et biscentorum scutatorum summam circiter attingunt, demptis reditibus, qui difficile exigi possunt, et administrationis impendiis, canonicatum in collegiali templo oppidi Rotella institui, certo sacrorum numero constituto, ac passivo patronatus iure iis attributo, quibus testator haereditatis administrationem commisit, ac Iohanni Felici domo cum horto concessa eo in oppido sita ac civico numero 32 distincta, cuius usufructus ab ipso testatore fuit concessus, una cum tribus parvis fundis eamdem ad haereditatem pertinentibus, quorum unus in territorio Rotella vico *Valle Maggiore* extat, et cuius pretium ex censuariis tabulis scutata duo et obulos nonaginta sex attingit, alter quoque in eodem territorio vico *Monte terreno* situs, summam scutatorum duorum et obulorum triginta quatuor efficit, tertius demum in territorio *Montedinove* vico *Petricciano* existit, eiusque pretium summam scutati unius et obulorum nonaginta efficit, ac similiter alia quoque parte eiusdem territorii, quae ex censuaria aestimatione scutatorum duorum et obulorum quinquaginta septem summam attingit. Et quoniam commemorati oppidi clerus populusque id summopere exoptat, ad illius templi decus augendum, atque testatoris haeres ultro libenterque suum praebuit consensum, idcirco ipse ven. frater a Nobis supplici cum prece efflagitavit, ut huic rei suprema Nostra auctoritate benigne consulere velimus. Nos vero rebus omnibus maturo examine perpensis, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium conc. Trid. interpretum consilio piis eiusdem ven. fratris, atque illius cleri populique desideriis annuendum existimavimus.

Quamobrem omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis, eidem ven. fratri episcopo Montis Alti facultatem facimus et impertimur, ut auctoritate Nostra apostolica, si ita se res habent, prout expositae, praevia commutatione voluntatis ipsius defuncti Theodomiri Felici, pro suo arbitrio et conscientia dilecto filio Iohanni Felici domum et tres agros, de quibus habita mentio est, gratis assignare possit, cum onere tamen unius generalis officii missarum quolibet anno pro anima ipsius testatoris celebrandarum in commemorata collegiali ecclesia oppidi Rotella die ab ipso ven. fratre praefiniendo, atque ad hunc effectum capta hypothecaria inscriptione super praedictis fundis. Praeterea ipsi ven. fratri potestatem facimus, ut eadem auctoritate Nostra apostolica, ex reliquis bonis illius haereditatis, canonicalem presbyteralem praebendam eodem in collegiali templo oppidi Rotella erigat, ea tamen lege, ut qui ea potitur, non solum omnia et singula onera, quibus ceteri canonici obnoxii sunt, implere omnino teneatur, verum etiam sacramentales christifidelium confessiones excipere debeat, atque etiam tria sacra, qualibet hebdomada, pro anima ipsius testatoris, in illo collegiali templo peragere, reservato tamen eiusdem canonicatus passivo iure tantum favore descendentium eiusdem Iohannis Felici, pro quibus in clericali statu constitutis sufficiat aetas quatuordecim

annorum, cum obligatione, sub poena caducitatis, non solum singulos sacros ordines suscipiendi, servatis iis omnibus, quae servari opus est, cum canonicam ad aetatem pervenerint, verum etiam idoneos se reddendi ad sacramentales confessiones excipiendas. Insuper eidem ven. fratri facultatem largimur, ut eadem auctoritate Nostra apostolica, huiusmodi canonico potestatem faciat, qua a chori servitio abesse possit, ac fructus omnes et distributiones quotidianas sui canonicatus percipere perinde ac si choro et divinis officiis praesens adesset, onerata ipsius canonici conscientia super praecisa necessitate a chori servitio vacandi ob enunciatam causam. Volumus autem ut tam praedictum onus officii generalis missarum, quam cetera omnia canonicatui erigendo onera inhaerentia describantur in tabella sacrarii eiusdem collegialis ecclesiae ex decretis generalibus rec. mem. Urbani VIII et Innoc. XII praedecessorum Nostrorum de celebratione missarum.

Haec volumus, statuimus, concedimus, indulgemus atque mandamus, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo*, ac fel. rec. Ben. XIV praedec. Nostri *super divisione materiarum* aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon commemoratae ecclesiae et pii legati legis fundationis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, aliisque etiam speciali et individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima tertia iul. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

CIV.

BULLA

Fit translatio cathedralis ecclesiae ex veteri in Novam Casertam [1].

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei
ad futuram rei memoriam.

Inter apostolicae qua tenemur sollicitudinis munia, illud quoque recensetur, ut eam animarum pastoribus sedem praefiniamus, quae concreditis suae fidei gregibus, utilius faciliusque moderandis, prae caeteris dioecesium locis opportunior videatur. Nos igitur, qui ab ipsis supremi episcopatus primordiis nulli curarum ac laborum generi parcendum duximus, quo tutior christifidelibus salutis via muniretur, praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, non tantum impense curavimus, ut in novarum dioecesium erectione is locus in sedem episcopalem destinaretur, unde memorati fructus hauriri uberius possent, verum etiam immutatis temporum rerumque circumstantiis, interdum decrevimus, ut in ecclesiis iam erectis, eadem episcopalis sedes in aptiorem locum transferatur. Iamvero vener. frater Dominicus Nanni Mancinelli, hodiernus ecclesiae Casertanae episcopus, supplicationem a decessoribus suis non semel in antecessum humillime exhibitam, pro impetranda translatione sedis episcopalis a veteri ad Novam Casertam, eo instantius ac fidentius Nobis instauravit, quo graviores causas idipsum exquirere iudicaret, scilicet post eversionem Galatiae, quamplures ex iis qui eamdem incoluerant, ut Saracenorum furorem atque immanitatem devitarent, sese cum proprio episcopo eum in montem confugerunt, ubi Casertam *a casa irta* nuncupatam construxere; quo factum est, ut per illud tempus, ea civitas ingenti incolarum numero frequentaretur. Verum pristina tranquillitate restituta, ac melioribus deinde labentibus annis evenit, ut in deteriorem ierit conditionem. Cum enim sita sit in monte praerupto, aeris insalubritate laboret, nec non aquarum aliarumque rerum inopia prematur, quas vitae usus sibi postulat, ditiores familiae inde abscesserunt, unde ea civitas imminui paulatim caeperit, atque incolentium numero ita destitui, ut in praesentiarum ne quingentos quidem continet incolas, qui rei agrariae operam navant. Quamvis autem cathedralis ecclesia in honorem sancti Michaelis Archangeli ibidem erecta reperiatur, Casertanus tamen antistes iamdiu sedem sibi quaesivit in episcopio, cui prope seminarium

---

1 Ex Collectanea existente in Bibliotheca Angelica, de Urbe, sub signatura F. VIII. 27.

posuit, quodque a Caserta Nova cum parum distet, a veteri tamen duobus passuum millibus plane seiungitur. Praeterea plerique eiusdem canonici, finitimis in pagis degentes, impetrata propter eiusmodi e suis domibus distantiam, iterum iterumque a S. Sede servitii choralis imminutione, vix choralibus diebus eo sese conferunt. Nulli autem vel paucissimi ex tam modico agrestique populo esse solent ii, qui ecclesiasticis functionibus intersint; quamobrem divini cultus splendor, atque animarum salus non parum inde detrimenti patiuntur. Iam vero Caserta Nova adeo commodiorem ac salubriorem locum in Campaniae planitie obtinet, ut ibi Siciliarum reges, praeter alia monumenta, magnum palatium sibi aedificare curaverint. Ea civitas frequentiori populo exaucta ac divitibus pollens familiis, fuit etiam regio decreto conclamata princeps provinciae Campaniae, cuius propterea inibi extat praefectura una cum primariis publicae rei auctoritatibus et militibus; floret quidem sociali splendore et incremento, opportunarum rerum commercio utitur fruiturque, ac praeter advenas illuc confluentes tredecim incolarum millia suo gremio complectitur. Verum id perincommodum et huiusmodi civitate minus dignum videtur, quod unica in ea habeatur paroecia, quae tantae civium frequentiae haudquaquam respondet, ac tam modico utatur presbyterorum numero, ut sacramentorum administratio divinarumque rerum cultus expleri satis nequeat, licet Coenobitarum domus, quibus a SS. Redemptore praenomen est, inibi instituta reperiatur. Illi enim evangelicis missionibus huc illuc peragendi potissimum addicti sunt. Ut vero ecclesiastica quoque res ad incrementum promoveretur, Casertani antistites maximo studio elaborarunt ut amplior ecclesia aedificaretur. Anno denique millesimo octingentesimo trigesimo secundo, carissimo in Christo filio Nostro Ferdinando I, serenissimo utriusque Siciliae rege, suis etiam sumptibus opitulante, magnificum et decorum templum eo potissimum consilio extructum consecratumque fuit, ut ubi episcopalem sedem a veteri ad Novam Casertam transferri contingeret, illud quidem cathedralis titulo augeretur. Omnibus itaque perpensis riteque exploratis, votis quoque pientissimis nedum episcopi Casertani, sed carissimi etiam in Christo filii Nostri Ferdinandi II utriusque Siciliae regis obsecundantes, titulum sedis episcopalis, et cathedralitatem ecclesiae existentis in Caserta veteri sub invocatione sancti Michaelis Archangeli perpetuo supprimimus, extinguimus et annullamus, eamdemque sancti Michaelis Archangeli ecclesiam, (parochialem tamen ut antea cum suis iuribus et oneribus extituram), ad statum simplicis parochialis ecclesiae reducimus, eiusque capitulum in novam cathedralem ecclesiam infra erigendam, apostolica auctoritate, transferimus. Eumdem episcopum Casertanum omnino absolvimus atque liberamus ab memoratae ecclesiae manutentione, ad eam Casertae Novae municipium perpetuo obligamus, quandoquidem istud onus, aere publico substinendum, se omnino suscepturum rite spoponderit. Ut vero in posterum consultum sit non minus ipsius ecclesiae incolumitati, quam decenti externi cultus nitori, eam concedimus ordini religioso patrum Alcantarinorum, in Caserta veteri degentium, eidemque ordini committimus earum animarum curam per alterum ex iis religiosis exercendam; pro ipsius autem parocho assignatam volumus *congruam oblatam*, et constitutam in ducatis centum viginti ex aerario municipii Casertae Novae quotannis persolvendam. Istiusmodi confecta sedis episcopalis et cathedralitatis Casertanae suppressione et extinctione, Novam Casertam superius memoratam erigimus atque constituimus in civitatem episcopalem cum curia et cancellaria ecclesiastica, omnibus et singulis fruituram honoribus, iuribus, privilegiis ac praerogativis, quibus alterae civitates, episcopali sede decoratae, in utriusque Siciliae regno, earumque incolae et cives utuntur ac potiuntur. Templum autem, quod in Caserta Nova sub invocatione sancti Michaelis Archangeli dicatum est, perpetuo erigimus atque constituimus in novam cathedralem Casertanam suo sub titulo sancti Michaelis Archangeli nuncupandam, et parochialem insimul extituram inibi praeterea erigimus et constituimus sedem, cathedram et dignitatem episcopalem pro uno antistite, qui Casertanus nuncupatur, ac praesit ecclesiae, civitati ac dioecesi Casertanae, clero et populo, itemque omnia et singula iura, officia et munia episcopalia habeat atque exerceat. Capitulo insuper infra designando, arca, sigillo, mensa episcopali, iisque omnibus cathedralibus et pontificalibus iuribus, honoribus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, indultis, iurisdictionibus ac praerogativis eumdem Casertanum episcopum frui volumus, quibus caeterae cathedrales ecclesiae in utriusque Siciliae regno existentes, earumque praesules fruuntur. Ut cathedrali ecclesiae, sic erectae, propria tribuatur dioecesis, ipsam civitatem Casertae Novae et cetera loca quae territorium ac dioecesim Casertanam hactenus constituerunt, inibique consistentes et consistentia ecclesias, monasteria, nec non cuncta quaecumque sint saecularia et quorumvis ordinum regularia beneficia, utriusque sexus personas et incolas tam laicos quam clericos, cuiuscumque gradus et ordinis, non tamen exemptos, episcopi Casertani pro tempore existentis iurisdictioni, regimini et superioritati perpetuo pariter subiicimus, eique pro suis civitate, territorio, dioecesi, clero et populo simili modo assignamus et attribuimus. Quocirca necessarias et opportunas ipsi episcopo concedimus facultates istam Casertanam cathe-

dralem ecclesiam eiusque dioecesim regendi atque gubernandi absque nova literarum apostolicarum expeditione. Ad tuendam porro decenter Casertani pro tempore existentis episcopi dignitatem, utque vicario generali curiaeque episcopali rite consultum sit, ipsam novae mensae Casertanae dotationem ex bonis reditibus et iuribus, quae ad suppressam Casertanam sedem spectabant, attribuimus et adiudicamus. Episcopium extans prope Casertam Novam, quo antea usus est et utitur Casertanus antistes, asservari et assignari mandamus pro habitatione episcopi novae ecclesiae Casertanae, eumque Casertanum pro tempore antistitem ad cathedralis ecclesiae s. Michaelis Archangeli ordinariam manutentionem, ad extraordinariam vero in solidum Casertae Novae civitatem teneri praecipimus. In praefata autem sancti Michaelis Archangeli cathedrali ecclesia, proprium capitulum erigimus atque instituimus ex iisdem profecto dignitariis, canonicalibus ac beneficiariis praebendis, et de iisdem personis, quin hac de causa indigeant literarum apostolicarum expeditione, conflari volumus, quae constituebant capitulum Casertae veteris, ita ut hoc novae cathedralis ecclesiae capitulum constare debeat quatuor dignitatibus, undeviginti canonicis, inter quos unus erit theologus, alter poenitentiarius, quorum praebendae ex apostolicarum constitutionum praescripto in posterum, praevio concursu, conferantur, ac septem conficiatur beneficiatis seu mansionariis, quibus onus incumbat novae cathedrali ecclesiae inserviendi. Ex his vicarius curatus eligetur, cui animarum cura demandabitur. Eidem capitulo sic erecto facultatem impertimur reformandi, vel si opportunius videbitur de novo etiam condendi statuta, ordinationes et decreta sacris canonibus, apostolicis constitutionibus et conc. Tridentini decretis consentanea, et ab episcopo Casertano expendenda atque adprobanda pro eorum robore ac pleno effectu, nec non ius gaudendi omnibus et singulis gratiis, honoribus et privilegiis, quibus fruebatur capitulum suppressae cathedralis Casertanae ecclesiae, vel fruuntur caetera ecclesiarum cathedralium in Siciliarum regno existentia capitula, dummodo in usu sint nec fuerint peculiari indulto vel titulo oneroso acquisita. In praefata nova cathedrali erigimus titulum parochialitatis, proindeque paroeciam, quae unica usque adhuc extitit in Caserta Nova, circumscribimus, novaeque huic erectae paroeciae certos fines ab episcopo Casertano assignari mandamus, prout ei magis in Domino expedire videbitur, eiusque animarum cura erit exercenda per alterum ex mansionariis eiusdem cathedralis, qui nuncupetur vicarius curatus, cuius praebenda perpetuo huiusmodi oneri erit obnoxia. Ex quatuor millium missarum numero, quae ex piis legatis celebrari consueverunt in suppressa Casertae veteris cathedrali, tria earum millia ex apostolicae potestatis plenitudine, et derogata, quatenus opus sit, quacumque testamentaria dispositione nihil proinde obfutura, transferri cum iisdem porro indulgentiis et privilegiis, quibus inibi ea altaria pollebant, ad Casertae Novae cathedralem, ut nempe ab eius pariter capitulo celebrentur in praefata cathedrali Casertana, praecipimus et mandamus; ita ut millia tantum ex illis eidem ecclesiae Casertae veteris, servatis omnino pristinis indulgentiis et gratiis, privilegiis, celebrandae supersint. Volumus autem, ut Novae Casertae pro tempore episcopus quotannis teneatur ex condicto in ducatos centum erogandos ad subsidium pauperum in Caserta veteri degentium. Seminarium superius memoratum, quod extat prope episcopium et Novae Casertae proximum, servari, alterum vero extans in veteri Caserta supprimi mandamus, ita tamen, ut eius aedes destinentur in aliquem pium usum, quem Casertanus episcopus meliorem censuerit, et eiusdem reditus et alumnos modo ibi degentes protinus transferri ad praedictum seminarium dioecesanum, quod aptius habetur, volumus atque mandamus. Capitulum autem novae cathedralis Casertanae, tertia quaque feria mensis aprilis, composito ordine, ritu habituque chorali, proximam quotannis adire ecclesiam ruralem, « *Sala* », in honorem et memoriam sancti Vitaliani, qui persecutionem declinans ibi defessus constitisse fertur, atque etiam semel in anno eiusdem sancti eremum visitare teneatur, quod antea praestare debebat tertia quaque feria mensis aprilis; iniuncto praeterea onere, ut quotannis cum episcopo ab eodem suo capitulo obedientiam tunc accepturo, conveniat in suppressam Casertae veteris cathedralem, non modo ut divinas in choro laudes singulas, scilicet horas canonicas solemniter persolvat, verum etiam pontificalibus ibidem celebrandis intersit. Quod vero spectat ad fructus novae ecclesiae cathedralis Casertanae, eos iuxta reditus suppressae ecclesiae Casertanae veteris eidem, ut supra, attributos de more taxari ad florenos biscentum et quadraginta sex cum dimidio auri de camera, et eiusmodi taxam in libris camerae apostolicae et sacri collegii describi volumus atque iubemus. Memoratam insuper ecclesiam Casertanam sancti Michaelis Archangeli ad cathedralis honorem evectam, metropolitico iuri archiepiscopi Capuani subiicimus, iisque omnibus frui facultatibus, exemptionibus, praerogativis et iuribus, quae ad caeteros suffraganeos Capuani archiepiscopi pertinere dignoscuntur, praecipimus et iniungimus. Ad hoc itaque ut omnia et singula ut supra a Nobis disposita rite ad suum perducantur effectum, ven. fratri Camillo di Pietro archiepiscopo Beritensi, et apud carissimum in Christo filium Nostrum utriusque Siciliae regem nuncio apostolico, quem prae-

sentium literarum deputamus exequutorem, necessarias et opportunas tribuimus facultates, ut per se, sive per aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, ab ipso specialiter subdelegandam, ea omnia facere, statuere ac decernere, et super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet forsan oritura cognoscere, ac etiam definitive pronunciare libere et licite possit et valeat. Volumus autem, ut actorum omnium et singulorum exemplar, quod in praefatarum literarum apostolicarum executione etc.: de more transmittendum in tabulario congregationis Concistorialis diligenter asservetur.

Praesentes autem literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes, vel non fuerint auditi, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane decernimus, in contrarium facientibus, licet speciali, expressa et individua mentione dignis, non obstantibus quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, annullationis, translationis, erectionis, constitutionis, assignationis, deputationis, mandati, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo primo idibus iulii, pontificatus Nostri anno decimo primo.

CV.

MOTU-PROPRIO

Erigit in vicariatum apostolicum provinciam Texas in America septentrionali, regendam per vicarium apost. episcopali dignitate fulgentem [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Universi dominici gregis salus Nobis ab ipso pastorum principe et episcopo animarum divinitus commissa atque concredita postulat atque efflagitat, ut omni cura et contentione ea peragere non omittamus, quae ad maiorem christifidelium utilitatem procurandam pertinere posse cognoscimus.

Itaque, cum in praesentibus rerum ac temporum adiunctis, catholicae religionis bono plurimum expedire noverimus, si in Texensi provincia, vulgo Texas, cuius regimen ecclesiasticum simplici hactenus presbytero, praefecti apostolici titulum habenti, fuit commissum, vicarius apostolicus, episcopali dignitate insignitus, constituatur, qui ampliore auctoritate in illa regione Ecclesiae negotia gerenda curet, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, provinciam ipsam Texensem in peculiarem ac distinctum vicariatum apostolicum erigendam censuimus.

Motu igitur Proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum literarum tenore, ipsam provinciam Texensem in peculiarem ac distinctum vicariatum apostolicum erigimus et constituimus. Ipsi autem vicario, ab hac Apostolica Sede adlegendo, omnes et singulas facultates huiusmodi vicariis apostolicis concedi solitas, eadem auctoritate Nostra, concedimus et impertimur.

Haec statuimus atque decernimus volentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque iis, ad quos spectat ac in posterum spectabit, plenissime suffragari et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo*, aliisque constitutionibus et sanctionibus apostolicis, ceterisque, etiam speciali et expressa mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima sexta iul. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

CVI.

EPISTOLA

Michaeli Lewicki metropolitae Ruthenorum unitorum gratulatur de Romani Pontificis primatu vindicato ex libris liturgicis, quibus Graeco–Russi et Rutheni utuntur; calumniam refellit eorum, qui asserunt Ecclesiam catholicam latini ritus, avertere orientales a propriis ritibus, et de transitu ad alienum ritum docet [1].

Venerabili fratri Michaeli archiep. Leopoliensi, Haliciensi et Camenecensi Rutheni ritus

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Perlatum ad Nos est exemplum epistolae pastoralis, datae a te die decima mensis martii huius anni, qua id tibi propositum fuit, ven. frater, ut clero tuarum dioecesium, ac per eum fidelibus Ruthenis, qui sub tua cura sunt, supremam auctoritatem Romani Pontificis, et custodiendae cum illo communionis necessitatem studiosissime commendares. Hoc sane vigilantiae ac zeli tui documento lenitus est aliquantulum, qui iam diu haeret infixus cordi Nostro acerbissimus dolor, ob damna inter Ruthenos nonnullorum locorum rei catholicae illata, et permultos Nostrorum in Christo filiorum in magno religionis periculo versantes, ac praesertim ob infandum illud facinus Ruthenorum quorumdam antistitum, qui altero abhinc anno, ad Graeco–Russos acatholicos transfugae parricidialia contra matrem Ecclesiam arma sumpserunt. Igitur gratulamur tibi in Domino vehementer, quod licet gregi praesideas sub catholici et benignissimi erga illum amantissimique principis ditione constituto, non tamen fugerit prudentiam tuam, quanta esse soleat pravorum huiusmodi exemplorum vis, qualibusque insuper artibus acatholici homines uti consueverint ad decipiendum incautos, atque adeo tuum esse intellexeris, ut de salute sollicitus dilectarum ovium, ipsis ingruentium pe-

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F. — Pro historia allat. lit., quaedam transcribimus ex notis optimae Collectionis Lacensis vol. II, p. 606, de Ruthenorum transitu ad ritum latinum.

« Versus medium saeculum XVIII antiquae de transitu controversiae denuo recrudescebant. Die XXIV nov. et X DEC. MDCCLXVIII. Benedictus XIV laicos Ruthenos vetuit sine consensu Latini Episcopi ad ritum Latinum transire (Molinwski, pag. 65). Quae de hac re sentiret, litteris ad epp. Leopoliensem et Premisliensem significavit: « VV. FF. salutem et apostolicam benedictionem. Vestrae ad nos delatae sunt litterae scriptae XVII iulii, in quibus merito conquerimini de transitu Ruthenorum a ritu Graeco ad ritum Latinum, ubi bene nostis, VV. FF., quod nostri praedecessores transitus hos abhorruerunt, et nos ipsi abhorremus, utpote qui non destructionem, sed conservationem ritus Graeci summopere desideramus. Specialiter de prohibendo transitu Ruthenorum actum est coram nobis anno MDCCXLVIII, sed nulla fuit capta resolutio sub obtentu resistentiae factae a rege Poloniae decretis Urbani VIII in quibus transitus fuerat prohibitus. Quamprimum materia reassumetur, omnem lapidem movebimus, ut nedum finali decreto transitus prohibeatur, sed etiam ut decretum sua non careat exsecutione. Et interea vobis, VV. FF.; et gregibus vestrae curae commissis apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Maiorem die XVIII sept. MDCCLI, pontificatus nostri anno XII ».

Sed SS. Pont. hoc *finale decretum* nunquam edidit, quia rex et epp. Lat. r. restiterunt. Etenim nuntius apost. in Polonia die XXVIII mart. MDCCLII regio procancellario significavit, quum decretum Urbani VIII, quo Rutheni ecclesiastici ad Lat. r. sine speciali Sedis Apost. licentia transire prohibiti fuerunt, tollendis discidiis impar deprehensum esset, SS. Pontificem in eam sententiam venisse, quod laicis etiam Ruthenis transitum ad Lat. r. prohibere operae pretium esset, impertita tamen suo et Sedis Apostolicae in Polonia pro tempore nuntio facultate dispensandi. Haec cum epp. r. Lat. communicata sunt, qui mense octobri Grodnae congregati et ipsi, memoriali die XX oct. conscripto, apud S. Sedem Apostolicam intercedere decreverunt, et regem ad idem faciendum adduxerunt. Contra epp. Rutheni m. febr. Vilnae convenerunt et die XVII febr. MDCCLIII *informationem materiam transitus a ritu ad ritum concernentem* Romam et ad regem miserunt. Quo facto Praefectus S. Congregationis de Prop. Fide die VI aprilis nuntio ap. in Polonia scripsit: « Sua Sanctitas cogitaret statuere, ne illius legitimus habeatur transitus a ritu Graeco ad Latinum, qui, natus a parentibus Ruthenis et in illo ritu educatus, non faceret in actis episcopalibus Latinis huius dioecesis, in qua habitat et suum habet domicilium, formalem declarationem, se velle spontanee et libere transire a ritu Rutheno ad Latinum. Ultra hoc posset quoque statui et declarari, ne ullus Ruthenorum tunc ad ritum Latinum transire possit, quando actu inquiritur a suo ordinario Rutheno, et quin prius ab ipso ordinario Rutheno vel a suo superiore liber ab omni processu declaretur ». (Malinowski, p. 65-161). Sic lite in curia Romana pendente, nuntius apostolicus die IV novembris MDCCLVI vetuit officialem Camenecien-sem r. Gr. fideles, qui ad r. Latinum transierant, ad r. Graecum censuris cogere (l. c. p. 166). SS. Pontifex quidem die XXVI iulii MDCCLV. encyclica *Allatae* transitum a ritu ad ritum prohibuerat, sed controversiam ab epp. Polonis ad S. Sedem delatam certe minime hac encyclica *ad missionarios per Orientem dispersos* data definire voluit. Quodsi in his litteris utroque decreto Urbani VIII (die VII febr. et VII iulii MDCXXIV) demonstrare nititur, S. Sedem, *etsi libere affirmari potest, transitum huiusmodi* (ad L. r.) *non aeque ac primum* (ad Gr. r.) *interdici,* tamen etiam eundem improbare: optimo quidem iure id facit, quum illius decreti exsecutio, invita S. Sede, temporum iniuria impedita sit; sed non inde efficitur, SS. Pontificem *restricto* decreto die VII febr. *hac ratione* vigorem voluisse restituere. Neque si Benedictus XIV protoarchimandritam O. S. Basil. Ruthenorum bullam *Demandatam* ad Graeco-Melchitas missam servare iussit (v. supra p. 481 c.), inde colligi potest, SS. Pontificem omnes et singulos Ruthenos ad eamdem servandam obligasse. At, quod Benedictus XIV facere impeditus est, Clemens XIV pro Ruthenis in Russiae

riculorum initiis, omni ope atque opera obsisteres. Gratulamur deinde speciatim de ratione a te prudentissime adhibita, ut pontificii primatus dogma testimoniis etiam confirmares librorum liturgicorum, quibus Rutheni seu Graeco–Russi omnes, tum catholici, tum acatholici diversarum nationum, ad Nostra usque tempora usi sunt. Profecto cunctis, qui christiano nomine gloriantur, satis esse deberet plenissima illa eius veritatis ostensio, quae ex divinis scripturarum libris, constantique veterum patrum tum occidentalium tum orientalium traditione, atque adeo ex irreformabili universalis Ecclesiae doctrina clarescit. Sed nihilominus confirmatio dogmatis eiusdem ex libris assumpta, antiquo commendatis Ruthenorum usu, atque (ut opportune adnotas) in plures quoque variarum nationum linguas interpretatis, peculiarem habet vim catholicis eius ritus in sanctae unionis cultu custodiendis, eademque Graeco–Russos seu Ruthenos acatholicos luculentiori quodam proprii sui oris testimonio redarguit. Nec refert si recens apud hos aliqua iis in libris resecta forsan hoc in genere aut subdole immutata fuerint; quum immo ex mutationibus huiusmodi, nedum ipsarum auctores inexcusabiles fierent, sed ipsa quoque illorum testimoniorum vis illustrior per eam fraudem ac manifestior evaderet.

Iam vero et illud opportunissimum fuit, quod in tua epistola commemorasti de statu schismaticae ecclesiae Constantinopolitanae, uti et aliarum ecclesiarum, a Sanctae huius Sedis auctoritate rebellium, quae in diversos prolapsae errores et dissociatae paullatim alterae ab alteris, ne umbram quidem retinent sanctae illius catholicae et apostolicae unitatis, quam inesse omnino in vera Christi Ecclesia ipsae quoque una Nobiscum in Constantinopolitano symbolo profitentur. Quo in loco scitissime insuper ad-

---

imperio et Pius VII pro Ruthenis in Galicia praestitit, ut patet ex his litteris:

« EX AUDIENTIA SANCTISSIMI
HABITA DIE XIII IUNII MDCCCII.

Cum SSmo D. N. Pio div. prov. PP. VII expositum fuerit, decretum fel. rec. Urbani VIII de non transitu Ruthenorum ad Latinum ritum, editum sub die VII februarii MDCXXIV, confirmatum die XVI aprilis MDCCLXXIV a Clemente PP. XIV pro omnibus locis et provinciis, quae Moscorum imperio subsunt, aliquoties ibidem violari: Sanctitas Sua, decessorum suorum vestigiis inhaerens, ex gravissimis causis animum suum moventibus, referente me infrascripto sacrae congregationis de Prop. Fide secretario, decretum, de quo agitur, iterum expresse renovavit, mandans, ut ab omnibus praedictorum locorum Christi fidelibus tum ecclesiasticis, tum laicis, sive ii Latini sint, sive Graeci, sancte ac inviolabiliter observetur. Decretum est autem huiusmodi: *Ad conservandam* (supra p. 602 d.). Itaque hoc decretum sic renovatum SS. mandavit in notitiam caute deduci omnium Episcoporum tum R. ritus, tum L., iisque denuntiari, non licere sibi in posterum Ruthenos, sive monachos sive clericos sive etiam laicos, ad Latinum ritum quavis de causa, inconsulta Sede Apostolica, admittere, praetextu etiam cuiusvis facultatis, quam forsan a Sanctitate Sua vel eius praedecessoribus, sive scripto, sive voce, obtinuerint, quas facultates Sanctitas Sua tenore praesentium revocat, suoque peculiari iudicio huiusmodi transitus perpetuo sibi suisque successoribus reservat sub iisdem poenis in superiori decreto propositis; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex aedibus dictae S. Congregationis die et anno quibus supra.

Dominicus Archiep. Myren., Secret. ».

Sed haec decreta in tempora inciderunt, quibus magistratus civilis recursum ad S. Sedem impediebat. Ipse episcopus r. Gr. Premisliensis, etsi decretum Urbani VIII vigere acriter contendebat, tamen affirmavit: *quemlibet, qui a ritu ad ritum transire vellet, ad locorum Ordinarios, utpote plenaria (!) iurisdictione gaudentes, se referre debere.* (Litt. ad Ep. Premisliensem L. r. die III dec. MDCCC. Harasiewicz, Annales Ruth. p. 704–717). Reapse idem Episcopus postquam sedi metropolitanae Leopoliensi praefectus est, subditis aliquoties permisit, ut ad ritum Latinum transirent. Quod quum, eo defuncto, etiam a vicario capitulari Michaele de Harasiewicz postulatum esset, hic ad S. Sedem recurrit et duo rescripta accepit (dd. XXV novembris MDCCCXV et XXIX iunii MDCCCXVI), quibus Cardinalis Litta, Praef. Congr. de Prop. Fide, ipsi significavit, transitum istum sine S. Sedis dispensatione esse vetitum. In secundis tamen litteris Cardinalis hanc moderationem apposuit. « Unum tamen est, quod ad vitanda incommoda, quae ex ritus varietate in una eademque familia oriri solent, ex decreto Sacrae huius Congregationis die XIX. martii MDCCLIX. et apostolica auctoritate firmato permissum est, scilicet Graecum maritum posse, si velit, ritum sequi Latinae uxoris, itemque Graecam uxorem posse, si velit, Latini viri ritum amplecti, quin eo defuncto ad ritum Graecum redire valeat ». (Malinowski, p. 666).

Omnia haec rescripta, ne quis sine apostolica dispensatione ad ritum Latinum transire posset, parum iuvabant; nam c. r. gubernium Galiciae decreto die XX februarii MDCCCXVIII Nostro 7897 significavit, *Suam Maiestatem resolutione die XX ian. pro exacta in futurum norma sancire dignatam esse: . . .* ad hunc transitum ex natura rei consensus Pontificis omnino non requiritur. « Denuo igitur discordiae mutuis querelis magis magisque accendebantur. Peropportunae fuerunt eo tempore apostolicae litterae Gregorii XVI die XVII iulii MDCCCXLI ad Archiep. Lewicki, quibus eos quidem valde reprehendit, qui *Orientales catholicos ad ritum Latinum amplectendum allicerent,* sed simul monuit, maius periculum Ecclesiae Ruthenae aliunde imminere ».

« Motus vero civiles, paullo post in Galicia orti, concitatis inter Polonos Ruthenosque acerrimis partium studiis cotroversiam illam de transitu ad ritum alienum non modo non sedarunt, sed cum magno religionis detrimento tam vehementer auxerunt, ut episcopi utriusque ritus intelligerent, omnino *Concordiam* ineundam esse. Convenerunt igitur inter se Leopoli, et tandem die XXX sept. MDCCCLXIII (v. supra p. 561–566) SSmo Patri et D. N. Pio IX contingit, postquam *singulari amore et assiduo studio paternas curas ad electam dominici gregis partem* Orientalem *vel ab ipso supremi pontificatus initio* contulerat (encycl. *Amantissimus*), post ducentos quinquaginta annos discordiarum suprema apostolica auctoritate firmare *Concordiam* ».

notasti, plures illarum redactas fuisse in subiectionem omnimodam civilium potestatum, et contra hierarchiae ordinem, a Christo Domino institutum [1], earum nutu atque arbitrio sacris in rebus gubernari.

Pergratum pariter Nobis fuit in eadem epistola tua legere, quae contra illos animadvertis, qui Sanctam hanc Sedem calumniari non verentur, quasi tum orientales alios, tum etiam Ruthenos sibi obedientes avertere semper studuerit a propriis ipsorum ritibus, ut tandem eosdem omnes ad latinum ritum traducat. Quam longe id a veritate absit, manifestissime evincitur, ex pluribus Romanorum Pontificum sanctionibus, (a te etiam laudatis), quae scilicet sive Orientalibus ceteris, sive Ruthenis catholicis nominatim permissum decernunt usum suorum rituum; ea tantum exceptione adiecta, ut eiusmodi ritus veritati et fidei catholicae non adversentur, et communionem cum Romana Ecclesia non excludant [2]. Hinc porro si factum aliquando est, ut in ritu nonnullarum ecclesiarum peculiaris aliqua circa unum vel alterum eius caput mutatio expeteretur, non aliter illam probavit decrevitque Apostolica Sedes, nisi graves id causae suaderent; cautumque voluit, ut nihilominus suo semper in robore permanerent pontificiae constitutiones et generalium conciliorum decreta de orientalibus ritibus conservandis. Eo insuper spectant scholae et collegia, sumptu aut cura praedecessorum Nostrorum tum alibi tum Romae aperta, clericis diversorum rituum informandis; eo spectant ecclesiae in illorum usum destinatae, ac non denegata episcopis presbyterisque facultas celebrandi etiam more suo in ecclesiis latinis; eo denique spectat, quod iam diu institutum est, ut quoties Romanus Pontifex solemniter celebrat, adsint una cum latinis subdiaconus atque diaconus graeci ritus, qui et ipsi epistolam et evangelium sua lingua decantant. Postremo nec praetermiserunt Romani Pontifices inconsultam reprehendere illorum rationem, qui orientales catholicos ad latinum ritum amplectendum allicerent. Totam hanc Ecclesiae Romanae in permittendis, tuendis honorandisque tum Ruthenorum tum aliorum Orientalium ritibus oeconomiam explicat fusius, multisque omnis generis documentis illustrat Bened. XIV immortalis memoriae, decessor Noster, in literis, quarum initium *Allatae sunt,* datis die vigesima sexta iulii millesimo septingentesimo quinquagesimo quinto [3], quas quidem literas cum quis attente perlegerit, habebit profecto unde illorum inscitiam coarguat, qui Summos Pontifices erga orientales liturgias minus aequos fuisse contendunt.

Illud vero dolendum, quod ex servata apud Ruthenos catholicos sui ritus disciplina, occasionem arripiunt Graeco–Russi acatholici, ut eos subdole avertant a Romana Ecclesia, quasi in diverso ritu diversam religionem habente, atque adeo impellant facilius ad schismaticam suam communionem, quam vix in paucis ac nullius pene momenti rebus, ab illorum cultu distingui comminiscuntur. Probe autem nosti, ven. frater, quanta penes rudiorem praesertim populum vis esse soleat in huiusmodi cavillationibus ex rerum similitudine externaque veluti facie petitis. Ne desistas itaque toto pastoralis vigilantiae studio prospicere, ut tuus iste grex iis fraudibus minime capiatur. Hunc vero in finem praecavere primum oportet, ne idem illud seductionis periculum maius evadat ex nova aliqua commutatione, qua scilicet Rutheni catholicorum ritus ad pleniorem cum schismaticis similitudinem accommodentur. Enimvero si de iis ritibus loquimur, qui ad professionem quodammodo fidei et unitatis catholicae, atque ad detestationem schismatis pertinent, hos quidem variari prorsus non posse, manifestissimum est. De aliis autem ritibus, quos Rutheni catholici retinuerunt ex veteri suo more, aut quos progressu temporis ad tuendam suam a schismaticis separationem, seu alias quascumque ob causas adoptarunt, hi quoque haud certe possunt variari pro lubitu, atque in tanto praesertim huius temporis periculo, maximae prorsus imprudentiae foret, quidquam eo in genere ad schismaticorum placita detrahere, adiungere, aut quomodolibet immutare. Huc insuper spectat, ut intento iugiter animo caveas, ne clerus populusque iste missalia accipiant, vel catechismos, aut alios liturgicos seu religiosos quoscumque libros, qui ex officinis schismaticorum prodierint. Quam circa rem eo maior adhibenda vigilantia est, quod Graeco–Russi libros huiusmodi ad rationem suam callide aptatos, magno nuper exemplarium numero edidisse, narrantur, eosdemque Ruthenis catholicis modico aut etiam nullo petito pretio obtrudere gestiunt; speciatim vero catechismum

---

1 Penes imperatores potestas non est, ut Ecclesiis leges sanciant. Attende quid dicat Apostolus: « Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, tertio pastores et doctores ad perfectionem Ecclesiae ». Non adiecit: « imperatores ». Ita Ioannes Damascenus (de imaginibus Orat. 2, num. 12, tom. I oper. edit. Le Quien). Athanasius vero (in hist. Arianorum ad Monachos num. 52, tom. I, pag. 1, opp. edit. Patav.): « Quandonam (inquit) Ecclesiae decretum ab imperatore accepit auctoritatem, aut pro decreto illud habitum est? Multae antehac synodi coactae sunt: multa prodiere Ecclesiae decreta; sed nunquam patres res huiusmodi imperatori suasere, nunquam imperator ecclesiastica curiose perquisivit ».

2 Ita de Ruthenorum ritibus statuit Clemens PP. VIII in const. *Magnus Dominus* XXIII decembris MDXCV, et in const. *Decet* XXIII febr. MDXCVI, et declaravit iterum Paulus V in const. *Solet circumspecta* X decembris MDCXV.

3 Bullar. Benedict. XIV, tom. IV, constit. 47.

non lingua solummodo qua ipsi utuntur, sed germanice insuper interpretatum evulgarunt; ut de hoc proinde magis adhuc timendum sit, ne inter Ruthenos, qui in dioecesibus tuis, aut in aliis Germaniae regionibus sunt, diffundatur.

Deinde non intermissa unquam sollicitudine providere perges, ut sacerdotes, qui sub te sunt, ipsi inter se diligentius considerent, et tecum una, prout res et occasio postulet, opportune populum doceant, differentiam quidem illam, qua Rutheni catholici a Latinis distinguuntur, utpote quae aliquibus tantum merae disciplinae capitibus sacrisque nonnullis ritibus continetur, et Sanctae huius Sedis auctoritate permissa est, non disrumpere ullo modo inter ipsos vinculum, quo verae Christi oves invicem conglutinantur; contra vero Graeco-Russis nihil prodesse totam illam suorum cum vestris ritibus similitudinem, quum ipsi nihilominus ab omnibus catholicis seu Ruthenis seu Latinis seu alterius cuiuscumque ritus dissentiant in rebus ad veram pertinentibus fidem, ex qua iustus vivit [1], atque ad subiectionem erga successorem Petri apostolorum principis, Romanum Pontificem, cui (ut verbis utamur patrum Chalcedonensium) vineae custodia a Salvatore commissa est [2], ad cuius ecclesiam (ut Irenaeus loquitur) propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles [3], cum quo denique (ut inquit Hieronymus) quicumque non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, antichristi est [4].

Iuxta haec igitur, rationi insistens iam a te sapienter adhibitae, admonere gregem non cessabis, ut constantissimi adhaereant sanctae huic unitati, et fidei catholicae, quae a Christo et ab eius apostolis annunciata, atque a sanctis patribus tum latinis tum orientalibus inviolate custodita, et unanimi consensione praedicata et transmissa ad Nos est; quam tenuerunt etiam Rutheni Russive omnes, quo tempore sive Graecorum sacerdotum Romanae Sedi tunc adhaerentium [5], sive etiam Latinorum [6] ministerio ad Christi ovile adducti sunt. De schismatica vero Graeco-Russorum communione perges dare operam, ut oves tuae penitus intelligant, illos non alios habere auctores suae a Nobis scissionis, nisi Michaelem Caerularium, aliosque sive undecimi a Christo saeculi, sive recentioris adhuc aetatis superbissimos homines, qui rebellionis signa erigere ausi sunt contra Ecclesiae catholicae doctrinam et auctoritatem, totius licet vetustatis consensione comprobatam, quique porro evanuerunt adeo in cogitationibus suis, ut in liturgicis suorum sectatorum libris intactas reliquerint preces laudesque illas, quibus suprema, quam tantopere oderunt, Ecclesiae Romanae auctoritas luculentissime praedicatur.

Verum ut augeatur in Ruthenis fidelibus unitatis amor, iidemque uberioribus eum in finem divinae gratiae roborentur auxiliis, docere ipsos iuvabit brevem aliquam precationis formulam, qua saepius a Deo supplices petant, ut per eius misericordiam digni habeantur profiteri constanter veram catholicam fidem, atque adeo in necessaria Sanctae huius Sedis communione firmiter perseverare. Harum vero precationum usus et vicem supplebit amplioris instructionis, cui rudiores praesertim laici haudquaquam forent idonei.

De clero sane satagendum est, ut rite omnia noverit, quae sui muneris sunt; nec desint in sacerdotum ordine viri plures ad sacras disciplinas diligentius exculti, qui potentes sint exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. Atque id ut futuro etiam tempore feliciter consequaris, perges, ut certe facis, cunctos pastoralis zeli nervos intendere, quo minores clerici tum ad pietatem solidamque virtutem, tum ad doctrinam informentur omnino catholicam, atque ab erroris cuiusque periculo alienam. Eo etiam spectat, ut maior, qui fieri poterit, illorum numerus a prima aetate (ut Tridentina synodus [7] monet), in seminarium ecclesiasticum recipiantur, ubi a probatissimis viris sedulo instituti, sub tuis oculis in spem Ecclesiae succrescant. Nunquam interea invigilare cessabis tum seminarii eiusdem moderatoribus, tum aliis extra seminarium magistris minorum maiorumque disciplinarum, ut nemo illorum ab officio declinet, sed una omnium cura sit in teneros adolescentium animos catholicae veritatis amorem et horrorem schismatis instillare. Ita, Deo benedicente, continget, ut nihil unquam clero tuo potius sit, quam praedicare veram catholicam fidem, quam nisi

---

1 Ad Hebraeos X, 38.

2 Concil. oecum. Chalcedon. in relat. ad Leonem Papam (tom. IV, pag. 1775, 1776. Concilior. Labbeanae collectionis Venetiis iterum editae a Coleto).

3 Libr. III. contra haereses cap. 3.

4 Epistola ad Damasum, quae est ep. XV in tom. I S. Hieronymi, Veronae ed. a Vallarsio.

5 Generalem Russiae conversionem ante annum Christi M sub Volodimiro piissimo principe contigisse, testatur inter alios Nestor Monachus (Ruthenae hist. parens) in Chronicis slavo sermone scriptis, quae Petropoli edita sunt. Cessaverat iam a centum annis schisma Photii. Volodimirus vero obiit anno MXV; atque ita longe ante annum MLIII, quo tandem Michael Caerularius C. Poli schisma instauravit. Sed Russi multo adhuc tempore perseverarunt in obedientia Ecclesiae Romanae. Immo ex literis Gregorii VII anno MLXXV, ad Demetrium (seu Izaslaum) Russorum regem eiusque uxorem datis (tom. XII Concilior., pag. 355) manifestum est, hos misisse Romam filium suum, ut regnum sub Petri apostoli protectione ponerent.

6 Celebrantur inter alios episcopi Reinburnus et Bruno seu Bonifacius, quorum alter post ingentem Russorum numerum Ecclesiae catholicae aggregatum, martyr occubuit annum circiter MVIII.

7 Sess. 23, cap. 18, de Reform.

quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit [1], eoque ipso et unionem fovere cum Ecclesia catholica, a qua quisquis fuerit separatus, non habebit vitam [2], et obedientiam tueri erga supremam hanc Petri Cathedram, ubi Christus Dominus ipsius Ecclesiae fundamentum posuit, in qua proinde est integra christianae religionis et perfecta soliditas [3].

Haec sunt, ven. frater, quae tecum Nostris hisce literis communicare voluimus sive ad gratulandum eximiae tuae vigilantiae, sive ad zelum ipsum tuum pro supremi Nostri apostolatus munere adiuvandum. Plane autem non ambigimus, quin aequo tibi gratulentur alii venerabiles fratres catholici Ruthenorum praesules, et maiorem inde animum sumant, ad suum quisque gregem alacriori sedulitate muniendum adversus schismaticorum fraudes et in Sanctae Ecclesiae unitate custodiendum. Utinam te atque ipsos non contristassent quidam illi eiusdem vestri ritus antistites, quos duobus ante annis rebellasse a catholica veritate deflevimus! Heic autem temperare Nobis non possumus, quin rursus doleamus etiam atque etiam calamitatem fidelium ovium, quibus iidem praepositi fuerant, quaeque nunc pastorum loco veros in eis habent lupos in ipsarum caedem furentes. Nos quidem nihil intentatum relinquimus, quo illas eripiamus ab eorum faucibus et a conditione miserrima, in quam deiectae sunt, Deo bene iuvante, relevemus. Nec sane desistimus, ipsum Patrem misericordiarum per Iesum Christum Filium suum, omni, qua possumus, supplicum precum contentione orare et obsecrare, ut roborare illas dignetur validioribus gratiae suae donis, simulque propitius adsit sollicitudini Nostrae, qua levamen eis atque opem ferre connitimur.

Denique tibi etiam, ven. frater, et creditis fidei tuae ovibus, nec non caeteris omnibus aliorum locorum Ruthenis fidelibus universis prospera et salutaria omnia impense precamur a Domino, et Nostrae testem studiosissimae benevolentiae apostolicam benedictionem toto cordis affectu peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima septima iulii millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

CVII.

INDULTUM

Fit concessio indumentorum magis insignium favore canonicorum basilicae s. Laurentii Florentiae [4].

GREGORIUS PP. XVI

ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicae providentiae ac benignitatis institutum a Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris sapientissimo sane consilio initum servatumque est, ut praecipua honorum insignia, iis potissimum deferantur viris, qui in sortem Domini vocati, vetustissimis et clarissimis in templis laudes Deo pie religioseque concelebrantes, atque huic Apostolicae Sedi firmiter adhaerentes, quemadmodum dignitate, ita etiam virtutum omnium ornatu enitere summopere conantur.

Neminem certo latet amplissima inter templa omnipotentis Dei honori dicata, pulcherrimam magnificentissimamque imperialem ac regiam basilicam aeque ac insignem collegialem ecclesiam Florentiae sancto Laurentio martyri sacram, fulgere, quae vel ab ipsis christianae religionis primordiis ea in civitate primitus condita, atque a s. Ambrosio Mediolanensium antistite et Ecclesiae doctore inter gestientium Florentinorum gratulationes sollemnibus caeremoniis consecrata, Ambrosianae etiam basilicae nomine merito appellatur. Accedit etiam ut lectissimum eiusdem basilicae canonicorum collegium iis semper spectatissimis floruerit viris, qui ingenio, virtute, consilio, doctrina, literis, religione, pietate atque orthodoxae fidei studio adeo praestitere, ut eorum nonnulli ad hanc Petri Cathedram evecti, plures in augustum S. R. E. cardinalium collegium cooptati, multi vero episcopali dignitate aucti, de christiana et civili republica rebus praeclare gestis summopere meriti, eorum nomen immortalitati commendarint. Hinc porro evenit, ut Romani Pontifices decessores Nostri basilicam ipsam eiusque canonicorum collegium summa benevolentia fuerint prosequuti, et maximis ac honorificentissimis privilegiis auxerint, ornarint. Itaque Nos praedecessorum Nostrorum vestigia sectantes atque eiusdem basilicae canonicorum votis quam libentissime annuentes, perenne aliquod propensissimae Nostrae voluntatis testimonium illis exhibendum censuimus, ut tam ipsius basilicae,

---

1 Ex symbolo *Quicunque* in princ.

2 Ex concil. Zertensi an. CCCCXII in synodalibus litteris ad Donatistas (inter opp. S. Augustini edit. Maurin. tom. II, cap. 141 et 152). Quisquis (inquit) ab hac catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.

3 Ex regula Fidei, seu formula Hormisdae, quae tum eo Pontifice ad initia saeculi VI, tum postea non semel ab Orientis episcopis subscripta est.

4 Ex Cancellaria Episcopali Florentina.

quam illius canonicorum collegii decus atque honor magis magisque augeatur.

Quamobrem omnes singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes ac absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, iis qui modo sunt quique in posterum erunt, priori et canonicis Laurentianae Florentinae basilicae, perpetuum in modum concedimus atque indulgemus, ut floccum nigrum in pileo, et crucem auream octogonam, imaginem sancti Laurentii martyris in medio referentem, radiis undique redimitam, martyrum corona superimposita, e qua duae palmae viridis coloris erumpant, vel aurea catenula vel taenia violacea vesti innexam seu appensam, gestare libere ac licite possint et valeant.

Haec concedimus atque indulgemus decernentes has praesentes literas firmas, validas atque efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos spectat et pro tempore spectabit, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et, quoties opus fuerit, eiusdem basilicae et canonicorum collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die vigesima septima iulii millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

CVIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Institutum Sororum Misericordiae eiusque constitutiones approbat, et eiusdem instituti domorum in Austriaca ditione existentium superiorem eumdem archiepiscopum Pragensem declarat [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum divini Nostri Reparatoris vicariam hic in terris licet immeriti operam gerentes illud unum vel maxime optemus, ut caritas Dei diffusa sit in cordibus omnium, atque ubique vigeat, floreat maioresque in dies vires acquirat; tum singulari sane paterni Nostri animi benevolentia et studio ea potissimum instituta prosequimur, quae christianae caritatis operibus insistere summopere gloriantur.

Maxima certe laetitia affecti fuimus, ubi a ven. fratre Aloysio de Schrenk hodierno archiepiscopo Pragensi accepimus, institutum Sororum Misericordiae sub invocatione sancti Caroli Borromaei in Austriacas regiones invectum, maximo christianae ac civili reipublicae ornamento et usui esse. Etenim illius pii instituti feminae caducis fluxisque rebus humanis nuntio remisso, ac sancta inter se societate coniunctae, tribusque simplicibus castitatis, paupertatis et obedientiae votis obstrictae, in deliciis habent pauperibus inservire, aegrotos fovere, in propriam aliorumque sanctificationem incumbere, et alia opera exercere, quae caritatem vel in Deum, vel in proximum praeseferunt. Itaque cum ex huiusmodi instituto multa in christianam et civilem rempublicam bona et commoda redundare, atque uberiores in dies fructus percipi videantur, idem ven. frater a Nobis enixis precibus postulavit, ut institutum idem eiusque constitutiones cum nonnullis mutationibus, pro re et tempore factis, approbare ac simul eumdem ven. fratrem ipsius instituti in Bohemia moderatorem seu superiorem declarare velimus. Nos vero, auditis hac super re nonnullis venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus ex congregatione Episcoporum et Regularium, eiusdem ven. fratris archiepiscopi Pragensis votis quam libentissime annuendum censuimus.

Quam ob rem omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis quovis modo vel quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, ad effectum praesentium dumtaxat con-

[1] Ex Cancellaria Archiepiscopali Pragensi.

sequendum, harum serie absolventes ac absolutos fore censentes, Motu-Proprio, certa scientia, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hisce literis, institutum Sororum Misericordiae sub invocatione s. Caroli Borromaei non iam uti ordinem religiosum, sed veluti congregationem cum tribus simplicibus votis castitatis, paupertatis et obedientiae, atque ipsius instituti constitutiones, quarum exemplar in Nostra Brevium secretaria asservandum mandavimus, approbamus, sancimus, confirmamus, illisque inviolabile Nostrae potestatis robur adiicimus, ita tamen, ut sorores et domus eiusdem congregationis sub regimine supremae antistitae seu superiorissae generalis maneant, salva et integra Ordinariorum iurisdictione, iuxta constitutionem a rec. me. Benedicto XIV praedecessore editam de Virginibus Anglicanis, cuius initium *Quamvis iusta*. Praeterea eadem auctoritate Nostra apostolica, pro eiusdem instituti domibus, quae in Austriaca ditione iam existunt, vel in posterum existere poterunt, ipsum venerabilem fratrem Aloysium archiepiscopum Pragensem in moderatorem seu superiorem declaramus atque statuimus, illique erga illas domos eas facultates concedimus atque attribuimus, quas superiores regulares super monasteriis ipsis subiectis, ex sacrorum canonum et apostolicarum constitutionum praescripto habent, sartis tectisque in reliquis iuribus ordinariorum, praesertim iuxta constitutionem a fel. rec. Gregorio XV decessore Nostro editam, quae incipit *Inscrutabili*.

Haec concedimus, statuimus atque mandamus decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat et pro tempore spectabit plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, atque eiusdem instituti etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, aliisque omnibus etiam speciali atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die sexta augusti millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

REGULA ET STATUTA

ORDINIS SORORUM MISERICORDIAE

A S. CAROLO BORROMAEO

FUNDATA 1652.

Charitatem veri christiani totiusque oeconomiae christianae finem consummationemque, lex, prophetae et redemptor noster Iesus Christus ipse monstrant sequentes illum humilitate, paupertatis amore et terrestrium contemptu imprimis insigniri decet. Quapropter aequissimum invenitur, illas, quae praeclarum sororum charitatis christianae nomen (Sororum Misericordiae) suscipiunt, omnibus officiis et obligationibus, quibus ordinem intrantes se subiiciunt discere satisfacere. Quibus, quo accuratius respondere queant, regula haec et statuta proponuntur.

Quare illa semper stricte et adamussim observent, illorumque imprimis spiritu subigantur, quo ad summam perfectionem et salutem aeternam se iri perductum certum habeant.

PARS PRIMA

CAPUT I.

Instituta generalia sorores domusque universas spectantia.

ART. I. — *De officio divino.* — Sorores, quarum est servire pauperibus, infirmos fovere negotiisque charitatis christianae iugibus occupari, ad eum persolvendi divini officii modum, ad quem illae quae contemplationi suique ipsarum sanctificationi vitam voverunt tenentur, adstringi nequeunt. Quarum orationes quum breviores esse deceat, eo impensiores esse oportet. Cui quum a ceteris ordinibus differant, singulari Ecclesiae dispensatione provideri debuit. Ex hac ad officium de Beatissima communibus precibus persolvendum quotidie obligantur, a quo legitimo nonnisi impedimento dispensari possunt. Precatio haec voce aeque alta et distincte singulas syllabas pronuntiando, quin cantent, recitetur. Ad quam quotidie vel in ecclesia vel capella aut alio ad hoc destinato loco convenient horis constitutis, quarum enumeratio fiet, quando de diei divisione sermo recurret. Insuper ad illam, quemadmodum ad quandocumque in hac regula praescriptum negotium, accurate comparebunt, ita quidem, ut

a primo campanae pulsu qualiacumque missa faciant, nec nisi absoluta precatione discedent, excepto necessitatis alicuius casu, quo superior praefecta vel quicumque orationi praefuerit, veniam rogandi sunt.

Art. II. — *De precatione.* — Quod s. apostolus Paulus a cuiuslibet christiani vita postulat, ut scilicet continua sit precatio, imprimis sororibus misericordiae dictum est, quarum vita singulari modo Deo consecrata est. Talem vivere studeant perseverantes iugiter in oratione mentali. Quae precandi ratio, quum externis negotiis et illis occupationibus, quas pauperum et infirmorum cura exigit, optime conveniat, animae per charitatem perfectissimam cum Deo coniunctionem perpetuo conservat, sublimes religionis veritates menti iugiter repraesentat animumque sanctis sensionibus implet, quas externa occupatio non adeo facile obliterare poterit.

Praeter horas officio divino destinatas, singulis diebus binis vicibus, mane scilicet et vespere, ad semihoram precaturae convenient sorores. A sincera huius obligationis observatione imprimis dependet, utrum necessaria dona a Deo expetant, et diurno operi in spiritu fidei vacent; quare ne quid negligentiae in ea admittant, nec ullam sororem praefecta superior dispensabit, nisi ob morbum aut infirmitatem aut aliam sufficientem causam. Quae occupationibus necessariis a communi precatione retractae fuerint, alio tempore, et quoad fieri poterit, in capella aut alio destinato loco eam obibunt. Aegrotantes et infirmae, siquidem habiles sint aliquatenus mente precari et pie edere suspiria, eo tempore, quo sorores ad precationem conveniunt aliquot saltem momenta religiosis veritatibus meditandis impendant.

Art. III. — *De sacra communione.* — Frequentiori sacrae eucharistiae communione per quam Iesu Christo intime iunguntur sorores necessarium sibi invenient, quibus in statu aerumnis et molestiis pleno prosperabuntur. Ubi anima fidelis beatiorem invenerit quietem, quam in Deo, quare sorores singulis diebus dominicis, festis Domini et Beatissimae Virginis, s. Caroli sui patroni, patrociniis parochiae, diebus natalibus et professionibus et quando vota renovant, sacram communionem suscipient. Mos qui in ordine invaluerat singulis feriis tertiis communicandi, consentiente confessario et praefectae superioris servari potest. In aliis pariter diebus praeter designatas, non liceat ad communionem accedere nisi de licentia confessarii et ex bona venia praefectae. Attendendum proinde qua officiis statutis obeundis et interioris vitae progressibus procurandis sollicitudine et quo studio incumbant. Quaelibet soror professa, ne superiore quidem praefecta excepta, singulis annis, loco ad id destinato, sororibus praesentibus, confiteatur publicas si quas patrarit regulae transgressiones, et quidem vespere, professionis diem praecedente, iniungaturque illi salutaris poenitentia. Insuper singulis hebdomadibus aliquot sorores publicas regulae transgressiones et in quantum contra pauperes peccarunt, sese accusantes, quam professionem praefecta superior modica admonitione excipiet et poenitentia imposita terminabit.

Quo negotio absoluto, sorores ad invicem iniuriarum condonationem petant.

Sorores, quas confessarius aut praefecta superior sacra communione interdixerint, humili mente illa abstinebunt, propositum melioris reparationis concipientes.

Num aliqua sororum frequentius an rarius ad s. communionem accedat, ad reliquas nil pertinet. Nec unquam confabulationis argumentum res haec fiat: solis praefectis licet cum aliis sororibus, si visum fuerit, de ipsa agere.

Art. IV. — *De confessione.* — De hebdomadalibus confessionibus die cum confessario conveniendum, et statuto die coram illo sorores compareant. Gravi huic muneri episcopus dioecesanus, virum, qui necessariis dotibus instructus sit, praeficiet, a quo nulla soror, praeter singularem episcopi concessionem, ad alium confessarium transibit, quum omnes eadem methodo duci oporteat. Praeter hunc et extraordinarium confessarium singulis domibus adsignabit, ad quem nulla excepta, ternis mensibus convenient.

Si cui sorori necesse videatur etiam alio tempore illum adire, facultatem petat ab ordinario, audita praefecta.

Art. V. — *De recessu spirituali.* — Sorores singulis annis recipiant se in recessum spiritualem, exceptis morbo aut alia legitima causa impeditis. Ad hunc novem ante nativitatem Domini dies deputentur. Quando, emergente aliquo impedimento, in aliqua domo dies isti deputari nequeant, poterit, annuente superiore, aliud tempus determinari, nec tamen unquam omittendi sunt. Tempus recessus novem dies complectatur. Quo tempore quamvis nec ordinaria negotia domestica, nec pauperum aut infirmorum cura negligenda sint, spiritualiter se recolligentes, et in praesentia Dei perseverantes silentium strictius observent. Utque suae animae saluti totae vacare queant, omne cum extraneis commercium, omnes animi corporisve recreationes, ipsumque negotia concernens commercium vitent, illo, quod gravissima praecipit necessitas, excepto.

Recessui spirituali domus, quae aliorum mater est, superior praeerit, quem impeditum confessarius supplebit. Quod et de ceteris in metropoli existentibus domibus valet. Sorores frequentes compareant in quantum scilicet singularum domuum rationes permittunt, alternantes proinde, ut et ceterae, quae aliquo die accedere non poterant, venire possint.

Extraneis domibus praeest tunc presbyter domesticus aut ordinarius confessarius. Quod si vero habilis presbyter defuerit, sorores exercitia haec, duce praeside domus, obibunt, nemine extraneorum admissa.

Ad quod exercitia spiritualia a s. Alphonso Maria a Bourdaloue vel ab alio probato auctore per episcopum designando edita inservient. Curet vero praefecta ut sacra haec privata sororum exercitia alternis hebdomadibus fiant, ne assistentia earumdem careant aegroti.

Finito hoc spirituali recessu omnes sorores professae sacro matutino intererunt vota sua renovantes et quidem in domo aliarum matre coram superiore aut illius vicario, extra metropolim coram sacerdote domestico aut parocho loci. Quo modo haec votorum renovatio suscipienda sit, caeremoniale docet.

CAPUT II.

De ordine diurno.

Art. I. — Omnem vitam ad obedientiae regulas composuisse christianae menti internam tranquillitatem et pacem confert. Maiorem certitudinem vitam suam Deo placere et voluntati eius conformem esse, nil magis monstrat, quam accurata regulae ordinis observatio. Qua veritate ductae sorores frequentes regulas solerter et accurate observabunt.

Art. II. — A festo inventae S. Crucis usque ad festum exaltatae Crucis surgent hora 4. Soror iam expergefacta alias expergefaciat et cubili lumen inferat. Expergefactae sorores sanctae Crucis signo se muniant, animum Deo offerant et primas cogitationes ad illum dirigant. Inductis postea cito vestibus genua flectant Deo, pro beneficiis gratias acturae, eiusque maiestatem adoraturae. Illi omnes cogitationes et verba cunctaque offerantur, molestias passioni Iesu Christi iungendo. Tandem orationes in diurnali occurrentes precabuntur, humum osculabuntur, lectumque sternent.

Art. III. — Media quinta hora aestate et media sexta hieme cunctae ad locum contemplationi destinatum conveniant. Incipit ab invocatione Spiritus Sancti et precatione *Angelus Domini* terminatur. Mediam horam expleat contemplatio, materia et puncta clare legantur. Hac finita, litaniae de Nomine Iesu, postea Prima, Tertia, Sexta et Nona officii de Beatissima, modo, qui supra praescriptus est, recitentur.

Absolutis precibus et officio, quaelibet muneri sibi commisso, aut illi negotio, quod sibi in emolumentum domus aut pauperum iniunctum est, vacet.

Art. IV. — Hora septima aut circa illam horam sacrificio missae intersint. Post missam sumatur ientaculum, quo finito, quaelibet ad iniunctum opus redeat.

Art. V. — Hora 11 sorores conscientiam de omnibus peccatis antemeridiani temporis lapsu commissis discutiant, virtute cuius exercitium sibi proposuerunt, solertiori attentione lustrata; dein sequitur prandium.

Art. VI. — Tam ante prandium, quam ante coenam dicitur: *Benedicite*, terminatis vero, gratiarum actio. Diebus ieiuniorum ecclesiasticorum examen conscientiae et coena quadrante horae serius habenda.

Art. VII. — Tum prandium tum coenam excipit recreatio per tres quadrantes horae, cui hilari et sociali more vacent, nugas saeculares et qui in urbe de recentibus eventibus sparguntur rumores, nihil curantes. Colloquia religiosas deceant, nec ullae amicitiae particulares in iis conspiciantur, inprimis ab infamia alicui inferenda sibi caveant. Paucis omnes confabulationes spiritu amoris animentur.

Art. VIII. — Praefectae competit etiam ius singulis mensibus unum diem recreationi adsignandi, quae solemnibus cultus divini actibus absolutis, libere confabulentur seque invicem exhilarent. Prandium et coena aliquantulum lautius parari poterunt, pauperum tamen et infirmorum cura nequaquam remissa.

Art. IX. — A prima usque ad secundam horam altissimum servetur silentium in memoriam Domini nostri Iesu Christi eoque rigore teneatur, ut nonnisi gravibus et maxime urgentibus casibus remittatur, quo durante congruis occupationibus vacabunt.

Art. X. — Ab hora secunda vesperae et completorium in capella recitentur, subsequentem mediam horam aliae precationes consumant, quibus finitis, assignati muneris administrationem aut aliarum occupationum continuationem suscipiant. Etiam intra hoc tempus silentium servetur, quod vero utiles res communicandi gratia interrumpere licet.

Art. XI. — Hora 5. convenient sorores in capella ad persolvendum matutinum et laudes. Hora 6. sumitur coena quam opus iniunctum usque ad ½ 8 subsequitur, spatium intra hanc horam et ¼ 9 inter medium recreatio sub dio capessenda absumat, cui lectio martyrologii vitaeque illius sancti, cuius postridie memoriam Ecclesia frequentat succedit. Vespere dominicam aut festum aliquod antecedente, illarum epistola et evangelium legentur; sequetur precatio vespertina, postea lectio argumenti meditationis sequenti die faciendae, tandemque omnes in cubile se conferunt et quidem hora 9 aut paulo post eam. A quo temporis momento usque post officium sequentis diei rigidissimum silentium servandum est. Iis, quae ob excubias apud aegrotantes actas longiori quiete indigent, serius surgere licet; quando cubitu surrexerint, praefectae et novitiae magistrae novitiarum se sistant.

Art. XII. — Ordo diebus dominicis et fe-

stivis idem est nisi quod extra domus unam aut duas sorores ad sacrum parochiale ablegent, ut populum suis pietatis, religionis, modestiae rectaeque disciplinae exemplis ad virtutem inflamment.

CAPUT III.

De iis quae ad communem vitam religiosorum pertinent.

Art. I. — Vinculum unionis socialis tranquillitas est, perfecta charitate parta. Meminerint sorores charitatem istam non inniti cognationi, nec vinculo amicitiae, nec origine ex eadem regione aut eodem oppido nec aliis quibuscumque rationibus humanis; meminerint prorsus aliam illi esse debere rationem, voluntatem scilicet divinam, eiusdem religionis professionem, idem christianae perfectionis desiderium eiusdemque regulae observationem. Casta charitas illis amorem mutuo sibi ob Deum exhibendum instillet, quae simul impediet, quominus sponte taedium aut odium alicuius animum occupet, sed nec particulares et secretas amicitias, et contubernia admittet. Amicitiae particulares, vitae religiosorum ruina, studiosissime vitandae sunt; quapropter ut pestis vitae socialis et exitium communis amicitiae, quae ab ipsis colenda est, interdicuntur.

Art. II. — Natu maiores erga minores modestas se exhibeant, ac verbo et exemplo ad bonum provocent. Minores autem ne desint illi existimationis contestationi, quam maiorum aetati et muneribus debent.

Art. III. — Quibus munera domestica obeunda sunt, ita illa administrent, ut et amorem in sorores et solers in iussa praefectarum studium praeseferant. Sorores vero quin obmurmurent expectent, donec illis neeessaria praebeantur, omniaque cum gratiarum actione accipiant.

Art. IV. — Omnes praeceptum Domini Nostri Iesu Christi ut mutuos defectus, errores et quotidiana delicta patienter perferant, studiose custodiant. De his ne unquam confabulentur, nullatenus etiam aliis, quos adhuc latent, communicent. Etiam cogitatis invigilent ne temerarium iudicium admittant, neve aliorum dicta aut acta temere condemnent. Omnia quantum fieri potest in bonam partem vertant, sique id fieri nequiverit, iudicium de illis Deo committant.

Art. V. — Nec vero obliviscatur praefectae, defectum alicuius sororis indicare, non repugnare charitati, tum scilicet, quando illa frustra admonita fuit aut dum frustra vel fors cum damno admonenda intelligitur. Si vero aliquando huiusmodi casus evenerit purissimo consilio salutis sororis promovendae animetur et sedulo caveat, ne levi suspicioni et opinioni insistat, sed prius rei rationem accurate exquirat.

Art. VI. — Lites et altercationes studiosissime vitent. Si quae soror alteram verbo aut quocumque modo forte laeserit, humiliet se coram ipsa et de commissa iniuria veniam petat: altera vero excusationem violantis sincere excipiat, omnium obliviscatur nec quidquam exprobret. Quodsi reconciliatio non statim facta fuerit, praefecta aut oeconoma domus curabit, ut currente adhuc die fiat.

Art. VII. — Si sororibus necessarium visum fuerit, oeconomam de oeconomia accusare; rem diutius et coram Deo mature expensam praefectae superiori vel vero episcopo dioecesano deferant. Quodsi in praefectam superiorem agendum esset, superiorem immediate adeant.

Art. VIII. — Sibi invicem sorores maximam reverentiam exhibeant altera in altera Christum venerans. Nulla alteram obiurget, iure hoc unicae praefectae reservato. Item se salutent invicem, dicenti iuniori, aut quae alteram prior conspexerit: laudetur Iesus Christus, altera resalutabit dicens: In aeternum, ut indulgentiarum a Pontifice Summo Sixto V iis qui hac salutatione usi fuerint concessarum participes fiant. Si quae taedium in alteram contestando, adulando, aut dicteriis petendo aliisve discordiam creantibus actis mutuum amorem violaverit, a praefecta serio obiurgetur et praefectae superiori deferatur. Quod si emendare se neglexerit, a superiore praefecta salutari et gravi poena castigetur.

Art. IX. — Quando opus fuerit et praesertim quando infirmantur, prompte sibi succurrant. Sororis infirmae domus maximam curam gerat, iustum enim est, illam quae aliorum infirmitatem curandam susceperit, perpetuo morbi contrahendi periculo inde obiecta, adiutorium quod aliis praestat et ipsam invenire. Praefecta proinde invigilet tali omnium studium et adiumentum praesto esse. Infirmae ipsae secum reputent, se ex paupertatis voto pauperes esse et ceu pauperes tractari velle.

Art. X. — Si qua soror mortua fuerit, ceterae statim post obitum in ecclesia aut oratorio conveniant officium defunctorum precaturae. Celebretur itidem a presbytero domestico, aut si non adsit, a parocho loci solemne sacrum pro defunctis, insuper pro anima defunctae aliae missae persolvantur. Si adsit coemeterium sororibus proprium, corpus defunctae illi mandetur. Praefecta domus matricis de obitu sororis statim certior reddatur, aliis sororibus nuntium missura, ut pro defuncta orent. Ad quam intentionem quoque sorores annis singulis s. rosaria terna et psalmos poenitentiales septenos et unam s. communionem offerent.

CAPUT IV.

De victu.

Art. I. — Coenam sument sorores cunctae in triclinio aut alio ad id destinato loco, intra quam in domo matrici praesertim, et quoad fieri potest etiam in extraneis domibus, altissimo servato silentio, lectio aedificans et instructiva habebitur. In triclinio adsit imago Crucifixi, aut alia sacra pictura.

Art. II. — Aequale omnibus ad mensam habebitur servitium, quin singulis portiones adponantur. Mos imprimis de domo matrici valet, quia aliarum domuum rationes mutationem aliquam exigere possent. Cibi ne sint exquisiti, aut superflui, prout hominibus, qui se paupertatis voto obstrinxerunt, convenit, quin parcior mensura praebeatur, quum qui multo labore occupantur, et largiori cibo indigeant. Etiam modico vino, mensura a praefecta pro cuiuslibet necessitate determinata, uti licebit.

Art. III. — Prandium hora 12 aut paulo post habendum, iusculum, carnem et obsonium suppeditat, coena vespertina dape una et si anni tempus lactucam ministret, hac insuper absolvitur. Diebus ieiunii ministrantur iusculum et duae dapes. Coena ad aetatis rationem componitur.

Art. IV. — Extra triclinium et infirmis extra nosocomium, nulli sororum quidquam edere licet, quod imprimis de locis exteris ubi sub nullo praetextu quidquam capere licet dictum est. In oppidis et ruri, ubi sorores domus habent, nonnisi illic cibos capere licet. Aliis quibuscumque nil dapum offeratur, excipe casum quem rationes gravissimae pro iudicio praefectae exemissent.

Art. V. — Exceptis coqua, praelegente, et illis sororibus quibus a praefecta concessum est, omnes ad mensam conveniunt. Ita quum serius veniunt, solita loca occupent, quin reliquae loca coarctent. Idem ab his silentium servandum, eadem illis apponenda, item benedicite et gratiarum actio dicenda.

Art. VI. — Munditiei vasorum et linteaminum, ciborum integritati et salubritati, et ut infirmis congruus victus praebeatur, praefecta et in domibus exteris oeconoma invigilet.

Art. VII. — Caveant sorores cibis unquam admurmurent et sibi invicem conquerantur, meminerint enim se propter Iesum pauperes factas esse, sibique ob inde paupertatem eius colendam, quippe cui saepe necessaria deerant. Quod si necessaria illis non suppeditarentur, praefectam et durante hac molestia, superiorem adeant.

Art. VIII. — Quaelibet domus cubile praeparet aegrotis sororibus excipiendis habile. Adsint lecti separati, adsit aegrotorum curatrix. Praefecta infirmam singulis diebus semel saltem visitet, eamque tum ad perferendas patienter molestias exhortetur moneatque, ut quaecumque adversa e manu Dei accipiat ipsam visitantis, ut salva fiat. Illud imprimis curandum ut infirmae sui adhuc compotes sacramentis morituris praebendis reficiantur, ne spirituali hoc solatio destituantur. Ceterae sorores Deo preces et communiones offerant, ut infirmae illius gratiam procurent.

Art. IX. — Confessarius in infirmariam adductus, apud aegrotam solus remanet, patentibus lecti velo et cubilis ianua, et cubile oculis curatricis pateat, quin presbyter sacra administrans turbetur.

Art. X. — Bene valentibus sororibus, ne curatrice infirmarum quidem excepta, cibos capere in infirmaria interdicitur.

CAPUT V.

De occupatione.

Art. I. — Principalis sororum occupatio in pauperibus aegrotis et infirmis versatur, quare huic negotio maximam curam impendant, ut evitantes taedium, teneras, mites et mansuetas se gerant. Quapropter illis iugiter observentur verba Christi dicentis: Amen dico vobis: quaecumque uni ex istis minimis fecistis, mihi fecistis. Hinc etiam statim a precibus matutinis aegrotos invisent, quod si vero precationem statim missae celebratio sequitur, infirmi post illam primum invisendi sunt.

Art. II. — Sorores, quibus non sunt invisendi infirmi aut quibus postquam inviserint, tempus vacat, munera quibus praeficiuntur, capessant, aut illis occupentur, quae sibi a praefecta singillatim iniuncta sunt. Destinatae ad sternendos lectos, scopanda cubilia aut purgandas aedes aliasve huiuscemodi occupationes, in spiritu humilitatis charitatis et cum Christo unionis illas subibunt. Linteaminum purgatio et panis confectio domi fiat, omniumque in re familiari administranda et pauperibus curandis opera versetur.

Art. III. — Absque praefectae venia nullam quidquam donare nec alicui in quacumque re operam dare praesumat. Praefectae nunquam permittant, ut aliqua, rebus, quae luxum aut saeculi vanitatem intendunt, operam navet.

Art. IV. — Sorores nihil agant nisi quod sui muneris est aut ad illud refertur, et quidem vel communiter aut loco disiunctae. Si prius fiat praefecta superior aut illi assistens praesidis locum occupet. Aliquo tempore sit silentium et ad finem lectio spiritualis habeatur, ut residuo diei ad mentalem occupationem materia praesto sit.

CAPUT VI.

De amictu.

Art. I. — Cum sorores sibi in omnibus aequales et voto ad paupertatem adstrictae sint: eodem vestitu iisdemdem utensilibus utantur. Tum haec tum illae sint simplices, modestiae, humilitati et paupertati conformes, materia vestium sit nigri coloris, simplex et non quaesita. Forma vestium accurate conveniat exemplari in domo matrici a praefecta superiore servato, ut necessitate emergente, ad illud recurri possit. Nunquam duo huiusmodi exemplaria proponantur, insuper deferant sorores argenteum numisma ordinis, nigro funiculo appensum et digito annulum aureum circumdent.

Art. II. — Indusia parentur e linteo vulgari, caput tegatur mitra lintea. Insuper deferant vittam crines et duorum digitorum latitudine frontem tegentem. Coma aliquoties singulis annis tondeatur, nec unquam conspiciatur. Mitrae aliam e simplici serico panno Tafft dicto paratam super imponant, forma ab exemplari iam adducto ne minimum quidem diversa. Tibialia sint hyeme e lana aut xylina, manicis non utantur. Admittentibus domus rationibus, binas habeant vestes, alteram diebus dominicis, alteram labori et quotidianis occupationibus utilem.

Art. III. — Sorores dormiant in dormitorio communi, spondae sint septem pedes longi tres pedes lati, instructi sacco stramine referto, matta et pulvinari. Linteamenta sint e simplici linteo, stragula diversas anni partes sequantur. Lecto circumdetur velum e vulgari et vili materia. Nec nisi vestitis dormitoria deserere licet.

Art. IV. — Nunquam binae aut plures in uno lecto cubent, a quo nonnisi itinere aut extrema necessitate dispensari posset; sin praeter hunc casum acciderit, delinquentes a praefecta superiore severe puniantur. Violationem huius praecepti in extraneis domibus admissam, oeconomae praefectae superiori illico indicent. Quodsi punitae non resipuerint, omnibus licitis poenis a superiore puniantur.

Art. V. — In dormitorio servetur silentium altissimum; si necessitas ad loquendum compellat, submissa voce id fiat. Ipsum dormitorium, congregatis sororibus, clausum manet usque mane. Loco congruo paretur lampas nocturna, ut casu emergente, lumen statim praesto sit, ad quod et lampade, in venerationem Sanctissimi Sacramenti destinata, uti licebit, nec tale lumen omnino omittatur.

CAPUT VII.

De votis.

Cum pauperum cura principalis sit finis instituti Sororum Misericordiae, charitas constitutionis fundamentum esse debet, hinc ad eam normam formula votorum quae simplicia sunt designata est. Vota pronuntientur a novitiis transacto praescripto probationis spatio ad votorum professionem admissis, clara et distincta voce eaque ratione, quae inferius indicabitur.

De voto stabilitatis.

Votum principale in formula contentum, ad quod imprimis attendendum est, stabilitatis votum est, quod voventem sodalitati ad serviendum pauperibus tam firmo vinculo copulat, ut amplius rumpi nequeat. Votum hoc innititur verbis Redemptoris: Pauperes vobiscum semper habebitis. Semper itaque pauperes auxilium et adiutorium implorabunt; hinc provocationes ad exercendam charitatem nunquam deficient. Haec item est ratio, ob quam formula stabilitatis votum adeo distinxerit et clare expresserit. Quam quae pronuntiant sodalitati se iungunt, Deo spondent ac promittunt, se nunquam ab illa discessuras sed in ea per omnem vitam pauperibus aegrotis et relictis operam daturas. Ipsae provocant Ecclesiam, ut si sodalitatem deseruerint, poenis se exagitet.

Paucis: voti huius fundamentum charitas est. Evangelio perfectissime satisfacit, qui amori in Deum amorem proximi iungit, quam coniunctionem cum nulla vitae conditione arctius nectat quam hac ipsa, illam deserere, charitatem christianam vilipendere, recte dicendus esset. Denique et id notandum, sodalitatis esse sororum curam suscipere, quippe quae illi se totae devoverant. Huius regulae exceptionem extrema nonnisi necessitas admittet.

Art. I. — Praescribentis votum stabilitatis fundatoris instituti huius id sane fuit consilium, ut pauperibus et aegrotis adiutorium certius et largius pararet. Meminerint porro sorores se nunquam pientissimum hunc finem esse assequuturas, nisi cuncta satagant fieri in charitate, cum charitate, per charitatem. Haec illas ad omnia christianae pietatis ministeria paratas reddat, nec tamen aliis pauperibus aut aegrotis, quam quos illis praepositi assignaverint, operam impendant. Praefectae est parochos et administratores de aegrotis quaerere, a qua sorores postea ad illos, quibus opem ferant indicata simul ratione et mensura adiutorii, ablegandae sunt.

Art. II. — Exiturae ad invisendos aegrotos, prius coram Sanctissimo, si quod adest, sese prosternant, sin desit saltem collectum animum ad Deum elevent, successumque suo operi ex-

orent. Per plateas demissis oculis modeste incedant, nullius, sine necessitate, colloquium admittentes. Quod si admittendum est, submissa voce nonnisi loquantur, omnemque in loquendo vehementiam vitent.

Art. III. — Habitaculum aegroti ingressae omnibus quibus indigent servitia praestent, nec minima et vilissima aspernantes, religionis colloquiis illos ad suscipienda sacramenta praeparent et mortis metum mitigent. Utque animarum pastores spiritualis ipsorum salutis curam gerere possint, de valetudine aegroti illos certos reddere ne omittant.

Art. IV. — Singulari inprimis mansuetudine et charitate omnes tractent, sive domi aegrotis operam dent sive senibus liberisve parentibus orbis impendant, certum habentes, minima servitia, quae illis praestant, in coelis sibi responsum iri, et Iesu Christo ipsi in aegrotis servitia praestari. Quapropter semper mites nec morosae sint illosque cum charitate admoneant etiam quando ira abreptos viderint, scientes, pauperibus culturae moralis defectu laborantibus in multis veniam indulgendam. Ceterum nunquam de alienis rebus cum iis confabulentur, suis colloquiis aegrotorum consolationem vel aedificationem exquirentes.

De voto castitatis.

Art. I. — In exercenda hac virtute sorores angelos imitentur, atque de profectu in hac virtute praecipue sollicitae sint vitae conditione illas perpetuis periculis obiiciente, utpote a quibus pauperibus et aegrotis quotidie serviendum est. Quapropter domandis oculis sine intermissione studeant, sollicite occludentes iis, quae tentationi occasionem praebere possint. Ex genio regulae omnem cibi potusque intemperantiam vitent, sed et otium, periculosas recreationes, epistolarum commercium, extraneorum accessum ad aedes vel negotia et lectionem librorum ad aedificationem nil conferentium.

Art. II. — Temperantiam et sobrietatem quod attinet praeter coenae tempus et locum, qui sanis in coenaculo, infirmis in infirmaria assignatur, nil comedant, ne cibis delicatis inhient, iis, quae oeconomia domestica praebet, contentae.

Pauperum more vivere ament, memores, christiani rationes poscere dominatum in corpus eiusque mortificationem.

Art. III. — Laborem ament totaeque illi vacent e praefectae praescripto quodvis temporis momentum, ab exercitiis spiritualibus, muneris administratione et infirmorum cura liberum, illi impendentes, ac otium sollicite fugientes, ne tentationibus alimenta parentur.

Art. IV. — Literas nec ad quemquam dent nec accipiant, nisi urgente summa necessitate, praesertim ab hominum, quorum amicitia et necessitudo periculosa sibi posset accidere, commercio literario caveant. Literae, quae mittuntur aut accipiuntur, ad manus praefectae superioris deveniant, quae nec unis exceptis legat, iure insuper gaudens illas, quin ullam rationem adducat, retinendi. Nec tamen illi literas aperire licet, quae sororibus a rmo dño episcopo, a dño superiore, aut ab illis praepositis redduntur, aut quas ipsa iis mittit.

Art. V. — Cum exteris nunquam confabulentur nec ulla colloquia instituant, nisi impetrata praefectae superioris licentia. Quae si detur, colloquium in parlatorio fiat, quum interiora domus nemini absque speciali praefectae privilegio intrare liceat, nec nisi patente ianua id admitti potest. Insuper caveant, ne in parlatorio durante officio divino aut coena morentur.

Art. VI. — Invigilent porro, ne altera alterius auxilio in administrando suo munere utatur, solaque cum ea maneat. Particulares amicitiae, cum sint pestis sodalitatis, studiosissime vitandae sunt. Eodem potius se invicem prosequantur amore, sororum instar se habentes, nec ullam separationem admittentes. Conversatio illarum sit gravis, modesta et decora. Altera alteram rogans verbis patribus primaevae Ecclesiae solemnibus utatur: Numquid tibi soror placet hoc agere, illuc ire etc.

Art. VII. — Praefecta superior et oeconomae curam habebunt, ne in domum profanus, vilis, aut talis liber inferatur, qui ecclesiastica censura notatus est. Exterminandorum huiusmodi librorum ratio inprimis haec est, ne quid virtuti castitatis adversi contineant: experientia enim teste, lectio librorum asceticorum animo roborando et ad Deum allevando, aliorum autem spiritui enervando pietatique reprimendae inservire intelligitur.

De paupertate.

Art. I. — Voto paupertatis sorores se omni iure cuiuscumque rei in suos usus convertendae abdicant. Proventus pecuniae, supellex, linteamenta, vestes et quaecumque sint, quae possident, bonum commune sunt, praefecta superiore consulto senatu ea in emolumentum domus convertente. Sororibus nonnisi e speciali praefectae privilegio de aliqua re disponere licet.

Art. II. — Consentiente praefecta licet sorori in possessione redituum ad mortem durantium, si quos nacta est, permanere; usus autem proventuum inde percipiendorum, omniumque tum mobilium tum immobilium rerum ad sorores spectantium libere et absque ulla ab iisdem dependentia penes praefectae procurationem, eo plane modo quo reliquus domus census relinquitur, quin sorori aliquid, donec in congregatione extiterit, de iis privatim ac pro arbitrio disponere fas sit.

Art. III. — Nulli sorori ab altera quidquam

communitati proprium mutare licet, neque huic rem ad usum sibi concessam alienare, commutare aut donare, nisi peculiari praefectae superioris indulto ius ad hoc acquisierit. Quaecumque cum consensu praefectae acquiruntur, nonnisi nomine sodalitatis acceptantur et in ipsius commodum convertantur.

Art. IV. — Ne quidquid alicuius incuria destruat aut pereat, praefecta superior et oeconomae magnam curam adhibebunt. Quem in finem singulis hebdomadibus semel saltem omnium munerum administratores investigabunt, supellectilemque prostantem examinabunt, id elaborantes, ut sibi de integro omnium habitu persuadeant.

Art. V. — Nec praefectae superiori nec oeconomae licet sibi quidquam ad suum usum comparare, quo reliquae sorores carent. Nec quaequam aliquid vendere vel commutare, etsi negotio gerendo aptissimum videatur, non servatis conditionibus per apostolicas constitutiones praescriptis, et absque oeconomae et consiliariarum consensu, audito etiam ordinario, ubi pro rei ratione opus sit, praesumat.

Art. VI. — Supellex, vestes sororis recens religionem professae statim a professione emissa venduntur aut ad usum domus convertuntur, difficultatibus, si quae emerserint, a praefecta, consulto senatu, compositis. Dos, a quacumque sorore allata, tabulis accurate inseratur ac rite utiliter investiatur.

Art. VII. — Licuisse sibi votum paupertatis emittere divitias esse putent et felices se praedicent, vitam illi conformari licere, sollicite curantes, ne e tali patrimonio aliquid perdant. Consultum est saepius meditari ad paupertatem evangelicam non sufficere omnibus externe valedixisse, nulliusque rei possessionem habere, sed requiri etiam, ut animo vere pauperes et profanorum studiorum expertes sint. Hanc sui abnegationem lubenti animo omnem paupertatis angustiam perferendo, genium suum data occasione defraudando, victu, supellectili et vestitu paupertatem sectando, experiantur.

Art. VIII. — Quibus occupantur, sint illis a praepositis adsignata, et in emolumentum domus vergant. Suo usui quidquam agere speciali nonnisi privilegio obtineri potest.

Art. IX. — Praefectae superiori vel oeconomae ius competit alteri sorori supellectilem, imagines aliave huiuscemodi auferendi alterique sorori conferendi, quod in iis, quae vehementi studio huiuscemodi minutiis detentae intelliguntur, semper exequantur. Nec libris laute compactis uti liceat, imaginesque in sororum cubiculis suspensae nigris solum nunquam vero aureis oris circumdentur.

Art. X. — Nulla quidquam, depositi nomine, asservare praesumat; hoc ne domibus quidem, ipsa domo matrici non excepta, licet, nisi graves causae pro extrema necessitate stent.

De Obedientia.

Art. I. — Obedientia principalem religiosorum virtutem constituit; absque illa nulla sane societas consistere posset, sed cuncta confundi permiscerique deberent. Hinc sorores, quum iudicio libertateque sua se abdicantes pretiosissimam hostiam obtulerint: e genio huius voti regulae et statutis hisce quotidianisque negotiis inviolabili fide satisfaciant. Hanc virtutem continuo meditentur, persuasum habentes, ab eius cultura et fervore, quo praefectae superioris et oeconomae iussa stricte et lubenter exequuntur, spiritualem profectum quam maxime pendere.

Art. II. — Suis praefectis summam venerationem exhibebunt, maxima nonnisi cum modestia cum illis loquentes. Non sint murmurantes, nec obiurgantes aut resistentes iussis illarum, sed ultro, sincere aut alacriter in omnibus iis obtemperent quasi Deo, cuius locum tenent et a quo potestate instructae sunt se eius nomine regendi. Haec saepius contemplando revolvant, praeclarum inde nacturae adiumentum menti ad Christi et obedientiae regulam semper magis conformandae.

Art. III. — Absque generali vel speciali praefectae concessione, nunquam domo exeant. Paratae sint adire in quamcumque mittantur domum, semper promptae illos relinquere a quibus avocantur et ad quodlibet negotium et mandatum exequendum transire. Nunquam in illis conspiciatur alicuius loci aut negotii praevalens studium, comes admonitiones excipiunt cum humilitate et submissione, nec obiurgationem praefectae de erroribus contra regulam aut in administrando munere admissis fastidiant.

Art. IV. — Si qua officii oblita, scandaloso modo praefectae resistere ausa fuerit, puniatur poena aut poenitentia delicto congrua. Quodsi illi ad tuendam auctoritatem conferre visum fuerit, poterit huiusmodi ad superiorem vel episcopum deferri.

Art. V. — Videant praefecta superior et oeconoma ne quid sororibus praecipiant, quod ordinis regulae earumque viribus non conveniret. Si aliquam sororem durius tractarent aut insolitum quid iuberent, pareant sorores, si periculum sit in mora, secus illis ius competit modeste et tranquille explicandi rationes, quae mandatorum executionem impossibilem reddunt, conservantes integram animi tranquillitatem, num precibus illarum satisfactum fuerit nec ne, salvo earum casu posteriore iure, superiorem praefectam, immo, si necesse fuerit, superiorem adeundi.

PARS SECUNDA

DE STATUTIS SPECIALIBUS

CAPUT I.

De selectu novitiarum.

Art. I. — Cum disciplina congregationis religiosae tum solum vigere possit, quando selectui et educationi novitiarum maxima cura impenditur: in id incumbant praepositae, ut sibi persuadeant: num ordinis a s. Carolo nominati candidatae, ad hoc vitae genus vere a Deo vocatae sint, seduloque invigilent, ne in eligendis adsumi petentibus studio augendi numeri nec tum ducantur, si illius necessitas patuerit, nec studio procurandi domibus opes ampliores, nec respectu, aut comitate in parentes, nec singulari petentis in vitae conditionem istam, amore aliisve rationibus humanis moveantur, sed et caveant, ne quam ob aversionem aliquam aut ex alio humano respectu abigant; etenim non esset minor culpa repulisse quas Deus vocavit, quam suscipere, quae vera vocatione destituuntur.

Art. II. — Puella in ordine suscipi petens, a praefecta superiore eius assistente, et novitiarum magistra examinetur. Quapropter illi regula et statutorum iussa difficultatesque cum illorum observatione coniunctae, ad vivum proponenda simulque opera danda, ut animi ingeniique natura cognoscatur. Quaerenda insuper, quantum fieri potest certitudo, utrum consilium hoc a divina inspiratione repetendum sit; hinc tempus quo consilium ceperint et rationes, quibus permotae huc advenerint, diligenter exquirenda. Etiam de aetate, parentum conditione, patria et domicilio percontandum, sed et si consultum videatur, alii prudentes et periti homines, qui ipsas melius norunt, interrogandi, quales mores in saeculo versantes exhibuerint.

Art. III. — Candidata, cuius parentes aut avi ignominiosis poenis iure publico illatis adfecti, ne suscipiatur, nec illa quibus nil aliud obstat, nisi quod illegitimo ortu aut non a christianis parentibus prognatae sint aut indecoris servitiis operam dederint.

Art. IV. — Etiam illa repudietur, quae infirma valetudine, aut corpore deformi utitur, aut quae de aliquo contagioso morbo suspecta videatur; quae inconstans, mobilis et superba invenitur, sed et quae anxia aut tristitiae dedita, praesertim si iam pridem mente capta aut morbo aliquo correpta fuit, cuius reditus timendus sit.

Art. V. — Candidata a praefecta superiore cum assistente et magistra novitiarum mature examinata, si omnibus requisitis virtutibus instructa inveniatur, praesentetur prius, si fieri potest, superiori et tum sodalitati, quo in societatem suscipitur. Ne obliviscantur insuper cum candidata aut legitimis tutoribus de dote adferenda convenire.

Art. VI. — Candidatae probationis tempus incipienti officia sororis misericordiae, molestiae, et labores infirmorum curae et aliorum charitatis operibus iuncti, denuo proponenda sunt. Ex hac hora magistrae novitiarum traditur, quae illi lectum assignat ipsamque qua candidatam peculiariter instituat et ad reliquas novitiarum occupationes admittat, investituraeque tempus ex praefectae superioris et assistentis consensu determinet. Ante investituram candidata recessui spirituali vacet, quo durante, peccata totius vitae sacramentaliter confiteatur eoque conatus dirigat, ut animi habitum nanciscatur, quo ad explenda status sui officia habilis dignaque efficiatur.

Art. VII. — Vestis eadem est novitiis ac professis, excepta mitra nigra qua carent, solum albam deferentes, neque aureo annulo nec argenteo numismate utantur.

Pro investitura nullae praescribuntur coeremoniae peculiares. Res in eo posita est, ut vespere gratiarum actione post coenam persoluta: Veni creator: per choros cantetur, tum habita a praefecta superiore brevi oratiuncula et nomine religioso candidatae imposito, ipsa a magistra vestibus induta sodalitati praesentetur.

CAPUT II.

De statu probationis.

Art. I. — Quamquam salus et incrementum religiosae societatis maxime a personarum quae suscipiantur delectu pendeat, genuinus tamen ordinis spiritus in iusta illarum educatione inprimis quaerendus est.

Art. II. Praeter recreationis, sacri officii et coenae tempus, quo cum professis conveniunt novitiae, ab illis separatae degant. Determinetur conclave, nomine novitiatus insignitum, in quo magistra novitias congreget in regula institutura et operi illis iniuncto invigilatura, dux quippe illarum per integrum diem.

Art. III. — Novitiis nonnisi prius impetrata praefectae superioris aut magistrae licentia, cum exteris colloqui aut iis scribere permittitur, quam rare tantum et stantibus gravibus rationibus impendant. Etiam licentia obtenta, praesente solum magistra aut alia sorore, ceu comite illis adiuncta, cum exteris colloqui liceat, a qua tamen custodia praefecta vel magistra dispensare potest.

Art. IV. — Magistrae peculiariter sibi praepositae tanquam matri reverentiam et perfe-

ctam quoad omnia obedientiam praestabunt. Neque cum professis nisi inter occupationem vel peculiari venia colloquentur. Tempus probationis, a die investiturae exordiendum, tres annos complectitur.

Art. V. — Vergente ad finem probationis spatio secundo saltem ante finem mense suffragia colligenda, quae nonnisi maiora definiunt. Suffragium ferre licet solis sororibus duobus iam annis religionem professis; nec alii domui, quam matrici, pro nunc ius competit suscipiendi, donec alibi fortassis domus ad tyrocinia designatae rite fuerint.

Quod si novitia in alia domo degerit, oeconoma tum suum tum aliarum sororum suffragia de novitia praefectae superiori mittit. Inter suffragia divergentia illa electionis momentum faciunt, quibus praefecta consensit. Si ex suffragiorum tenore dimittenda sit, statim cura habeatur, ut quantocitius parentibus aut legitimis tutoribus tradatur.

Art. VI. — De susceptione rm̃us dominus episcopus certior reddatur, qui si illi videbitur, superiorem delegabit, ut novitiae vocationem et officia status strictius examinet, interrogans illam: Utrum omnes obligationes noverit et num consilium illarum executioni se subiiciendi firmum servet? Perfecto hoc novitiae examine a superiore solo suscepto, alii dies duobus adhuc tentaminibus aliquot dierum spatio disiunctis statuantur, quarum argumentum iterum vocatio interiorque et exterior novitiae habitus efficiunt. Interrogetur quippe: num vi aut minis aut alio humano motivo cogatur? utrum sororum blanditiis allecta aut decepta fuerit, quaedam regulae puncta fors occultantium? quae quaestiones et responsa in peculiari actorum commentario praescribantur et a novitia subscribantur porrecto huius apographo domino episcopo.

Omnibus compositis episcopus superiorem ad acceptandam novitiae professionem deleget, nunquam ante absolutum vigesimum quartum aetatis annum edendam. Dies cum assensu praefectae superioris constituitur. Novitia de his certior facta, in spiritualem recessum se recipiat, ultima ante professionem vice se ipsam probatura.

Actui huic solemni praeest superior, nisi fors rm̃us dominus episcopus ipsemet praeesse velit. Absente aut impedito superiore, rogetur dominus episcopus aliquem delegare presbyterum. Statuta die superior aut delegatus sacrum solemne celebrabit. Sumpto sacro sanguine soror, relicto scabello, in quo in genua provoluta, manu album cereum tenens, sacro intererat secundum altaris gradum conscendit et genu procumbit. Ibi formulam professionis alta et clara voce pronuntiat, nimirum:

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Amen.

« Hodie die.... mensis..... anni..... ego soror N. solum et unice gloriam et honorem Dei, animae meae salutem et pauperum aegrotorum adiutorium intendens, me congregationi Sacrae Familiae Iesu, Mariae et Ioseph, sub nomine Congregationis Charitatis s. Caroli fundatae devoveo. Voveo et spondeo Deo teste fore, ut illam nunquam deseram, in ea vivam et moriar et residua vita mea egenis et derelictis aegrotis secundum regulam et statuta laudatae congregationis serviam. Item Deo votum castitatis, paupertatis et obedientiae, voveo conforme laudatae regulae et statutis, prout a congregatione susceptae, probatae et custoditae sunt, ac ab Ecclesia ratae habentur. Promitto tibi rm̃e dñe et sub auctoritate rm̃i episcopi N. eiusque successorum, me, vota mea quoadusque vixero, servaturam. Ad maiorem huius confirmationem, adest professio mea manu scripta, quam durante s. missae sacrificio in pede altaris collocavi.

Ego N. soror spondeo Deo et Beatissimae Virgini Mariae ad pedem s. altaris me nunquam consensuram, ut congregatio S. Familiae Iesu, Mariae et Ioseph curam pauperum infirmorum, ad quam me nunc obligo, deserat, nec congregationem taedio, pertinacia aut animi perturbatione a me desertum iri. Quod si fecerim, omnibus censuris ecclesiasticis, quibus me episcopus N. eiusque successores plexerint, memet submitto.

In cuius fidem mea manu subscripsi die.... anni millesimi . . . . . ».

Voto emisso, sacramentaliter communicet, anulumque et numisma modo in caeremoniali praescripto accipiat.

CAPUT III.

De domo matrici et praefecta superiore.

Art. I. — Spiritus et constitutio ordinum religiosorum aut aliarum sodalitatum piarum praesertim in domo matrici illibati serventur. Aliae domus cum huius sint rivuli, etiam ex hoc fonte nutrimentum accipiant. Illius sorores cultissimas esse decet, ibi ordinis spiritus purus et illaesus servetur. Hinc praecellentiae honoris illi tributae et peculiari constitutioni ceu reliquarum capiti assignatae, nemo iniquus fuerit.

Art. II. — Omnes s. Caroli sorores in unam iungantur societatem, eadem veste utantur, secundum eamdem regulam vivant, et eadem ministeria aequali modo peragant. Officiorum primarium habeant, pauperibus et aegrotis succurrere, consolari, instituere et aedificare, in quo pro locorum circumstantiis matricis domus mores sequantur.

Art. III. — Sodalitas sororum s. Caroli Pragae erecta, erit prima et matrix in imperio

Austriaco; quod si institutum aliis in ditionibus admittatur, Sanctae Apostolicae Sedis placitum invocabitur, ad praecipuam ibidem domum designandam.

Art. IV. — Principali huic sodalitati praeposita sit praefecta superior omnium iam fundatarum aut fundandarum in ditione Austriaca.

Art. V. — In hac domo matrici sit locus probationis pro novitiis excolendis. Alibi, donec aliter cautum non fuerit, novitiatus ne habeatur, nec in alia domo sorores s. Caroli informentur.

Art. VI. — Novitiae ad professionem admissae, praefectae superiori obedientiam singulariter promittant.

Art. VII. — Societates absque membrorum vinculo consistere nequeunt, quod adesse nequit, quin capiti illa perpetuo momento subsint. Hinc omnes ordinis sorores superioris praefectae voluntati subduntur, quae illas interdum, ne prius per consiliarias et per superiorem probata, Pragam vel in aliam domum evocare poterit, et ad eas ibidem spiritu ordinis reficiendas, exercitiisque generosae charitatis confirmandas.

Art. VIII. — Sorores ceterarum domuum praesertim oeconomae, epistolarum commercio praefectae superioris utentur. Bis saltem singulis annis de statu familiarum exterarum certiorem reddent, iis praecipue notatis, quae bene gesta sunt, et quae melius geri potuissent, omnibusque perscriptis, quae pauperum curam et ordinis honorem propius spectant.

Art. IX. — Praefectam adiuvat senatus ex assistente et tribus consiliariis consistens. Ad hanc dignitatem eleventur magistra novitiarum et procuratrix, tertia e sororibus communibus suffragiis consulto superiore eligetur. Praefecta autem nonnisi domus matricis membrum esse potest.

Art. X. — Praefectae superiori inconsultis superiore, assistente et tribus consiliariis, nil decernere aut perficere licet quod integrum ordinem aut exteriora domus spectaret. Tale senatus consultum omnium subscriptione munitum, peculiari ad hunc finem destinato libro inseritur.

Art. XI. — Quoad domus matricis directionem tenetur exquirere consilium assistentis et consiliariarum.

Art. XII. — Nova domus nonnisi ex consensu Ordinarii, re prius a praefecta cum superiore, assistente et consiliariis collata, a secretis suffragiis probata, servatisque ex iure, ac pro locorum conditione servandis aperiatur.

Art. XIII. — Licet illi, si necessarium visum fuerit, sorores advocare, aut in aliam domum ablegare, non tamen inconsulto pleno senatu.

Art. XIV. — Si in consilio suffragia in duas partes abeant, maiora definiunt, si paria sunt, superioris suffragium decidit.

Art. XV. — Praefecta superior visitet domus quando communi consilio placuerit, nunquam tamen sine comite sorore a consilio electa, quae si fieri potest consilii membrum esto: Ordinarium loci adeat, ubi domus visitanda extat, ac nonnisi eo probante visitationem peragat.

Art. XVI. Visitatio ab invocatione Spiritus Sancti orditur. Inquirenda est inprimis observatio disciplinae, fervor in pauperum cura, progressus in modestia, zelus in usu ss. sacramentorum, concordia et obedientia praefectae superiori exhibita.

Art. XVII. — Sorores singillatim audiantur, excipiantur illarum quaerimoniae et excusationes, et tum recte, quantum fieri potest, optime omni re perspecta, iudicium ferat sententia aliqua praeoccupari caute vitans.

Art. XVIII. — Iunioribus praesertim sororibus probe cognoscendis studeat, inquiratque utrum illarum cum aliis agendi ratio prudens et circumspecta sit: prae ceteris autem invigilet, ne cuius consortium aut familiaritatem quaerat.

Art. XIX. — Praefecta cum comite et eius loci oeconoma, quae magis proficua videntur, praecipit. Illi et sorores, imo oeconomam, si necessarium videat, mutare licet, ad qualem actum re bene expensa et probe examinata brevi oratione se praeparet.

Art. XX. — Hac occasione, pietate in Deum, modestia et morum gravitate spiritui Iesu Christi dilatando studeat, sororesque hortetur ut votum in animis iugiter resuscitent olim Deo oblatum; serviendi illi scilicet in pauperibus deque tali conditione sibi congratulandi.

Art. XXI. — Conditio domus e visitatione perspecta in libro peculiari praescribitur, cui sententiae de singulis domibus latae mandantur. Liber iste in domo matrici inclusus asservatur necessitate emergente inspiciendus.

Art. XXII. — Cum in officio, quale cura pauperum et aegrotorum est, gravissimum sit, ut tantum habiles ad id admittantur; praefecta superior studiosissime enitatur; ut nonnisi verae vocationis, morum probatorum, infucatae pietatis et singularis zeli ad hanc conditionem eligat.

CAPUT IV.

De praefectae superioris electione.

Art. I. — Praefecta superior ab universis societatis sororibus, quatuor ad minus annis religionem professis, eligitur ex quacumque ordinis domo.

Art. II. — Praefecturae tempus tribus continuis annis durat, quibus elapsis, nova electio facienda. Potest quidem et in subsequentes tres annos eligi, quibus transactis, alia, et nullo sub praetextu eadem eligatur.

Elapso trium annorum intervallo aut longiori, iterum eligi potest.

Art. III. — Uno ante electionis diem mense, sorores singularum domuum epistola encyclica superioris de ea re certiores reddantur.

Art. IV. — Sorores, exterarum domuum, quae suffragio activo gaudent, suffragia nominis subscriptione instructa, scripta porrigant, in schedula sigillo bene occlusa, quam superiori mittunt ad electionis usque diem custodiendam. Suffragia mature mittuntur superiori octo saltem diebus, a ferentibus nulla cuiquam ratio reddenda, neque oeconomis iure de suffragio ab iis exquirendo, quibus praesunt, reservato.

Art. V. — Sorores domuum eiusdem civitatis in qua domus matrix existit in huiusce loco ad electionem destinato conveniant, schedulam suffragium continentem secum ferentes. Schedulae primum colliguntur eo tempore, quo a superiore eiusque assistente aperiendae sunt.

Art. VI. — Dies electionis quoque episcopo significandus, iisque duos [1] superiori in electionis actu assistens rogandus est. Ad hunc gravem actum octiduanis religionis exercitiis sorores se praeparent, ut congruum lumen impetrent, et in eligenda superiore felices sint. Simul preces suas ad Beatissimam Virginem et s. Carolum ceu ordinis patronum dirigant.

Art. VII. — Ipso electionis die superior domum matricem accedit in qua sorores eligentes diversarum domuum eiusdem civitatis convenerunt. Iubet enim dein in capella Veni Creator orari et missam celebrari, si fieri potest de Spiritu Sancto. Quo finito, omnes locum electioni destinatum adeunt, ubi schedulae suffragiorum aperiuntur. Conclusum suffragiorum seu voluntas Dei et Spiritus Sancti inspiratio considerandum est, quare timeant illum contristari, suffragium illi sorori, quam coram Deo dignissimam electu cognoverint, denegando.

Art. VIII. — Primum suffragia exterarum sororum a superiore praesentibus assistentibus ad hoc negotium delegatis et sororibus ordinis aperiuntur.

Dein iidem presbyteri suffragia sororum eiusdem civitatis collecta aperiunt. Exterorum domuum sorores ne adsint illo die, data opera accessum ad civitatem eo die vitantes.

Art. IX. — Schedulae tum a sororibus civitatis tum ab exteris porrectae, numerentur, numerusque in charta peculiari assignetur.

Art. X. — Superior eiusque duo assistentes schedulas legendo se excipiant, singuli earum nomina et cognomina, quae in suffragium venerunt, in peculiari tabella notantes, addito accurate numero suffragiorum singulis sororibus tributorum. Schedulae ipsae a nemine, praeter superiorem et duos assistentes inspiciantur, peracta autem electione, studiose comburantur, ne quod vestigium earum remaneat.

Art. XI. — Si numeratis suffragiis, pateat sorori quadraginta annos natae, et decem annos religionem professae maiorem quam medium suffragiorum partem datam esse, electio publicetur, electaque praefecta superior habeatur.

Art. XII. Si duabus sororibus aequalia suffragia obtigerit, alteram earum eligant sorores domum civitatis, quibus ius suffragii competit, quod si tum quoque aequalia sint suffragia superior illam, quae dignior sit, eligat.

Art. XIII. — Si pluribus sororibus suffragia obtingant, superior ex iis tres eligat eas scilicet, quibus plurima data sunt, easque illis commendent, quae ex domibus civitatis iure suffragii gaudentes adsunt. Soror ceteris praevalens suffragiorum numero, electa habenda sit. Si supra medietatem eligentes in eam conveniant: tertio scrutinio inutiliter habito, sorti tradantur nomina trium sororum, quae prae ceteris plura suffragia assequutae sint. Electio episcopo praesidi probanda transmittitur.

Art. XIV. — Praefecta superior recens electa, electione absoluta praesentatur, praesentibus cunctis sororibus fidei professionem in manus superioris edit, seque iureiurando obstringit, se omnibus viribus enixuram, ut fervorem in cura pauperum conservet, regulam et statuta observet et observari iubeat, seque supremo suo praeposito episcopo N. semper subditam et obedientem mansuram.

Art. XV. — Quod si soror electa absit aut membrum sit exterioris domus, statim de electione certior reddenda est seque absque cunctatione in domum matricem conferat. Ante editam fidei professionem et iusiurandum superius memoratum superiori praestitum, electa nil quod ad praefectae superioris munus pertinet, agat.

CAPUT V.

De Assistente.

Art. I. — Praefecta superior statim post installationem assistentem eligat, quo munere tribus continuis annis, quo spatio praefecta superior eadem est, fungitur. Munere deiici nequit assistens nisi totius congregationis sententia; cui tum superior praesidet vel ipse vel per delegatum.

Art. II. Assistens electa omnibus exercitiis interest. Absente praefecta superiore, ipsa praesidet, eiusque vices in omnibus negotiis supplet.

Etiam aliorum officialium absentium loca, quoad fieri potest, suppleat.

Art. III. — Assistentis est inquirere, utrum vespere porta aedium occlusa et mane utrum

[1] Videtur aliquid hic deesse. (N. E.)

iusto tempore aperta sit. Insuper invigilet, ut domus munda et omnia suis locis disposita sint. Paucis sit oculus praefectae superioris, quam de omnibus, quae domui non convenire cognoverit, certiorem reddat. Ipsa etiam omnibus, quae domi aguntur et eveniunt, attendat, de omnibusque cum praefecta superiore consilium ineat, ut ab ea necessariis instruatur, quod quam diligentissime fiat.

Art. IV. — Praefecta superior, tribus annis elapsis, denuo electa, assistentem, quae illi prima vice placuerat, iterum retinere potest, quin illi ulla imponatur necessitas, stante libera alterius electione.

Art. V. — Assistens semper denuo eligi potest et ad praefectae superioris dignitatem recens evectae, eam iterum legere licet, quae 6 annis munere decedenti praefectae superiori astiterat.

CAPUT VI.

De magistra novitiarum.

Vigor originarius alicuius ordinis aut congregationis natura prae ceteris a modo novitios excolendi, ab institutione literaria, qua novitiatus tempore imbuuntur, a principiis, quibus educantur, in primis autem a zelo, quem in ordinis negotia iis ingerere conati sunt praepositi et studio finis, quem fundatores ordinis consequi voluerunt, indefesso pendet. Puellas susceptionem in ordinem ambeuntes, licet probae sint in virtute, vulgarem modum excessisse et vocationis talis spiritu totas animari oportet. Quare durante probationis spatio a tali magistra ducendae et excolendae sunt, cui omnia ordinis negotia bene perspecta et zelus per omnia probatus inest. De his quum superiori et praefectae superioris ordinis persuasum esse debeat, rem maximi momenti habeant, ut e sororibus illam eligant, quam necessariae virtutes et dotes ad munus adeo grave habilem reddunt. Antequam electionem suscipiant sententiam consilii ordinis exquirant, Deumque precentur, ut luce coelesti illuminentur. Electio tamen ipsis solis competit, concilio hac in re consultativo suffragio gaudente.

Art. I. — Novitiarum magistra in tres annos eligitur, si vero superiori et praefectae superiori placeat, iterum eligi potest, quin concilii sententia exquirenda sit.

Art. II. — Vocatae ad munus hoc grave, praeter praefectam superiorem ius novitias instituendi plenum convenit. Iugiter illis inculcet quid Deo et ordini debeant, imbuat illas praeceptis christianae religionis et mandatis evangelii, explicetque regulam et statuta agendi rationem, moresque ordinis, quem ingressurae sunt.

Art. III. — Maximo autem adlaborent, ut iis venerationem in conditionem suam et agnitionem felicis sortis quae illis serviendo pauperibus obtigit, instillet, atque mansuetudinem, amorem, et ut sint paratae ad serviendum aliis commendet.

Art. IV. — Quum externa simplicitas tam praeclara sit virtus ordinique propria, adsuefaciat illas singulari simplicitati in vestibus et conversatione, charitati praeterea, sincerae veracitati, paupertati etiam in rebus exiguis et castitati; omnibus quoque enitatur viribus, ut earum fiduciam acquirat, illasque instituat, ut illam et in praepositis maximopere quidem collocent, quibus animum cum piarum animarum simplicitate aperiant.

Art. V. — Magistra novitiis quantum potest semper intersit, illas in ecclesiam et ad locum orationi destinatum et ad vespertinam precationem sicut et ad officium divinum ducat. Orationi cum congregatione vacent, et cum illis mensae accumbant. Novitiis vel proprium dormitorium est, aut saltem ita sunt dispositi illarum lecti, ut lectus magistrae prope illarum lectos sit.

Art. VI. — A caeteris sororibus separatas in novitiatu congreget quod etiam de recreatione et communi occupatione valet. Ceterum curet, ut ad servitia pauperibus exhibenda et alia negotia domestica obeunda, eo modo mittantur, qui a praefecta intentus et praescriptus est.

Art. VII. — Matutino absoluto, illas in novitiatu congreget, brevemque in charitate et mansuetudine christiana de vocatione et virtutibus necessariis instructionem impertiatur, aut illis de his officiis aliquid perlegat, additis suis adnotationibus.

Art. VIII. — Singulis mensibus praefectae superiori de vocatione et profectu in virtutibus et de animi statu novitiarum rationem reddat. Ternis mensibus etiam concilium convocet ita quidem, ut tres saltem sorores adsint, eorumque de singulis novitiis conscientiose, quasi coram Deo esset, refert nil tamen adducens, nisi quod ipsa animadvertat. Tribus hisce mensibus illas quam accuratissime praebeat, ut etiam cognoscat, utrum pauperibus fervide et intrepide serviant, utrum nulli in his deprehendantur defectus, qui illas in posterum in usum domus et pauperum inhabiles reddere possent. Adhibita prudentia etiam illis attendere poterit, quae sorores de erroribus et defectibus novitiarum in medium proferunt, quibus pro sua charitate et prudentia utatur.

Art. IX. — Novitiae ad edendam professionem habiles, a magistra aliquo tempore in ceremoniis huius solemnitatis instituantur. Curet etiam, ut omnia ad eam necessaria praeparentur.

Art. X. — Novitiae in domo matrici remanentes, uno saltem anno, duce magistra in no-

vitiatu commorantur, ubi omnibus novitiarum exercitiis intersunt.

Art. XI. — Magistra etiam librum servat, cui nomen puellae, dies ingressus et dies probationis inscribitur. Inscriptio fit per novitiam, praefectam superiorem (eaque impedita per assistentem) et magistram novitiarum.

CAPUT VII.

De procuratrice.

Art. I. — Procuratrix eligitur a concilio et tres annos munus tenet, nisi praefectae generali cum concilio, gravi ex causa, accedente superioris placito, dimittenda prius videatur.

Art. II. — Munus auspicata curam gerat, ut duo libri praeparentur, in quorum altero omnes expensae in usum domus, capellae, pro alimentis, linteaminibus et vestibus, pro reficiendis aedibus, mercede famulitio debita, paucis omnes expensae: altero omnes proventus praescribantur. Singulis mensibus ad finem vergentibus praefectae superiori et assistenti summatim, vergente autem anno de omnibus expensis et acceptis toti concilio rationem reddat.

Art. III. — Bona pauperum iis in locis, ubi ordini iam iusta constitutio est, a bonis societatis separata sunt. Quapropter procuratrix etiam huius separationis gratia binos libros, accepti tabulas alterum, alterum expensi referentes habeat.

Art. IV. — Quum praefecta superior simul oeconoma domus sit, videat procuratrix, ne quid in usum sororum quotidianum comparet, quod praefecta non iusserit aut permiserit comparandum, quare studiose inquirat, quid hac in re sibi faciendum sit.

CAPUT VIII.

De aeditua.

Art. I. — Aeditua a praefecta superiore illa soror nominatur, quam ad hoc munus maxime idoneam novit ad tempus autem incertum, donec scilicet utile aut necessarium videatur aliam ipsi substituere.

Art. II. — Aedituae est singulorum linteaminum sacrorum curam gerere, ut munda et candida sint, prout altare, cuius usui destinata sunt, decet. Praeterea etiam ornamentis, cerae et aliis utensilibus, quae ornamentum ecclesiae spectant, prospiciat, et altare adaptet, nec tamen illi post accessum sacerdotis adpropinquet; neque ante aut post officium ad sacristiam accedat, quamdiu sacerdos non discesserit.

Art. III. — Illi etiam incumbit libellos precum sacram communionem spectantium, praeparare, et in infirmariis, quando aegrotis sacrum viaticum porrigitur aut extrema unctio administratur, necessaria adaptare.

Art. IV. — Ipsa etiam linteamina et ornamenta si opus sit, reficiat, quod si sola non sufficiat, praefectam roget, ut sibi aliquot sorores adiungat.

Art. V. — Habeat librum, in quo omnia sacristiae utensilia notata sint, ut linteamina, vasa et ornamenta. Illa, quae quacumque de causa e sacristia praefectae exhibita sunt, accurate expungat, sed etiam quidquid novi acquisierit sacristia, adnotet.

CAPUT IX.

De curatrice infirmorum.

Art. I. — Infirmorum curatrix tenetur aegrotantibus sororibus et novitiis tenerrimo studio prospicere, auxilium illorum morbis adferens ad virtutem charitatis, ad quam peculiariter sorores obstringuntur, spectat etiam specialis ille amor, quo sorores suas prosequi debet, accedit, quo fervor augeatur ipsaque incitetur ad studia illis unice dicanda. Sedulo insuper, si quidem opus est, curet, ut lecti sororum bene strati valetudinarium mundum et salubri aura refectum sit, ut illis pro viribus domus succurratur, inprimis autem, ut iusto tempore sacramentis recreentur maturius quidem, quam extrema necessitas adsit.

Art. II. — Illius quoque est domi defunctos, loculis mandare aut mandari sinere, omniaque praeparare, quae ad funus requiruntur. Durante morbo provideat illis de medicinis a medico praescriptis et invigilet iusto tempore dispensandis. Medicamina praescripta modumque, quo adhibenda sunt, peculiari commentario perscribat.

Art. III. — Infirmorum curatrix a praefecta superiore in tempus a suo arbitrio pendens eligitur, etiam in perpetuum ad hoc munus deputari potest.

CAPUT X.

De dispensatrice (depensière).

Art. I. — In eligenda dispensatrice non satis caute procedi potest, ut scilicet talis eligatur, quae domui utilis esse possit. Sit assidua, fidelis, et comis, alimentaque a domo subministrata, modo omnibus sororibus aeque probabili, prudenter distribuat.

Art. II. — Fructus, carnes, oleum et candela et alia alimenta, quibus coëmendis, conservandisque iusta tempora constitui possunt, illius curae committuntur. Singulis refectionibus, quae a praefecta determinantur, ministret.

Art. III. — Attendat, ut novitia, coenaculo curando praefecta, coenaculum bene praeparet,

et ad meridianam ac vespertinam refectionem campanam pulset. Inspiciat porro adiuvetque coquam. Absoluta quavis refectione, residua colligat praescripto usui reservanda.

ART. IV. — Muneri praefecta superior ad annum praeficit: poterit vero, auditis consiliariis, ubi satius duxerit, aliam constituere.

CAPUT XI.

De coqua.

Negotio huic praefecta sciat: Domino in pauperibus et sponsis eius cibos parare honorificum esse. Nil grave inscia praefecta superiore suspiciat.

CAPUT XII.

De sorore lavando operam praestante.

ART. I. — Linteaminibus lavandis duae sorores operam navent, altera linteaminibus domesticis usui sororum destinatis, lectis, stragulis, velis, vestibus etc., altera linteis corpori operiendo inservientibus, stragulis etc. usui aegrotorum habilibus. Munus auspicans ab illa quae munere decedit omnia recipiat et simul, quae usu attrita et inhabilia evaserunt et novis resarcita sunt, adnotet.

ART. II. — Quem in usum utraque peculiari libro instructa sit, in quo numerus et conditio rerum suae curae commissarum praescribuntur.

ART. III. — Singulis diebus sabathi ad cubilia sororum et in valetudinarium necessaria linteamina deferant, collectis studiose immundis, et purganda curent. Antequam illa distribuant, inspicienda, et si opus sit, reficienda sunt.

ART. IV. — Sorores purgandis linteaminibus praefectae quoad munus suum et quae ad illud pertinent a praefecta dependent, a qua ad illud deputantur, suffectis si opus sit aliis.

CAPUT XIII.

De pharmacopola domestica.

ART. I. — Salus aegrotorum inprimis a certis bene paratis et iusto tempore confectis medicaminibus dependet, quamobrem adsit pharmacopola quae necessaria cognitione sufficienter instructa, muneri suo satis attente et singularis munditiei amans levamini aegrotis suisque contubernalibus praestando intenta. Eligatur a praefecta eiusque concilio.

ART. II. — Pharmacopolae adiungantur plures iuniores sorores, a praefecta superiore illi commissae, ut eam adiuvent ab eaque instruantur, ut huic operi diversis in domibus praefici possint. Pharmacopola persuasum habeat se hoc modo pauperibus utilissimam esse, christianam charitatem singulari ratione exercere societatique insignem in modum prodesse.

ART. III. — Colligat obviorum medicamentorum sufficientem copiam remediaque curandis diversis morbis proficua praeparet. Omnia caute prudenter gerat, dubiaque solerter consilium exquirat. Singulis mensibus praefectae superiori muneris rationem reddat ab eaque, ad res recens comparandas, necessaria accipiat.

CAPUT XIV.

De magistris.

Sorores iuventuti erudiendae praefectae solertem operam navant, suasque alumnas ad pietatem morumque probitatem ducant. Scholam deserere hominesque quacumque de causa illuc venientes comitari interdicuntur.

CAPUT XV.

De domibus praeter domum matricem in urbe aut extra illam fundatis.

ART. I. — Domus a congregatione fundari solitae vel institutae sunt, in qua pauperes, parentibus orbati, aut senes vel vetulae suscipiuntur, aut quae *Charités* dicuntur, ad opem extra domum illis assignatam ferendam constitutae. Sorores, quae ad novas domus erigendas ablegantur (sint hae tales, quae domibus iam existentibus praeerant) apographum huius regulae et statutorum adferant et conservent, quae sequantur, nullo praecepto mutato, stante necessitate absoluta illa observandi. Regula singulis mensibus societati praelegatur, ne illius memoria obliteretur. Nec obliviscantur sorores domum matricem aliis regulam esse debere.

ART. II. — Institutum extraneum, sit iam nosocomium aut *Charité,* nunquam suscipiatur fundandum nisi habito in scriptis consensu Ordinarii, in cuius dioecesi illud exstat, ut eorum accedat consensus, quorum interest, atque domus regimen ad normam matricis procurari possit.

ART. III. — Magistratus loci etiam de statuto certiores reddantur, vindicandi praefectae superiori ius, sorores exterorum institutorum, ne oeconoma quidem excepta, ex arbitrio avocandi, aliasque, adprobante concilio ordinis, illi sufficiendi.

E sororibus ad novum institutum fundandum ablegatis, eligitur a praefecta una oeconoma, quae praefectae superioris locum obtinet, parentibus ceteris in omnibus, domus administrationem aut solitaria negotia attingentibus.

ART. IV. — Quod spiritualem sororum di-

rectionem attinet, loci parochus vel alter sacerdos ab Ordinario assignandus eidem praeest.

Art. V. — Institutum, quod non saltem tres sorores complectatur, non admittatur, quae conditio stricta servetur, cum unicum sit medium ordinis constitutionis conservandae.

Art. VI. — Nova instituta ne sint a domo matrici nimis dissita, cum a praefecta superiore non tam facile visitari possent, prout opus fuerit; insuper sororibus, illius tutelae commissis, ad quodvis gravius negotium et quamlibet notabiliorem mutationem sententia et mandatis praefectae superioris opus sit.

Art. VII. — Non licet sororibus alicubi, sedem figere, etsi maxime proficuum videatur, quamdiu certum non est, tantum in domo matrici numerum sororum remansurum qui necessario pauperibus urbis adiutorio et institutis humanitatis accurate curandis sufficiat.

Art. VIII. — Praefectae superiori ius competit sorores, si sibi proficuum videtur, mutandi easque avocandi ad alium locum mittendas. Nec huius consilii rationem cuiquam reddere tenetur, sororibus autem avocatis alias succedere faciat. Ne tamen sororum quoad fieri potest itinera multiplicet, gravissimis nonnisi rationibus compulsa illas avocet.

Art. IX. — Sorores institutorum in aliis urbibus fundatorum, praefectae domus matricis annuas expensi et accepti tabulas proponant, eiusque consilium et mandata in quolibet graviori negotio exquirant. Nec tamen, quoad conscientia et ordinis regula admittet, civilium magistratuum decreta aspernentur, et quando dubiae fuerint, praefectae consilium expetent.

Art. X. — Ut etiam in domibus, a matrice dissitis, exercitia spiritualia haberi possint, prout illa domus matrix quotannis obit, ea quae requiruntur, praeparentur. De absolutis oeconoma praefectam superiorem certam faciat, quando et quamdiu habita sunt, quidque emolumenti sorores inde ceperint.

Art. XI. — Oeconomae singularum domuum, exquisita ordinis concilii sententia, a praefecta superiore nominantur, quas quocumque tempore avocandi iure gaudet, nec ad rationem de illo reddendum tenetur. Ne vero absque ordinaria consultatione in illo facilis sit. Ad hanc avocationem graves nonnisi rationes eam permoveant, rerumque adiuncta accurate cognoscere satagat.

Art. XII. — Etiamsi numerus sororum in nosocomiis et institutis, quae *Charités* dicuntur, tam exiguus sit, ut praescripta a regula exercitia adamussim observari nequirent, quoad illas horum partes tantum dispensatas se putent, in quantum observatio pauperum et aegrotorum cura impossibilis redditur. Quibus in solidum praestandis impares sunt, quantum fieri potest, ex parte agant, quum nil magis earum interesse possit, quam ut ordinis spiritum vigentem conservet, quod perinde etiam contestentur, quod ex omnibus vicibus ullam congregationem, cuius membra sunt, sequantur, idque tum nonnisi fiet, quando regulae eius adamussim insistent.

Art. XIII. — Pauperibus accurate invigilent et caveant, ne quid contra pietatem in Deum et morum candorem accidat, quapropter sexus ab invicem separent, ut etiam minutissima occasio, quae indecori quid adducere possit, removeatur.

Art. XIV. — Oeconomarum praecipuum officium est illis invigilare, quae secum eidem domui operam dant, de quarum profectu et in virtute et fervore, sed et de negligentia praefectam superiorem certiorem reddant.

Art. XV. — Sorores oeconomam suam praefectam venerentur eique obediant. Meminerint se votum obedientiae emisisse, eumque medium, quo se virtutis Deo carissimae dignas reddant, maxime necessarium esse.

Art. XVI. — Oeconomae sorores amice et comiter habeant, curamque gerant, ne quid illis, quod ad exequenda difficilia vocationis officia requiritur, desit. Meminerint, se esse sorores christianae charitatis, seque unum cor unamque animam esse debere, ut de primis christianis sacra scriptura testatur.

Art. XVII. — Ubi in quibusdam domibus infantes suscipiuntur, amore singulari eos prosequantur, Iesum Christum imitaturae, qui illos magna cum charitate allexit. Putent se matres esse, illosque, ut teneras plantas, quas Deus suae curae commisit, habeant, et ad pietatem ducant, ut aliquando Ecclesiae et civitati prodesse possint.

Art. XVIII. — Etiam senes et pauperes, curae suae concreditos tenera charitate amplectantur, parvumque habeant (si illis mente obversetur Iesum Christum esse caput infirmorum) aeque illi, prout in s. evangelio ait, in pauperibus et aegrotis servire.

CAPUT XVI.

De ianitricibus.

Art. I. — Binae sorores morum gravitate, prudentia et pietatis studio commendatae, una cum ceteris officialibus eligantur ad annum in munere extiturae.

Art. II. — Comiter urbaneque ad fores, ubi ostiolum sit, adeuntium petitiones accipiant, nihilque vel voce vel scripto, vel re qualibet sororibus tradant, nisi prius, quidquid id demum sit, praefectae detulerint. De epistolis cum primum id sibi districte mandatum noverint ac religioni sibi ducant, fideliter accurateque id exequi.

Art. III. — Adeuntes in conclavi designato immorentur, nec intra domum admittantur: habito singulis vicibus consensu praefectae, moneantur sorores se ad ianuam vocari: soror, quae secreto alloquentes auscultet, adstet in praefinito loco; silentii lege se adstringi meminerit praefectae dumtaxat patefactura, ubi sermonum ratio postulet.

Art. IV. — Ianitrices sermonibus cum externis nectendis tempus haud terant, neque novitatibus quaeritandis curiose ac nonnisi cum internae solitudinis discrimine se immisceant.

Art. V. — Claves ianuae nocturnis horis penes praefectam sint, ac in die serventur binis clavibus penes binas ianitrices, ne sine utriusque praesentia et audita praefecta aperiantur.

DECRETUM

Sanctissimus dominus noster Gregor. PP. XVI, auditis nonnullis S. R. E. cardinalibus ex sacra congregatione Episcoporum et Regularium delectis, attentis uberibus fructibus qui sperantur ex pio instituto Sororum Misericordiae sub invocatione s. Caroli Borromaei in terras Austriacas invecto, perpensisque precibus rm̃i Aloysii Iosephi de Schrenk archiepiscopi Pragen. idem institutum non uti ordinem religiosum sed uti congregationem cum tribus votis simplicibus castitatis, paupertatis et obedientiae approbavit, una cum suprascriptis constitutionibus; ita tamen, ut domus et sorores eiusdem congregationis sub regimine superiorissae generalis maneant, salva ordinariorum iurisdictione iuxta constitutionem « Quamvis iusto » editam a Benedicto XIV de Virginibus Anglicanis: et insuper pro domibus, quae in ditione Austriaca modo extant et imposterum erigentur, declaravit superiorem eumdem rm̃um Aloysium Iosephum archiepiscopum Pragensem oratorem, illique in praefatas domus eas facultates attribuit, quas superiores regulares super monasteriis ipsis subiectis ad praescriptum sacrorum canonum et apostolicarum constitutionum habent, salvis tamen in reliquis iuribus ordinariorum, praesertim iuxta constitutionem Gregorii XV incip. « Inscrutabili » tandem Sanctitas Sua literas apostolicas in forma Brevis desuper expediri mandavit.

Datum Romae ex secretaria s. congregationis Episcoporum et Regularium die 24 Maii 1841.

L. ✠ S.

C. card. Patritius *praef. m. p.*

I. Archiep. Tharsensis *secr. m. p.*

CIX.

EPISTOLA

Dolet cum vicario apostolico Gibraltariae ac reprobat audaciam aedituorum eiusdem vic. apost. auctoritatem et s. congregationis contemnentium, et ad laicum magistratum appellantium. Monet eos in censuras incidisse, et optat ut in bonam frugem redeant. Declarat aedituorum munus a vicario apost. pendere, cuius agendi rationem laudat, et ipsum iure prohibuisse, ne pecunia occasione sacramentorum exigeretur. Sperat tandem gubernium pactae iam catholicae religionis libertati non defuturum [1].

Venerabili fratri
Henrico episcopo Heliopolitano
Gibraltariae vicario apost.

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Dudum Nos sollicitos habent, quae istic contra Ecclesiae ius atque in tuam, ven. frater, tuaeque dignitatis iniuriam gesta comperimus. Quae quidem eo acerbiora cordi Nostro acciderunt, quod in sacrae rei detrimentum conspirasse intelleximus, nonnullos e catholico populo, qui ob munia sibi demandata antecellere aliis in officio debuissent. Scilicet laici quidam viri, cum non aliud unquam ius habuerint, quam quod ex concessione antistitis ad ecclesiae aedituos pertinere, insurgere ausi sunt adversus auctoritatem tuam, et decretum contemnere a te postea editum, de pecuniis ob sacramentorum administrationem non exigendis; atque adeo contra sanctiones canonum, immo contra ipsam Christi Domini ordinationem usurpare sibi rerum divinarum regimen contenderunt. Qui etiam cum Nostram Propagandae Fidei congregationem contra te frustra sollicitassent, huius quoque auctoritate contempta, non sunt veriti appellare per summum nefas ad laicos eosdemque acatholicos magistratus; quorum porro interventu, tu ipse, ven. frater, in carcerem coniectus fuisti, et ad initia usque mensis proximi ibidem detentus.

Haec cum ita contigerint, illud sollicitudini omnium ecclesiarum et supremo, quo fungimur, apostolatus officio Nos debere sentimus, ut e fastigio S. huius Sedis vocem attollentes, illatam sacro ordini ac rei catholicae contumeliam, Nostris hisce literis, palam reclamemus. Quare auctoritate Nostra apostolica, solemniter declaramus, memoratos aedituos violasse et

---

1 Ex Iure Pontificio de P. F.

conculcasse libertatem sacrae potestatis, et in sanctissima eius iura invasisse. Itaque illos utpote manifestae reos audaciae, dignissimos se exhibuisse decernimus, in quos ad canonum normam graviter animadvertatur. Interim admonemus ipsos atque obtestamur in Domino, ut meminerint censurarum poenarumque spiritualium, quae apostolicis constitutionibus et conciliorum oecumenicorum decretis in omnes, qui talia audent, statutae ita sunt, ut facto ipso contrahantur. Et quoniam eius in terris vicem gerimus qui venit quaerere et salvum facere quod perierat, nihil equidem optamus magis, quam ut iidem peccatum suum detestantes, ad obsequium et obedientiam fraternitatis tuae sincero animo redeant.

Iam vero ad eorum munus quod attinet, neminem ignorare volumus, illud pendere omnino ex auctoritate episcopi, nihilque ab aedituis ecclesiae geri unquam posse, nisi quod eis fuerit ab antistite demandatum. Quod vero pertinet ad sacramentorum administrationem, erit tibi curae, ut fideles, qui sub te sunt, sedulo admoneas, divina eiusmodi munera nullam omnino temporalis pretii aestimationem recipere; sed a Dei ministris, qui ea gratis acceperunt, gratis pariter esse dispensanda: nec posse istic ullam ad tramites canonum (cap. *Ad apostolicam* 42 de simonia) probabilem consuetudinem obtendi, ad pecuniae quidpiam alicuius sacramenti occasione, alio titulo postulandum, quando id a te atque a congregatione Propagandae Fidei ex accepta a Nobis potestate, ad tuendam sacramentorum sanctitatem iure meritoque vetitum est.

Ceterum ea Nos cogitatio consolatur, quod sub inclyto gubernio serenissimae ac potentissimae Anglorum reginae haud certe metuendum est, ne ulterior tibi molestia inferatur, frausque fiat sancitae iamdiu Ultraiectino foedere catholicae religionis apud vos libertati: quum praesertim in florentissimo etiam Britannico regno pro aequitate maiestatis suae catholici eorumque antistites libero sanctissimae Nostrae religionis exercitio fruantur.

Denique, ven. frater, tuam istam vigilantiam, zelum et eximiam animi firmitatem meritissimis laudibus honestamus, hortamurque in Domino, ut posthac pariter religionis causam non minori sedulitate constantiaque sustinere pergas. Nos autem, licet indigni, non desistimus Deo per Iesum Christum humillime supplicare, ut adsit tibi semper propitius in abundantia gratiae, atque in parte ista suae vineae, tuis rigata sudoribus, adaugeat iustitiae fruges, et tranquilla omnia faciat. Ac Nostrae in te et fidelem, cui praees, clerum et populum studiosissimae caritatis pignus adiungimus apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde depromptam tibi, ven. frater, atque illis peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem die vigesima secunda augusti millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

CX.

EPISTOLA

Impedimentum consanguinitatis in secundo gradu inter Victorem Emanuelem Sabaudiae ducem et Adelaidem archiducem Austriae existens, solutum nuntiat [1].

Carissimo in Christo filio Nostro Ferdinando Austriae imperatori, Hungariae regi apost. et Bohemiae regi illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Carissime in Christo fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Perspecta Nobis religio et sapientia imperialis maiestatis tuae minime sinit Nos dubitare, per matrimonium, uti testaris, inter dilectissimos in Christo filios Nostros Victorem Emmanuelem Sabaudiae ducem et Adelaidem archiducem Austriae, natura filiam dilectissimam in Christo filii Nostri archiducis Rainerii patrui tui, ineundum, rationibus imperialis domus consultum fore; quas probe intelligimus quam sint cum bono rei ipsius catholicae coniunctae, eaque sane quam libenter apostolica usi sumus potestate, annuentes postulationi pro illis tuae. Itaque iam diploma dedimus ad ipsam imperialem maiestatem tuam, quo praedictos principes consanguinitatis in secundo gradu quae inter eos intercedit, impedimento solutos declaravimus, ut optatis iungi nuptiis rite, et qua pollent pietate, congruenter possent. Auctorem sacramenti Deum, quod magnum est in Christo et in Ecclesia, supplices rogamus, ut novis coniugibus propitius adsit, detque eis sobole diutissime gaudere omnigenis florente virtutibus, nomine digna et laudibus maiorum suorum. Auspicem autem caelestis praesidii ac paterni animi Nostri testimonium, apostolicam benedictionem imperiali maiestati et familiae tuae iisdemque dilectissimis in Christo filiis Nostris, egregiis coniugibus amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima nona augusti millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

CXI.

EPISTOLA

Domino regionis Tigre in Abyssinia Desgiamaccio Ubie scribit de reditu ad fidem et de muneribus [1].

Questa lettera del Pontefice Massimo di Roma, successore di s. Pietro, è mandata a Desgiamaccio Ubie signore del Tigre in Abissinia.

È lungo tempo che il tuo popolo è separato da Noi. Noi però ti abbiamo sempre amato, e desiderato di essere amati da te. Ora che l' affettuosa tua lettera, e gli uomini che ci hai mandati mi assicurano del tuo affetto verso Noi, questa nuova ci ha ripieno l' animo di gaudio ed amorosamente ti stringiamo al nostro seno.

Iddio ci ha dato pel governo della sua Chiesa la potestà di Pietro, e con essa l' abbondanza dei celesti tesori. Quanto saremo consolati se ci sarà dato d' usarne pel bene tuo e del diletto tuo popolo a pro delle anime vostre, per le quali il Nostro Signore Gesù Cristo versò il sangue suo prezioso. Quattro individui del tuo paese rimangono qui con me, e con te si trovano uomini miei, spirituali miei figli. Questi ci ricorderanno l' amicizia che ora si è stabilita fra noi: considera pertanto che se Noi fossimo uniti nella fede, in quella fede pura che è fondamento della vera carità, la Nostra amicizia sarebbe eterna. Tu che saggio sei, rifletti a questo importante affare.

Ricevi finalmente con affetto di figlio alcuni pochi doni che ti mandiamo. Desideriamo vivamente che sopra te si adempia la divina misericordia fin dove si estende la speranza del Nostro paterno cuore affettuoso.

Dato in Roma dal palazzo apostolico Quirinale questo dì 29 agosto 1841, anno del Nostro pontificato undecimo.

CXII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Vicariatum apostolicum Siamensem in duos partitur, quorum alterum Orientalem, alterum Occidentalem Siamensem, praefinitis limitibus nuncupandum esse decernit, atque utriusque vicarium constituit [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Universi dominici gregis salus Nobis divinitus commissa postulat, ut ea peragenda curemus, quae in maiorem spiritualem christifidelium utilitatem cedere posse cognoscimus.

Itaque pro missionum Sinensium bono, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, die decima sexta decembris an. millesimi octingentesimi trigesimi noni, gravibus de causis complures regiones, vicarii apostolici Avae ac Pagù administrationi iam creditae, Siamensi vicariatui seminarii missionum ad exteros alumnis commendato, adiectae fuerunt, ea sane mente, ut ampla iam ac magis aucta haec missio in duas deinceps divideretur, a duobus vicariis apostolicis gubernandas. Iam vero rebus omnibus maturo examine perpensis, atque accedente eiusdem seminarii moderatorum consensu et suffragio, de eorumdem venn. fratrum Nostrorum consilio memoratum vicariatum in duos dividendum esse censuimus.

Quamobrem hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, ipsum vicariatum ita dividimus, ut alter, Siamensis Occidentalis vel potius Malayensis peninsulae parte Occidentali nuncupandus, complectatur insulam Syngaporae, Malacensem regionem eidem vicariatui anno millesimo octingentesimo trigesimo nono, ut supra, additam, una cum reliqua peninsulae parte iam Siamensi vicario subiecta, quae regnum Quatae amplectitur, provincias item Merguy, Tenasserim, Tavay, Martaban (excepta urbe Moulmein quae Avano vicario subest) una cum finitimis iisdem provinciis, regionibus populisque silvestribus, ac demum insulas Andaman, Nicobar, Merguy, Tuncselant, Laracè, Pulopinang, ceterasque peninsulae Malacensi adiacentes, exceptis Hollandicis possessionibus ac coloniis: alter autem, Siamensis vicariatus Orientalis appellandus, perficiatur ex integro Siami superioris et inferioris regno, ceteris additis regionibus et insulis finitimis et adiacentibus, quae in Occidentali vicariatu non continentur, quaeque Siamensis regis ditioni subsunt, et ad Siamensem vicariatum ante divisionem iam pertinebant.

Praeterea, eadem auctoritate Nostra apostolica, prioris sive Occidentalis vicariatus regimen ven. fratri Hilario Paulo Courvezy episcopo Biduensi actuali vicario apostolico in Syngaporae insula tradimus, alterius vero, sive Siamensis Orientalis, curam ven. fratri Ioanni Baptistae Pallegoix episcopo Mallensi committimus, cum vicarii apostolici titulo, eumque a vinculo coadiutoris episcopi Biduensis solvimus, atque ipsis necessarias et opportunas omnes facultates tribuimus, salva tamen semper in praemissis autoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Haec volumus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

[2] Ex Iure Pont. de P. F.

piscatoris die decima septemb. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

CXIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Vicarium apostolicum Coreae, iuxta modum, eligit [1].

Venerabili fratri
Iacobo Leonardo Perocheau
episcopo de Manula in partibus infidelium
vicario apost. Sutchuensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Quamvis per similes apostolicas litteras die decima quarta augusti anno millesimo octingentesimo trigesimo octavo datas, ad preces ven. fratris Laurentii I. M. Imbert episcopi Capsensis vicarii apostolici Coreae, attentis difficillimis vicariatus circumstantiis ac vicarii ipsius, in quibus tunc versabatur, periculis, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, eiusdem ven. fratris desideriis annuimus, ut unum ex sacerdotibus ipsius missionis in coadiutorem sibi eligeret cum charactere ac titulo episcopali ecclesiae Bellinensis in partibus infidelium; nihilominus cum per epistolas diei primae decembris anno millesimo octingentesimo trigesimo octavo, ac trigesimae martii millesimo octingentesimo trigesimo nono idem ven. frater iterum Nobis exponendum curaverit minime expedire, ut duo episcopi intra limites eiusdem periculosissimi regni commorentur, nec plures quam duo nunc ibi adesse operarios evangelicos, quorum alter eligendus esset coadiutor, ac propterea multo opportunius et utilius ei videri, ut coadiutor in Sutchuensi provincia a te eligatur inter provinciae ipsius missionarios magis probatos, et linguam Sinicam ac mores edoctos, et consecretur titulo ecclesiae Bellinensi, qui in Tartaria maneat ad fines Coreae, ad missionis absolvenda negotia semper paratus Coream ingredi, deficiente vicario apostolico, vel si propter gravem persecutionem ab ingressu ad tempus iudicaverit abstinendum, inde tamen missionem regere et gubernare possit, ac proinde ad praecavendam duorum coadiutorum deputationem, idem Capsensis antistes testatus fuerit, se ad coadiutoris electionem iuxta elargitam sibi anno millesimo octingentesimo trigesimo octavo facultatem, non processurum:

Nos de eorumdem venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium sententia, votis Capsensis episcopi annuendum existimavimus. Quamobrem, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, potestatem facimus atque impertimur, ut in ista Sutchuensi provincia, inter provinciae ipsius missionarios magis probatos et linguam Sinicam et mores edoctos, Coreae vicarii apostolici coadiutorem cum futura successione eligas, qui in Tartaria maneat ad ipsius Coreae fines ad missionis absolvenda negotia, semper paratus Coream ingredi, deficiente illo vicario apostolico, vel si propter gravem persecutionem ab ingressu ad tempus iudicaverit abstinendum, inde tamen missionem regere et gubernare possit, ita tamen, ut coadiutor ita electus, nonnisi ea, quae hac in re illi a suo coadiuto demandata fuerint, omnino praestare teneatur. Cum autem munus huiusmodi quomodolibet vacaverit, coadiutorem a te eligendum vicarium apostolicum Coreae cum omnibus et singulis facultatibus, quae ratione officii huiusmodi, ab hac Apostolica Sede quomodolibet concessae sunt, iam nunc auctoritate et tenore praedictis, facimus et constituimus, salvo tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium. Praeterea, ut idem coadiutor ita a te eligendus, charactere et titulo episcopali Bellinen. insignitus evadat, tibi facultatem facimus, qua, eadem auctoritate Nostra apostolica, coadiutorem eligendum illius ecclesiae episcopum eligas atque declares, illique, ut ad eamdem ecclesiam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime teneatur, dicta auctoritate Nostra, concedas, indulgeas, atque tibi eidem coadiutori, ut supra eligendo ac postea in episcopum renuntiando, postquam ab eo professionem catholicae fidei, iuxta articulos a sede Nostra propositos, ac Nostro et Romanae Ecclesiae nomine, fidelitatis debitae solitum iuramentum receperis, munus consecrationis auctoritate Nostra apostolica impendere licite valeas, accitis, et in hoc tibi assistentibus duobus, loco episcoporum, presbyteris saecularibus, seu cuiuscumque ordinis et instituti regularibus, praedictae huius Sedis gratiam et communionem habentibus, dicta auctoritate, plenam et liberam tribuimus facultatem.

Volumus tamen etc.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima septima septemb. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

CXIV.

EPISTOLA

Cardinalis secretarii Status ad capitulum Limburgense, electionem antistitis per capitulum factam ideo irritam esse declarans, quod civile gubernium in actum electionis tantopere influxerit, ut libertatem eligentium fere perimeret [1].

Pervenerunt aliquot abhinc mensibus ad SS. Dominum Nostrum Gregorium, divina providentia Papam XVI, acta super electione novi episcopi istius cathedralis ecclesiae vacantis iam a die 9 aprilis superioris anni. Negotiorum copia, quae ad Apostolicam Sedem ex universo catholico orbe assidue deferuntur, aliaeque graves causae prohibuerunt, quominus debitum de illis examen citius, ut in votis fuisset, institueretur. Re modo soluta, Sanctitatis Suae mentem, pro commisso mihi munere, nil moror vobis significare. Molestum sane fuit SS. Dño intelligere, quantopere in ea electione peragenda peccatum sit contra ipsius necessariam libertatem, propriamque indolem, adeoque contra sanctiones tum iuris communis ecclesiastici, tum peculiaris constitutionis a Leone XII a. 1827 in id vulgatae. Ex memoratis namque actis compertum est: quemadmodum deputatus a ducali gubernio in electionis, de qua agitur, negotio, commissarius, postquam praeter sensum omnino enunciatae constitutionis praesens interfuisset confectioni elenchi candidatorum, atque insuper pridie ante electionem serenissimi ducis voluntatem declarasset de delendis exinde dd. Bohn, Halm et Heimann, tanquam ipsi duci minus gratis; primum quidem retulerit, celsitudinem suam satisfacere iudicasse desiderio domini Felix, qui iam in catalogi confectione ab episcopali officio ob provectiorem aetatem alienum se praebuerit; deinde eodem nomine similia ferme addiderit circa dd. capitulares Broenner, Haas et Schütz; tandem in haec plane verba concluserit, seipsum nempe a cels. principe, speciale hoc accepisse mandatum, manifestandi capitulo, quod in electione, crastina die perficienda, ex duobus candidatis, qui ab eodem capitulo digni et idonei iam fuerint existimati, nempe d. decano rurali et parocho Petro Mohr, aut parocho Petro Iosepho Blum, unum in episcopum eligere vellent; porro, ut alia praeter eam, quae in adhibitam per civile gubernium huiuscemodi rationem, animadverti merito possent, illud ex authentico electionis instrumento apertissime eruitur: serenissimi ducis Nassoviensis auctoritate ac speciali mandato eo demum Limburgense capitulum fuisse adactum, ut inter duos tantummodo eosque praesignatos, electionem suam contineret. Id autem quo minus cum sacrorum canonum praedictaeque constitutionis praescripto cohaeret, eo magis electorum libertatem laedere et celebratam laicae potestatis abusu electionem redolere nemo unus non videt.

Itaque cum his omnibus inspectis, diligentique examine instituto, congregatio peculiariter ad hoc a SS. Dño deputata iudicaverit, peractam per vos electionem nullitatis vitio non uno ex capite laborare, imo vero omni canonicae electionis forma destitui, potuisset utique Sanctitas Sua, nulla alia interposita mora, viduitati Limburgensis ecclesiae consulere, eum ipsi Motu Proprio assignans antistitem, quem magis idoneum existimaret; nec profecto obstitissent ea, quae art. 3°. pluries allatae pontificiae constitutionis habentur, quippe indulgentiae et speciali gratiae locus esse non potest, ubi tam multipliciter tamque culpabiliter electionis ratio et ipsius constitutionis praescriptio fuerint subversa; nihilo tamen minus SS. Dominus, ex singulari benignitate in exemplum non afferenda, censuit indulgendum, ut capitulum istud novo candidatorum elencho ante confecto, ad aliam electionem, canonica quidem methodo, valeat procedere. Limburgensis autem fidelis gregis necessitate permotus, una pariter statuit, rem quantocius ab ipso capitulo perficiendam, ita nimirum, ut, nisi intra tres menses, ab harum literarum receptione, peractae electionis instrumentum ad Apostolicam Sedem missum fuerit, statim devolutionis iure ad canonicam novi episcopi institutionem sit progressurus. Ceterum SSmus sicuti merito confidit, per serenissimum Nassoviensem ducem cautum omnino fore, ne suo nomine electionis libertati ullatenus detrahatur, ita vos ad Tridentini synodi mentem (sess. 24, cap. 1, de ref.) vehementer per me hortatur ac monet, ut sanctitatem concrediti curae vestrae negotii serio perpendentes, inprimis memineritis, nihil vos ad Dei gloriam et populi salutem utilius facturos, quam si bonum pastorem et ecclesiae isti gubernandae idoneum promoveri studeatis, simulque alienis peccatis communicantes mortaliter peccaturos, nisi quem digniorem et Ecclesiae magis utilem iudicaveritis, non quidem precibus vel humano affectu aut ambientium suggestionibus, sed eius exigentibus meritis praefigendum diligenter curetis.

Datum Romae 17 septembris 1841.

A. card. Lambruschini.

---

1 Ex opere cui titulus « Monumenta Catholica » auctore Roskovani vol. 2°, p. 426.

CXV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus ecclesia cathedralis Reatina in basilicam erigitur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ad apostolicae dignitatis atque auctoritatis fastigium, nullis certe Nostris promeritis, sed ineffabili illius omnia regentis ac moderantis Dei consilio evecti, earum praesertim ecclesiarum splendori et decori consulere summopere optamus, quas originis vetustate aliisque nominibus fulgere cognoscimus.

Equidem Nos minime latet Reatinam ecclesiam vel ab ipsis christianae religionis primordiis huic Petri Cathedrae vel maxime addictam, egregia civium suorum indole, virtute, ingenio, nobilitate semper praestitisse, qui singulari fide, constantia, fortitudine, eximium eorum in Nos et hanc Apostolicam Sedem obsequium atque amorem difficillimis quoque temporibus, ostendere non dubitarunt. Itaque cum illius cathedralis templi canonicorum collegium supplici cum prece a Nobis petierit, ut templum idem basilicae honoribus ac nomine decorare velimus, quo titulo a s. Gregorio Magno praedecessore Nostro appellatur, Nos eorum votis quam libentissime annuendum censuimus.

Quamobrem eiusdem templi decus et gloriam augere cupientes, atque omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, Reatinam cathedralem ecclesiam in basilicam minorem cum omnibus et singulis privilegiis, gratiis, praeeminentiis, indultis, iuribus, quibus aliae huiusmodi minores basilicae quomodolibet utuntur, fruuntur, vel uti ac frui possunt et poterunt, erigimus et constituimus, eamdemque ecclesiam basilicae nomine appellari et haberi volumus.

Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus ac per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quoties opus fuerit fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum* aliisque apostolicis atque in universalibus ordinationibus, nec non eiusdem ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, aliisque etiam speciali et individua mentione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima quarta septembris millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

CXVI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Nonnulla statuuntur de Canonicissis Regularibus Lateranensibus Neapolis [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum de universi dominici gregis salute vehementer solliciti, omni sane vigilantia, christifidelium bono pro viribus consulere nunquam desinimus, tum potiori certe cura selectae eiusdem gregis parti prospicere cupientes, ea libenter peragere solemus, quae in maiorem sacrarum virginum utilitatem cedere posse videntur.

Expositum Nobis est Neapoli vetus Canonicissarum Lateranensium monasterium existere, quod a Regina Coeli nomen habens, atque a Lateranensibus Regularibus Canonicis omnino pendens, tristissimis rerum ac temporum perturbationibus de medio fuit sublatum. Hinc evenit ut Canonicissae diu multumque stabili domicilio carerent, donec ipsae anno millesimo octingentesimo trigesimo tertio a carissimo in Christo filio Nostro Ferdinando II utriusque Siciliae rege illustri, monasterium Iesu et Mariae Neapolitana in urbe situm obtinuerunt, quo insequenti anno nonnullae ex ipsis petiere, cum approbatione huius Apostolicae Sedis, decreto

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

[2] Ex eodem Archivio.

a venn. fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositis die sexta iunii anno millesimo octingentesimo trigesimo tertio edito. Cum autem ipsae religiosae mulieres antiquo in monasterio vitam agebant, s. Augustini regulam universo Lateranensi ordini communem profitebantur, atque ex veteri more in puellas educandas incumbebant. Ubi vero novum monasterium Iesu et Mariae adierunt, pientissimis eiusdem regis eiusque matris desideriis obsecundantes, earum operam, puellis nobilis civilisque conditionis instituendis, ultro libenterque exhibere non dubitarunt. Et quoniam huiusmodi operosam vitam cum puellarum educatione suscipientes, haud ignorabant, eas ab antiqua institutione desciscere, quae in coelestium rerum commentatione propriaque sanctificatione tantum versabantur, iccirco nonnullas necessarias instituti immutationes petierunt, quae novae huiusce vitae rationi accommodatae, quantum fieri posset, cum antiqua regula congruerent, propterea quia ipsae veluti antiquae Canonicissae monasterii Reginae Coeli haberi summopere cupiebant. Quocirca ipso decreto, ab eadem congregatione Episcoporum et Regularium die sexta iunii anno millesimo octingentesimo trigesimo quarto edito, ipsis facultas fuit concessa educationis convictum habendi, et interim huiusmodi immutationes peragendi, quae eiusdem congregationis examini essent subiiciendae, ac postea approbandae. Verum in hisce immutationibus exarandis variae obortae sunt difficultates, quae eo potissimum spectabant, ut plane nosceretur cuiusnam naturae vota esse deberent, quae ab ipsis canonicissis monasterii Iesu et Mariae nuncupantur, quae regula servanda, quo titulo appellandae, quae clausura ab ipsis adhibenda, quanam ratione educationis convictus statuendus, et utrum ipsae, ut antea, supremo Regularium Canonicorum Lateranensium moderatori subiectae esse deberent. Ex quo evenit, ut dilecta in Christo filia Maria Aloysia Capecelatro, hodierna illius monasterii antistita, supplex Nos adierit, ac vehementer efflagitaverit, ut hisce rebus benigne prospicere velimus. Nos vero rem omnem eidem congregationi examinandam commisimus, quae in generali conventu, die vigesima quarta septembris superioris anni habito, super propositis dubiis sententiam dixit, quam suprema Nostra auctoritate probandam censuimus.

Quamobrem omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, venerabili fratri archiepiscopo Beryten. Nostro hodierno atque huius Apostolicae Sedis apud carissimum in Christo filium Nostrum utriusque Siciliae regem illustrem nuntio committimus, ut interim novae constitutiones pro ipsis canonicissis condantur, quantum fieri potest ad tramites antiquae regulae s. Augustini, quae ipsis monialibus per secreta suffragia acceptae vim obligandi habeant ex consensu eiusdem venerabilis fratris, penes quem ius erit illas moderandi et relaxandi, donec haec Apostolica Sedes, ad quam cum ipsae regulae experientia satis probatae fuerint, erit recurrendum, illas sua auctoritate non confirmaverit. Volumus vero ut a professionis formula deleantur verba quae obedientiam iuxta s. Augustini regulam praescribunt, utque ipsae moniales monasterii commemorati Iesu et Mariae Canonicissae Lateranenses appellantur atque in futurum professio simplicium votorum ab ipsis fiat, atque ab ipso venerabili fratre archiepiscopo Beryten. monasterio illi clausura ad instar clausurae episcopalis ponatur. Concedimus autem ut collegium virginum pro educandis intra monasterii septa instituatur iuxta regulas examini eiusdem congregationis subiiciendas. Denique omnem iurisdictionem super commemorato monasterio eidem Nostro et huius Apostolicae Sedis penes Neapolitanam aulam in tempore nuntio committimus, prout ipse in aliis tribus coenobiis Neapolitanae civitatis fruitur eique potestatem facimus deputandi canonicum regularem qui sui vicarii munere fungatur.

Haec statuimus, concedimus atque mandamus, decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quoties opus fuerit, rec. me. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* ac Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo,* aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, nec non eiusdem instituti etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore per-

mansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, aliisque etiam speciali et individua mentione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima quarta septemb. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

CXVII.

BULLA

Episcopatum Cameracensem in archiepiscopatum erigit, eique suffraganeam subiicit ecclesiam Atrebatensem [1].

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam.

Mysticam Petri naviculam tantis undique procellis exagitatam, ast nunquam aquarum impetu obruendam, ita quidem moderari a primis supremi apostolatus exordiis nobismetipsis proposuimus, ut nihil reliquum praetermitteremus, quominus Christi fideles per salutis semitam tuto ambulantes in sancto proposito confirmaremus, perditarum ovium saluti consultum pro viribus foret, nec non insignia quaedam apostolicae nostrae sollicitudinis ac benevolentiae argumenta, insignioribus dioecesibus aeque catholica religione maxime meritis subministraremus, quibus eadem ad nova quotidie pro ipsius religionis utilitate capessenda veluti incitamentis uterentur. Ad conciliandam vero dioecesibus nominis celebritatem ac peculiarem huius Sanctae Sedis benevolentiam iisdem conciliandam, mirifice conferunt, praeter fidei integritatem per plures saeculorum decursus intemerate servatam, ecclesiasticorum praesertim vitam, sacro ordini consentaneam, praeclara quaedam in eamdem Apostolicam Sedem observantiae ac venerationis indicia, amor insuper ac studium tuendi augendique decoris domus Dei, cuius insignia affulgeant monumenta, et quorumdam antistitum memoria religioni, societati aeque ac literis sacrisque disciplinis carissima, de quorum laudibus nulla unquam aetas conticescet. Atqui Cameracensem dioecesim hisce praerogativis mirum in modum exornari nemo unquam diffitebitur, qui secum consideret remotissimam eiusdem originem, quae ad prima Ecclesiae saecula pertingit, ad ingentem cleri numerum, ac dignitatem, quae maxima profecto est; ad populi multitudinem, quae decies centena millia catholicorum excedit, ad spectabilem cathedralis ecclesiae splendorem, atque ecclesiastica instituta illic erecta, quae illorum fidelium religionem piamque liberalitatem cuique disertissime manifestant. Verum inter antistites qui Cameracensem ecclesiam gubernarunt rebusque praeclare gestis illustrarunt, unum commemorasse sufficiat Fenelonium, quem licet ademptum inde ab anno millesimo septingentesimo decimo quinto boni mores ingemuerint, vivet tamen quoadusque religionis ac sapientiae studium inter homines persistet, vivitque praesertim in aequalium Cameracensium memoria, qui publicum ac solemne honoris monumentum pastori olim suo pientissimo, atque omnigenae eruditionis fama conspicuo, extolli voluerunt. Quocirca Romani Pontifices praedecessores Nostri, nec non christianissimi reges ecclesiam ipsammet ac civitatem tanto in pretio habuerunt, ut eam beneficiis cumulatam et honoribus auctam in dies magis floruisse contigerit. Quod si anno millesimo octingentesimo primo eorum temporum conditio suasit, ut per apostolicas literas quarum initium *Qui Christi Domini vices* inter simplices dioeceses cooptaretur, nihilominus anno millesimo octingentesimo decimo septimo digna visa est, quae in pristinam metropoliticam dignitatem revocaretur; quod sane consilium sa. mem. Pius Septimus praedecessor Noster, in bulla *Paternae caritatis* quam edidit anno millesimo octingentesimo vigesimo secundo, praeter animi sui votum tunc exitu complendum fore praecepit, cum nulla amplius per illud tempus extantia impedimenta obstitissent. Haec autem obstacula cum in praesentiarum omnino cessaverint, opportunum rei perficiendae tempus advenisse cognovimus. Qua de re eo impensius in Domino gratulamur, quod Cameracensis dioecesis in metropoliticam ecclesiam restitutionem sibi maxime in votis esse carissimus filius Noster Ludovicus Philippus I, Francorum rex christianissimus, per dilectum filium nobilem virum Septimium comitem Fay de la Tour-Maubourg, suum apud Nos et Apostolicam Sedem extraordinarium oratorem Nobis significaverit, atque ardentissimis precibus efflagitarit. Nos itaque tanti regis supplicationibus obsecundare vehementer cupientes, accedente venerabilis fratris archiepiscopi Parisiensis assensu, contrariis quibuscumque speciali quoque mentione dignis derogare intendentes, cunctis matura deliberatione perpensis, Motu Proprio, certa scientia atque apostolicae potestatis plenitudine, Cameracensem modo vacantem ecclesiam alteramque Atrebatensem in Galliarum regno existentes, quae hactenus archiepiscopali ecclesiae Parisiensi metropolitico iure subiectae

[1] Ex Cancellaria Archiepiscopali Cameracensi in Gallia.

extiterunt, perpetuo subtrahimus, eximimus, proindeque ab metropolitanae Parisiensis iurisdictione eas omnino exemptas penitusque avulsas declaramus. Ecclesiam ipsam Cameracensem sic exemptam pleneque liberam, in archiepiscopalem metropoliticam ecclesiam erigimus atque instituimus, ita tamen ut in ea, quae Cameracum nuncupatur, civitate sedes constituatur pro uno Cameracensi archiepiscopo et metropolitano praesule, qui ex aliorum archiepiscoporum more, usum habeat pallii et crucis cum suis capitulo, sigillo, arca, mensa omnibusque archiepiscopalibus insigniis, privilegiis, honoribus, iuribus quibus aliae metropolitanae ecclesiae earumque antistites in Galliarum regno utuntur et gaudent, iis tamen exceptis, quae titulo oneroso, vel ex indulto aut privilegio particulari concessa fuisse dignoscantur. Itemque Cameracensem proxime futurum antistitem eiusque successores nomine, titulo et iurisdictione archiepiscopi et metropolitae donamus, ipsumque iis omnibus ac singulis, quae archiepiscoporum et metropolitanorum propria sunt, iuribus, privilegiis ac praeeminentiis, exempto usu pallii donec illud de more postulaverit, uti ac frui volumus et mandamus. Ut autem futurus pro tempore archiepiscopus Cameracensis suam possit, sicuti par est, decenter tueri dignitatem et omnibus inhaerentibus prospicere ac satisfacere, mensae archiepiscopali Cameracensi congruum illud dotis augmentum, quod iuxta datam fidem carissimus filius Noster Ludovicus Philippus, Galliarum rex christianissimus, sese assignaturum spopondit, adscribimus et adsignamus. Praefatam vero ecclesiam Atrebatensem, ut supra exemptam et a metropolitico iure ecclesiae Parisiensis prorsus liberam, perpetuo pariter subiicimus metropoliticae iurisdictioni eiusdem archiepiscopalis ecclesiae Cameracensis, et in eiusdem suffraganeam assignamus eidemque metropolitanae ecclesiae Cameracensi in praedictam ecclesiam Atrebatensem iura, privilegia, honores et facultates quibus metropolitani antistites ex sacrorum canonum et apostolicarum constitutionum praescripto in suffraganeas pollent ecclesias perpetuo similiter concedimus et attribuimus. Denique in exequutorem harum Nostrarum literarum eligimus ac deputamus dilectum filium Nostrum magistrum Antonium Garibaldi, apud Galliarum regem internuncium apostolicum, cui omnes et singulas necessarias et opportunas concedimus facultates, ut per se vel per aliam personam, in ecclesiastica dignitate constitutam, ab ipsomet subdelegandam, ea cuncta statuere ac decernere valeat, quibus ad optatum effectum superiora decreta cumulate perducantur, ac etiam facultates eidem executori sive illius subdelegato impertimur definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura, iniuncta tamen ipsi obligatione diligenter mittendi ad sacram congregationem Consistorialibus Negotiis praepositam, intra sex menses ab expleta praesentium literarum executione, exemplar, authentica forma exaratum, decretorum omnium quae in praefatarum literarum executionem emittet, ut in eius tabulario rite custodiantur.

Praesentes autem iiteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes, auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, etiamsi expressa, specifica et individua mentione digni sint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae vel quolibet alio licet substantiali et inexcogitato defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas tanquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus atque decernimus non obstantibus *de iure quaesito non tollendo,* de suppressionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regulis, nec non supradictarum ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et concessionibus, quamvis individua mentione dignis, omnibusque et singulis apostolicis ac in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus. Quibus omnibus et singulis eorumque totis tenoribus ac formis, etiamsi specialis mentio seu quaevis expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, ipsorum tenores praesentibus pro expressis habentes ad praemissorum omnium et singulorum effectum latissime et plenissime ac specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praeterea volumus ut harum literarum Nostrarum transumptis etiam impressis manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur ubique quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, annullationis, disiunctionis, separationis, aggregationis, unionis, erectionis, applicationis, circumscriptionis, concessionis, assignationis, subiectionis, attributionis, statuti, indulti, declarationis, deputationis, commissionis, mandati, decreti, derogationis ac voluntatis infrin-

gere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae de speciali mandato Nostro, anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo primo, kalendis octobris, pontificatus Nostri anno decimo primo.

CXVIII.

EPISTOLA

Cum I. Collin de Plancy, Hagam comite, laetatur eo quod ab incredulitate ad lucem catholicae veritatis redierit, eumque ab ecclesiasticis censuris absolvit [1].

Dilecto filio
I. Collin de Plancy,
Hagam comiti

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Literae, quae datae a te pridie idus sextiles, modo Nobis traditae sunt, magna cor Nostrum consolatione repleverunt. Cum enim, licet immerentes, eius vicem geramus, *qui venit in hunc mundum peccatores salvos facere, et non vult aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti;* haud equidem potuimus non laetari vehementer, dum te, per miserentis Domini gratiam, rediisse intelleximus ab incredulitatis tenebris ad lucem catholicae veritatis, atque adeo errores tuos pravosque libros, a te antea editos, detestatum fuisse cognovimus peculiari scripto, quod ad scandalorum necessariam emendationem in publicum evulgasti, ita etiam ut te promptum declaraveris ad illa, quantum cum Domino poteris, ulterius reparanda.

Nos igitur viscera dilatantes paternae Nostrae caritatis, te uti resipiscentem ovem amantissime excipimus et absolutionem ab ecclesiasticis censuris, in quas incideras, a te iam acceptam, habemus ratam et confirmamus. Atque hinc inter dilectos Nostros Sanctaeque Ecclesiae filios te computamus.

Age modo, dilecte fili! ambula alacriter in novitate vitae; et tantam a Deo consecutus misericordiam, magis satagito, ut per bona opera dignosque poenitentiae fructus ei te gratum ostendas. Hunc in finem ne desistas prosternere humiliter preces tuas ante faciem Domini, ut gratiam semper apud eum invenias in auxilio opportuno.

Nos quoque ab ipso supplices petimus, ut omnia tibi prospera et salutaria contingant. Atque horum auspicem ac Nostrae testem benevolentiae, apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, intimo cordis affectu impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem die decima sexta octobris millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

CXIX.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus nonnulla de equestri Auratae Militiae ordine decernuntur [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum hominum mentes animique nulla re magis ad virtutem omni studio sequendam, et praeclara quaeque facinora suscipienda atque obeunda excitari et inflammari soleant, quam religionis impulsu, gloriae stimulis, ac laudis honorisque praemiis, tum Romani Pontifices de christianae et civilis reipublicae bono ac felicitate vehementer solliciti, provido sane sapientique consilio hominibus ad pietatem omnemque virtutem concitandis, equestres ordines vel instituere, vel institutos, suprema eorum auctoritate confirmare, illosque pristinae celebritati reddere, atque amplissimis etiam privilegiis decorare consueverunt. Decet enim quam maxime eum qui in sublimi Principis Apostolorum Cathedra divino consilio est collocatus, omnem suam operam impendere, ut homines meritis quoque laudibus et honoribus acrius incensi atque permoti, religionem praesertim, pietatem, iustitiam omnesque virtutes excolant, exerceant, ac literis, disciplinis et liberalibus artibus optimam navent operam, easque res gerere summopere conentur, quae catholicae religioni et civili societati magno augmento, usui ac praesidio esse possint. Nemo certe ignorat, illustres inter equestres ordines, illum Auratae Militiae, et originis vetustate, et suae institutionis ratione, et honoris causa in primis fulgere. Namque opinio a pluribus non mediocri auctoritate scriptoribus confirmata invaluit, a Constantino Magno ob insigne illud prodigium, quo salutiferae crucis signum, splendidissima undique luce coruscans, in caelo conspexit, ac mi-

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.
[2] Ex Collectanea existente in Bibliotheca Angelica, de Urbe, sub signatura D. V. 19.

ram illam victoriam, qua de scelestissimo tyranno Maxentio gloriose magnificeque triumphavit, eumdem ordinem originem habuisse, atque a s. Silvestro decessore Nostro approbatum fuisse, eiusque ordinis insignibus Constantinum ipsum ab illo beatissimo Pontifice esse decoratum. Hinc porro evenit, ut priscis potissimum temporibus idem equester ordo a Romanis Pontificibus summisque principibus magno semper honore habitus fuerit, eiusque insignia praeclarissimis viris, de christiana praecipue religione optime meritis, ab ipsis Romanis Pontificibus concessa atque tributa. Cum autem rerum humanarum ac temporum vicissitudine insignem hunc ordinem de veteris dignitatis splendore, atque existimationis gradu collapsum esse noscamus, Nos, aliorum Pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia sectantes, illum ad pristinum decus revocare ac maiore etiam honore augere statuimus. Et quidem cum in hunc ordinem ii tantum viri sint cooptandi, qui praeter spectatam honestatem probitatemque vel catholicae religionis studio flagrantes, vel humaniorum literarum ac severiorum disciplinarum scientia, vel liberalium artium peritia praestantes, vel sacra, civilia ac militaria munera caste integreque obeuntes, generoso quodam nisu conatuque contendunt, ut egregiis factis de re catholica et civili, deque Apostolica Sede optime mereantur, vel maxime opportunum ducimus, eius ordinis splendori, quantum in Nobis est, consulere atque prospicere, ut homines, eximiis illis dotibus exornati, dignum propriae virtutis praemium obtineant, eorumque voluntates magis magisque ad illustria quaeque ferantur. Itaque hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, perpetuum in modum statuimus et volumus, ut posthac idem ordo antiquum Auratae Militiae nomen retinens duabus classibus, commendatorum nempe et equitum, constet, qui omnes torquem aureum, et ensem, et aurata calcaria gerent, illisque omnibus iuribus, indultis fruentur, quibus eiusdem ordinis equites adhuc potiti sunt, citra tamen facultates a concilio Tridentino sublatas. Mandamus vero, ut crucem auream ex modo et forma a rec. mem. Benedicto XIV praedecessore Nostro praescripta in suis similibus apostolicis literis die septima septembris anno millesimo septingentesimo quadragesimo sexto hac super re datis gestent, ita tamen ut crux ipsa in posterum taenia serica rubro nigroque distincta colore, atque extremis oris rubris erit sustinenda, quae alba superficie imaginem s. Sylvestri Pontificis in medio referat. Verum ut inter commendatores et equites debita adsit distinctio, praecipimus ut commendatores magnam huiusmodi crucem gerant, quae a descripta fascia collo inserta pendeat, equites vero crucem parvam ex communi equitum more in parte vestis sinistra ad pectus eadem taenia apponant. Ad quodcumque autem amovendum discrimen, quod in hoc gestando insigne contingere posset, utriusque crucis schema typis excudi iussimus novis quibusque equitibus cum diplomate tradendum. Et quoniam honoris ac dignitatis gradus eo magis refulget, quo minor est illorum numerus, quibus confertur, eadem auctoritate Nostra, edicimus atque mandamus, ut equites commendatores numerum centum quinquaginta non praetergrediantur, equites vero tercenti tantum esse debeant. Quem quidem utriusque classis numerum pro iis solummodo viris, qui civili Apostolicae Sedis principatui subsunt, praescriptum volumus, nam ad Nostrum et successorum Nostrorum arbitrium semper pertinebit, homines etiam exterarum gentium in cuiusque classis coetum, praeter hunc numerum, adlegere. Insuper ut huius ordinis ratio perpetuo vigeat, et nullo unquam tempore immutari queat mandamus, ut summus ab actis Auratae Militiae ordinis, seu, ut dicitur, magnus cancellarius sit S. R. E. cardinalis a Brevibus Apostolicis Literis, penes quem equitum nomina, gradus, admissionis dies et numerus diligentissime servetur. Iamvero cum minime ignoremus, quamplurimos anteactis temporibus in hunc ordinem adlectos fuisse, ad eiusdem ordinis decus tuendum, decernimus, illos dumtaxat veluti equites eius ordinis haberi debere, qui per similes pontificias literas in illum cooptati fuere, quique antiqua tantummodo insignia gerere poterunt. Etenim reliquos omnes in eumdem ordinem alia quavis ratione adscitos, ad ipsum ordinem posthac nullo modo pertinere declaramus, ac propterea a quovis privilegio gestandi etiam antiqua ordinis insignia decidisse, decernimus. Denique ut hoc futurisque temporibus nemini ad huiusmodi honorem pateat aditus, nisi iis tantum qui eumdem honorem per similes apostolicas literas sunt consequuturi, eadem plena auctoritate Nostra apostolica, harum literarum vi, omnibus et singulis cuiusque ordinis, gradus et conditionis, privilegium concedendi hunc ordinem penitus auferimus, etiamsi privilegium ipsum a Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris per apostolicas literas et peculiares constitutiones obtinuerint, atque iccirco apostolicis literis fel. rec. Pauli III decessoris Nostri, privilegium idem respicientibus, ac die decima quarta aprilis anno millesimo quingentesimo trigesimo nono sub plumbo datis, atque a rec. mem. Iulio III, Gregorio XIII et Sixto V praedecessoribus item Nostris denuo, ut asseritur, confirmatis, et aliis quibusque omni ex parte, eius rei ergo, expresse derogamus, illasque in posterum nullius roboris esse decernimus atque iubemus. Ut autem certe illi omnes cognosci possint, qui huiusmodi honorem per similes pontificias literas iam sunt consequuti, volumus ut intra octo menses qui Romae morantur, eo-

rum pontificium diploma S. R. E. cardinali a Nostris Brevibus exhibere, qui vero in pontificia Nostra ditione sunt, illud proprio antistiti seu Ordinario ostendere teneantur. In eam profecto spem erigimur fore, ut nova haec Auratae Militiae instauratio, atque honoris accessio optatum exitum consequantur, utque omnes, qui apostolicis literis in ipsum ordinem iam adlecti fuerunt, vel in posterum erunt adlegendi, Nostris votis quam cumulatissime respondeant, ac nihil inausum nihilque intentatum relinquant, quo de orthodoxa fide, de Petri Cathedra deque civili republica quibusque praeclaris rebus summopere merere nitantur.

Haec statuimus, volumus atque mandamus, praecipimus et iubemus, decernentes has praesentes literas, resque omnes in eis expressas, semper ac perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri debere, atque ab omnibus ad quos spectat et spectabit inviolabiliter observari, dictisque in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, Sedis Apostolicae nuntios et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus commemoratis apostolicis literis rec. mem. Bened. XIV de eiusdem ordinis cruce editis, et Pauli III praedecessorum Nostrorum de privilegio concedendi illum ordinem datis, atque a Iulio III, Gregorio XIII et Sixto V decessoribus pariter Nostris quovis modo approbatis, nec non Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo,* ac aliis apostolicis, atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et quoties opus fuerit eiusdem equestris Militiae Auratae ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, aliisque etiam expressa et individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die trigesima prima octob. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

CXX.

EPISTOLA

Leopoldum Austriae archiducem consolatur in morte eius filiae primogenitae [1].

Dilectissimo in Christo filio Nostro
Leopoldo
archiduci Austriae
Etruriae sibi subiectae magno duci

GREGORIUS PP. XVI.

Dilectissime Nobis in Christo,
salutem et apostolicam benedictionem.

Nihil profecto tristius evenire parenti potest, quam quod ex literis ad Nos datis die decima quarta octobris imperiali celsitudini tuae accidisse intelleximus, filiam primogenitam, indolis merito et virtutis, tibi iure optimo carissimam, imperialem archiducem, dilectissimam Nobis in Christo filiam, Mariam Carolinam Augustam fuisse in flore ipso aetatis ereptam. Aegerrime proinde ferimus conditionem tuam, et, quod existimare te officiose significas, communi tecum dolore ex filiae huiusmodi interitu afficimur. Verumtamen communis quoque eaque maxima utrique Nostrum praesto est consolatio, quod liceat confidere oculos illam tenui brevis huius et aerumnosae mansionis clausisse lumini, ut sempiternae in coelo claritati multo felicius aperiret. Hanc minime dubiam afferunt spem virtutes eius, mira diuturni morbi patientia, pioque in exemplum obitu comprobatae. Ceterum esse Nostrum cum primis ducimus instare precibus apud Deum, ut animae illi, omni si qua supersit, ablutae macula, parato sibi inter beatos coelites loco, quam citissime potiri contingat. Grati vero pro officii erga Nos imperialis celsitudinis tuae testificatione referentes vicem, veram omnem solidamque prosperitatem precamur a Domino, eiusque auspicem gratiae apostolicam benedictionem tibi, dilectissime in Christo fili Noster, familiaeque tuae universae amantissime impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima secunda novembris millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

CXXI.

EPISTOLA

Ad Fridericum Guillelmum Borussiae regem scribens, ei gratias agit, eo quod ad aulam pontificiam nobilem virum de Buch ministrum legationis miserit [1].

Serenissimo ac potentissimo
Friderico Guilelmo
Borussiae regi illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Serenissime ac potentissime rex,

salutem.

Redditae Nobis sunt regiae maiestatis tuae literae, datae die septima octobris anni huius, ex quibus intelleximus nobilem virum de Buch a cubiculo et consiliis tuis ex numero officialium tuae in Urbe degentis legationis, a te ministrum apud Nos residentem fuisse nominatum, eamque provectionem velle te luculentum esse testimonium summe tibi probati adhuc ab eo gesti ministerii sui. Gaudemus Nobis, habemusque tibi gratias, quod virum huiusmodi interpretem habituri simus voluntatem utriusque Nostrum, cuius ingenium, probitatem, prudentiam experti probe cognoscimus, quem proinde minime dubitamus quin talem se novo fungens munere sit praebiturus, qualem antea praestitit, dignum propterea existimatione praemiisque tuis. Itaque eum libentissime accipimus, tibique spondemus, plenam Nos ei fidem habituros, quidquid Nobis nomine regiae maiestatis tuae sit expositurus, pro certo habentes, eumdem idem fidelissime sensus esse testaturum studiosissimi in te animi Nostri, mutuoque affecti desiderio, ut quae inter Nos feliciter intercedit, vicissitudo officiorum vigeat et quotidie magis confirmetur. Auctor autem omnis gratiae Dominus regiam maiestatem tuam quam diutissime incolumem servet ac perfecta Nobiscum caritate coniungat.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda nov. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

CXXII.

BULLA

Dismembrationis dioecesis Sabinensis [2].

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.

Studium quo impense afficimur de maiori dominici gregis utilitate adsidue fovenda, sollicitos Nos iamdiu impellebat, ut utiliori Sabinensis ecclesiae procurationi, quo posset, aptius prospiceremus. Noveramus quippe, tum ex dioeceseos amplitudine, tum ex itinerum asperitate, tum ex incolarum copia perdifficilem ut plurimum eiusdem gubernationem, cardinales qui eidem praefuere expertos infeliciter fuisse. Verum hac cogitatione distenti, nactos demum Nos esse gratulamur, opportunum tempus, quo, Deo bene iuvante, confidimus, optatum finem hisce incommodis remedium posse properari. Dilectus enim filius Noster Aloysius tituli s. Callisti presbyter cardinalis Lambruschini nuncupatus, qui Nobis a secretis Brevium, et a Negotiis Publicis est, collatis Nobiscum in id operis curis, in animarum bonum unice intendens, in Nostris manibus sponte ac libere dimisit commendatas sibi abbatias Farfensem et Sancti Salvatoris Maioris invicem unitas, ut ex illarum suppressione praesto essent, quae ad alteram episcopalem sedem per Sabinos constituendam, quod unum remedium occurrit ad rei sacrae detrimenta ibidem praepedienda, essent necessario comparanda. Seiunctis quippe a Sabinensi dioecesi compluribus locis, aliisque ex utraque abbatia adiectis, nova dioecesis satis ampla et rectius circumscripta componeretur, cui pro episcopali sede adsignari posset Mandelae, seu Podii Mirteti civitas, quae incolas bis mille recenset, et caeli locique natura commendatur. Ibi porro cum eiusdem cardinalis ope et instantia seminarium extet, et aedium structura et praeceptorum numero et alumnorum frequentia et recta disciplina probatum, consuleretur inde apprime praecipue ecclesiarum necessitati, optimae nimirum clericorum in earumdem spem succrescentium institutioni. Accedit insuper, ex abbatialibus et redditibus, qui scutatis plus minusve mille tercentis constant, magnam episcopalis census partem conscisci, et abbatiales aedes haud ita pridem eo, quo par est cultu, restitutas, aptas etiam esse, in quibus antistites commode immorentur. Est vero ad pontificalis throni dignitatem sustinendam plane accommodata ecclesia civitatis prin-

---

[2] Ex Cancellaria Episcopali Manliani in Sabinis.

ceps, honori Ssmae Virginis in coelum assumptae dicata, archipresbyterali titulo donata, septemque instructa capellanis, qui sacris ibidem operantur. Ut autem in dioecesium nova designatione tutius ac salubrius spiritualis fidelis populi gubernatio procuretur, illud quoque haberetur commodi, ut in earumdem finibus decernendis, nonnulla oppida ob finitimarum dioecesium Reatinae, Narniensis et Tyburtinae vicinitatem, iisdem prout magis expedire visum fuerit, attribuantur. Ad congruum porro utriusque ecclesiae patrimonium conficiendum, illud praeterea postulatum a Nobis fuit, ut nedum perpetuum edicamus onus scutatorum mille et octingentorum, quod nunc temporaria concessione cardinali episcopo Sabinensi, subsidii loco, ex publico aerario persolvuntur, sed etiam ut alterius abbatiae, cui titulus S. Mariae de Plano in oppido Pozzaliae, Sabinensis dioecesis, redditum scutatorum quingentorum ex canone, a praenobili familia Burghesia solvendo, ad novae ecclesiae novique capituli tuitionem perpetuo addicamus, derogantes apostolicis Nostris literis, quibus ad statas quasdam impensas sustinendas, ad annos quindecim proximo mense ianuario incepturos, eidem cardinali episcopo Sabinensi canonem illum destinaveramus. Ne vero ex hominum recordatione pervetustae memoratae Farfensis et S. Salvatoris Maioris abbatiae intercidant, quae et monumentorum splendore, et cardinalium, qui iisdem praepositi fuerunt promeritis, et aliis praeclaris nominibus insignes iugiter extitere, illud propositum est, ut titulum abbatis Farfensis cardinalis episcopus Sabinensis retineat, illumque abbatis S. Salvatoris episcopus Mandelensis gerat, illosque publicis in actibus uterque adhibeat, quod et ipsis honori profecto erit, et abbatiarum memoriam perennem contueretur. Quae omnia et alia in id causae pergravia cum diligenter perpendenda susceperimus, in consilium etiam accitis nonnullis venn. fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus, auditisque venn. fratribus episcopis Reatino, Tyburtino, Narniensi, atque capitulo Sabinensi, decrevimus demum ea quae hisce apostolicis literis describuntur, opportune et salubriter edicere ac mandare. Ad maiorem itaque omnipotentis Dei gloriam, ad laudem Ssmae Genitricis Virginis Mariae, atque ad animarum salutem et in catholicae rei utilitatem, ex certa scientia ac matura deliberatione, Nostris, deque apostolicae auctoritatis plenitudine, libera memorati dilecti filii Nostri Aloysii cardinalis dimissione abbatiarum Farfensis et S. Salvatoris Maioris acceptata, ipsoque ab earum, quo obstringebatur, vinculo absoluto, omnem iusisdictionem utriusque abbatiae supprimimus atque extinguimus, easdemque e gradu verae nullius dioecesis dimovemus, ita nempe ut utraque ad simplicem abbatiam reducatur, servato tamen titulo et nomine abbatiae Farfensis et S. Salvatoris, eo quo infra dicetur modo. Praeterea paroecias seu loca Farfa, Fara et Toffia, quae ad praefatam abbatiam Farfensem, ut supra suppressam, et ad simplicis abbatiae gradum redactam, pertinebant, perpetuo dioecesi Sabinensi eiusque territorio unimus, coniungimus et incorporamus, cum omnibus inibi existentibus paroeciis, aliisque ecclesiis, monasteriis, locis piis et aliis quibuslibet saecularibus vel regularibus, quorumcumque ordinum beneficiis, nec non clero et populo atque utriusque sexus habitatoribus et incolis, tam laicis quam clericis cuiuscumque status, gradus et conditionis ita nempe, ut perpetuo subiiciantur spirituali iurisdictioni, potestati ac regimini episcopi pro tempore Sabinensis dioecesis. Eamdem proinde abbatiam Farfensem sic ad simplicis abbatiae gradum redactam perenniter destinamus atque adiudicamus episcopo pro tempore suburbicario Sabinensi, qui insimul ipso facto abbatis Farfensis titulum gerat, cum facultate quoque inquirendi, persequendi, vindicandi omnia quaelibet iura abbatialia, excepta tamen ordinaria iurisdictione, ut super extincta, quae modo fortasse lateant, vel ignorentur, proptereaque ius eidem semper erit, sive per se sive per alium libere nullo sumptu in archivio eiusdem Farfensis abbatiae, quod in civitate Mandelae, ut infra dismembrandae, manebit, omnes et singulos inibi extantes libros volutare, copias inde excribere, authentico etiam, si opus sit, sigillo item gratis muniendas. Eidem insuper antistiti Sabinensi simulque abbati Farfensi reservamus ius nominandi, vel praesentandi, nedum ad ea omnia et singula beneficia, quorum collatio pertinebat ad abbatem Farfensem et S. Salvatoris etiamsi in posterum ea extiterint in illis abbatialibus paroeciis, quae infra divellentur, alterique dioecesi attribuentur, verum ad ea quaeque omnia et singula beneficia, quorum nominatio sub anno millesimo septingentesimo quadragesimo septimo ex constitutione Summi Pontificis Bened. XIV incip. *Dum universi,* ac etiam ex subsequenti schedula Motus Proprii exordientis *Et si ea,* abbati Farfensi et S. Salvatoris fuit reservata. Quibus rebus statutis atque decretis, perpetuo praeterea dismembramus atque dividimus ab ecclesia Sabinensis dioecesis oppida seu paroecias, quae sequuntur, nimirum, Rocchette Grandi, Rocchette Piccole, Cottanello, Montasola, Aspra, Selci, Roccantica, Cantalupo, Poggio Catino, Catino, Castel S. Pietro, Frasso, Poggio Nativo, Montenero, Mompeo, Casaprota, Collelungo, Ginestra, Ponticelli, Correse, Nerola, Montelibretti, Poggio Moiano, Vacone, Castiglione, Scandriglia, Montorio Romano, Moricone, Stazzano, Monteflavio, Canemorto, Pozzaglia, Montorio in Valle, Petescia; insimulque singulas et singula existentes vel existentia ecclesias sive succursales,

sive simplices, monasteria, conventus et alia quaecumque saecularia, vel quorumvis ordinum regularia beneficia, quae in eisdem superius recensitis oppidis eorumque territorio existunt, itemque utriusque sexus personas, habitatores et incolas tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos et religiosos cuiuscumque gradus, status, ordinis et conditionis ab ordinaria iurisdictione, potestate ac superioritate episcopi pro tempore futuri Sabinensis, seu praedictae dioecesis Ordinarii perpetuum pariter in modum eximimus et auferimus, ita ut posthac Sabinensis dioecesis constare debeat dumtaxat oppidis seu locis, quae sequuntur, nimirum, Magliano, cum finitima paroecia S. Mariae ad Nives, Fianello, Montebono, Tarano, Cicignano, S. Polo, Torri cum pervetusta episcopii (Vescovio) ecclesia, Foglia, Collevecchio, Poggio Sommaville, Stimigliano, Forano, Gavignano, Fara, Farfa, Toffia, Monterotondo, Mentana, Cretone, Castel Chiodato, Palombara.

Ut futurus pro tempore episcopus Sabinensis in posterum valeat decenter tum sibi tum suae curiae ecclesiasticae satis prospicere, eius mensae praeter abbatiarum S. Antonii et Antimi redditus ac bona praenobilis familiae Sciarra in emphyteusim data, et bona conventus Montis Thabor, necnon decimas et cathedratica emolumenta aliosque proventus, qui hactenus percipi consueverunt ex locis seu paroeciis, dioecesi Sabinensi relictis, vel attributis, hos insuper redditus et bona quae sequuntur perpetuo adsignamus, attribuimus et adiudicamus, videlicet annua scutata sexcenta octoginta percipienda a Camera Nostra Apostolica pro portione memoratae annuae praestationis, quae usque adhuc temporalia solvebatur, praeterea annuum Farfensis abbatiae proventum ex fundis pro annuis scutatis quinquagintaquinque locatis municipio Farfensi, aliisque iuxta indicem a cardinali exequutore proferendum, item annua scutata biscentum sexaginta duo et obulos quatuor et sexaginta ex redditibus, ut aiunt, *consolidati,* super publico aerario, item canonem in annuis scutatis quinquaginta uno obulisque triginta pro cereis, qui Farfensis abbatis mensae certo iure conferebantur, item canonem molendinorum in annuis scutatis quatuor centum, et nonaginta a monasterio Farfensi praestandum, item canonem scutatorum decem et octo pro fundo, *Colle della Corte* nuncupato, item canonem in annuis scutatis centum ad decem supra septem tantum a collegio Hungarico ex Galeriae bonis pendendum, denique alios plures canones annuam summam scutatorum nonaginta septem conficientes ab infra enunciando executore literarum apostolicarum singillatim describendos, quae reddituum ac proventuum onerumque distincta descriptio ab eodem exequutore pariter conficienda erit. E contra vero episcopum Sabinensem, nunc abbatem etiam ut supra Farfensem, praeter caetera onera quibus mensa ut supra Sabinensis iam antea gravabatur, obstrictum insuper edicimus ad ea omnia quae sequuntur sustinenda, nimirum ad solvenda quotannis favore monialium, seu monasterii Sanctae Mariae de Succursu nuncupati, et in Fara existentis, annua scutata tercenta, quae hactenus ad levandam earumdem monialium inopiam ab abbate Farfensi suppeditari consueverunt, quaeque in posterum erunt iugiter eis tribuenda; alia scutata octo et triginta quotannis favore monasterii Farfensis sub titulo S. Mariae, extantis pro eius ecclesiae olim cathedralis, nunc simpliciter abbatialis manutentione, et pro quibusdam, uti fertur, locationibus, alia scutata sex et triginta pro parochis Farae et Tophiae eis in subsidium iampridem ex redditibus Farfensibus adsignata, alia scutata annua quinquagintaquinque favore seu in usum sacrarii cathedralis Manlianensis in compensationem proventuum amittendorum ad praemissam locorum ex eius dioecesi dismembrationem, quos percipi solebant titulo *mediae annatae* ex beneficiis ibidem existentibus; denique alia scutata duodena pro exactione reddituum quondam Farfensium in Urbe existentium. Deinde ex oppidis a dioecesi Sabinensi, ut supra, seiunctis ac dismembratis perpetuo unimus, coniungimus et incorporamus haec, quae nuncupantur: Vacone, Rocchette Grandi, Rocchette Piccole, Castiglione ad dioecesim Narniensem, eiusque territorium et quatuor alia quae dicuntur Canemorto, Pozzaglia, Montorio in Valle, Petescia ad dioecesim Tyburtinam, eiusque territorium cum omnibus quidem ac singulis in memoratis oppidis existentibus paroeciis, aliisque sive simplicibus, sive succursalibus ecclesiis, monasteriis, locis piis, aliisque quibuslibet saecularibus vel regularibus quorumcumque ordinum beneficiis, necnon utriusque sexus habitatoribus et incolis tam laicis quam clericis, cuiuscumque status, gradus, conditionis et ordinis, eademque cuncta porro oppida, quemadmodum, ut supra dispertita sunt, sic uniri, coniungi, incorporari volumus, ut in posterum semper episcopi pro tempore, cui sunt assignata et attributa, ordinariae spirituali iurisdictioni, potestati ac regimini respective subiiciantur. Eadem praeterea lege et forma, qua oppida supra memorata dioecesibus Narniensi et Tyburtinae sunt attributa et adsignata, haec alia quae ad suppressam abbatiam S. Salvatoris pertinebant quaeque vocantur Cenciara, Rocca Ranieri, Porcigliano, S. Silvestro, S. Martino, Concerviano, Offedio, Magnalardo, necnon pagum a S. Andrea de Repasto nuncupatum, unimus perpetuo atque coniungimus Reatinae dioecesi; ab eadem vero Reatina dioecesi dismembramus atque dividimus ipso, qui supra indicatus est, modo, paroeciam Torricella, novae dioecesi Man-

delensi, ut infra applicandam. Hisce respective unionibus, coniunctionibus et incorporationibus decretis, civitatem Mandelam, seu vulgo Poggio Mirteto, memoratae Farfensi abbatiae olim spectantem, in civitatem episcopalem erigimus et instituimus, cum curia et cancellaria ecclesiastica, ipsamque in civitatem episcopalem sic erectam et institutam frui omnino volumus omnibus et singulis honoribus, iuribus, privilegiis ac praerogativis, quibus caeterae civitates, pontificali sede insignitae, in ecclesiastica ditione, earumque cives utuntur atque fruuntur. Ecclesiae vero parochialis et collegiatae in memorata Mandelae civitate extantis, et Beatae Mariae Virgini sub titulo Assumptionis dicatae, titulum collegialitatis omnino supprimimus et extinguimus; eamdem vero ecclesiam in cathedralem ecclesiam Mandelensem et parochialem, ut antea, sub eadem Ssmae Mariae in coelum assumptae invocatione mansuram, atque in ea, sedem, cathedram et dignitatem pontificalem pro uno deinceps episcopo Mandelensi nuncupando, qui eidem ecclesiae, civitati et dioecesi infra assignandae, eiusque clero et populo praesit, synodum convocet, et omnia et singula iura, officia et munia episcopalia habeat atque exerceat, cum suis capitulo, arca, sigillo, mensa, ut inferius constituenda, caeterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, iuribus, honoribus et praerogativis, praeeminentiis, gratiis, favoribus, indultis et iurisdictionibus, quibus reliquae cathedrales ecclesiae pontificiae ditionis, earumque praesules potiuntur, dummodo ex peculiari indulto seu privilegio non sint eis attributa, perpetuo quidem erigimus atque instituimus. In praefata autem ecclesia Ssmae Mariae Virginis in coelum assumptae sic in cathedralem erecta, suum constituimus atque erigimus capitulum, undecim constans canonicalibus praebendis atque sex beneficiariis pariter residentialibus. E canonicalibus praebendis una pontificalis erit dignitas nempe archipresbyteratus, cui inhaerebit onus curae animarum, quae sicut prius exercebitur absque ulla innovatione; ipsum porro in paroecialibus muneribus iuvabunt, ut antea, rectores trium praebendarum, nimirum S. Silvestri, S. Mariae in Turano et S. Theodori; alter deinde canonicatus theologalis, et alter poenitentiarius, qui duo canonicatus, praevio concursu, uti et memorata archipresbyteratus dignitas, ex concilii Tridentini et apostolicarum constitutionum praescripto conferendi erunt, eos autem ipsos, qui dictas praebendas iam antea obtinebant, quique ab exequutore infra nominando idonei ac digni reperti fuerint easdem canonicali titulo auctas et decoratas respective retenturos esse decernimus cum omnibus honoribus et oneribus, quin tamen hac de causa nova indigeant literarum apostolicarum expeditione. Eidem sic efformato capitulo cathedrali benigne impertimur facultatem condendi statuta, ordinationes et decreta, sacris tamen canonibus, concilio Tridentino et constitutionibus apostolicis consona, atque Ordinarii approbationi omnino subiicienda, nec non gestandi, in divinis officiis peragendis insignia choralia, quibus nunc utitur capitulum Manlianense, atque insuper ius fruendi omnibus et singulis privilegiis, honoribus, quibus alia capitula cathedralia ecclesiarum in pontificia ditione existentium fruuntur, dummodo sint in usu, nec fuerint specialiter concessa aut revocata. Ita porro novam Mandelensem dioecesim constitutam edicimus, oppida scilicet, quae uti supra a dioecesi Sabinensi et a Reatina disiungimus, itemque ea quae ex altera suppressa abbatia Farfensi et S. Salvatoris Maioris supersunt, neque alteri dioecesi vel territorio exinde rursus coniuncta sunt, ea omnia et singula, praeter ipsam Mandelae civitatem, pro dioecesi novi episcopatus Mandelensis perpetuo attribuimus et assignamus, videlicet ex dioecesi Sabinensi Aspra, Selci, Cottanello, Montasola, Roccantica, Cantalupo, Poggio Catino, Catino, Castel S. Pietro, Frasso, Poggio Nativo, Montenero, Mompeo, Casaprota, Collelungo, Ginestra, Ponticelli, Scandriglia, Stazzano, Moricone, Montorio Romano, Correse, Nerola, Montelibretti, Monteflavio, Poggio Moiano, item ex suppressa abbatia Farfensi, Mandelam seu Poggio Mirteto, Poggio S. Lorenzo, Castelnuovo, Monte S. Maria, Bocchignano, Salisano, Montopoli, Cerdomare, item ex suppressa abbatia S. Salvatoris Maioris, S. Salvatore, Longone, Pratoianni, Poggiovittiano, Roccavittiana, Vallecupola, Varco, Vaccareccia, denique ex dioecesi Reatina, Torricella ipsaque autem oppida cum omnibus paroeciis sic attributa et assignata, itemque in eis, vel eorumdem territorio existentes, seu existentia collegiatas ecclesias, monasteria, si quae sunt, conventus et quaecumque alia saecularia, et quorumvis ordinum regularia beneficia, utriusque sexus personas et incolas tam laicos quam clericos, non tamen exemptos, cuiusque gradus, ordinis et iurisdictionis novi pro tempore existentis antistitis ecclesiae Mandelensis ordinariae iurisdictioni, regimini, potestati ac superioritati perpetuo pariter subiicimus, eiusque pro tempore antistiti, pro civitate, territorio, dioecesi, clero et populo assignamus atque attribuimus, mandantes praeterea, ut idem Mandelensis episcopus titulum gerat ac publicis in actis adhibeat abbatis S. Salvatoris Maioris. Ut autem futurus pro tempore episcopus Mandelensis possit suam decenter tueri dignitatem et vicario generali curiaeque episcopali valeat rite providere, has praeter decimas dioecesanas et cathedratica emolumenta, ex quibus colligi solet quotannis summa circiter scutatorum centum et septemdecim, hos insuper annuos, qui sequuntur, proventus mensae episcopali curiaeque ecclesiasticae Mande-

lensi perpetuo quoque assignamus, videlicet partem supra memoratae praestationis a publico aerario persolvendae, nempe annua scutata octingenta octoginta item ex Farfensi patrimonio bona et redditus sylvarum, quae continentur tum in latifundio del Torrone in agro Montopolitano, tum in praediis Spinaceto in territorio Bocchignano existentibus, itemque eos omnes canones ac annuos redditus quos praestare tenentur municipium Mandelae, municipium Montopoli, municipium Greggio, municipium Segni, item bona et redditus prioratus in oppido Stazzano existentis, tum latifundii del Torrone, tum Cauponae Montorso, tum pratorum quae vulgo vocantur *di Granica,* necnon bona et redditus obvenientes ex quibusdam locationibus et censu a municipio Mandelae, atque ex altera emphyteusi latifundii Caprarola, quibus quidem redditibus insimul coniunctis habetur pro dote mensae Mandelensis summa annua scutatorum bismillium ac quingentorum et octoginta circiter. Verumtamen eamdem mensam Mandelensem, seu eius pro tempore antistitem, praeter alia onera ordinaria teneri insuper quotannis persolvere scutata triginta pro fabrica ecclesiae oppiduli Stazzano, item pro eiusdem pro tempore capellano annua scutata quadraginta, item annua scutata centum pro subsidio iam decreto pridem, atque assignato parochiis oppidorum Pratoianni, Vallecupola, Longone, Varco, Roccavittiana, Poggiovittiano, Vaccareccia, item annua scutata centum et quinquaginta episcopo Reatino ex praefati subsidii titulo eroganda, ut antea parochis oppidorum Concerviano, S. Silvestro, Cenciara, Porcigliano, S. Martino, Magnalardo, Offeio, item scutata annua sexaginta in subsidium tribuenda parochis oppidorum Mandelae, Castelnuovo, Bocchignano; itemque annua scutata biscentum pro visitationis stipendio dilecto filio Alexandro Turricelli, in Romana curia advocato, ob labores impensos ad abbatialem censum forensibus etiam actionibus augendum, cum onere tamen prastandi in posterum suam operam pro abbatialibus iuribus inquirendis vindicandisque, ut cardinali episcopo abbati satius visum fuerit, quod tamen onus ex eiusdem obitu omnino cessabit. Praeterea cum decimae ex Fara, Turrita et Nazzano, quae olim abbati Farfensi persolvebantur, nunc vero ad episcopum Sabinensem pertinent, locatae modo inveniantur cum aliis decimis, quae novo Mandelensi episcopo sunt attributae, idcirco idem episcopus Mandelensis pro earum compensatione suppeditabit mensae Sabinensi quotannis scutata centum et viginti donec eiusmodi locatio cessaverit, tum enim eas pro lubitu suo percipiet cardinalis episcopus Sabinensis. Quod autem spectat ad dotem capituli cathedralis Mandelensis, uti supra erecti, hunc qui sequitur servari mandamus modum, nimirum, ut archipresbyteralis praebenda eumdem, quo iam potitur, retineat censum scutatorum circiter centum et quinquaginta, pariterque altera praebenda qaae venit nomine Aspramonti integra item servetur in annuo suo redditu scutatorum circiter sexaginta. Ceterum praebenda theologalis annuam obtineat dotationem scutatorum septuaginta, totidemque praebenda poenitentiaria, unaquaeque autem ex reliquis canonicalibus praebendis, pro congrua dotatione, habeat annua scutata quinquaginta, ceterae vero iam inibi existentes praebendae, quae minoris census inveniuntur, augeantur singulae usque ad praefinitos annuos redditus scutatorum quinquaginta. Unaquaeque demum ex beneficiariorum praebendis pro congrua dotatione obtineat annua scutata quadraginta. Cum vero canonicalis praebenda sub titulo S. Silvestri gaudeat annuo redditu scutatorum centum et sexaginta, et ex ea ubi primum vacare contigerit, tres canonicales praebendae sint constituendae, edicimus idcirco, ut capitulum Mandelense, donec ea vacatio obvenerit, constet interea temporis ex archipresbytero et octo canonicis praeter sex memoratos beneficiarios, ea conditione, ut cum haec S. Silvestri praebenda vacaverit, protinus ea cum omnibus pariter oneribus dividatur, ac tres inde canonicatus constituantur cum congrua dotatione annua scutatorum quinquaginta; ita ut quidquid forsan supererit addicatur praebendae, cui adhaerebit onus coadiuvandi parochum. Id enim cautum esto, ut uni tantum ex hisce tribus canonicalibus constituendis praebendis inhaereat obligatio, ut antea, parochum archipresbyterum coadiuvandi, firmo eo onere binis praebendis s. Mariae in Turano, et s. Theodori. Pro distributionibus quotidianis eidem capitulo inter archipresbyterum et decem (nunc octo) dumtaxat canonicos, rite distribuendis, perpetuo constituimus et assignamus annuam summam scutatorum centum et quinquaginta, sarta quidem tectaque servata veteri obligatione municipii Mandelensis, ob eiusdem fabricae refectionem, seu restaurationem.

Ad praefatas dotationes seu praestationes annuas, tum pro novis canonicalibus et ceteris supplendis praebendis, tum pro quotidianis distributionibus, tum pro fabrica cathedralis praeter bona et annuos redditus omnes, quos suppeditare solent praebendae iam in dicta ecclesia existentes, (qui redditus simul computati exaequare solent annuam summam scutatorum quingentorum), insuper impertimur, assignamus atque constituimus perpetuo summam annuam scutatorum ducentorum et quadraginta, titulo memoratae annuae praestationis ex aerario Nostrae Camerae solvendam. Ut autem supra constitutis capituli et ecclesiae novae cathedralis dotationibus satis possit fieri, praevia abrogatione praefati brevis pontificii super erogatione reddituum abbatiae S. Mariae de

Plano in oppido Pozzaglia vacantis, editi anno millesimo octingentesimo trigesimo septimo, eiusdem abbatiae bona et redditus scutatorum quingentorum pro dictis dotationibus explendis constituendisque concedimus, destinamus atque attribuimus donec aliter provideatur. Iamvero proprias aedes pro futuri episcopi ecclesiae Mandelensis habitatione eiusque curiae episcopalis residentia, assignamus perpetuo totum aedificium et domos quae antea ibidem pertinebant ad Farfensem pro tempore abbatem. Item ecclesiasticum seminarium, quod Mandelae floret, Mandelensi ecclesiae destinamus et attribuimus cum suis omnibus bonis, redditibus, iis etiam comprehensis, qui proveniunt ex suppressa abbatia S. Salvatoris, qui quidem ei iam adsignati comperiuntur eidemque perpetuo adservantur, cum aliis quibuscumque pristinis suis iuribus et oneribus. Cum vero, ut praefertur, pro recenti aedificatione eiusdem seminarii solvenda adhuc supersint scutata circiter bis millia, idcirco potestatem fieri, ut in ipsius debiti extinctionem idem seminarium pecuniam censuario contractu comparare rite possit, atque ut id minori quo possit ipsius detrimento fiat, mandamus eidem quotannis ab episcopo Mandelensi persolvi centum scutata, usque dum census, de quo agitur, ab ipso seminario fuerit extinctus, in quem finem eiusdem episcopi ac deputatorum curas volumus omnino intendi. Cum praeterea in more institutoque positum comperiatur, ut abbas Farfensis sex et viginti nominaret ex suo territorio adolescentes in ipso seminario pro media, ut aiunt, gratia recipiendos, alendos atque docendos; cumque seminarium Mandelense teneatur unum adolescentem ex oppido Rocca Antica et alterum ex oppido Canemorto, gratis omnino perpetuo recipere, illud ab eiusmodi onere absolvimus atque perenniter liberamus in compensationem earum praestationum seu taxarum, quas percipere consueverat ex oppidis, a Sabinensi dioecesi superius seiunctis, et in Mandelensem dioecesim adsignatis, servatis tamen eidem seminario Mandelensi ceteris redditibus ac bonis omnibus, quibus antea potiebatur fruebaturque; ius autem eiusmodi, quod praedictis oppidis Canemorto et Roccantica pertinebat, deferimus et perpetuum in modum ita constituimus, ut unus pariter adolescens ex oppido Roccantica et alter ex oppido Canemorto gratis et iugiter in posterum recipiatur alaturque in seminario Mandelensi; hanc ob causam volumus, ut quae supra memoratae sunt viginti sex mediae gratiae, queis tenebatur idem seminarium Farfense mox Mandelense, reducantur dumtaxat ad viginti et duas, et ab episcopo pro tempore Mandelense, eo quidem modo et ratione quae servabatur, ab abbate Farfensi semper et quandocumque conferantur. Cumque adhuc videatur uti praefertur, aliquid ex iuribus et bonis abbatiarum Farfae et S. Salvatoris Maioris suppressae vindicandum, ita inter episcopum Mandelensem aequali ratione seu parte dividendum esse decernimus quidquid ex iuribus, bonis et redditibus pertinentibus ad abbatiam Farfensem et S. Salvatoris Maioris in posterum comperiatur aut vindicetur, qua in re (si cardinali abbati Farfensi placuerit) gratuitam operam navabit idem advocatus Turricelli, cui id etiam causae stipendium superius decretum fuit. Memoratam autem ecclesiam Mandelensem Ssmae Mariae Virginis in coelum assumptae in cathedralem erectam S. Sedi immediate subiicimus, iisque omnibus et singulis frui facultatibus, exemptionibus, praerogativis et iuribus, quae ad ceteras ecclesias cathedrales pontificiae ditionis pertinent. Fructus vero eiusdem novae ecclesiae Mandelensis taxamus ad florenos auri de camera quinquaginta, atque huius taxam in libris camerae apostolicae et sacri collegii describi iubemus. Interim vero ne Sabinensis et Mandelensis dioeceses, aliquid spiritualis incommodi vel detrimenti capiant, in vicarios apostolicos deputamus ven. fratrem Dominicum Angelini episcopum Leucensem Sabinensis ecclesiae suffraganeum, et dilectum filium Nicolaum Abbrate abbatiae Farfensis in praesens vicarium generalem, ut ille, Sabinensem dioecesim, superiori modo circumscriptam, hic autem novam Mandelensem dioecesim, uti supra constituram, cum omnibus et singulis facultatibus necessariis et opportunis Nostro et Apostolicae Sedis nomine administrent, donec ecclesiae Sabinensis et Mandelensis de pastore suo respective provideantur. Postremo ad huiusmodi episcopatus erectionem et ad omnia quae hisce apostolicis literis decrevimus, in earumdem literarum Nostrarum exequutorem deputamus dilectum filium Nostrum Paulum tituli S. Praxedis presbyterum cardinalem Polidorium, congregationis Concilii praefectum, cum facultatibus necessariis et opportunis, ut per se vel aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam ab ipso subdelegandam, omnia statuere atque decernere valeat, et cuncta superius decreta ad exitum cumulate perducantur, atque etiam cum facultate eidem executori sive eius subdelegato definitive pronunciandi quacumque oppositione adversus praedicta quomodolibet oritura, ita tamen ut ad congregationem concistorialem intra tres menses ab expleta literarum executione, exemplar authentica forma exaratum decretorum omnium, quae in praefatarum literarum apostolicarum executionem emittet, in eius tabulario asservandum.

Praesentes autem literas et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod quilibet interesse habentes, vel habere praetendentes vocati vel auditi non fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae defectu notari, im-

pugnari vel in controversiam vocari, sed perpetuo validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere decernimus.

Non obstantibus *de iure quaesito non tollendo*, aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regulis, dictaeque cathedralis ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque licet expressa et individua mentione dignis contrariis quibuscumque.

Volumus praeterea quod harum literarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum approbationis, suppressionis, extinctionis, cumulationis, translationis, designationis, erectionis, constitutionis, deputationis, facultatis, decreti, derogationis ac voluntatis infringere, eique ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum septimo kalendas decembris, anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

CXXIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Separat a dioecesi Regipolitana (Kingstoniensi) occidentalem provinciam Canadae superioris, et hanc in novum et distinctum ab illa episcopatum erigit, cuius sedes ab episcopo, qui illi statim praeficitur, determinanda sit [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Inter multiplices gravissimasque apostolatus Nostri curas, non exiguam ea tenet partem, quae dioecesium per universum orbem respicit statum; siquidem supremae potestatis iudiciique Nostri est illas moderari, earumque limites constituere vel immutare, prout, habita temporum ac rerum ratione, fidelium utilitati convenire dignoscimus.

Itaque, quum ven. frater Remigius Gualin episcopus Regipolitanus, in superiori Canada, gravibus adductis rationibus Nobis exposuerit, religionis bonum et fidei catholicae incrementum in remota eiusdem Canadae superioris occidentali provincia omnino requirere, ut ea provincia occidentalis e dioecesi Regipolitana disiungatur, atque in peculiarem episcopatum seu dioecesim proprie dictam erigatur; Nos rem tanti momenti congregationi venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositae inquirendam commisimus, rebusque omnibus accurate perpensis, ac praesertim ratione habita totius Canadae superioris permagnae amplitudinis, qua fit ut ab uno tantum episcopo regionis vastissimae regimen cum vera Ecclesiae utilitate retinere diutius non possit, postulationibus ipsius episcopi benigne annuentes, huius novi episcopatus erectionem perutilem esse existimavimus.

Motu igitur Proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, memoratam remotam occidentalem superioris Canadae provinciam, a Regipolitana dioecesi perpetuo separantes, eam regionem in peculiarem episcopatum et dioecesim, harum literarum vi, erigimus, atque una simul statuimus, ut sedes episcopalis, quae in posterum dioecesi titulum datura erit, ab episcopo, quem per similes apostolicas literas hoc ipso die datas illi praeficimus, determinetur.

Haec volumus mandantes propterea omnibus et singulis ad quos spectat ac in futurum spectabit, ut praedictis dispositionibus Nostris se subiiciant, illasque accurate exequi satagant. Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos pertinet et pertinebit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima septima decemb. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

CXXIV.

DECRETUM

Societas presbyterorum Pretiosissimi Sanguinis laudatur ac commendatur, eiusque alumni ab auctoritate parochorum eximuntur [2].

Sacerdos Gaspar del Bufalo anno 1814 nutu Pii VII prima fundamenta iecit congregationis

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.
[2] Ex Archivio domus Praeposituraе generalis eiusdem Congregationis de Urbe.

presbyterorum saecularium, quam a *Pretioso Sanguine,* appellandam esse dixit. Eum autem finem pius ille institutor sibi et suis sodalibus propositum esse voluit, ut universam vitae rationem ex praescripto sacrorum canonum compararent propriamque et proximorum sanctificationem praesertim sacris expeditionibus et spiritualibus exercitationibus curarent.

Benedixit Deus huic operi, et novae congregationis domus, vivente adhuc eius auctore, et post eius obitum, pluribus in dioecesibus erectae sunt: quin imo spes modo affulget, ut pia societas in dies augeatur et in exteras quoque regiones diffundatur.

Verum eiusdem alumnis plurimum instituto deesse visum est, donec illud et constitutiones, quibus regitur, apostolica auctoritate probatae non fuerint. Supplices propterea sacram hanc congregationem Episcoporum et Regularium nuper adierunt, exhibentes literas episcoporum, quibus societas ipsa commendatur.

Sacra igitur congregatio, attentis literis commendatitiis episcoporum, sedulo diligenterque perpenso scopo piae societatis, nec non uberibus fructibus, qui ex sacris expeditionibus et piis exercitationibus sperantur, inspectisque constitutionibus, censuit, si Sanctissimo Domino placuerit, praefatum institutum summopere laudandum et commendandum esse, eiusque constitutiones, prout in hoc exemplari exhibentur, ad scopum obtinendum esse accommodatas et nihil obstare quominus eisdem constitutionibus regatur, salva tamen ordinariorum iurisdictione. Sed ad evitandas quaslibet dissidii causas, quae fortasse inter enunciatos presbyteros et parochos oriri possent, eadem sacra congregatio expedire iudicavit, ut praefatae societatis domus et alumni quamdiu in ipsa societate remaneant, a dependentia parochorum eximantur, praesertim in receptione sacramentorum etiam tempore paschatis, et quoad funeralia et quartam funerariam, dummodo alumni ipsi intra domos congregationis moriantur.

Et facta praemissorum relatione Sanctissimo Domino Nostro Gregorio PP. XVI in audientia habita a sub-secretario die 17 decembris 1841, Sanctitas Sua resolutionem sacrae congregationis in omnibus ratam habuit et confirmavit, ac super expressam exemptionem a parochis benigne impertita est; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae 17 decembris 1841.

CCXXV.

EPISTOLA

Cum Nicolao I omnium Russiarum imperatore laetatur de nuptiis initis inter filium principem Alexandrum et Mariam, filiam Hassiae magni ducis [1].

Serenissimo ac potentissimo principi
Nicolao I
omnium Russiarum imperatori
Poloniae regi, Finlandiae duci

GREGORIUS PP. XVI.

Serenissime ac potentissime imperator, salutem.

Cum aliquandiu abfuissemus ab Urbe aliquot invisentes subiectas temporali ditioni Nostrae civitates, reversi in sedem Nostram, magnam invenimus negotiorum expediendorum multitudinem. Inter cetera gratissimae Nobis oblatae sunt literae imperialis maiestatis tuae, quibus officium debebamus responsionis Nostrae. Luculentam illae praebent benevoli erga Nos animi significationem, de nuptiis renunciantes quae inter dilectissimum filium tuum celsissimum imperialem principem Caesarowitsch magnum ducem hereditarium Alexandrum Nicolaiewitsch et celsissimam imperialem principem magnam Russiae ducem Mariam Alexandrownam, filiam celsissimi magni ducis Hassiae Darmstadiensis, initae sunt. Verissime quidem existimas, serenissime ac potentissime princeps, optare Nos ex animo, ut imperiali maiestati domuique tuae de hisce nuptiis bene ac feliciter eveniat. Omnia enim maiestati tuae cupimus quae vere prospera et salutaria sunt; ac Deum O. M. suppliciter oramus, ut vota haec Nostra exaudiat, et imperialem maiestatem tuam perfecta Nobiscum charitate coniungat.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima tertia decemb. millesimo octingentesimo quadragesimo primo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

CXXVI.

EPISTOLA

Cum Ludovico Bavariae rege dolet de morte reginae honoratissimae viduae Maximiliani patris et antecessoris eius, eumque consolatur [2].

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

[2] Ex Archivio Brevium ad Principes.

Carissimo in Christo filio Nostro Ludovico Bavariae regi illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Carissime in Christo fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Quo magis, pro paterno, quem in regiam maiestatem tuam gerimus, animo, omni te frui cupimus prosperitate, eo sane molestius ferimus, si tibi adversi aliquid accidisse intelligamus. Aestimet proinde maiestas ipsa tua quomodo literis affecti fuerimus eventus nuntiis supra quam dici potest funesti, qui te tuosque omnes in luctum acerbissimum coniecit. Significas enim serenissimam et potentissimam principem regis Maximiliani patris et antecessoris tui viduam reginam honoratissimam vita excessisse, cuius iacturae dolorem verissime vocas immedicabilem. Adoranda tamen sunt inscrutabilia iudicia Dei, et, quaecumque ea sint, religiose amplexanda; quod regiam maiestatem tuam reipsa facere gaudemus, probe intelligentem, quantum praestet Deum sibi malorum patientia demereri, quam ex immodico dolore reddere nullo cum fructu graviora. Ceterum pro renovata confirmatione filialis erga Nos pietatis tuae, gratias agimus, et quam religiose postulas, apostolicam benedictionem eventuum posthac meliorum rerumque omnium iuvante Domino secundarum auspicium, tibi, carissime in Christo fili Noster, ac regiae domui tuae amantissime impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die tertia ianuarii millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

CXXVII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Oppidum vulgo Monte S. Giovanni *Verulanae dioecesis in civitatem erigitur* [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicae huius Sedis benignitas erga illa sui civilis principatus oppida semper eluxit, quae originis vetustate, ac singulari incolarum virtute, religione atque in Petri Cathedram veneratione praestare videntur.

Sane Campania in provincia, pontificiae Nostrae ditionis, vetus extat oppidum, quod vulgo *Monte San Giovanni* appellatum, atque in spiritualibus Verulanae dioecesi, in temporalibus vero Frusinati delegationi subiectum, et civium frequentia, et egregia eorum indole, pietate, atque in hanc Apostolicam Sedem observantia, et honestarum familiarum copia, aedificiorum ac sacrarum aedium numero, et catholicae religionis ac divini cultus studio, ipsaque agrorum ubertate, caelique salubritate excellit. Quod quidem oppidum pluribus privilegiis donatum, exactis dynastarum seu baronum temporibus principem locum illo in ducatu obtinuit, qui eiusdem oppidi nomine appellabatur. Atque inter insignia ipsius oppidi monumenta, illud profecto omni laude, praedicatione, literis celebrandum, quod angelici doctoris mora, ac miro certamine fuit summopere illustratum. Ibi enim sanctus ille vir, fulgidissimum catholicae Ecclesiae lumen firmissimumque praesidium, biennio unius cellulae clausus angustiis, beatitudine paradisi fruens, et contra acerrimos hostiles impetus, veluti bonus miles Christi strenue dimicans, magnifice triumphavit, atque angelorum colloquia praesentiamque habere meruit. Itaque cum illius oppidi magistratus primoresque cives supplici cum prece a Nobis postulaverint, ut idem oppidum ad pristinum splendorem revocare, illudque civitatis nomine ac iure decorare velimus, Nos eorum votis alacri libentique animo annuendum censuimus, ea profecto spe freti fore, ut huiusmodi Nostrae benevolentiae testimonio, ipsi acriori quodam incitati stimulo magis magisque pietatis, religionis ac virtutis laude fulgere, et de Nobis deque hac Apostolica Sede quibusque rebus optime mereri conentur.

Quamobrem omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis ac poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis, Motu-Proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, commemoratum oppidum vulgo *Monte S. Giovanni*, in Campania provincia situm, atque in spiritualibus Verulanae dioecesi, in temporalibus Frusinati delegationi subiectum, in civitatem perpetuo erigimus et instituimus, eique civitatis titulum et denominationem cum omnibus honoribus, iuribus, praerogativis, quae ceteris omnibus pontificiae Nostrae ditionis civitatibus, non tamen ex peculiaribus titulis competere dignoscuntur, vel competere poterunt concedimus, ac magistratui eiusdem oppidi, per Nos in civitatem erecti, consuetos honores et insignia tribuimus, quibus aliarum pontificiae Nostrae ditionis praefatae civitatum magistratus ex usu et consuetudine

---

[1] Ex Archivio Cancellariae Episcopalis Verulanae.

gaudent et pollent, vel gaudere potuerint. Concedimus etiam et impertimur, ut Montis S. Ioannis incolae civium nomine decorentur, ita tamen, ut episcopus in tempore Verulanus inibi morari et residere minime teneatur, sed ecclesiae Verulanae, ut antea, subditi omnino sint.

Haec volumus, atque mandamus, decernentes has literas firmas, validas et efficaces esse et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et eorum causa quae expressa sunt hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis nec non peculiaribus quorumcumque locorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis, quoque indultis et literis apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene ac sufficienter expressis, deque verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die septima ianuarii millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo primo.

CXXVIII.

EPISTOLA

Archiepiscopo primati Armeno Constantinopolitano, ad onus episcopale ferendum, coadiutorem promittit. Archiepiscopum et gentem Armenorum paterna dilectione se prosequi fatetur [1].

Venerabili fratri
Paulo Marusci archiepiscopo
primati Armeno Constantinopolitano

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Literas tuas datas sub die decima septima septembris elapsi anni tradidit Nobis dilectus filius Arsenius Angiarakian monachus Antonianus tui ordinis, apud Nos procurator generalis, isque simul fraternitatis tuae nomine retulit plura, quibus sane intelleximus, quot quantisque Armenorum indigeat ecclesia, quibusque angustiis in tristissima hac rerum conditione tu ipse, ven. frater, tenearis. Quae quidem quum ita esse intellexerimus, sacro consilio Christiano Nomini Propagando commisimus statim, ut quae a te patefacta sunt Nobis, curaret quam solerter; tibi vero, quem a sede ista, tuis illustrata virtutibus, remotum nequaquam volumus, adiutricem manum componendam decrevimus. Antistitem videlicet tibi apprime probatum constituimus deligendum, quo in tanta temporum ac locorum difficultate, ad onus episcopatus ferendum adiuveris. Erit porro sacrae congregationis de Propaganda Fide, inanes prorsus, a te conceptos, dispellere timores, circa huius Sanctae Sedis in te Armenosque tuos benevolentiam; ast illud tibi ratum iam nunc certumque volumus, Nos et fraternitatem tuam, cuius eximiam religionem prudentiamque haud ignoravimus unquam, et universam Armenorum gentem peculiari semper ac paterna dilectione esse prosecutos, tum omnia quovis tempore exoptasse quae sive ad tui commodum, sive ad utilitatem commissi tibi gregis pertinerent. Equidem illud Nobis summo gaudio atque incredibili laetitia fuit, quod epistola fraternitatis tuae retulit nuper plures videlicet haereticos Armenos ad catholicae unitatis sinum rediisse, ac Deo misericordiarum patri immortales egimus gratias, quod dum intima conficeremur amaritudine ob innumeras fere, quibus Ecclesia vexatur, calamitates, tantae Nobis consolationis argumentum exhibuerit. Nec vero nullum Nobis suboriri dubium potest, quin tu, ven. frater, pro eo, quo incensus es, catholicae religionis propagandae studio, divinae providentiae consiliis obsecundans, omnes, quotquot sunt, errantes Ecclesiae filios, qui in ovile Christi revertuntur, paterno sis affectu complexurus. Interim vero Deum O. M. enixe deprecantes, ut in te atque in istam dominici gregis electam partem divitias misericordiae suae dignetur effundere, et tibi atque universae Armenorum ecclesiae, de catholica religione optime meritae, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima nona ianuarii millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

CXXIX.

S. R. E. cardinales declarat Franciscum Xaverium Massimo aedium pontificiarum praepositum, Aloysium Vannicelli Urbis gubernatorem, Carolum Acton camerae apostolicae auditorem; insuper S. R. E. presbyteros cardinales creat atque declarat Fridericum Iosephum Schwarzenberg et Cosmam Corsi [1].

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE VIGESIMA QUARTA IANUARII
MILLESIMO OCTINGENTESIMO QUADRAGESIMO
SECUNDO.

Venerabiles fratres,

Communis Nobiscum ex nonnullorum antea venn. fratrum Nostrorum, et nuper etiam ex alicuius obitu vobis fuit moeror: item communis erit hodierno die, Deo iuvante, consolatio. Magnum illi quidem ipsi reliquerunt solatium doloris Nostri, spem nimirum haud sane inanem, eos mercedem suorum pro Ecclesia laborum in beatae vitae perennitate fuisse a Domino consecutos: at est etiam cur Nos consolemur quod divinae in hanc Sanctam Sedem beneficio providentiae, uti antea extiterunt, ita et nunc non desint, qui suffici amissis queant illorum simul et honoris locum et virtutum laudem adepturi. Cogitantibus igitur Nobis, pro eo ac debemus, vestrum amplissimum ordinem nova praestantium virorum cooptatione supplere, illud potissimum curae fuit, quo haec pertinet sacri collegii institutio, nempe ut idonei Nobis adsint consiliarii et adiutores, imposito infirmitati Nostrae gravissimo utrique muneri sustinendo. Eo etiam animum, ut par erat, intendimus, ut ipse, qui viris bene de hac Sancta Sede promeritis habetur honos, maius ad ampliora et utiliora praestanda sit incitamentum. Itaque visum in Domino est, aliquos hodie promovere ex illorum numero, qui, etsi aliis quoad cetera sint pares, hoc tamen proprium habent, quod munera praeclare gesserint, eo in gradu aulae Nostrae constituti, cuius de more S. Ecclesiae Romanae peculiaris haberi ratio solet. Quatuor igitur inter illos delegimus, quorum quidem tres in aliis iam consistoriis cardinales creati a Nobis fuerant, atque in pectore reservati.

Sunt autem:

Franciscus Xaverius Massimo, praepositus aedium pontificiarum, quem in pectore reservavimus in consistorio habito die decima secunda februar. millesimo octingentesimo trigesimo octavo.

Carolus Acton, camerae apostolicae auditor generalis, quem reservavimus in consistorio diei decimae octavae februar. anni millesimi octingentesimi trigesimi noni.

Aloisius Vannicelli, gubernator Urbis et vicecamerarius, in pectore item reservatus in consistorio diei vigesimae tertiae decembris millesimo octingentesimo trigesimo nono.

His addendus visus est:

Cosmas Corsi, rotae Romanae auditorum decanus. Supervacaneum foret singulares ipsorum omnium laudes hoc loco recensere; quandoquidem probe nostis, venn. fratres, quae suo digna genere et institutione dederunt documenta religionis et probitatis, morum vitaeque in exemplum integrae, et quanta eorum fuit in suis fungendis muneribus sedulitas, aequitas, prudentia, cum singulari significatione devotae Nobis Sanctaeque huic Sedi voluntatis.

Accedit vero cumulus consolationi Nostrae quod, Dei beneficio, alium praedictis adiungendum habeamus, quem insigne futurum vestri ordinis ornamentum, vobis quoque visum iri existimamus, videlicet Fridericum Iosephum de Schwarzenberg archiepiscopum Salisburgensem, clarum nobilitate, virtutum splendore clariorem, in quo dotes enitent egregii pastoris, quem insignis, cui praeest, ecclesiae summa studia mirifice commendant, cuius propterea amplificatam dignitatem carissimo etiam in Christo filio Nostro Austriae imperatori gratam fore acceptamque non dubitamus.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, declaramus S. R. E. cardinales

presbyteros scilicet

Carolum Acton
Aloisium Vannicelli

diaconum vero

Franciscum Xaverium Massimo.

Insuper creamus S. R. E. presbyteros cardinales

Fridericum Iosephum de Schwarzenberg
Cosmam Corsi.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis.

In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

CXXX.

De novo ecclesiae Sabinensis statu [1].

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE VIGESIMA QUARTA IANUARII
MILLESIMO OCTINGENTESIMO QUADRAGESIMO
SECUNDO.

Venerabiles fratres,

Quod tandiu ad faciliorem Sabinensis ecclesiae procurationem stabiliendam optabamus, id demum, fortunante patre luminum, studia et consilia Nostra, feliciter peractum gratulamur. Haec vobis, venn. fratres, animo laetanti significamus, probe gnari, illud et vobis maxime in votis fuisse, qui pro ordinis quem tenetis loco ad eam regendam evocamini.

Plura quidem occurrebant, quibus tantum boni praepediri dolendum erat. Cum enim et ex dioeceseos amplitudine, et ex itinerum asperitate, et ex locorum natura perdifficilis eiusdem gubernatio esset, incommoda et valde operosa, omnino oportere videbamus eam imminuere, atque alteram ex ablatis eidem locis constitui sedem episcopalem. Verum cum omnia paene in eam rem necessaria deesse quereremur, tanta Nos cura levavit dilectus filius Noster Aloysius card. Lambruschinius dimissione abbatiarum sibi perpetuo commendatarum Farfensis et S. Salvatoris Maioris, quam sponte et libere in Nostris manibus edidit, non sua profecto quaerens, sed quae Iesu Christi, ut ita in promptu essent, quae ad id operis desiderabantur.

Potuit quippe ex Sabinensis et abbatialis dioecesium locis altera constitui satis ampla, rectiusque circumscripta dioecesis, cui pro episcopali sede Mandelam seu Podium Mirtetum adsignavimus, civitatem Farfensis abbatiae, coeli locique conditione in Sabinis commendatam, aedemque eius principem honori Virginis Genitricis in coelum assumptae cathedralem declaravimus. Abbatiales praeterea aedes nuper eiusdem Aloysii cardinalis abbatis ope et instantia fere ab inchoato restitutae, et eo quo par est cultu exornatae in antistitum domicilium apprime accommodatae, locaque in curiae stationem plane apta patuerunt, uti et seminarium illuc haud ita pridem eodem curante translatum, recta disciplina, doctorum laude, alumnorum frequentia celebratum, ubi adolescentes clerici in spem Ecclesiae succrescant religioni ac bonis artibus rite instituti. Censui itidem utriusque episcopatus, novique capituli Mandelani prospectum est collatis insimul, ac pro portione distributis reditibus Sabinensis et abbatialis patrimonii, quibus praeter statos alios proventus, illud quoque perpetuo adiecimus subsidium scutatorum mille et octingentorum, quod temporariis rescriptis cardinales episcopi e publico aerario assequi consueverunt.

Ne autem memoria earumdem abbatiarum ullo unquam tempore excidat, quae et monumentorum splendore, et cardinalium meritis qui iisdem praefuerunt, et aliis ex causis, insignes omni aetate habitae sunt, cardinales episcopos Sabinenses titulo abbatum Farfensium, iuribusque patronatuum ac nominationum quibus abbates potiebantur, perpetuo instructos, salvis tamen iuribus ordinariorum, denunciavimus, prout Mandelanum episcopum titulo donavimus abbatis S. Salvatoris Maioris.

Haec sunt, venn. fratres, quae, universa rei ratione perpensa, accitaque in consilium selecta e vestris collegis congregatione, de novo rei sacrae in Sabinis statu decrevimus, de aeterna populorum, qui ibidem sunt, salute solliciti, vestrique ordinis splendori, pro Nostra in vos benevolentia, opportune prospicientes. Ceterum quo consilia haec Nostra optatos exitus nanciscantur, ut nimirum ex aptiori hac utriusque dioeceseos designatione promptius ac felicius sacrorum praesides traditis sibi ovibus praesto sint, oculos levemus in montes, unde auxilium est Nobis, volensque et propitia adsit Virgo Genitrix sacratissima cum coelitibus earum dioecesium patronis tutelaribus, ut cuncta haec fauste ac prospere in maiorem Dei gloriam succedant.

CXXXI.

EPISTOLA

Iacobum Holas ab episcopis nationis Armenorum in patriarcham Ciliciae electum seu postulatum in ea dignitate confirmat [2].

Venerabili fratri
Iacobo Holas
archiepiscopo nuper Amasen.
in patriarcham Ciliciae Armenorum electo

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei
salutem et apostolicam benedictionem.

Romani Pontificis, quem pastor ille coelestis et episcopus animarum potestatis plenitudine

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

[2] Ex Iure Pontificio de P. F.

sibi tradita ecclesiis praetulit universis, sollicitudo requirit, ut circa cuiuslibet ecclesiae statum sic vigilanter excogitet sicque prospiciat diligenter, quod per eius providentiam circumspectam tunc per simplicis provisionis officium, quandoque vero per ministerium translationis accommode, prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit et ecclesiarum utilitas persuadet, ecclesiis singulis pastor accedat idoneus et rector providus deputetur, qui populum sibi commissum salubriter dirigat et informet, ecclesiamque sibi traditam non solum gubernet utiliter, sed etiam multimodis efferat incrementis.

Sane patriarchali ecclesia Ciliciae Armenorum, cui bo. me. Gregorius, denominatus Sextus, ultimus illius patriarcha dum viveret praesidebat, per obitum dicti Gregorii patriarchae, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta, Nos ad provisionem huiusmodi patriarchalis ecclesiae, paternis et sollicitis studiis, intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo ipsi ecclesiae patriarchali Ciliciae Armenorum personam utilem ac etiam fructuosam cum venn. fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus habuimus diligentem, demum ad te nuper archiepiscopum Amasen., quem venn. etiam fratres Nostri episcopi catholici nationis Ciliciae Armenorum ad patriarchalem ecclesiam huiusmodi pro illius patriarcha elegerunt seu postularunt, quique fidem catholicam iuxta articulos iampridem a Sede Apostolica Orientalibus praescriptos expresse professus fuisti, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam illarum largitor Altissimus multipliciter insignivit, et attendentes quod tu, qui ad archiepiscopalem ecclesiam Amasen. evectus, munere consecrationis suscepto, pontificalia exercuisti, ordinationes habuisti, confirmationis sacramentum administrasti et in reliquis ita te bene gessisti, ut praedictae ecclesiae patriarchali Ciliciae Armenorum praefici dignus censearis, ipsamque patriarchalem ecclesiam scies voles et poteris, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos Nostrae mentis. Intendentes igitur tam dictae patriarchali ecclesiae Ciliciae Armenorum quam eius gregi dominico salubriter providere, teque a quibusvis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad hoc dumtaxat, ut translatio, provisio et praefectio per Nos ut infra faciendae praesentesque literae suum debite sortiantur effectum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac eiusmodi electionem seu postulationem, de fratrum eorumdem consilio, apostolica auctoritate, approbantes et confirmantes, omnesque et singulos etiam substantiales defectus, si qui in electione seu postulatione huiusmodi quomodolibet intervenerint, quatenus opus sit, eadem apostolica auctoritate supplentes et sanantes, iuxta decretum a congregatione eorumdem fratrum Nostrorum praedictae S. R. E. cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum emanatum et per Nos etiam approbatum, te licet absentem, a vinculo quo dictae ecclesiae Amasen., cui hactenus praefuisti, tenebaris, de simili consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ad dictam patriarchalem ecclesiam Ciliciae Armenorum, de consilio et apostolicae potestatis plenitudine similibus transferimus, teque illi in patriarcham praeficimus et pastorem, curam regimen et administrationem ipsius patriarchalis ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi ad dictam patriarchalem ecclesiam transeundi licentiam tribuendo, in illo qui dat gratias et largitur praemia confidentes, quod dirigente Domino, actus tuos ipsa patriarchalis ecclesia, sub tuo felici gubernio, regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus ac temporalibus suscipiet incrementa.

Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, ad praefatam patriarchalem ecclesiam cum gratia Nostrae benedictionis accedens, curam et administrationem praefatas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod exinde sperati fructus proveniant, ac tuae bonae famae odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur, ipsaque patriarchalis ecclesia gubernatori provido ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium, Nostram et dictae Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis; nec non venn. fratribus Nostris suffraganeis orthodoxis ac dilectis etiam filiis vassallis dictae patriarchalis ecclesiae ac clero et populo ipsi patriarchali ecclesiae subiectis, per apostolica scripta mandamus, ut suffraganei tibi tamquam membra capiti obsequentes, exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas ita, quod mutua inter te et ipsos gratia gratos sortiatur effectus, et Nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare; clerus autem, te, pro Nostra et eiusdem Sedis Apostolicae reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent; populus vero te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant ita, quod tu in eis devotionis filios et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis; vassalli praeterea praefati, te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem solitam ac consueta servitia et iura tibi ab eis

debita integre exhibere procurent: alioquin sententiam sive poenam quam tu rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Volumus autem quod tu in sede tua patriarchali montem pietatis ad praescriptum sacrosancti concilii Tridentini instituas, conscientiam tuam super hoc onerantes; volumus etiam quod tu antequam regimini et administrationi dictae patriarchalis ecclesiae te in aliquo immisceas, in manibus duorum pariter fratrum Nostrorum archiepiscoporum et episcoporum gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentium et in istis partibus degentium seu alterius eorum fidelitatis debitae solitum praestes iuramentum, iuxta formam praesentibus adnotatam, et sic a te praestiti iuramenti formam, ad eamdem congregationem de Propaganda Fide de verbo ad verbum, per tuas patentes literas, tuo sigillo munitas, per proprium nuncium quantocitius transmittere omnino tenearis, quibus et eorum cuilibet per easdem praesentes pariter mandamus, ut ipsi vel eorum alter a te Nostro et Romanae Ecclesiae nomine, iuramentum huiusmodi iuxta eamdem formam recipiant seu recipiat.

Forma autem iuramenti quod praestabis haec est: « Ego Iacobus Holas patriarcha Ciliciae Armenorum ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro apostolo Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae et domino nostro domino Gregorio PP. XVI suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore; consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam; papatum Romanum et regalia sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem; legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo; iura, honores, privilegia et auctoritatem Sanctae Romanae Ecclesiae, Domini nostri Papae et successorum eiusdem conservare, defendere, augere et promovere curabo. Non ero in consilio, facto vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel praeiudicialia personae, iuris, honoris, status et potestatis eorum machinentur, et si talia a quibuscumque procurari novero vel tractari, impediam hoc pro posse et, quantocitius commode potero, significabo eidem Domino nostro vel alteri per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas sanctorum patrum, decreta, ordinationes, reservationes, dispositiones, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari. Haereticos, schismaticos et rebelles Domino nostro ac successoribus praedictis pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis quinquenniis personaliter et per me ipsum visitabo et Domino nostro successoribusque praedictis rationem reddam de toto meo pastorali officio deque rebus omnibus ad patriarchalis ecclesiae meae statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae meae fidei creditae sunt, salutem quoquomodo pertinentibus, et vicissim mandata apostolica praedicta humiliter recipiam et quam diligentissime exequar: quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo per certum nuncium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio cleri mei aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum seu alias personatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per dioecesanum sacerdotem, et, clero deficiente omnino, per aliquem alium presbyterum saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalem proponentem in congregatione sacri concilii Tridentini, per supradictum nuncium transmittendas. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo etiam cum consensu cleri patriarchalis ecclesiae meae, inconsulto Romano Pontifice, et constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo, et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia ».

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadrigesimo secundo, quinto kalendas februarii, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CXXXII.

EPISTOLA

Patriarchae Ciliciae Armenorum Iacobo Holas pallium concedit [1].

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

Venerabili fratri
Iacobo Holas
nuper archiepiscopo Amasien.
in patriarcham Ciliciae Armenorum electo

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum Nos hodie patriarchali ecclesiae Ciliciae Armenorum certo nunc expresso modo pastoris solatio destituta, de persona tua Nobis et venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, iuxta decretum in congregatione eorumdem fratrum Nostrorum negotiis de Propaganda Fide praepositorum desuper emanatum et per Nos approbatum, de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate providerimus, teque eidem patriarchali ecclesiae in patriarcham praefecerimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius patriarchalis ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in Nostris inde confectis literis plenius continetur, ac postmodum pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, pro parte tua fuerit Nobis hodie per dilectum filium Thomam comitem Gnoli Nostrae consistorialis aulae advocatum, ea qua decuit reverentia, postulatum: Nos tuis postulationibus annuentes, pallium ipsum de corpore beati Petri sumptum et per duos venerabiles fratres Nostros archiepiscopos vel episcopos in istis partibus degentes, gratiam tamen et communionem Sedis Apostolicae habentes, tibi assignandum per dilectum quoque filium Ioannem Topus presbyterum Armenum, nuncium tuum duximus destinandum, ut iidem archiepiscopi vel episcopi aut eorum alter illud tibi sub infrascripta forma assignent vel assignet, et a te, Nostro et Romanae Ecclesiae nomine, sub altera etiam praesentibus inserta forma fidelitatis debitae solitum iuramentum recipiant seu recipiat. Tu autem pallio eodem intra patriarchalem ecclesiam tuam illis dumtaxat diebus uteris, qui expressi in ipsius patriarchalis ecclesiae privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius serves interius in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, quatenus humilitatem et iustitiam, dante Domino, qui dat praemia et munera elargitur, observare studeas, quae suum servant et promovent servatorem, ac eamdem patriarchalem ecclesiam Ciliciae Armenorum sponsam tuam cures sollicite, auctore Domino, spiritualiter et temporaliter augere. Quocirca praedictis archiepiscopis vel episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum dictum pallium iuxta eamdem subsequentem formam tibi curent seu curet assignare et a te Nostro et eiusdem S. R. E. nomine, sub reliqua forma huiusmodi fidelitatis debitae solitum recipiant seu alter eorum recipiat iuramentum, eiusdemque sic a te praestiti iuramenti formam Nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas, tuo sigillo, munitas, per proprium nuncium quantocitius destinare procures. Forma autem qua praedicti archiepiscopi vel episcopi in assignando tibi dicto pallio utentur, haec est: « Ad honorem omnipotentis Dei ac beatae Mariae Virginis ac ss. apostolorum Petri et Pauli ac Domini nostri Domini Gregorii PP. XVI et Sanctae Romanae Ecclesiae nec non patriarchalis ecclesiae Ciliciae Armenorum tibi commissae, tradimus tibi pallium de corpore beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pastoralis officii, ut eo utaris intra ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ei ab Apostolica Sede concessis ». — Forma autem iuramenti quod praestabis, haec est: « Ego Iacobus Holas archiepiscopus Amasien., in patriarcham Ciliciae Armenorum electus, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae et Domino nostro Domino Gregorio Papae XVI suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto ut vitam perdant vel membrum, seu capiantur mala captione. Consilium vero quod mihi crediturі sunt per se aut nuncios seu literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum et regalia sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Vocatus ad synodum, veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis quinquenniis visitabo aut per me aut per meum nuncium, nisi apostolica absolvar licentia. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo, inconsulto Romano Pontifice. Et constitutionem super prohibitione investiturarum, bonorum iurisdictionalium de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia ».

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, quinto kalendas februarii, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CXXXIII.

Tradita origine et historia Ciliciae patriarchatus, confirmat et approbat electionem factam illius ecclesiae in persona Iacobi Holas, postea Iacobi Petri VII [1].

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE VIGESIMA SEPTIMA IANUAR.
MILLESIMO OCTINGENTESIMO QUADRAGESIMO
SECUNDO.

Venerabiles fratres,

Benedicti XIV gloriosissimae memoriae praedecessoris Nostri temporibus aequalis est catholicae Ciliciae patriarchatus origo. Ab eo Pontifice Abrahamus Petrus Primus, antea Aleppi archiepiscopus, in consistorio publico, Ciliciae patriarcha solemni ritu fuit renuntiatus. Quinque post eum patriarchae sedi illi praefuerunt, quorum postremus Gregorius Petrus Sextus ab immortalis recordationis pontifice praedecessore Nostro Pio VII, anno millesimo octingentesimo decimo quarto solemniter confirmatus, diem suum obiit die vigesima secunda septembris millesimo octingentesimo quadragesimo.

Non ante proximum elapsum mensem iunium congregari potuerunt novum patriarcham electuri Basilius Aivaz archiepiscopus Aleppinus, Iosehus Farra archiepiscopus Mardinensis, Iacobus Holas archiepiscopus Amasiensis, sedis patriarchalis procurator, Stephanus episcopus Adanensis. Unus defuit Michael archiepiscopus Caesareensis, qui tunc vicarius patriarchalis Tokatensem dioecesim administrabat; qui tamen literas misit, ex quibus causae legitimae constarent absentiae suae, longitudo praesertim itineris et asperitas viarum.

Convenerunt itaque quatuor, quos indicavimus, electores die trigesima iunii in coenobium Bsommarii in Monte Libano, ubi consuetis adhibitis caeremoniis, literisque perlectis archiepiscopi Caesareensis, ab aliis tribus Iacobus Holas archiepiscopus Amasiensis proclamatus est patriarcha, qui invitus licet, coactus est dignitatem accipere. Itaque Amasiae sede abdicata, Iacobi Petri Septimi nomen assumpsit.

Tum solemnis confectus est electionis seu postulationis actus, cui supradicti subscripserunt, ac duo seniores coenobitae ad testimonium vocati. Intellectum est autem ex epistola Michaelis archiepiscopi Caesareensis, quae tunc lecta est, ipsum quoque electioni assensum fuisse archiepiscopi Amasiensis, cui subinde consuetus ritu nationis honor est habitus: cuius de electione regulariter facta, itemque de probitate, zelo, prudentia ac doctrina, Franciscus Villardell archiepiscopus Philippensis delegatus apostolicus in Monte Libano solemne dedit testimonium; quarum ceteroqui virtutum idem electus cum professor fuit in collegio, ac deinde sedis patriarchalis procurator, se iam satis perspicuis commendaverat argumentis.

Non praetermisit postulatus patriarcha literas ad Nos officiosissimas mittere electionis suae, confirmationem sacrique pallii honorem implorans, idemque per constitutum a se procuratorem Nobis exhibuit a se subscriptam fidei catholicae professionem, ad normam formulae ab Urbano VIII praescriptae. Idem praestiterunt episcopi rem, uti gesta est, referentes, Nobisque supplicantes, ut actum sanctione Nostra firmaremus.

Quae cum ita sint s. congregatio Propagandae Fidei, re considerata et sedulo perpensa, preces Nobis exhibendas decrevit, ut Nostra auctoritate Iacobum Holas archiepiscopum Amasiensem, Iacobi Petri Septimi assumpto nomine, in patriarcham Armenum Ciliciae confirmemus et sacri pallii honore decoremus. Nos igitur iudicavimus eiusdem congregationis precibus annuere.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli ac Nostra confirmamus et approbamus electionem seu postulationem in patriarcham Ciliciae Armenorum, rite factam, de persona praedicti archiepiscopi Iacobi Holas, nunc Iacobi Petri, quem absolvimus a vinculo quo tenebatur ecclesiae archiepiscopalis Amasiae, et transferimus ad patriarchalem praefatam ecclesiam, praeficientes eum in patriarcham et pastorem eius nationis, prout in decreto et schedula consistoriali exprimetur.

In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

CXXXIV.

EPISTOLA

Patriarchae Hierosolymitano et Alexandrino nationis Graeco-Melchitae scribit de auxilio principibus demandato pro fidelibus eius ritus [2].

Venerabili fratri
Maximo Moylum
patriarchae Antiocheno,
Alexandrino et Hierosolymitano
nationis Graeco-Melchitae

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

[2] Ex Iure Pontificio de P. F.

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem.

Binas nuper a te accepimus literas, quae quidem licet diversa prorsus praeseferant, ambae tamen animum Nostrum vehementer permoverunt. Quod enim nuntiatus de calumniis, quas schismatici tibi intentaverant, coram gubernio isto a te repulsis, de obtenta in bonum christifidelium facultate, deque honoribus dignitati tuae istic delatis, id maximae Nobis laetitiae ac iucunditati fuit; quae vero de minis ac caedibus catholicorum in Libano editis retulisti, ea etsi nova Nobis nequaquam acciderint, nihilominus permagno Nos moerore affecerunt. Verum haec postrema sicut latere Nos antea non potuerunt, ita pastoralem Nostri sollicitudinem non effugere. Ex quo enim anno superiori ad aures Nostras infaustum nuntium devenit vexationum illarum, illico curas omnes cogitationesque Nostras eo convertimus, ut de subsidiis afflictae eorum fidelium conditioni apprime necessariis, quantum per Nos fieri posse provideremus. Itaque iam tunc, ven. frater, catholicorum principum magnanimitatem charitatemque excitavimus in Domino, ut fideles in Libano degentes ab hostium armis atque incursionibus tutarentur. Hinc porro compertum Nobis est eos iam aliquid praesidii suscepisse, eisdemque in posterum maiora etiam auxilia confidimus non defutura. Ad haec quandoquidem te fugere nequaquam possit, ven. frater, qua Nos paterna charitate omnes et singulos Ecclesiae filios, atque eos praesertim qui *in pressura sunt,* complectamur, potes existimare Nos nihil eorum praetermissuros, quae ad miseram praedictorum fidelium conditionem sublevandam magis conferre iudicabimus. Ceterum in tantis quibus Ecclesia Dei ubique premitur aerumnis, id in primis ad rem Nostram pertinere arbitramur, ut *adeamus cum fiducia ad thronum gratiae et misericordiae, ut gratiam et misericordiam inveniamus in auxilio opportuno.* Quod quidem dum facimus ex animo, dumque fraternitatem tuam ad idem praestandum sedulo adhortamur, tibi gregique tuo apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die sexta februar. millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CXXXV.

MOTU-PROPRIO

Insulam Novae Scotiae, cui hactenus praeerat vicarius apostolicus, in episcopatum erigit, cum sede in urbe Halifax [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex munere pastoralis ministerii superna Dei providentia humeris Nostris impositi, non leve sane totius dominici gregis onus ferentes, illis praecipue ovibus, quae regiones a Sede hac Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per apostolicam curam intra verum ovile ad pascua coelestia vocari valeant feliciterque perduci.

Hinc, quum ex plenissimis vicariatus apostolici Novae Scotiae ad Nos notitiis allatis certo constiterit, religionem in ea permagna insula amplos fecisse progressus, catholicos copiosissimos ibi nunc esse, sacerdotum sufficientem numerum in ea reperiri, seminarium erectum fuisse, et omnem sperandi rationem adesse, fore, ut religio catholica in ea insula quotidie magis floreat atque amplificetur, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, rem totam accurate perpendentes, ac tempus advenisse considerantes, ut ea insula in proprie dictum episcopatum erigatur, censuimus atque decrevimus, huiusmodi consilium omnino esse perficiendum.

Motu igitur Proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum literarum vi Novae Scotiae insulae vicariatum apostolicum in proprie dictum episcopatum erigimus, eiusque sedem Halifaxiam, quae praecipua insulae civitas est, constituimus, ubi episcopus deget. Ipsi autem episcopo ab hac S. Sede adlegendo omnes et singulas facultates aliis episcopis concedi solitas, eadem auctoritate Nostra concedimus et impertimur.

Haec statuimus atque praecipimus decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios ac integros effectus sortiri et obtinere, ac iis, ad quos spectat et in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cui-

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

libet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, irritumque et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo,* aliisque constitutionibus et sanctionibus apostolicis, caeterisque etiam speciali, individua et expressa mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima quinta februar. millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CXXXVI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Novo erecto episcopatui Novae Scotiae *praeficit Guilelmum Fraser episcopum Thanen.* [1].

Venerabili fratri
Guilelmo Fraser episc. Thanen.
in partibus infidelium.

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum regimini divina providentia praesidemus, illud vel maxime postulat ut, cum de ecclesiarum earumdem regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisionem ecclesiarum omnium ordinationi ac provisioni Nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Cum igitur per alias Nostras similes apostolicas literas hoc ipso die editas, quarum tenorem pro expresso et inserto in Nostris hisce praesentibus haberi volumus, vicariatus apostolicus Novae Scotiae in proprie dictum episcopatum fuerit erectus, cuius sedes esse debeat Halifaxiae, quae insulae praecipua civitas est, ex eaque episcopalis eius titulus proficiscitur, Nos ad eiusdem novae episcopalis ecclesiae provisionem celerem atque felicem, in qua nullus praeter Nos se potest intromittere, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo huiusmodi ecclesiae personam utilem ac fructosam cum venn. fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, ad te qui episcopus Thanensis in partibus infidelium existis, et hactenus vicarii apostolici illius insulae munere fungeris, oculos mentis Nostrae direximus. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, ac eamdem novam episcopalem ecclesiam Halifaxiae, de persona tua Nobis et memoratis cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorumdem fratrum consilio providere volentes, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, ab episcopatu Thanen. in partibus infidelium in illam transferimus, atque Halifaxiae ecclesiae in episcopum praeficimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae Halifaxiae tibi in spiritualibus ac temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod dirigente Domino, actus tuos praefata ecclesia Halifaxiae per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter et prospere dirigetur, grataque in ipsis spiritualibus et temporalibus incrementa suscipiet.

Iugum igitur Domini tuis impositum humeris ita studeas fideliter gerere, ut ecclesia praefata gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, ac tu, praeter aeternae retributionis praemium, Nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Tibi praeterea, ut ad ecclesiam praefatam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud illam personaliter residere minime tenearis, auctoritate Nostra apostolica, concedimus et indulgemus. Tibi insuper a quocumque malueris catholico antistite S. huius Sedis gratiam et communionem habente, adcitis illique adsistentibus duobus aliis episcopis, vel, si commode reperiri nequeat, duobus eorum loco presbyteris saecularibus vel cuiuscumque ordinis, congregationis et instituti regularibus, similem S. huius Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere possis, atque eidem antistiti, ut receptis a te prius catholicae fidei professione iuxta articulos ab hac S. Sede propositos et Nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae iuramento, dictum munus tibi auctoritate Nostra

---

[2] Ex Iure Pontificio de P. F.

impendere licite valeat, plenam ac liberam tribuimus facultatem. Volumus tamen ac praecipimus ut, nisi receptis a te iuramento ac professione fidei huiusmodi dictus antistes consecrationis munus tibique impendere, tuque illud recipere praesumpseritis, idem antistes a pontificalis officii exercitio, ac tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

Non obstantibus apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quinta februarii millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CXXXVII.

EPISTOLA

Ad Petrum episcopum Augustanum scribens, graviter cum eo queritur de iis quae in funere Bavariae reginae, quae in haeresi vixerat, acta sunt [1].

Venerabili fratri
Petro episcopo Augustano
(Augustam Vindelicorum)

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Officium perlibenter accepimus, quod natalitiis sollemniis recurrentibus, novoque exordiente anno, tuae ad Nos literae detulerunt. Grati autem piis votis, quae pro incolumitate Nostra, prosperoque apostolicae Nostrae sollicitudinis cursu suscepisti, et Nos vicissim oramus atque obsecramus Dominum, ut te, venerabilis frater, uberioribus cumulet caelestis gratiae donis, quae in traditas quoque curae tuae oves copiosa descendant. Aequi autem bonique facias, ven. frater, si ut Nostro satisfaciamus muneri, hac ipsa familiari epistola graviter querimur de iis, quae in tua dioecesi acta sunt, cum nuper acatholica princeps serenissima regina vidua ab hominibus demigravit. Aequum sane erat ut Bavari defunctam reginam civilibus, eiusque dignitati congruis honoribus prosequerentur. Sed Nobis sermo hic est de catholicis ritibus in eius funere adhibitis: habemusque ob oculos tuas literas, quas die decima nona novembris ea de re ad parochos dederas. Vix autem possumus explicare verbis, quantum concepimus animo dolorem cum ex earundem lectione cognosceremus, iussisse te, ut publicae illae supplicationes, *quae pro omnibus in christiana et catholica societate defunctis* [2] institutae ab Ecclesia sunt, haberentur istic pro muliere principe quae in haeresi, ut manifestissime vixerat, ita et diem obiit supremum. Nec quidquam ad id refert, si potuerit eadem in extremis vitae momentis, occulto Dei miserentis beneficio, illuminari ad poenitentiam. Etenim secretiora haec divinae gratiae mysteria ad exterius ecclesiasticae potestatis iudicium minime pertinent: atque hinc veteri iusta [3] ac nova [4] Ecclesiae disciplina interdictum est, ne homines, in externa notoriaque haeresum professione defuncti, catholicis ritibus honorentur. Atqui satis tibi non fuit catholicos ritus hac occasione praescribere; sed iussisti etiam ut in funebri defunctae laudatione sacer orator eam commendaret speciatim piis fidelium precibus, ac vetuisti ne quidquam porro adiiceret ad differentiam inter illud funus et catholicorum funera explicandam. Immo in tuarum literarum exordio non es veritus de illius morte ita loqui, ut ipsam a Deo avocatam diceres ex hoc saeculo in vitam aeternam. Non videmus equidem quomodo id a te fidenter adeo nullaque adiuncta declaratione affirmatum componi possit cum catholico dogmate de necessitate verae catholicae fidei ad obtinendam salutem; cum eo, inquimus, dogmate, quod inter praecipuos articulos in formulas professionis fidei relatum [5] Nos quoque in encyclica epistola ad Bavariae antistites tuendum commendavimus [6] tanquam antidotum contra grassantem indifferentismi pestem, hoc praesertim tempore necessarium. Haec non ideo scribimus, ven. frater, quasi eamdem Ecclesiae doctrinam ignorari a te vel minimum suspicemur: sed episcopum, ut probe nosti, ea semper et loqui et iubere et agere opus est, quae gregi suo in aedificationem futura sint non in destructionem.

---

1 Ex Archivio Brevium ad Principes.

2 Ex Augustino lib. de cura pro mortuis cap. 4 seu n. 6. (tom. VI edit. Maurin.).

3 V. Greg. III in cap. 3. epist. I. ad Bonifacium Germanorum apostolum (apud Gratianum can. *Pro obeuntibus* 21, c. XIII, q. 2); accuratius autem, apud Hartzheim Concilior. Germaniae tom. I. pag. 39: cap. *Sicut* 8 de Haereticis, ex conc. Later. III Alexand. IV. cap. 2. eod. tit. in sexto.

4 Martinus V cum concilio Constantiensi in constitutione *Inter cunctas* 22 febr. 1418 vers. *et si tales* tom. V Concilior. German. pag. 82: Synodus Augustana anni 1567 part. 3. cap. 15. tom. VII Concil. Germ. pag. 195: concilium Salisburgense an. 1569 constit. 51. cap. 9 (ibidem pag. 358): Rituale Roman. tit. *de Exequiis.*

5 V. Professionem Fidei, qua Latinae Ecclesiae utuntur; nec non eam qua utuntur Graeci Catholici ex formula praescripta a Gregorio XIII (constit. *Sanctissimus* 51 Bullarii Rom. nov. edit. tom. IV part. 3. p. 312); eam denique qua utuntur alii Catholici Orientales ex constit. Urbani VIII (ap. Bened. XIV constit. *Nuper* 78 Bullar. eiusd. Pontif. tom. I.).

6 Haec epistola ad archiepiscopos et episcopos regni Bavariae data est die 27 maii 1832.

Plane autem non dubitamus, quin hac adhortatione Nostra excitatus, scandalum, quod fidelibus ex tua epistola et funere illo obvenit, idoneis deinde occasionibus, prout res retulerit, et prudentia suggesserit, reparare adnitaris; tuasque fideles oves pro loco ac tempore opportunis modis praemunire non negligas adversus inanem fallaciam magistrorum auribus prurientium, qui hominem a vera fide et unitate catholica alienum, ad aeternam vitam, etsi ita obierit, pervenire posse comminiscuntur. Hunc in finem, atque ad pericula similium funerum deinceps avertenda, erit quoque tui muneris, ut Nostram hanc epistolam caute deponas in tabulario tuo episcopali, atque ibidem asservandam cures in memoriam posteritatis. Praestolamur ex animo occasionem aliquam ut te, ven. frater, iucundioribus literis loquamur. Interim cave, ne dubites de Nostra in te ardentissima caritate; cuius immo non aliud nunc praebere potuimus luculentius documentum, quam ut Nostra de facto illo tuo significata sententia hortaremur, te ad pastorale munus in salutem tuam gregisque tui, maiori in dies cautione ac sedulitate gerendum. Denique Nostrae eiusdem in te benevolentiae pignus adiungimus apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde depromptam, et cum vere omnis prosperitatis voto coniunctam tibi ipsi, ven. frater, et omnibus quibus praees, clericis laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die decima sexta februar. millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CXXXVIII.

INDULTUM

Quo fit concessio indumentorum magis insignium favore canonicorum cathedralis ecclesiae Sabinensis [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontifices honorum insignia iis potissimum viris tribuere semper consueverunt, qui divino ministerio addicti, conspicuis in templis levantes manus eorum in sancta, in hymnis et canticis laudes Deo concelebrant, ut ipsi quemadmodum honoris ac dignitatis gradu, ita etiam magis magisque virtutum omnium ornatu, ceteris praestare, et tanquam lucernae ardentes in templo Domini fulgere conentur.

Exponendum Nobis curavit ven. frater Noster Aloysius S. R. E. cardinalis Lambruschini episcopus Sabinus, eius in votis esse dignitates et canonicos cathedralis templi Manliani honorificentiori chorali insigni decorari. Nos vero eiusdem clarissimi viri qui a Publicis Nostris Negotiis, et aliis maximis gravissimisque in exemplum fungens muneribus tanta cura, prudentia, sapientia, consilio, labore adiutricem suam operam Nobis atque huic Apostolicae Sedi praebere nunquam intermittit, quique tot sane nominibus de christiana et civili republica est optime meritus, desideriis quamlibentissime annuendum esse censuimus.

Quamobrem omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, dignitatibus et canonicis vetusti atque insignis cathedralis templi Manliani, Sabinae dioeceseos, perpetuum in modum, auctoritate Nostra apostolica, concedimus et indulgemus, ut loco pallioli seu mozzettae, quam antea deferebant, sacram trabeam, vulgo Cappa magna, mustelae alpinae, vulgo armellino, pellibus subsutam, in choro, in conventibus, seu uti dici solent in capitulis, cum deliberationis causa coguntur, in sacris supplicationibus aliisque canonicorum collegii functionibus publicis gestare libere ac licite possint et valeant, eodem modo quo patriarchalium ecclesiarum huius almae Urbis canonici utuntur.

Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque ad praemissorum effectum perpetuo suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari ac definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis ac universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et sanctionibus, ac, quoties opus fuerit, eiusdem canonicorum collegii et ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima octava februar. millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

---

1 Ex Archivio Capitulari Cathedralis Ecclesiae Sabinen.

CXXXIX.

LITTERAE APOSTOLICAE

Publicae preces commendantur et indicuntur ob infelicem religionis statum in Hispaniae regno, concessa plenaria indulgentia in forma Iubilaei [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Catholicae religionis causa a supremo pastorum principe et amantissimo humani generis reparatore Christo Iesu, humilitati Nostrae commissa, et caritas illa, qua omnes populos, gentes, nationes prosequimur, ita Nos intime premunt et urgent, ut nil unquam praeterire possimus, quod ad fidei depositum integre custodiendum, et ad animarum perniciem propulsandam pertinere intelligamus. Iam vero compertissimum est, quo statu sint religionis res in Hispania, quantoque cum animi moerore tristissimas Ecclesiae eo in regno vicissitudines pluribus ab hinc annis lugere cogamur. Equidem ille populus, quin ab sanctissimis patrum suorum documentis desciverit, orthodoxae fidei est summopere addictus, et clerus maxima ex parte strenue praeliatur praelia Domini, sacrique antistites fere omnes, licet miserandum in modum vexati, vel etiam expulsi, et gravissimis aerumnis affecti, in proprii gregis salutem curandam pro viribus incumbunt. Attamen perditionis homines, nec numero pauci, ibidem reperiuntur, qui nefaria inter se societate coniuncti, tanquam fluctus feri maris despumantes confusiones suas, teterrimum adversus Christum et Sanctos eius bellum gerunt; et maximis iam catholicae religioni damnis illatis, eam, si fieri posset, evertere impie commoliuntur.

Nos profecto pro ministerii Nostri munere, apostolicam vocem attollentes, gravissima a Matritensi gubernio Ecclesiae inflicta vulnera publice lamentari non praetermisimus; actaque omnia a civili potestate contra ipsius Ecclesiae iura et leges edita, plane nulla et irrita declaravimus. Omni praeterea doloris significatione atrocissimas iniurias ac calamitates venn. fratribus illius regni episcopis et sacris utriusque cleri personis irrogatas, nec non abominationem in loco sancto constitutam, et ecclesiastica bona sacrilege direpta, divendita, et publico aerario adiudicata, vehementer conquesti sumus; in memoriam una simul revocantes poenas ac censuras, quas apostolicae constitutiones et oecumenica concilia ipso facto incurrendas iis infligunt, qui talia facinora patrare non reformidant. Atque hoc apostolici Nostri muneris officium semel et iterum obeundum curavimus binis allocutionibus ad venn. fratres Nostros S. R. E. cardinales habitis in concistorio calendis februar. anno millesimo octingentesimo trigesimo sexto et calendis mart. anno millesimo octingentesimo quadragesimo primo: quas quidem typis edi iussimus, ut scilicet apostolicae Nostrae sollicitudinis ac reprobationis publicum illudque perenne monumentum existeret.

In eam sane spem erigebamur fore, ut Nostra haec vox, quae ex afflictissimo communis omnium fidelium patris corde erumpebat, exaudiretur; utque iteratis Nostris monitis ac expostulationibus, dura istiusmodi contra catholicam religionem persecutio cessaret. Hac certe de causa dies noctesque ad Crucifixi pedes provoluti, plurimas inter lacrimas et gemitus in humilitate cordis Nostri orare nunquam intermisimus, ut pro immensa sua misericordia, laboranti Hispanicae nationi adiutricem dexteram porrigere, et errantibus, ut in viam possent redire iustitiae, veritatis suae lumen ostendere vellet. At inscrutabili divino iudicio nullus adhuc spei Nostrae respondit eventus: immo vero ita per vastissimas eas regiones mala in dies augeri conspicimus, ut catholicae religioni extremum veluti excidium palam intentetur. Silentio enim praetereuntes alia permulta satis explorata, quae contra sanctissimas Ecclesiae leges atque huius Apostolicae Sedis iura recentissime decreta, vel etiam perfecta ibidem sunt, eo sceleris deventum esse dolemus, ut diabolica sane malitia, execrabilis lex supremis regni comitiis proposita fuerit, in id potissimum tendens, ut legitima ecclesiastica auctoritas omnino tollatur, impiaque statuatur opinio, laicam potestatem supremo suo iure Ecclesiae ipsi eiusque rebus dominari.

Et quidem ea in lege constituitur, ab Hispanica gente nullam huius Apostolicae Sedis rationem habendam; omnem cum ipsa communicationem pro quibusvis ecclesiasticis gratiis, indultis, concessionibus intercipiendam, eosque omnino puniendos, qui huiusmodi praescripto adversentur. Item sancitur, ut litterae apostolicae aliaque rescripta ab Sancta eadem Sede profecta, quin ex Hispania fuerint petita, non solum minime serventur, omnique careant effectu; verum etiam ab iis, ad quos pervenerint, civili auctoritati brevissimo temporis intervallo denuncientur, ut per eam dein gubernio tradantur, poena quoque in huiusce praescriptionis violatores statuta. Praeterea decernitur matrimonii impedimenta regni episcopis fore subiecta, donec civilium legum codex inter matrimonii contractum et sacramentum discrimen ponat; neque ullam de religiosis rebus causam ab Hispania Romam mitti posse,

[1] Ex opere cui titulus « Editti » anno 1842, existente in Bibliotheca Casanatensi de Urbe vol. I, doc. 74.

et nullo unquam tempore vel nuntium vel huius Sanctae Sedis legatum illic admissum iri, cum potestate gratias sive dispensationes, licet gratuitas, concedendi. Quid plura? Excluditur plane sacratissimum Romani Pontificis ius confirmandi vel reiiciendi episcopos in Hispania electos; atque adeo exilii poena mulctantur tum presbyteri ad aliquam episcopalem ecclesiam designati, qui ab Sancta hac Sede vel confirmationem, vel apostolicas literas petierint; tum metropolitani qui pallium ab ipsa postulaverint. Post haec mirum profecto, quod ipse Romanus Pontifex tamquam Ecclesiae centrum haberi ea in lege asseratur: cum quo tamen communicationi locus non relinquitur, nisi intercedente venia et inspectione gubernii.

In hac igitur tanta catholicae religionis per Hispaniam perturbatione ingravescentia ibidem mala, quantum in Nobis est, compescere, Nostramque opem carissimis illis fidelibus, qui iamdiu supplices ad Nos tendunt manus, ferre summopere cupientes, praedecessorum Nostrorum exemplo, statuimus ad universae Ecclesiae preces confugere, et omnium catholicorum pietatem erga afflictam nationem illam studiosissime excitare. Et certe cum nemo possit ab huius tristitiae participatione secerni, atque in tanto religionis et fidei discrimine una cunctis dolendi sit caussa, una pariter omnium iuvandi ratio esse debet. Itaque, dum Nostris hisce literis, questus expostulationesque in memoratis allocutionibus editas renovamus et confirmamus, actaque omnia a Matritensi gubernio contra Ecclesiae Sanctaeque huius Sedis iura et dignitatem hactenus gesta, et in primis propositam nuper legem reprobamus, abrogamus, nulliusque roboris fore edicimus, singulos venn. fratres patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos, qua late patet catholicus orbis, gratiam et communionem cum hac Apostolica Sede habentes, pro ea qua in Domino unum sumus caritate, proque ea fide qua in unum corpus coalescimus, etiam atque etiam hortamur, ut, suas cum Nostris miscentes lacrimas, divinam flectere iram, et omnipotentis Dei misericordiam pro infelici Hispanica natione implorare unanimiter contendant, commissumque sibi clerum ac populum ad assiduas in idipsum preces enixe studeant inflammare. Volumus vero atque mandamus, ut singuli intra pontificiam Nostram ditionem venn. fratres archiepiscopi et episcopi in propriis dioecesibus, ea ratione qua magis in Domino expedire censuerint, publicas ad misericordiarum Patrem obsecrationes peragendas curent, ut propter Filii sui sanguinem, qui pro omnibus effusus est, in Hispaniae regno tentationis dies abbrevientur. Utque facilius Deus inclinet aures suas ad preces Nostras, suppliciter omnes adeant Deiparam Virginem potentissimam Ecclesiae auxiliatricem, nostrumque omnium amantissimam matrem et fidissimam Hispaniae patronam; suffragia insuper petant Principis Apostolorum, quem Christus Ecclesiae suae petram constituit, adversus quam portae inferi non praevalebunt; itemque Coelitum omnium, eorum praesertim qui Hispaniam virtute, sanctitate, prodigiis magnopere illustrarunt. Quo autem singuli cuiusque ordinis, gradus et conditionis fideles ferventiore caritate atque uberiore cum fructu orationibus et obsecrationibus instent, caelestium munerum thesauros liberali manu proferre decrevimus. Hinc plenariam in forma Iubilaei concedimus indulgentiam, lucrandam ab omnibus christifidelibus, qui sacramentali confessione rite expiati, ac sanctissima Eucharistia refecti, solemnibus supplicationibus, proprii cuiusque Ordinarii arbitrio statuendis, tribus saltem vicibus interfuerint, et in ecclesia ab ipsis Ordinariis designanda ter intra quindecim dies supradicta de causa ferventer oraverint.

Futurum sane confidimus ut angeli pacis, habentes phialas aureas et thuribulum aureum in manu sua, fervidas humilesque Nostras et totius Ecclesiae pro Hispania preces offerant super altare aureum Domino, utque ipse, qui dives est in miserationibus, benigno eas vultu excipiens, Nostris et communibus fidelium votis annuere velit, ac simul perficere, ut in dextera sua et brachio fortitudinis suae inibi tandem aliquando, destructis adversitatibus et erroribus, sancta mater Ecclesia a tantis calamitatibus respiret, atque ea pace et libertate fruatur, qua Christus ipsam donavit.

Ut vero hae Nostrae literae omnibus facilius innotescant, nec quisquam ipsarum ignorantiam allegare possit, volumus ac iubemus, eas ad valvas basilicae Principis Apostolorum et Cancellariae Apostolicae nec non Curiae generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda februar. millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CXL.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus canonicis collegiatae ecclesiae oppidi Spinazzola, dioecesis Venosinae, datur facultas gestandi rocchetum et almutiam cum caputio violacei coloris, cui pertexta sit pellis subcinericii coloris [1].

---

1 Ex Archivio Secretariae Brevium.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romanorum indulgentia Pontificum peculiaria ornamenta aliquando illis tribuit, qui Deo laudes conspicuis in templis persolvunt, ut externa decora adepti, magis illi conentur internis virtutibus enitere, et ad sacra ministeria accurate implenda benignitatis etiam apostolicae incitamento impellantur.

Quum igitur ven. frater Michael ecclesiae Venusinae episcopus enixis precibus a Nobis efflagitaverit, ut clero collegiatae ecclesiae oppidi Spinazzola suae dioecesis, roccheti et almutiae usum caputio violacei coloris, cui pertexta sit pellis subcinericii coloris, benigne concedere velimus, gravibus ipsius episcopi rationibus permoti, alacri libentique animo eius votis annuendum esse existimavimus.

Itaque omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, clero collegiatae ecclesiae oppidi Spinazzola, Venusinae dioeceseos, ut in choro, in conventibus, seu, ut dici solet, capitulis, quum deliberationis causa coguntur, in sacris supplicationibus aliisque eiusdem collegiatae ecclesiae functionibus publicis quibuscumque, rocchetum et almutiam cum caputio violacei coloris, cui pertexta sit pellis subcinericii coloris gestare libere et licite possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica, harum literarum vi, concedimus et indulgemus.

Decernentes iccirco hasce literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit eiusdem collegiatae ecclesiae etiam iuramento atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die prima mart. millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CXLI.

EPISTOLA

Aloysii S. R. E. cardinalis Lambruschini secretarii Status ad omnes episcopos pontificiae ditionis, qua declarantur facultates, quibus uti possint poenitentiae sacramenti administri, tempore iubilaei pro Hispania indicti [1].

Illme et rme domine.

Probe noscis SS. Dominum Nostrum Gregorium XVI Pontificem Maximum suis apostolicis literis die decima secunda februar. vertentis anni sub annulo piscatoris datis, pro sua singulari sapientia ac providentia universum catholicum orbem excitasse ad fervidas apud Deum pro Hispania preces fundendas ob tristissimas catholicae religionis eo in regno vicissitudines. Cum autem iisdem in apostolicis literis concesserit plenariam indulgentiam in forma iubilaei quindecim dierum spatio a christifidelibus lucrandam, qui pia opera in ipsis literis expressa implenda curaverint, tum declaravit omnes cuiusque dioecesis poenitentiae sacramenti administros hoc in tempore iis facultatibus uti posse, quas de apostolicae suae potestatis plenitudine Romae concessit, et sunt quae sequuntur:

Et primo omnibus utriusque sexus et cuiusvis conditionis et instituti etiam religiosi christifidelibus facultatem concedit sibi eligendi quemlibet presbyterum confessarium saecularem, vel cuiusque ordinis regularem ex approbatis in propria dioecesi.

Confessariis vero hac vice dumtaxat amplam tribuit facultatem absolvendi christifideles, eosque liberandi in foro conscientiae ab omni excommunicationis, suspensionis et interdicti sententia aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, poenis a sacris canonibus et iudicibus quavis occasione et causa latis, atque ab omnibus peccatis, licet gravibus et enormibus, etiam quovis modo Ordinariis locorum, vel summo Pontifici, aut Apostolicae Sedi reservatis, ex quacumque constitutione Sanctitatis Suae, vel aliorum Romanorum Pontificum eius praedecessorum, quae speciali quoque mentione indigeret, ne excepto quidem haeretico dogmatizante, vel illo qui sui delicti complices habet, non tamen in re turpi.

---

[1] 1 Ex Archivio Brevium ad Principes.

Praeterea iisdem confessariis facultatem impertitur commutandi quaecumque vota (exceptis tamen semper votis castitatis perpetuae et religionis) in alia pia opera, ita tamen ut salutaris poenitentia, vel aliud in omnibus expressis casibus imponatur pro cuiusque confessarii arbitrio.

Verum Sanctitas Sua neque dispensat neque concedit facultatem dispensandi vel habilitandi et restituendi ad pristinum statum etiam in foro conscientiae super aliqua publica vel occulta irregularitate, aut nota, defectu et, uti dicunt, *incapacitate, inhabilitate,* quovis modo ex defectu contracta. Insuper declarat huiusmodi iubilaeum neque posse neque debere ullo modo suffragari iis, qui a Summo Pontifice vel ab Apostolica Sede vel ab aliquo praesule aut iudice ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti fuerint vel denunciati, nisi intra huiusmodi iubilaei tempus partibus satisfecerint, vel cum ipsis concordiam inierint. Haec tibi Sanctitatis Suae iussa mihi erant significanda, ut omnia pontificiae benignitati plane respondeant. Atque interea manus humillime deosculor.

Datum Romae die 3 mart. 1842.

Addictissimus famulus
A. card. LAMBRUSCHINI.

CXLII.

EPISTOLA

Ad Mariam Portugalliae et Algarbiorum reginam auream rosam mittit [1].

Carissimae in Christo filiae Nostrae
Mariae
Portugalliae et Algarbiorum
reginae fidelissimae

GREGORIUS PP. XVI.

Carissima in Christo filia Nostra,
salutem et apostolicam benedictionem.

Has fidelissimae tuae maiestati literas reddet dilectus filius presbyter Stephanus Vizzardelli, consiliarius et adiutor Nostri istic internuntii et delegati apostolici, idemque adscitus inter Nostros intimos cubicularios, quem modo ablegati ad te Nostri titulo decoravimus, ut tibi, carissima in Christo filia Nostra, rosam auream proxima dominica die solemnibus caeremoniis a Nobis benedictam, Nostro nomine afferat. Enimvero a multis iam saeculis in more positum est, ut Romanus Pontifex memorata die in qua Ecclesiae filii paschalium gaudiorum expectatione laetari iubentur, auream huiusmodi rosam in spiritualis eiusdem laetitiae signum ante missarum solemnia mysticis unctionibus et benedictionibus consecret. Nobis igitur sacro eo ritu perfunctis, congruum visum est mittere benedictam illam rosam maiestati tuae, ut novum in ipsa documentum accipias Nostrae in te paternae flagrantissimae caritatis, ac certissimae spei qua substentamur, sacras istic res te pro avita pietate impensius favente ac opitulante in canonicum ordinem debitumque splendorem sine mora instaurandi. De reliquo supervacaneum ducimus loqui hic de probitate, religionis studio sacraque omnis generis doctrina, qua dilectus filius Stephanus ablegatus Noster praeditus est; quandoquidem egregias illius dotes maiestati tuae perspectas esse confidimus, quare non dubitamus quin eumdem huic deferendo muneri a Nobis destinatum, ea excipias humanitate ac benignitate, quae regii animi tui propria est, quaeque ipsius meritis Nostraeque in te benevolentiae respondeat. Interea non desistimus supplices Deo O. M. preces offerre, ut super te, carissima in Christo filia Nostra, tuosque omnes sua benignus dona multiplicet. Ac superni huius praesidii auspicem apostolicam benedictionem fidelissimae maiestati regiaeque domui tuae amantissime impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima secunda mart. millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CXLIII.

EPISTOLA

Ad Mariam Portugalliae reginam scribens, gratum habet quod proles ab ea nascitura sacro fonti nomine suo admoveatur [2].

Carissimae in Christo filiae Nostrae
Mariae
Portugalliae et Algarbiorum
reginae fidelissimae

GREGORIUS PP. XVI.

Carissima in Christo filia Nostra,
salutem et apostolicam benedictionem.

Redditae Nobis sunt humanissimae litterae, datae a maiestate tua fidelissima, die decima prima mensis proximi, quibus enixe postulas, ut regia proles, quam propediem feliciter, uti

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

[2] Ex eodem Archivio.

confidimus dante Domino, paritura es, sacro fonti, nomine Nostro admoveatur. Tuum huiusmodi desiderium sensibus commendatum religionis eximiaeque in Nos pietatis, quos iisdem literis confirmasti, perlibenti equidem gratoque animo accepimus; quum praesertim novo, illud, eodemque luculentissimo Nobis documento sit, te, carissima in Christo filia Nostra, id omnino spectare, ut mutuae inter Nos et regiam maiestatem domumque tuam benevolentiae ratio augeatur, atque inde facilius Nobis contingat, sacras res in regno isto, novissimorum temporum calamitate deiectas, ad canonicum ordinem congruumque revocare splendorem. Itaque morem gesturi maiestati tuae, indulgemus primum apostolica Nostra auctoritate, ut sacramentum baptismatis, tuo illi seu filio seu filiae conferatur a viro ecclesiastico quem suarum virtutum suffragantibus meritis, tu ipsa, carissima in Christo filia Nostra, in id designaveris. Aliis autem Nostris literis, hac die sub piscatoris item annulo datis, dilecto filio Francisco Capaccini ex ordine praelatorum pontificalis domus, Nostroque apud tuam maiestatem internuntio ac delegato apostolico mandavimus, ut regiam eamdem prolem nomine ac vice Nostra e baptismatis fonte suscipiat. Commendavimus alias maiestati tuae memoratum Franciscum internuntium Nostrum; cuius modo apud te residentis virtutes dotesque animi egregias quum ipsa plenius cognoveris, dubitare non possumus, quin eumdem spectatissimum praesulem in novo hoc procuratoris ea in re Nostri ministerio, gratum acceptumque habitura sis. Interea Deum O. M. oramus et obsecramus ut fidelissimam tuam maiestatem sospitet felicique validae sobolis partu laetificet, tibique atque illi tuisque omnibus, cuncta, quaecumque sunt vere prospera et salutaria, largiatur. Ac Nostrae pignus studiosissimae caritatis apostolicam benedictionem tibi, carissima in Christo filia Nostra, regiaeque domui universae intimo cordis affectu amantissime impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima secunda martii millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CXLIV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus nonnulla statuuntur de abbatia, vulgo del Tiglietto, *Aquensi in dioecesi instituta* [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romanum certe decet Pontificem, summorum principum postulationibus ultro libenterque annuere, cum ipsi praesertim de catholica religione deque hac Apostolica Sede optime sunt meriti. Expositum Nobis est in Aquensi dioecesi, provinciae Pedemontanae, in Valle Urbe territorii vulgo Sassello, Ianuensis ducatus, divitem abbatiam titulo Mariae Sanctae vulgo *del Tiglietto* iam inde ab anno millesimo ducentesimo institutam existere. Cuius abbatiae fundi praeteritis luctuosis temporum vicibus eidem aliorum redituum vulgo *Luoghi di Monte,* qui in praesentia illius beneficii dotem constituunt, imminutioni subiecti fuere. Cum vero cla. me. cardinalis Caprara, ultimus eiusdem abbatiae possessor, ex hac vita migravit, eadem abbatia cardinali haud fuit collata, quemadmodum antea fieri solebat, sed illius dos anno millesimo octingentesimo vigesimo secundo, veluti simplex beneficium in aede sanctorum Vincentii et Anastasii institutum, presbytero fuit attributa, cum onere aliquarum pensionum super eiusdem abbatiae fructibus. Eodem autem vertente anno, e vivis erepto ipso beneficiario presbytero, rector commemorati templi sanctorum Vincentii et Anastasii apostolicum obtinuit indultum, quoad decennium illius beneficii collatione dilata, omnes reditus eo temporis spatio, in eiusdem templi utilitatem erogari possent. Cum vero eo tempore actum est de reditibus transferendis, vulgo *Luoghi di Monte* illius abbatiae nomen habentibus, et cum aliis veteribus notatis, qui ad ecclesiastica Ianuensia pertinebant bona, evenit ut regia Sarda legatio huic Apostolicae Sedi iura exposuerit, quae ad Sardiniae regem spectare poterant, super huiusce beneficii nominatione, quod quidem beneficium veluti abbatia consistorialis in ditione extinctae Ianuensis reipublicae existens, in aliorum Ianuensium beneficiorum consistorialium conditione reperiebatur. Iam vero cum nomine carissimi in Christo filii Nostri Sardiniae regis illustris Nobis eadem iura fuerint exposita, Nos iustis eiusdem religiosissimi principis desideriis quamlibentissime annuentes, auctoritate Nostra apostolica, haec statuenda censuimus.

Et primo quidem ad Sardiniae regem illius abbatiae nominationem proprio iure pertinere declaramus, quemadmodum rex idem iure pollet nominandi ad alias consistoriales abbatias sui regni. Huiusmodi autem beneficium in pristinum suum titulum abbatiae Mariae Sanctae *di Tiglietto,* Aquensi in dioecesi fundatae, eadem auctoritate Nostra apostolica restituimus, cuius nominatio ad ipsum Sardiniae regem spe-

---

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

ctabit, ad instar aliorum consistorialium beneficiorum. Praeterea eodem rege annuente volumus, ut pensiones super fructibus huius beneficii in praesentia impositae serventur; ita tamen ut pensiones ipsae ad abbatiam *del Tiglietto* redeant, statim ac quisque ex presbyteris, qui hisce pensionibus fruuntur, diem supremum obierit. Insuper eiusdem pientissimi regis votis obsecundantes, concedimus atque indulgemus, ut aliquo temporis spatio huius beneficii collatio differatur, quo illius fructibus una cum fundo reliquorum, vulgo *arretrati*, sacra supellex comparetur, qua regia Ssmi Sudarii ecclesia huius urbis indiget, dempta tamen pecunia quinque pensionum, quae nunc beneficii fructibus inhaerent.

Denique eiusdem Sardiniae regis pro tempore administro facultatem tribuimus, qua reditus ipsos exigere atque eos in commemoratum usum impendere queat.

Haec concedimus atque indulgemus, volumus et mandamus, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quoties opus fuerit, Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo*, ac fel. rec. Bened. XIV praedec. Nostri, *super divisione materiarum*, aliisque apostolicis, atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, aliisque etiam speciali et individua mentione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima octava martii millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CXLV.

EPISTOLA

Raphaelem Fornarium apud Belgarum regem internuntium, ad eamdem regiam aulam nuntium destinat [1].

Serenissimo ac potentissimo
Leopoldo
Belgarum regi illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Serenissime ac potentissime rex, salutem et apostolicam benedictionem.

Quod propositum Nobis fuit, cum dilectum filium Raphaelem Fornarium, Nostrum Sanctaeque huius Sedis internuntium ad regiam maiestatem tuam legandum duximus, ut eius cura studioque rei catholicae in regno isto commodis provisum esset, unaque vincula officiosae, quibus feliciter iungimur, voluntatis, magis magisque constringerentur, id cum Nobis videamur divino beneficio esse consecuti, est sane cur actis humiliter Deo gratiis, eidem illi, cuius in implendis partibus officii sui praeclara integritatis, fidei, studii religionis cum singulari prudentia extiterunt documenta, probationis Nostrae luculentum reddamus testimonium. Eius itaque visum Nobis est in Domino amplificare dignitatem, ipsumque creatum archiepiscopum Nicaenum ex internuntio, Nostrum et Sedis Apostolicae nuntium apud eamdem maiestatem tuam destinare. Hominem satis diu iam tibi cognitum dignumque habitum benevolentia tua, minime dubitamus quin rei catholicae utilitatibus maiore in dies alacritate provehendis nova iugiter virtutis suae praebeat documenta: quod ut eveniat, quoniam illi maxime opus est favore tuo, eum tibi iterum impense commendamus, petimusque abs te, ut ipsi apud te agenti Nostro nomine perinde habeas fidem, ac Nobismetipsis coram loquentibus haberes: sic existimans quaecumque regiae in eum tuae praebueris indicia benevolentiae, ea Nos totidem tuae erga Nos voluntatis argumenta esse ducturos, quemadmodum tam multa illa duximus, quae in eumdem a te antea collata sunt beneficia. Debitas interim pro his gratias persolvimus regiae maiestati tuae; ac Deum O. M. suppliciter obsecramus, ut te, serenissime ac potentissime rex, quam diutissime sospitet, ac dono cumulatum, omnis verae solidaeque prosperitatis perfecta Nobiscum caritate coniungat.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima octava mart. millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

CXLVI.

EPISTOLA

Engelbertum S. R. E. presbyterum cardinalem Sterchx omnesque episcopos Belgicos de dignitate archiepiscopali ac nuntii titulo Raphaeli Fornari apud Belgarum regem collatis, certiores facit [1].

Dilecto filio Nostro
Engelberto tit. s. Bartholomaei in Insula
presb. S. R. E. card. Sterchx
archiepiscopo Mechliniensi
et venn. fratribus episcopis Belgii
eius suffraganeis

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili Noster, venn. fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Opportunum in Domino iudicavimus Nicaeni archiepiscopi dignitate et apostolici nuntii titulo augere dilectum filium Raphaelem Fornarium, qui Nostri istic internuntii munere hactenus fungebatur. Confidimus enim fore ut amplioribus hisce honoribus decoratus, Nostra catholicaeque religionis negotia alacrius et pleniore cum fructu agat, atque adeo de vestris ecclesiis quotidie magis bene mereatur. Itaque, dilecte fili Noster, venn. fratres, has ad vos literas damus, non tam ut commendemus eximiam doctrinam virtutemque ipsius praesulis iamdudum vobis perspectas, quam ut gratias agamus pro benignitate et officiis quibus eidem adhuc adfuistis: atque ut testemur et confirmemus studium praecipuae benevolentiae, quod promeriti a Nobis estis, singulari vestra devotione et obsequio his aliisque pluribus documentis comprobato: quae quidem dubitare Nos minime sinunt, quin posthac pariter memoratum praesulem ad obeundas ministerii sui partes, pro loco ac tempore iuvare impensius connitamini. Interea non desistimus Deum O. M. orare suppliciter et obsecrare, ut super vos et super omnes vestrarum ecclesiarum clericos laicosque fideles, sua propitius dona multiplicet. Ac superni huius praesidii auspicem apostolicam benedictionem vobis ipsis, dilecte fili Noster, venn. fratres, atque illis, toto cordis affectu, peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima octava martii millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CXLVII.

EPISTOLA

Ad Aloysiam Belgarum reginam scribens, nuntium apostolicum Raphaelem Fornari, cuius merita ostendit, ex animo commendat [2].

Carissimae in Christo filiae Nostrae
Aloysiae
Belgarum reginae illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Carissima in Christo filia Nostra
salutem et apostolicam benedictionem.

Nostrum et Apostolicae Sedis nuntium apud regiam maiestatem viri tui dilectum filium Raphaelem Fornarium constituimus, antea apud eumdem internuntii apostolici ac legati extraordinarii Nostri munere fungentem. Hoc ut honore eius amplificandam duxerimus dignitatem, praeclaris quibus praestat ingenii animique ornamentis, factum est, cognitione rerum, integritate, fide, prudentia, zelo religionis ac pietatis, ita ut firmam afferret spem fore, ut quo amplius a Nobis acciperet ministerium, eo acriore divinae gloriae, Sanctaeque Ecclesiae utilitatum studio incitaretur. Huic igitur has misimus literas reddendas maiestati tuae, eique praecipue dedimus in mandatis, ut te adiens, plurimam Nostro nomine salutem dicat et existimationem planeque paternam voluntatem in te, Nostram, amplissima testificatione confirmet. Hominem satis iam tibi cognitum, multis commendare haud opus esse ducimus; nonnihil tamen indulgere sollicitudini Nostrae Nos sinas, petentes abs te, ut nuntii huius Nostri pro re catholica Sanctaque hac Sede curas et labores apud regem coniugem adiuvare validissimo patrocinio et ope tua studeas. Tributa Nobis ipsis iudicabimus, quaecumque eidem officii ac benevolentiae praebueris argumenta. Largus autem bonorum operum remunerator Deus, gratiae suae donis pietatem tuam rependet; quod ut quam uberrime contingat, suppliciter precantes, auspicem eiusdem gratiae, apostolicam benedictionem maiestati tuae ac dilectissimis Nobis in Christo regiis tuis filiis amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima octava mart. millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

[2] Ex eodem Archivio.

CXLVIII.

Ad Helvetiae episcopos scribens de iniuriosis legibus in coenobiorum perniciem latis, maxime conqueritur. Poenas canonicas iis inflictas qui hoc agunt, recenset. Monet episcopos alienationem bonorum Ecclesiae sine ecclesiastica auctoritate irritam nullamque esse. Ipsis enixe commendat ut fideles moneant, acceptam possessionem tuta conscientia retinere non posse [1].

EPISTOLA ENCYCLICA

ad episcopos Helvetiae.

Dilectis filiis Nostris in Christo Helvetiae episcopis

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres,

salutem et apostolicam benedictionem.

Inter ea, quae supremi apostolatus munere urgente, dudum Nos anxios ac sollicitos faciunt, non ultimum certe tenent locum decreta ab nonnullis istarum regionum guberniis lata in coenobiorum perniciem, quorum aliqua abolita etiam sunt, bonis ad ipsa spectantibus primum reipublicae adiudicatis, dein vel ad hastam divenditis vel in alios usus temere conversis. Atque illud cordi Nostro acerbius accidit, quod in his gerendis seu potius perpetrandis, catholici quoque homines partem sumpserint, nulla ecclesiasticae auctoritatis Sanctaeque huius Sedis iurium ratione habita, despectisque omnino poenis ac censuris, quas apostolicae constitutiones et oecumenica concilia, maxime Tridentinum (sess. 22, c. 11) ipso facto incurrendas iis infligunt, qui talia agere non reformidant. Necesse autem est non pluribus explicare, quam graviter, ea attentando, in religionem atque in ipsam temporalem populorum utilitatem peccatum sit. Nemo enim ignorat, quantum de utraque tum ubique tum praesertim in Helvetia merita monastica instituta sive in divino cultu promovendo, sive in cura animarum obeunda, sive in iuventute ad pietatem bonasque artes informanda, sive demum in pauperibus omnis auxilii genere indesinenter iuvandis. Nos sane, ubi rem magna cum animi molestia novimus, nihil distulimus, quin per Nostrum atque huius Apostolicae Sedis nuntium incolumitatem coenobiorum et iurium ac bonorum, quibus ea potiuntur publico ceteroquin foedere sancitam, reclamaremus.

Et quidem dolori Nostro non parum levaminis attulit ratio, per complura ex istorum pagorum guberniis adhibita, quae, utpote in religionem, Ecclesiam et monasticas institutiones optime animata, nedum ab omni infenso in ipsos consilio iugiter abhorruerunt, sed collatis insuper studiis bonorum ad eas spectantium venditioni palam obsistere non detrectarunt. Hinc meritas eorum virtuti laudes rependere non praetermittimus, una simul hortantes, ut pro avita in Ecclesiam et hanc Apostolicam Sedem observantia ac fide, sancto proposito firmissime inhaereant, et ardentiori usque zelo sacrae rei favere ac patrocinari pergant.

Verum non eumdem expostulationes, Nostro nomine factae, consequutae sunt fructum apud aliorum pagorum gubernia assidue, uti nuntiatur, intenta, ad ceptum semel in religiosas domos earumque iura ac proprietates exitiosum opus perficiendum.

Id porro causae Nobis fuit, venn. fratres, cur hisce literis vos alloqueremur. Licet enim minime dubitemus, imo etiam compertum habeamus, vos ipsos in eiusmodi negotio ministerii vestri partibus nequaquam defecisse, memores tamen officii, quo ad fratres in his quae Dei et Ecclesiae sunt, opportune dirigendos atque inflammandos divinitus adstringimur, mentem Nostram, eadem gravissima de re, apertius vobis duximus significare. Itaque rursus reprobantes ac vehementer querentes praedicta decreta, per laicam potestatem edita, de nonnullis coenobiis cum adiecta religiosa familia istic abolendis, singulis in memoriam revocamus alienationis bonorum ac iurium quorumcumque ad illa pertinentium, tum hactenus factas, tum in posterum facturas, nulla Nostra Sanctaeque Sedis accedente auctoritate, iuxta canonicas sanctiones irritas coram Ecclesia planeque nullas existere, eaque, uti tales omnino habendas, edicimus. Vestrum proinde erit, a quavis opera aut venia iis praestanda abstinere simulque peculiari, qua polletis prudentia, illos, ad quos per enunciatas alienationes ea ipsa bona illegitime iam pervenerint vel forte perventura sint, sedulo commonefacere, neminem eorum posse tuta conscientia acceptam possessionem retinere, vel deinceps accipere. Ceterum bona adhuc in spe sumus, fore ut catholici praesertim viri, qui saepius memoratis decretis ferendis exequendisque cooperati sunt, re maturius coram Deo perpensa, ab ea, quam inconsiderata, ut credere iuvat, iniverunt via, citissime recedant. In hoc ipsum autem ut vos, venn. fratres, toto pastoralis patientiae et charitatis studio pro vestra parte contendatis, etiam atque etiam in Domino commendamus. Quem quidem in finem, uberem caelestis auxilii copiam, vobis omnibus enixe adprecantes optati eventus auspicem, et paternae Nostrae benevolentiae testem, apostolicam benedictionem unicuique ve-

[1] Ex opere cui titulus « Annali delle scienze Cattoliche » auctore De Luca vol. 14, pag. 421.

strum, cum grege sibi commisso communicandam, peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum die prima aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CXLIX.

LITTERAE APOSTOLICAE

Vicariatum apostolicum Novae Hollandiae sive Australiae in tres episcopatus proprie dictos partitur, Sydneyensem, Hobartoniensem et Adelaidensem [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii, superna Dei providentia humeris Nostris impositi, non leve sane totius dominici gregis onus sustinentes, illis praecipue ovibus, quae regiones a Sede hac Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiore consulendum sedulitate censemus, ut in adventu pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per apostolicam curam intra verum ovile, ad pascua coelestia vocari valeant feliciterque perduci.

Hinc, quum in vastissimis regionibus, quae in Novae Hollandiae vicariatu apostolico continentur, religionis amplificandae atque eius boni uberius ac stabilius promovendi necessitas id omnino postulare demonstratum sit, ut tanta locorum amplitudo non unius dumtaxat episcopi vicarii apostolici curae commissa atque ab eo tantummodo gubernanda relinquatur, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, nonnulla statuenda censuimus, ut proposito fini exitus, quem optamus, omnino contingat.

Rebus igitur omnibus mature perpensis, quum ipse ven. frater Ioannes Beda Polding episcopus Hierocaesareensis et Novae Hollandiae vicarius apostolicus ea omnia descripserit, quae ostendunt necesse esse insulam permagnam Van-Diemen seu Tasmanicam in Oceano Australi ad meridiem Novae Hollandiae, ab iurisdictione sua subducere, et in eadem peculiarem episcopum vicarium apostolicum constituere, cui eiusdem insulae ac terrae regimen ecclesiasticum committatur; quumque idem de meridionali Australiae provincia statuendum esse, memoratus vicarius apostolicus demonstraverit; Motu-Proprio ac certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum literarum vi, utrasque regiones seu provincias mox significatas revera ab ipsius vicarii apostolici Novae Hollandiae iurisdictione detrahendas, atque eas proprio peculiari episcopo vicario apostolico gubernandas tradi mandamus, illud simul decernentes, ut episcopus vicarius apostolicus insulae ac terrae Van-Diemen Hobartoniensem titulum suscipiat, ab Hobartonia scilicet, quae illius provinciae praecipua civitas est, episcopus vero vicarius apostolicus provinciae meridionalis Australiae titulum assumat Adelaidensem, ab Adelaide, quae provinciae illius prima civitas est.

Praeterea, quum graves adesse rationes intellexerimus, ut ipse ven. frater Ioannes Beda Polding, qui, post subtractas ab eius iurisdictione superius expositas provincias, prosequatur iurisdictionem suam, prout antea, exercere in Nova Gallia meridionali, in Australia occidentali atque in ceteris regionibus vel provinciis ad vicariatum apostolicum Novae Hollandiae pertinentibus, sed in ista nova ecclesiastici regiminis partitione non comprehensis, relicto Hierocaesareensis episcopatus in part. infid. titulo, suscipiat potius titulum Sydneyensem a Sydneya civitate principe provinciae Novae Galliae meridionalis, in qua ipse residet; de eodem venn. fratrum Nostrorum consilio atque eadem apostolica auctoritate Nostra, ipsi ven. fratri Ioanni Beda Polding facultatem tribuimus, qua, dimisso titulo episcopali Hierocaesareensi, Sydneyensem titulum libere ac licite suscipere possit.

Denique ut novi vicarii apostolici Hobartoniensis et Adelaidensis eorum munere rite perfungi valeant, iisdem ipsis, ab hac Sancta Sede adlegendis, omnes et singulas facultates huiusmodi vicariis apostolicis concedi solitas, eadem auctoritate Nostra, concedimus et impertimur.

Haec statuimus atque decernimus mandantes, has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos spectat et in futurum spectabit, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari ac inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo*, aliisque constitutionibus et sanctionibus apostolicis, ceterisque, etiam speciali et expressa mentione et derogatione dignis, in contrarium quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die quinta aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

CL.

LITTERAE APOSTOLICAE

Aloysio S. R. E. cardinali Lambruschini, episcopo Sabinensi, datur facultas expediendi bullas pro beneficiis vacaturis in sua dioecesi [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ecclesiarum omnium ex demandato Nobis divinitus supremi pontificatus ministerio regimen sustinentes, in eas praesertim omni cogitatione curaque incumbimus, quae in pontificia Nostra ditione, ac potissimum ad hanc Urbem constitutae venn. fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus solent conferri. Hac sane de causa cum ecclesia Sabinensis ob mortem cl. me. Antonii Dominici cardinalis Gamberini novo indigeret pastore, prius quam illi regendae novus destinaretur antistes, ad faciliorem illius ecclesiae procurationem stabiliendam, studium et consilia Nostra conferre non omisimus, eaque, Deo auspice, ac ven. fratre Nostro Aloysio cardinali Lambruschini plurimum opitulante, non levi animi Nostri voluptate, prospere feliciterque perfecta conspeximus. Nunc vero ipse ven. frater Noster ex ordinis loco, quem inter alios tenet cardinales, ad eam ecclesiam moderandam evocatus, ob officii sui episcopalis religionem, a qua vel minimum declinare nefas esse putat, quique publicorum etiam inter negotiorum sollicitudines, aliaque gravissima munera illi demandata, sponsam suam miro amore prosequitur, ab sui episcopatus exordio animum advertit, beneficiorum collationes in sua dioecesi ex apostolicarum constitutionum praescripto nequaquam perfici. Ipse enim cum probe noscat, in apostolico indulto, quod cardinalibus episcopis conceditur in conferendis beneficiis, residentiae obnoxiis, alia inter praescribi, beneficia vel secularia vel regularia obtinentes, quae huic Apostolicae Sedi quomodocumque, etiam ratione mensium apostolicorum, reservata sunt, aut affecta, et quorum annui fructus una cum distributionibus quotidianis summam excedunt viginti quatuor ducatorum auri de camera inter quatuor menses literas apostolicas impetrare omnino debere, magnam cepit admirationem, ubi perspexit ea in dioecesi huiusmodi legem temporis longinquitate obsolesci. In huius erroris causam intuens, haud temere arbitratus est, id forsan evenisse ob plerumque beneficiorum tenuitatem, cum multae sint in Sabinensi dioecesi praebendae, ex quibus una cum distributionibus quotidianis vix ducata viginti quatuor percipiuntur, plurimae vero immo pene omnes certum fructum haud reddant eadem summa maiorem. Ex quo factum est, ut cuncti, iis instructi praebendis, existimarunt, se ab onere impetrandi literas apostolicas omnino exemptos esse. Itaque ipse cardinalis episcopus pro eo, quo praestat studio, in apostolicis constitutionibus adamussim servandis, vehementi flagrans desiderio praeteritis malis occurrendi, ac simul commodum suae dioecesi futuris temporibus procurandi, supplici cum prece a Nobis petiit, ut habita ratione bonae fidei qua in culpam inciderunt, quemcumque defectum in beneficiis illapsum benigne sanare velimus, ac praeterea ex Nostra indulgentia concedere, ut cum paucae sint praebendae, quae summam ducatorum viginti quatuor excedunt, posthac easdem ipsas consequuturi onere careant apostolicas novae provisionis, uti dicunt, literas impetrandi. Nos igitur, ipsius vigilantissimi cardinalis episcopi Lambruschini, qui tantopere pro ecclesiae suae bono adlaborat, deque hac Apostolica Sede tantopere meritus est, postulationibus alacri libentique animo annuentes, auctoritate Nostra apostolica, hisce literis, omnes et singulos tum veteris, tum nuper circumscriptae Sabinen. dioecesis clericos, qui ex commemorati indulti vi, in beneficiis consequendis literas apostolicas, uti opus erat, minime impetrarunt, a quocumque defectu, in quem bona fide irrepserunt, absolvimus et absolutos esse declaramus, ac fructus indebite perceptos illis condonamus, ita ut eadem beneficia licite possint retinere, eorumque fructus, reditus et proventus in posterum libere percipere. Praeterea cum perpenderimus, invectum pene centum annorum abusum, de quo habita mentio est, in peculiaris alicuius concessionis opinionem inducere, ac maiora beneficia in Mandelensis episcopatus erectione, a Sabinensi dioecesi fuisse distracta, pleraque autem hodiernae Sabinensis dioecesis beneficia tenuem fructum reddere, eadem auctoritate Nostra apostolica concedimus et indulgemus, ut quemadmodum plerique eas in dioecesi Sabinensi assequentes praebendas, quae huic Apostolicae Sedi sunt reservatae, quaeque ab cardinali episcopo illis ex apostolico indulto conferuntur, exempti sunt ab literarum apostolicarum impetratione, ita et ceteri iis instruendi praebendis, quarum annui fructus iuxta communem aestimationem una cum distributionibus quotidianis summam excedunt ducatorum auri de camera viginti quatuor ab eodem onere perpetuis temporibus immunes omnino sint. Qua quidem in concessione excepta semper volumus atque decernimus ea omnia beneficia quae in commemorato indulto excipi decretum est.

Haec concedimus atque indulgemus, decernentes has praesentes literas semper firmas, va-

[1] Ex Archivio Capitulari Cathedralis Ecclesiae Sabinen.

lidas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat et spectabit in posterum, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari ac definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus lege, in indulto cardinalibus episcopis ab hac Apostolica Sede pro conferendis beneficiis concedi solito, penitus expressa, ac fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene ac sufficienter expressis, deque verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die quinta aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLI.

EPISTOLA

Cum Ferdinando Austriae imperatore dolet de morte archiducis Herminiae Amaliae, cuius praeclara merita ostendit, eumque in eius dolore consolatur [1].

Carissimo in Christo filio Nostro
Ferdinando
Austriae imperatori
Hungariae regi apostolico
et Bohemiae regi illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Carissime in Christo fili Noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Qui pro singulari, quo imperialem maiestatem domumque tuam paternae studio afficimur voluntatis, si quid minus prosperum vobis acciderit, aegerrime ferimus, peculiari quodam modo tecum, carissime in Christo fili Noster, dolemus, extinctam dilectissimam in Christo archiducem Herminiam, Amaliam, Mariam filiam dilectissimi in Christo filii Nostri patrui tui archiducis Iosephi regni Hungariae Palatini, quam excessisse ex tuis literis intelleximus, die vigesimo octavo mensis februarii ad Nos datis. Erepta enim est in flore aetatis, praeclara pietatis omnisque virtutis indole, dilecta omnibus; ut mirum non sit, si magnum, ut scribis, sui desiderium reliquerit. Quo vero iustius est desiderium illud, eo etiam maiorem suppeditat causam sperandi, multo meliorem illi partem contigisse, quam quidquid hic diutius manens vel maxime optandum consequi potuisset. Consiliis igitur divinae providentiae acquiescamus, et animae illi, quod defuncti viventium amoris et curae unice cupiunt testimonium, omnis, quae supersit, labis expiationem, aeternaeque lucis beatitatem piis a Deo precibus impetrare connitamur. Hoc dum eidem tecum impense praestare officium haud sane praetermittimus, una illud toto animo precamur a Domino, te ut omni gaudio consoletur gratiae suae: pignus autem praecipuae caritatis Nostrae, apostolicam benedictionem tibi, carissime in Christo fili Noster, et imperiali domui tuae universae amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die septima aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLII.

EPISTOLA

Ad Ferdinandum Austriae imperatorem scribens, cum eo laetatur de matrimonio inito inter filiam archiducis Rainerii pro-regis regni Lombardo-Veneto, et Victorem Emanuelem Sabaudiae ducem [2].

Carissimo in Christo filio Nostro
Ferdinando
Austriae imperatori
Hungariae regi apostolico
et Bohemiae regi illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Carissime in Christo fili Noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Qui sensus animi Nostri sint erga imperialem personam familiamque tuam, satis te compertum habere, officiosissima Nobisque iucundissima testificatione, literis a te die vigesima proximi mensis aprilis ad Nos datis, confirma-

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

[2] Ex eodem Archivio.

tum est. Coniunctum enim solemni catholico ritu, nuntias, matrimonium inter dilectissimam in Christo filiam Nostram serenissimam principem Adelaidem Franciscam Mariam archiducem Austriae dilectissimi in Christo filii Nostri serenissimi archiducis Rainerii regni Lombardo-Veneto pro-regis filiam, et dilectissimum in Christo filium Nostrum serenissimum principem Victorem Emmanuelem Sabaudiae ducem, regium Sardiniae principem, illud adiungens, expertam abunde paternam in te propensionem Nostram haud sinere, ut dubites, quin Nos tam fausti eventus laetitiaeque participes futuri simus. Optimo sane iure de re minime dubitas, quam certissimam imperiali maiestati tuae esse debere sentimus. Sive praeclaras spectemus utriusque coniugis virtutes, sive perceptam a te tuisque omnibus, ex auspicatissima ista Nobisque ipsis probatissima coniunctione, gaudii voluptatem, omnia faciunt, ut Nos vel in primis simus gaudii eiusdem participes, qui ceteroquin quaecumque tibi, carissime in Christo fili Noster, laetitiae aut solatii esse queant, ad Nos ipsos pertinere more parentis amantissimi ducimus; proinde studio, sensibus hisce Nostris consentaneo, impense gratulamur maiestati tuae, ac pro adhibito Nobis officio grates persolvimus. Uberrimos autem novis coniugibus susscepti magni in Christo et in Ecclesia sacramenti, fructus, nasciturae quoque soboli profuturos enixe precamur a Domino. Annuat idem clementissimus Dominus imperiali maiestati tuae, ut exitus nuptiarum istarum per omnia fausto ac felici longissimo vitae sine ulla offensione cursu, delectari, tibi contingat, atque huius omnisque gratiae auspicem, apostolicam benedictionem tibi ipsi, carissime in Christo fili Noster, eisdem egregiis coniugibus et imperiali domui tuae universae amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die septima aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLIII.

EPISTOLA

Ad Ludovicum Bavariae regem scribens, cum eo laetatur de nuptiis initis inter Adelgundam ipsius filiam et Franciscum Ferdinandum archiducem Austriae, Mutinensium ducis primogenitum [1].

Carissimo in Christo filio Nostro Ludovico Bavariae regi illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Carissime in Christo fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Cognitum Nobis exploratumque studium pietatis erga Nos, regiae maiestatis tuae literis confirmatum est, datis die trigesima prima mensis martii, nuptias nuntiantibus, quae inter dilectissimam, natura, tuam, Nostram in Christo, filiam regiam Bavariae principem Adelgundam, et dilectissimum in Christo filium Nostrum serenissimum principem Franciscum Ferdinandum archiducem Austriae, celsissimi Mutinensium ducis primogenitum et haeredem, pridie eius diei, Deo O. M. favente, initae, sacroque ritu celebratae sunt. Gratissimum habuimus tum officiosum hoc testimonium constanter deditae Nobis voluntatis, tum idipsum quod nuntias; de quo, eidem maiestati tuae, paterni animi affectu gaudentes, gratulamur. Auctorem magni huius in Christo et in Ecclesia sacramenti Dominum supplices rogamus, ut novis nuptis detur acceptae semel sacramenti eiusdem gratiae fructus in seipsis et in sobole uberrimos experiri; et tuae maiestati regiaeque domui bene ac feliciter de matrimonio isto evenire exoptantes, fausta et salutaria omnia precantes, ex animo auspicem divini praesidii, apostolicam benedictionem tibi, carissime in Christo fili Noster, ipsisque coniugibus et reliquae familiae tuae, amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima octava aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLIV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Sedem episcopalem Sydneyensem in Australia metropolitanam constituit, cuius suffraganei sint episcopi Hobartoniensis et Adelaidensis [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ad supremum totius Ecclesiae regimen, nullis certe Nostris promeritis, sed ineffabili divinae providentiae consilio evecti, ea quidem peragere debemus, quae ipsius Ecclesiae utilitates postulare videntur.

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

[2] Ex Iure Pont. de P. F.

Itaque ad eiusdem Ecclesiae bonum magis magisque procurandum in vastissimis regionibus, quae hactenus in vicariatu apostolico Novae Hollandiae seu Australiae continebantur, quaeque similibus Nostris apostolicis literis, quinta aprilis huius anni editis, in tres episcopatus interea divisae sunt, Sydneyensem, Hobartoniensem et Adelaidensem, de venn. fratrum etc. consilio, archiepiscopalem sedem constituere opportunum esse iudicavimus, cui iure metropolitico ceteri illarum regionum episcopi tanquam suffraganei subditi sint.

Quamobrem hisce literis, Motu-Proprio, certa scientia, matura deliberatione, deque Nostrae apostolicae potestatis plenitudine sedem Sydneyensem civitatis principis Novae Galliae meridionalis ad archiepiscopalem dignitatem et gradum seu in metropolitanam evehimus, erigimus et constituimus, cum omnibus iuribus, honoribus, privilegiis, indultis, quibus aliae archiepiscopales seu metropolitanae ecclesiae utuntur, potiuntur, vel uti ac frui possunt et poterunt. Atque huiusmodi archiepiscopali Sydneyensi sedi, episcopum Hobartoniensis insulae ac terrae Van-Diemen seu Tasmaniae, et episcopum Adelaidensem in Australia meridionali subiectos esse debere praecipimus atque mandamus.

Haec volumus, statuimus, decernimus atque iubemus, non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLV.

EPISTOLA

Cum Carolo Alberto Sardiniae rege gaudet de matrimonio inito inter Victorem Emanuelem principem Sabaudiae et Mariam Adelaidem filiam archiducis Austriae [1].

Carissimo in Christo filio Nostro
Carolo Alberto
Sardiniae regi illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Carissime in Christo fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Compertum habenti tibi quomodo erga regiam maiestatem domumque tuam affecti simus, facile fuisse existimandum putamus, quam iucundae futurae Nobis essent, quas a te accepimus, datae die duodecimo aprilis, literae, nuptiarum nuntiae, quae a dilectissimo in Christo filio Nostro, natura autem tuo, Victorio Emmanuele regio principe duce Sabaudiae, cum dilectissima in Christo filia Nostra, natura Rainerii filia archiducis Austriae, Maria Adelaide Francisca archiduce Austriae, summa cum tua tuorumque omnium laetitia, solemni Sanctae Ecclesiae Catholicae ritu, initae ac celebratae sunt.

Nostrum tamen omnino esse ducimus tibi, carissime in Christo fili Noster, literis confirmare, reipsa iucundissimum Nobis accidisse nuntium matrimonii istius Nobis ipsis probatissimi, cuius exitum egregiae utriusque coniugis virtutes prosperum planeque felicem pollicentur. Itaque summe gaudentes totoque animo maiestati tuae gratulantes, pro officiosa filialis pietatis et observantiae significatione, qua Nos in partem tantae laetitiae vocas, gratias quamplurimas agimus. Quod vero esse tibi praecipuae curae certo scimus, Christum Iesum Dominum Nostrum sacramenti huius auctorem, quo suam ipsam cum Ecclesia coniunctionem voluit repraesentatam, supplices rogamus, ut det per gratiam suam coniugium istud, sanctitati tanti sacramenti respondere, filiosque inde existere verae fidei ac pietatis in exemplum cultores, ad augustissimorum parentum ipsiusque regiae maiestatis et domus tuae solatium ac decus, atque ad omnem subditorum tibi populorum et Sanctae eiusdem Ecclesiae utilitatem. Quorum auspicem bonorum ac divini in rebus omnibus praesidii, pignus praecipuae caritatis Nostrae, apostolicam benedictionem tibi, carissime in Christo fili Noster, iisdemque dilectissimis in Christo coniugibus ac regiae domui maiestatis tuae amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima tertia aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLVI.

EPISTOLA

De nuptiis initis inter filium archiducem Franciscum principem Mutinae heredem et Adelgundam Ludovici Bavariae regis filiam cum Francisco Estense et Mutinae duce laetatur [2].

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

[2] Ex eodem Archivio.

Dilectissimo in Christo filio Nostro
Francisco Estensi
archiduci Austriae, duci Mutinae

GREGORIUS PP. XVI.

Dilectissime in Christo fili Noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ad tam multa quae habemus officiosae pietatis erga Nos celsitudinis tuae testimonia, recens accessit ex literis tuis datis die undecimo huius mensis nuptias nuntiantibus, quae inter dilectissimum in Christo Nostrum, natura vero filium tuum, archiducem Franciscum Ferdinandum Geminianum Austriacum Estensem principem Mutinae hereditarium, et dilectissimam in Christo filiam Nostram Adelgundam Augustam Carolinam, carissimi in Christo filii Nostri Ludovici Bavariae, regis filiam coniunctae riteque celebratae sunt. Qui pro singularis planeque paternae, quo in te domumque tuam studio afficimur, dilectionis, non possumus quin tibi laeta faustaque omnia vehementer optemus, et si quae huiusmodi contigerint, magnam inde partem capiamus laetitiae tuae, peculiari quodam modo gaudemus coniunctione ista, tibique toto animo gratulamur. Quae enim bona ex eo iure optimo speras, in te eamdemque domum tuam et subditum tibi populum esse profectura, speramus et Nos, et impense ab auctore bonorum omnium Deo O. M. imploramus. Maximas igitur, uti debemus, gratias agimus celsitudini tuae, cui cum summa significatione filialis in Nos et Sanctam Sedem Apostolicam, pietatis in partem Nos tantae laetitiae vocare, tuum esse visum sit. Auctorem vero sacramenti, quod *magnum in Christo et in Ecclesia* vocat Apostolus, supplices obsecramus, ut super novos coniuges divitias effundat bonitatis suae, detque ut quam acceperunt gratiae fructus in seipsis et in futura sobole felicissime experiantur. Eiusdem porro divinae bonitatis largitatem tibi, dilectissime in Christo fili Noster, et reliquae celsissimae familiae tuae studiosissime precantes, eius auspicem apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima tertia aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLVII.

EPISTOLA

Cum Leopoldo Austriae archiduce laetatur de nova suscepta prole [1].

Dilectissimo in Christo filio Nostro
Leopoldo
archiduci Austriae
Etruriae sibi subiectae magno duci

GREGORIUS PP. XVI.

Dilectissime in Christo fili Noster,

salutem et apostolicam benedictionem.

Omnis iucunda Nobis accidit occasio quam sensibus filialis erga Nos animi tui confirmandis opportunam putes; ista vero recens fuit sane iucundissima, qua factum est, ut literis datis die tertio mensis huius Nos faceres certiores, ex magna duce dilectissima in Christo filia Nostra uxore tua, regium archiducem filium natum tibi feliciter fuisse, eique in sacro regenerationis fonte imposita fuisse nomina Rainerium, Salvatorem Mariam, Stephanum, Iosephum, Ioannem, Philippum, Iacobum, Antonium, Zenobium, Aloysium Gonzagam. Gaudemus in Domino additum inde divino beneficio incrementum familiae tuae, et gratulamur ex animo prosperam egregiae puerperae et editae in lucem prolis valetudinem, tibique, dilectissime in Christo fili Noster, pro officiosa, adeo laeti faustique eventus, significatione, gratias agimus. Deum autem auctorem bonorum omnium supplices rogamus, ut propitius annuat imperiali et regiae celsitudini tuae felici longissimae vitae tempore auctum cernere adulti filii virtutibus decus domusque tuae ac novum S. Ecclesiae catholicae partum praesidium; eiusque et omnis gratiae coelestis auspicium tibi, dilectissime in Christo fili Noster, iisdemque coniugi nataeque proli totique familiae tuae pignus paternae caritatis Nostrae apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die trigesima maii millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

---

[1] Ex Archivio Brevium.

CLVIII.

INDULTUM

Beneficiatis cathedralis ecclesiae Alatrinae datur facultas gestandi loco mozzettae cappam pellibus cineracei coloris [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontifices provido sane consilio peculiaria ornamenta illis ecclesiasticis viris tribuere consueverunt, qui conspicuis in templis levantes manus eorum in sancta, in hymnis et canticis laudes Deo persolvunt, ut externa decora adepti, magis magisque virtutum splendore fulgere, atque omnipotentis Dei gloriam promovere, et sempiternam hominum salutem procurare, summopere studeant.

Exponendum Nobis curarunt dilecti filii beneficiarii cathedralis templi Aletrinatis, eorum in votis esse, loco pallioli, vulgo *mozzetta*, quod in praesentia gerunt, lacernam, vulgo *cappa*, pellibus cineracei coloris subsutam, posse gestare, quemadmodum beneficiarii patriarchalium et basilicarum Urbis gerunt, ut eiusdem cathedralis templi decus augeatur. Itaque supplici cum prece a Nobis postularunt, ut huiusmodi privilegium ipsis benigne concedere velimus. Nos vero gravissimo ven. fratris Hadriani Giampedi, hodierni Aletrinatium episcopi, accepto testimonio, ex quo beneficiarios ipsos huiusmodi gratia dignos esse cognovimus, eorum precibus annuendum censuimus.

Quamobrem ipsos beneficiarios cathedralis templi Aletrinatis, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, ipsis beneficiariis commemorati templi perpetuum in modum concedimus atque indulgemus, ut loco mozzettae, quam antea deferebant, cappam pellibus cineracei coloris, quemadmodum patriarchalium et basilicarum Urbis beneficiarii gerunt, libere et licite gestare possint in choro, in conventibus, seu, ut dici solet, capitulis, quum deliberationis causa coguntur, aliisque eorum collegii functionibus.

Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum*, aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus vel ordinationibus, et quatenus opus fuerit eiusdem cathedralis ecclesiae et beneficiariorum collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima quarta iunii millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLIX.

INDULTUM

Fit concessio indumentorum magis insignium canonicis Massae Fiscagliae, Cervien. dioecesis [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontifices honorifica insignia iis potissimum ecclesiasticis viris conferre consueverunt, qui conspicuis in templis divinas laudes omni pietatis studio concelebrant, ut magis magisque institutionis et vocationis eorum memores, virtutum omnium ornatu fulgere conentur.

Exponendum Nobis curarunt dilecti filii archipresbyter et canonici insignis collegialis ecclesiae oppidi Massa Fiscaglia, Cervien. dioecesis, illud templum et canonicorum collegium, originis vetustate, rerum gestarum memoria aliisque nominibus, inter alia illius dioeceseos eminere. Itaque supplici cum prece a Nobis efflagitarunt, ut ipsis indultum tribuere velimus gestandi floccum violacei coloris in pileo. Nos vero ven. fratris hodierni episcopi Cerviensis accepto testimonio, ex quo illos huiusmodi gratia dignos esse novimus, eorum votis alacri libentique animo annuendum censuimus.

Quamobrem omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et

---

[1] Ex Archivio Cancellariae Episcopalis, Alatrinae dioecesis.
[2] Ex Archivio Secretariae Brevium.

interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, archipresbytero et canonicis commemoratae insignis collegialis ecclesiae oppidi Massa Fiscaglia, Cervien. dioecesis, dummodo ipsi in habitu sacerdotali semper incedant, perpetuum in modum concedimus atque indulgemus, ut intra limites tantum Cerviensis dioecesis, floccum violacei coloris in pileo libere et licite gestare possint et valeant.

Haec concedimus atque indulgemus, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum*, aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quoties opus fuerit eiusdem collegialis ecclesiae et canonicorum collegii etiam iuramento atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima septima iunii millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLX.

LITTERAE APOSTOLICAE

Confirmatur titulus Cappellae Gregorianae, itemque conceditur facultas canendi cum musices studiosis et professoribus in templis s. Ignatii et Iesu, Societatis Iesu, die intra octavam festi s. Ignatii [1].

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Cum christianae et civili reipublicae vel maxime intersit, ut iuventus vel a teneris annis ad omnem virtutem atque pietatem mature informetur; tum alacri libentique animo ea concedere solemus quae adolescentium animos ad pietatem et religionem excitare atque inflammare posse videntur.

Exponendnm Nobis curarunt dilecti filii discipuli Collegii Romani, qui piam sodalitatem cui a SS. Angelis nomen efficiunt, eamdem sodalitatem multis privilegiis atque indulgentiis a Romanis Pontificibus decessoribus Nostris fuisse ditatam, eamque titulo *Cappellae Gregorianae* esse insignitam; propterea quod ab antiquissimis temporibus instituta, ut sacris concentibus solemnia decorentur, quae ab ipsis discipulis peraguntur. Itaque supplici cum prece a Nobis postularunt, ut eumdem titulum perpetuo confirmare, ac simul veniam iam a rec. mem. Leone XII et Pio VIII praedecessoribus Nostris concessam, iterum sancire velimus, qua eidem sodalitati addicti canere possint una cum musices studiosis ac professoribus, in sacris functionibus, quae in templo s. Ignatii et templo Farnesiano Urbis aguntur, quo Collegii Romani discipuli solemni supplicatione se conferunt.

Nos igitur omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari benevolentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes ac absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, titulum Cappellae Gregorianae, quo pia discipulorum collegii Romani sodalitas a SS. Angelis appellata iam potitur, perpetuum in modum confirmamus; ac praeterea facultatem perpetuo concedimus et elàrgimur, qua eidem sodalitati adscripti, una cum musices studiosis ac professoribus, die quoque intra octavam festi s. Ignatii in templo eiusdem sancti et in templo Farnesiano Societatis Iesu, quum eo solemni supplicatione se contulerint ad sacram synaxim peragendam, libere ac licite canere possint.

Haec concedimus et indulgemus decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces esse et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et extraordinarios, etiam S. R. E. cardinales iudicari ac definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitu-

[1] Ex Archivio Cappellae Gregorianae in templo S. Ignatii de Urbe sitae.

tionibus et sanctionibus, aliisque omnibus etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima prima iunii millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus fit erectio praedii Valle Pietra in marchionatum, cum iure successionis non solum pro primogenitis masculis, verum etiam pro consanguineis masculis ex linea ab ipso designanda [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum nobiles familiae religione, virtute praestantes, opibusque pollentes, christianae et civili reipublicae magno ornamento ac praesidio esse soleant, tum R. Pontifices splendidos nobilitatis titulos iis potissimum viris deferre consueverunt, qui egregiis animi ingeniique dotibus ornati, pietatis laude spectati, atque huic Petri Cathedrae firmiter adhaerentes, de re christiana et civili optime mereri posse videntur.

Equidem Nos probe noscimus, dilectum filium comitem Hieronymum Riccini, patricia Mutinensi nobilitate clarum, acri ingenio praeditum, eximiis animi dotibus ornatum, rebusque optimis institutum, literis ac disciplinis excultum, pietatis et religionis studio spectatum, vitae integritate, morum comitate omnibus probatum, ab intimis consiliis dilectissimi in Christo filii Nostri Mutinensium ducis, atque a publicis rebus administrandis, tanta Nos et hanc Apostolicam Sedem veneratione atque affectu colere, ut nihil unquam inexpertum reliquerit, quo sua opera de catholica religione, de civili societate, deque eadem Apostolica Sede bene mereri possit. Itaque cum idem dilectus filius Hieronymus Riccini, praedium, vulgo Valle Pietra, in Anagnina dioecesi situm acquisiverit, atque impense cupiat fundum ipsum honorifico titulo decorari, Nos ob egregia eiusdem Hieronymi merita, illius votis quam libentissime annuendum censuimus.

Quamobrem ipsum Hieronymum peculiari benevolentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, commemoratum praedium vulgo Valle Pietra, in Anagnina dioecesi positum, atque ab ipso Hieronymo emptum, in marchionatum evehimus, quin tamen maiora, hisce literis, illi fundo obveniant iura ac privilegia, quae ex recentissimis legibus, huiusmodi fundis concessa sunt. Ac propterea concedimus et indulgemus, ut ipse Hieronymus eiusque posteri primogeniti masculi legitimi et naturales, necnon eiusdem Hieronymi consanguinei pariter primogeniti mares ex linea ab eo designanda, dummodo a catholica religione non deficiant, et eodem potiantur fundo, marchiones illius praedii dicantur et habeantur, utque hoc titulo etiam in literis apostolicis publicisque tabulis appellentur, ac singulis quibusque iuribus, honoribus, privilegiis, indultis, quocumque nomine nuncupandis, quibus alii marchiones ex iuris praescripto, vel ex usu et consuetudine modo utuntur, fruuntur, vel uti, frui possunt ac poterunt, libere et licite perfruantur.

Decernentes has praesentes literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod fundus huiusmodi ad marchionatum necessaria requisita non habeat, et alias quovis praetextu, colore seu ingenio de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio vel intentionis Nostrae alioque quovis defectu, etiam ex eo quod ii quorum interest aut interesse posset in futurum cuiusvis status, ordinis, praeeminentiae et dignitatis sint etiam specifica mentione digni, illis non consenserint aut minime vocati et auditi fuerint, tametsi suorum indultorum aut privilegiorum vigore vocari aut audiri debuissent, aut ex eo quod solemnitates aut quaecumque alia forsan servanda minime servata fuerint, impugnari aut in controversiam vocari aut adversus illas quodcumque iuris vel facti vel iustitiae remedium impetrari non posse, sed semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque in omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; sicque in praemissis, non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis, necnon in omnibus statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenore praesentium pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et ex-

---

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

presse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda iunii millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXII.

EPISTOLA

Ad episcopum Rotteburgensem scribens, ordinationes civiles in regno Wurtembergico quoad negotia ecclesiastica editae, prout ad depressionen Ecclesiae catholicae tendunt, perstringuntur. Episcopus monetur, ut in procurandis officii sui partibus, unicam, per sacros canones et vigentem disciplinam Ecclesiae, defixam regulam sequatur [1].

Venerabili fratri
episcopo Rotteburgensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Literas accepimus quas die decima aprilis mensis ad Nos dedisti, ut significares de morte ven. fratris Ignatii archiepiscopi Friburgensis, ac de iis quae subinde metropolitanum capitulum a te uti ab antiquiore provinciae episcopo postulavit; nec non et longiores literas diei sextae mensis eiusdem, quibus uti et praecedentibus aliis literis datis die vigesima febr. plura Nobis renunciasti, quae contra ius et libertatem Ecclesiae in dioecesi tua contigerunt.

Iamvero ad Friburgense illud negotium quod attinet, merito quidem, ven. frater, abnuisti delegare, ut canonici rogabant, unum aliquem ex ipsorum numero, ad exercendam donec ea sedes vacaverit metropolitanam iurisdictionem; quoniam constituto iam ab iisdem canonicis vicario capitulari, nihil porro supererat in quo partes tuas interponeres.

Enimvero in iis quae capituli seu vicarii capitularis auctoritatem excedunt, non aliud antiquiori episcopo (cum de metropolitana ecclesia agitur) a sacris canonibus est attributum, nisi ut archiepiscopi quodammodo vices gerat in celebratione concilii provincialis, atque hinc dubium non est quin reliqua omnia ad solam apostolicam huius Sedis auctoritatem pertineant.

Sequitur nunc ut de iis loquamur quae aliis in literis de ecclesiae tuae causa et de conditione miserrima sacrarum apud vos rerum fusius explicasti. Nosti autem, venerabilis frater, Pium VIII glor. mem. decessorem Nostrum quam maxime doluisse, cum primum relatum ei est de novis laicae potestatis ordinationibus, quae per regiones istas in catholicae Ecclesiae depressionem ineunte anno millesimo octingentesimo trigesimo editae fuerant. Perspexit scilicet sapientissimus Pontifex, damna praecedentibus constitutionibus et legibus tum facto ipso apud vos sacrae auctoritati intentata, quae ad tramites conventionum inter supremos regionum principes Sanctamque hanc Sedem et editarum subinde apostolicarum literarum Leonis XII cessare debuerant, non modo nihil mitigata fuisse, sed exasperata imo pluribusque accessionibus aucta, dum interea nonnulli etiam e clero vel consentirent in eamdem Ecclesiae depressionem, vel contra sanam doctrinam sacrosque canones novis rebus studerent. Itaque suo satisfacturus muneri inde a die trigesima iunii eius anni dedit ad te atque ad archiepiscopum Friburgensem aliosque istius ecclesiasticae provinciae antistites gravissimas literas, quibus vestrum singulos in commonitione excitavit ad custodiendas impensius vigilias noctis super creditum gregem, simulque ut coram iis apud quos agi oporteret, Ecclesiae iura tueremini, atque adeo mandavit, ut de exitu, quicumque is foret, curarum conatuumque vestrorum plene ad se et sine mora referre festinaretis. Ac Nos, qui tanto Pontifici, meritis licet imparibus, Deo ita disponente, successimus, intendimus pariter sollicitudinem Nostram in vestras ecclesias, quas cum eodem pene aut deteriori etiam in statu positas videremus, scripsimus, die decima quarta octobris anno millesimo octingentesimo trigesimo tertio novas ad te ceterosque provinciae episcopos literas, quibus et inculcavimus denuo, quae Pius VIII mandaverat, et nonnulla plenius explicavimus de erroribus praesertim, qui spargebantur apud vos seu verbis seu libris, quos apostolica etiam constitutione, die decima septima septembris eius anni sub piscatoris annulo data damnavimus. Nec vero praetermisimus aliis insuper eosdem in fines uti viis et modis; datumque identidem Nobis fuit gaudium in Domino de bono aliquo curarum Nostrarum fructu, etsi saepe conatus Nostri in irritum cesserint. Quo in loco dissimulare non possumus, ven. frater, dioecesim tuam, Nos peculiarem in modum sollicitatos habuisse, quod tu ipse plura istic aut egisse perperam, aut ab aliis contra Ecclesiae ius attentata silentio conniventiaque tua probasse arguebaris. Sed benedictus Deus et Pater D. N. I. C. qui Nos modo consolatus est in tuis illis literis, quibus certiores facti sumus, dolere te vehementer de ea ratione, quam in-

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

consulto quodam falsae pacis studio tenueras, atque adeo reprobare ac revocare illa omnia, quae contra Ecclesiae iura sacrosque canones egeras, sive indulgendo sive tacendo probaveras; et nunc quidem statutum animo fixumque tibi esse, ut nullo rerum discrimine deterreri te sinas, quominus gravissimas episcopalis officii partes cum Dei gratia et in Sanctae huius Sedis obedientia constanter adimpleas. Gratulamur maiorem in modum declarationi huic praeclarisque animi tui sensibus, ven. frater, atque a Deo omnipotente per Iesum Christum unigenitum suum supplices una tecum exposcimus, ut super te creditasque fidei tuae oves multiplicet misericordiam suam, et mala, quibus Ecclesia ista premitur, propitius avertat. Tu igitur, ven. frater, Dei auxilio innixus advigila alacriter ad procurationem dioeceseos; cura, ut catholicae oves incorruptis utantur sanae doctrinae pabulis atque in observatione mandatorum Dei et Ecclesiae ad veram virtutem proficiant; provideque inprimis, ut vigeat in tuo clero puritas doctrinae, integritas vitae, atque in omnibus quae ad sacras functiones pertinent, probatorum Ecclesiae rituum intemerata custodia; age denique fortiter ac prudenter in adimplendis cunctis episcopalis officii partibus, simulque instare ne cesses apud serenissimum et potentissimum regem, ut pro aequitate iustitiaque sua sinat Ecclesiam in regno isto libertate illa iuribusque frui, quibus Christus ipsam donavit, et quae supradictis etiam inter Sanctam hanc Sedem et regium gubernium conventionibus agnita sancitaque sunt. Ea sane, in quibus regium consilium, quod ecclesiasticum catholicum vocant, superiorem sibi acatholici gubernii nomine potestatem assumpsit, tanto iam numero tantique momenti sunt, ut sacris in rebus vix quidquam supersit, de quo Ecclesiae libere pro iure suo statuere permittatur. Ita scilicet sacros ritus catholici cultus, dioeceseos visitationem, disciplinam cleri, beneficiorum maxime autem parochiarum collationem, candidatorum delectum, qui clericalibus ordinationibus initiantur, eorumque institutionem ad sanam doctrinam solidamque virtutem, catechismos ceterosque de religione libros, praedicationem verbi Dei ac religiosam puerorum educationem ad praecipua Ecclesiae iura pertinere, non est dubium. Et tamen nullum est horum genus, in quo regium illud consilium non se interponat. Interea impediuntur catholici, ne communicent in religionis causis cum suprema hac Petri Sede et iniustissimis afficiuntur poenis sacerdotes, qui in rebus ad sacrorum cultum imo et ad ipsam Ecclesiae doctrinam spectantibus, Ecclesiae potius quam laicae potestati obtemperent. Huc inter alia spectat causa mixtorum matrimoniorum in qua presbyteros nonnullos sive quod sanam de illis doctrinam tutati fuerant, sive quod catholicis connubia [1] eiusmodi contra Ecclesiae regulas contracturis benedicere recusaverant, regii consilii iussu ab eo, in quo erant, munere deiectos conquereris, scilicet sacerdotes ipsi nihil attigerant de civilibus quibuscumque earumdem nuptiarum effectibus; sed in sua docendi agendique ratione ad solam praeceptorum Dei et Ecclesiae custodiam spectaverant; atque ita regium consilium et violavit in illis puniendis Ecclesiae ius, et libertati catholicae religionis conscientiaeque sacerdotum catholicorum manifestam vim intulit.

Pertinuit, inquimus, illorum presbyterorum ratio nedum ad obedientiam erga Ecclesiam, sed etiam ad mandatorum Dei custodiam sustinendam. Etenim naturalis ac divina omnino lex est, quae catholicos seu viros seu mulieres prohibet, ne mixtis nuptiis temere contrahendis se futuramque prolem aut aliquam prolis eiusdem partem in perversionis discrimen iniiciant. Ecclesia vero Sanctaque haec Sedes seu in generali earumdem nuptiarum prohibitione, seu in cautionibus quas iure suo exigit in prohibitione ipsa, peculiaribus in casibus, gravem aliquam ob causam relaxanda, eo certe potissimum spectat, ut divina illa lex sarta tecta habeatur. Ad benedictionem vero quod attinet, haec quidem prohiberi solita est a Sede Apostolica in iis etiam inter catholicos et acatholicos nuptiis, quae, impetrata Sedis eiusdem dispensatione, et cum praescriptis in ea cautionibus licite ineantur. Quamvis autem tolerari deinde potuerit, ut nonnullis in locis mos servaretur iam inibi inductus, benedicendi matrimoniis mixtis, cum praedictis cautionibus Ecclesiaeque venia initis; non ideo tamen benedictio eadem toleranda erit aliis quoque in casibus, in quibus, non impetrata venia seu praescriptis ab Ecclesia cautionibus minime adhibitis, manifestum idemque gravissimum in ipso ineundo matrimonii foedere, crimen admittitur. Nimirum tolerari non debet, ut sacrilegis huiusmodi contractibus sacri admisceantur ritus, et sacerdotes Domini facto ipsi suo probare videantur, quod ore illicitum praedicant. Atque id apprime intelligunt qui ex adverso sunt; quorum sane interesse nil posset in benedictione catholici sacerdotis, nisi eam conducere perspicerent extenuandae atque adeo (si fieri potest) obliterandae paullatim in animis catholici populi memoriae, canonum mixta illa connubia detestantium, constantissimi studii, quo sancta mater Ecclesia filios suos avertere consuevit ab iisdem in spiritualem suam futuraeque prolis perniciem contrahendis. Norunt scilicet contradictores Nostri, si res eis ex sententia succedat, facile inde futurum, ut catholicae praesertim foeminae

[1] Trident. sess. 24 cap. 2 de Ref. Vide etiam Bened. XIV De Synodo lib. 2, cap. 9, num. ult.

aut licitas aut non adeo graviter illicitas putent eas omnes nuptias, quas sacris Ecclesiae ritibus et sacerdotali videant benedictione honestari.

Consonae his sunt praeceptiones et monita, quae sive in Nostris, sive in decessoris Nostri Pii VIII ad diversos archiepiscopos et episcopos literis, sive in instructionibus aut eius aut Nostro iussu editis [1] consignata fuerunt. Nec refert si eaedem ad non nullos tantum, qui Sedem Apostolicam consueverant, antistites, datae sunt; quasi aliis porro liberum sit illarum sententiam non sequi. Enimvero haudquaquam de aliqua hic agitur nova lege, quam memoratus praecessor Noster, aut Nos induxerimus; quum immo uterque Nostrum eo spectaverit, ut pro locorum circumstantiis emolliremus, quoad fieri posset, disciplinae severitatem; et ea simul inculcaremus, quae ad pravos usus tollendos, ad sanae doctrinae depositum custodiendum, ad tuendam matrimonii sanctitatem, denique ad incolumitatem catholicae religionis animarumque salutem necessaria iudicavimus. Quamvis igitur literae instructionesque illae, qua in parte novi aliquid indulgent aut tolerant, ad ea tantum referantur loca, pro quibus datae sunt; nullis tamen locorum limitibus ipsarum ratio circumscribitur, quatenus incommutabilem annuntiant Ecclesiae doctrinam, canonumque sententiam inculcant, et pravos, qui alicubi invalescebant, usus proscribunt. Atque huc pertinent quae hac de re iam a Nobis indicata fuerant in pluribus allocutionibus ad venerabiles fratres Nostros S. R. E. cardinales in consistorio habitis, quae statim iussu Nostro in publicum prodierunt [2].

Haec, ven. frater, ad supradictas tuas literas rescribenda habuimus, nec vero deinde cessabimus omnem, ut Nostri muneris est, conferre operam, ut sacras istic res, Deo bene iuvante, in meliorem conditionem adducamus. Interea etsi opus non esset, ipsa tamen rei causa suadente, commendamus nominatim fraternitati tuae, ut catholicas oves in vera fide atque in plena erga Deum et Ecclesiam obedientia verbis exemploque tuo continere non desinas; pergas porro ex Ecclesiae item doctrina eisdem inculcare, ut in rebus quae non quidem sacri iuris, sed civilis ordinis sunt, fideles iugiter maneant serenissimo regi, eique et constitutis ab eo magistratibus obediant, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ita et Deo quae Dei sunt, et Caesari reddens quae sunt Caesaris, obmutescere illos facies, qui te quasi regiorum iurium violatorem calumniari audeant. Ac Nostrae in te gregemque tuum studiosissimae voluntatis pignus adiungimus apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde depromptam, tibi ipsi, ven. frater, cunctisque istius dioeceseos clericis laicisque fidelibus impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima quinta iun. millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Fundus, vulgo Pietralata, cum aliis bonis adiectis in marchionatum erigitur, cum iure successionis non solum pro primogenitis masculinis, verum etiam pro primogenitis consanguineis ex linea ab oratore designanda [3].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum viri nobilitate, religione, virtute opibusque florentes, magno christianae et civilis reipublicae decori atque praesidio esse soleant, tum Romani Pontifices provido sane consilio, splendidissima honorum munera iis potissimum deferre consueverunt, qui virtutis et pietatis laude spectati, atque huic Petri Cathedrae firmiter adhaerentes, ac divitiis instructi deque hac Apostolica Sede praeclare meriti, eorum opera magis magisque de re christiana et civili, deque eadem Sede optime mereri posse videntur.

Equidem Nos minime latet dilectum filium Camillum Mazzetti egregiis animi dotibus ornatum, integritate, probitate, religione, virtute commendatum, ac Sammarinensium nobilitati adscriptum et comitis Piavolae ac marchionis Serrae titulo insignitum, atque Urbanae Nostrae militiae centurionis gradu honestatum, praediviti patrimonio locupletatum, summa Nos atque hanc Apostolicam Sedem veneratione et observantia colere, eumque nihil unquam inausum reliquisse, ut eximiis factis de eadem Apostolica Sede splendide mereri posset. Itaque cum ipse dilectus filius Camillus Mazzetti amplissimum fundum, vulgo Pietralata, Tiburtinam inter et Nomentanamv ias situm, loci amoe-

---

[1] In litteris scilicet Pii VIII ad archiep. Coloniens. eiusque suffraganeos datis 25 martii 1830, et instruct. ad eosdem die 27 eiusdem mensis. Et in Nostris litt. ad episcopos Bavariae 27 maii 1832, et instruct. ad eosdem 12 sept. 1834; item in litteris ad Hungariae antistites, et instruct. ad eosdem 30 april. 1841, necnon instruct. ad episcopos Austriacae ditionis in foederatis Germaniae partibus 22 maii eiusdem anni.

[2] In allocutionibus scilicet habitis IV id. dec. 1837, idibus septembris 1838, et postridie nonas iulii 1839.

[3] Ex Archivio Secretariae Brevium.

nitate, agri ubertate, conspicuum in praesentia possideat, atque a Nobis petierit, ut fundum ipsum aliis omnibus suis auctum bonis, ad marchionatum evehere velimus, illius votis quam libentissime annuendum censuimus.

Quamobrem ipsum dilectum filium Camillum Mazzetti peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce literis, plena auctoritate Nostra apostolica, commemoratum amplissimum fundum, vulgo Pietralata, aliis omnibus adiectis bonis, in marchionatum evehimus, quin tamen ex hisce literis maiora illi obveniant iura ac privilegia, quae ex recentissimis legibus huiusmodi praediis concessa sunt. Insuper eadem auctoritate Nostra apostolica, concedimus atque indulgemus, ut idem Camillus Mazzetti eiusque posteri primogeniti masculi legitimi et naturales, et quoties hi defuerint, ipsius Camilli consanguinei pariter primogeniti masculi legitimi et naturales ex linea ab ipso Camillo designanda, dummodo a catholica religione non deficiant, atque eo fundo, una cum aliis ei adiectis bonis, potiuntur, marchiones Pietralata appellentur, utque hoc titulo etiam in apostolicis literis publicisque tabulis vocentur, ac singulis quibusque honoribus, privilegiis, indultis, quovis nomine designandis, quibus alii marchiones, ex iuris praescripto, vel ex usu et consuetudine modo utuntur, fruuntur, vel uti frui possunt ac poterunt, libere et licite perfruantur.

Decernentes has literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod ad huiusmodi marchionatum necessaria requisita fundus non habeat, et alias quovis praetextu, colore seu ingenio de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio, intentionis Nostrae alioque quovis defectu, etiam quorum interest aut interesse posset in futurum cuiusvis status, ordinis, praeeminentiae et dignitatis sint etiam specifica mentione digni illi non consenserint aut minime vocati et auditi non fuerint, tametsi suorum indultorum aut privilegiorum vigore vocari aut audiri debuissent, aut ex eo quod solemnitates aut quaecumque alia forsan servanda minime servata fuerint, impugnari aut in controversiam vocari aut adversus illas quodcumque iuris vel facti vel iustitiae remedium impetrari non posse, sed semper validas, firmas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque in omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; sicque in praemissis, non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis etiam in speciali et individua mentione ac derogatione dignis, nec non in omnibus statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenore praesentium pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima octava iunii millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXIV.

EPISTOLA

Cum Ferdinando Austriae imperatore laetatur de suscepta prole archiducis Francisci eius fratris [1].

Carissimo in Christo filio Nostro
Ferdinando
Austriae imperatori
Hungariae regi apostolico
et Bohemiae regi illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Carissime in Christo fili Noster,

salutem et apostolicam benedictionem.

Gaudii nuntium quod literae ferunt officiosissimae imperialis maiestatis tuae, die sexto decimo mensis maii ad Nos datae, eo sane libentius accepimus, quo tibi gaudium istud contigit, largiente Domino, opportunius. Facis enim Nos certiores dilectissimo in Christo filio Nostro Francisco Carolo archiduci fratri tuo ex eius coniuge dilectissima in Christo filia Nostra archiduce Sophia, natum felici partu fuisse filium, in sacro baptismate Ludovicum Iosephum Antonium Victorem denominatum, quo divino beneficio cum defletae nuper iacturae dolor fuerit delinitus, Nos in persolvendis pro eo gratiis una tecum et cum religiosis parentibus tuisque omnibus habere socios cupere significas. Itaque et pro confirmata filialis erga Nos pietatis testificatione gratiam habemus ex animo, et ad optatum tuum quod attinet, esse volumus persuasum imperiali maiestati tuae nihil potuisse te a Nobis postulare, quod es-

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

semus impensiore studio facturi. Adsit modo benignitate sua Dominus Deus, et accepta habere dignetur vota Nostra, ut ei pro maioribus in dies collatis in vos bonis agendae vobiscum a Nobis sint gratiae, Nosque debeamus vobis quam saepissime gratulari. Quod reliquum est testimonium paternae praecipuaeque caritatis Nostrae omnis gratiae caelestis auspicem apostolicam benedictionem eidem tibi, carissime in Christo fili Noster, egregiis recens natae prolis parentibus, ipsique proli et imperiali domui tuae universae amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die trigesima iunii millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXV.

EPISTOLA

Ad Rupertum Leiss, Monachorum Schyrensium ord. S. Benedicti praesidem scribens, ipsum docet circa ritus pro defunctis celebrandos. Consilium, offerendi sacrificium universim pro regia familia catholica, cum regina extra communionem Ecclesiae moriatur, vehementissime reprobat; hinc si contingat ipsam extra veram fidem diem supremum obire, gravissimum Ecclesiae interdictum monachis eius curae concreditis violari ne permittat [1].

Dilecto filio religioso viro
Ruperto Leiss
praesidi monachorum Schyrensium
ord. s. Benedicti.

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili religiose vir,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ltteras accepimus, quibus, dilecte fili, certiores Nos facis, in coenobio isto regia dudum pietate instaurato servari fideliter, quoad fieri potest, constitutiones congregationis Benedictino-Bavaricae, approbatas ab Innocentio XI gl. mem. decessore Nostro inde ab anno Domini millesimo sexcentesimo octuagesimo sexto; atque hinc a Nobis supplex exposcis, ut illas iterum confirmare velimus. Significas insuper carissimum in Christo filium Nostrum Bavariae regem in restituendo vobis coenobium apposuisse conditionem, ut monachi in sua ecclesia funus celebrare tenerentur pro rege ipso, cum morietur, et in anniversariis porro diebus in perpetuum, itemque pro regina coniuge, ac pro futuris deinde seu regibus seu reginis, tum in cuiusque obitu, tum in diebus anniversariis qui usque ad subsequentis mortem intercedent. Addis autem, te quidem, dilecte fili, iam tum praesensisse difficultatem ex eo facile obventuram, quod serenissima regis uxor a catholicis sacris aliena est; sed nihilominus ex cuiusdam prudentis, ut putabas, viri consilio, induxisse animum, ut conditionem illam acciperes ea mente, ut si deinceps eadem regina extra communionem catholicam moriatur, sacrificium missae in ipsius funere et anniversariis diebus offeratur pro regia catholica familia universim. Verum cum nuper in morte acatholicae item mulieris serenissimae reginae viduae non leves circa eius funus toto regno dissensiones extiterint, tuum esse duxisti referre ad Nos de conditione illa ac de ratione a te monachisque tuis eo in casu tenenda sententiam Nostram exposcere. Nos igitur sanctissimis insistentes Ecclesiae regulis respondemus intentionem illam offerendi divinum sacrificium seu alias preces pro defunctis e catholica regia familia universis, haudquaquam satis esse ad cohonestandam publici funeris causam, quod pro acatholica persona nominatim postulatum est et in eius obitus aut annua die celebratur; atque hinc Nos ipsi etsi te, dilecte fili, tuosque monachos paterna caritate prosequamur, ea tamen quae ad coenobium istud eiusque res pertinent non antea probaturi et confirmaturi erimus, quam conditio illa incaute a vobis suscepta, ad sola catholicorum principum funera restringatur. Nec enim permittere possumus, ut ullo modo fraus fiat prohibitioni illi, quae in catholica ipsa doctrina innititur, de sacro funere pro defunctis acatholicis non celebrando. Age igitur, dilecte fili, impende tuam omnem industriam atque operam, quo serenissimus rex pro pietate sua id omnino annuat; ac subinde Nos paratissimos invenies, ut quantum cum Domino poterimus, auctoritate Nostra apostolica, vobis rebusque vestris faveamus. Interea si ante rem cum sua maiestate compositam contingat, quod Deus avertat, reginam serenissimam extra veram catholicam fidem supremum diem obire; multa tibi monachisque tuis firmitate animi prudentiaque opus est, ut vos quidem gravissimum illud Ecclesiae Sanctae interdictum minime violetis, et pius rex intelligat haudquaquam fieri posse, ut salvis religionis officiis, eidem ea in re morem geratis. Ceterum perge, ut certe facis, dilecte fili, attendere cum Dei gratia tibi et monachis tuis, quo vigeat in coenobio isto floreatque in dies magis religionis studium, sanctitas morum, disciplinae custodia. Ita Deo semper placebitis, cui vos probastis, et exemplo laboribusque vestris bene istic de re catholica merebimini, ac maiorem vobis conciliabitis a rege clementissimo benevolentiam, denique reviviscentis in Bavaria Benedi-

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

ctini instituti nomen apud catholicum populum amplificabitis, et qui etiam ex adverso sunt verebuntur, nihil habentes modum dicere de vobis. Nos autem non praetermittimus Patri misericordiarum per Iesum Christum unigenitum suum humillime supplicare, ut fausta vobis et salutaria cuncta largiatur. Ac superni huius praesidii auspicem, Nostraeque testem studiosissimae voluntatis apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, religiose vir, monachisque sodalibus intimo cordis affectu impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem die nona iulii millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXVI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus sodalitas SS. Cordis Mariae, Varsaviae, in archisodalitatem erigitur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum Nobis nihil certe potius, nihil optabilius nihilque gratius esse possit, quam ut in universo, qua late patet, catholico orbe, pietas et cultus erga sanctissimam Dei Genitricem, eamdem omnium Nostrum amantissimam matrem in dies augeatur, tum quam libentissime ea concedere solemus, quae christifidelium animas ad amorem et venerationem in Deiparam Virginem magis magisque excitare atque inflammare posse videntur.

Itaque non mediocri quidem laetitia a ven. fratre Thoma Chmielecwski episcopo Gratianopolitano ac Varsavien. dioecesis suffraganeo accepimus, illius dioeceseos christifideles desiderio incensos, peculiari ratione colendi sanctissimum Deiparae Virginis cor, consilium iniisse, piam sodalitatem ab eiusdem sanctissimae Virginis Corde appellatam, instituendi in aedicula Mariae sanctae Lauretanae, ad templum religiosae familiae ordinis Minorum s. Francisci de Observantia. Cum autem idem ven. frater Nobis exponendum curaverit suis in votis esse, huiusmodi piam sodalitatem archisodalitatis titulo ac iuribus decorari, atque id enixis precibus a Nobis efflagitaverit, Nos hisce desideriis et postulationibus alacri libentique animo annuendum censuimus.

Quamobrem sodalitatis decus, quantum in Domino possumus augere cupientes, atque omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, sodalitatem Sanctissimi Cordis Mariae Sanctae in aedicula Lauretanae ad ecclesiam ordinis Minorum s. Francisci de Observantia Varsaviae institutam, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, archisodalitatis titulo perpetuum in modum decoramus. Illi propterea singula quaeque iura, privilegia, honores atque indulta voce quavis designanda, quibus aliae archisodalitates ex usu et consuetudine utuntur, fruuntur, vel uti ac frui possunt et poterunt, perpetuo concedimus et indulgemus. Insuper eius moderatoribus, eadem auctoritate Nostra, perpetuo pariter auctoritatem facimus, cuius ope quaecumque alia sodalitia eiusdem nominis et instituti extra Urbem ubilibet erecta, in commemoratam archisodalitatem, servata tamen forma constitutionis fel. rec. Clementis VIII praedecessoris Nostri editae, adsciscere seu aggregare libere et licite possint, atque cum illis omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, quibus ipsa pollet, communicare.

Haec concedimus atque elargimur, decernentes has literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab eis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis nec non, quatenus opus sit, eiusdem sodalitatis etiam iuramento atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima quinta iul. millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXVII.

De malis quibus est afflicta religio catholica in imperialibus regnis Russiae et Poloniae vehementer dolet. Spem fovere declarat, ut reddita catholicae Ecclesiae libertate, omnia tandem in pace quiescant [2].

---

1 Ex Archivio Secretariae Brevium.

2 Ex Archivio Brevium ad Principes.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE VIGESIMA SECUNDA IULII
ANNO MILLESIMO OCTINGENTESIMO QUADRAGESIMO SECUNDO.

Venerabiles fratres

Haerentem diu animo Nostro dolorem ob miserrimam catholicae Ecclesiae in Russiaco imperio conditionem alias, ven. fratres, vobiscum ex hoc ipso loco communicavimus. Testis quidem est ille, cuius immerentes utique, vicaria potestate fungimur in terris, Nos statim ab inito supremi pontificatus munere nullam sollicitudinis studiique partem praetermisisse, ut tot tantisque quotidie ingravescentibus malis, quoad fieri posset, mederemur. Quis autem impensis huiusmodi curis responderit fructus, facta etiam recentissima satis superque demonstrant. Quantum inde assiduus Noster dolor excreverit, magis vos cogitatione percipitis, quam Nobis liceat verbis explicare. Est vero quod intimae amaritudini summum veluti cumulum addit, quodque Nos, pro apostolici ministerii sanctitate, praeter modum anxios ac sollicitos habet. Cum enim quae ad incolumitatem catholicae Ecclesiae intra Russiacae dominationis fines tuendam indesinenter praestitimus, in iis maxime regionibus palam non innotuerint, illud sane molestissimum accidit, ut apud degentes inibi permagno numero fideles, avita Sanctae huius Sedis inimicorum fraude, rumor invaluerit, Nos sacratissimi officii immemores tantam illorum calamitatem silentio dissimulasse, atque adeo catholicae religionis causam pene deseruisse. Itaque eo iam adducta res est, ut lapis offensionis ac petra scandali propemodum evaserimus, amplissimae parti dominici gregis, cui regendo divinitus positi sumus; immo vero universae Ecclesiae super eum tanquam super firmam petram fundatae, cuius ad Nos, utpote successores, veneranda dignitas promanavit. Haec porro cum sint, id Dei, religionis et Nostra etiam ratio omnino postulat, ut vel ipsam tam iniuriosae culpae suspicionem longissime a Nobis propulsemus. Atque haec causa est cur omnem seriem curarum, quas pro catholica Ecclesia in memorato imperio suscepimus, peculiari expositione ad unumquemque vestrum mittenda, patefieri iusserimus; quo nimirum universo fideli orbi elucescat, Nos proprio apostolatus muneri nullatenus defuisse. Ceterum non concidamus animo, ven. fratres, futurum sperantes, ut potentissimus Russiarum imperator et Poloniae rex illustris, pro sua aequitate et excelso, quo praestat animo, diuturnis Nostris ac subditae sibi catholicae gentis votis benevole obsecundet. Hac spe fulti, non desistamus interim oculos ac manus in montem, unde veniet auxilium Nobis, fidenti cum prece levare, omnipotentem ac pientissimum Deum una simul enixe obsecrantes, ut laboranti iamdudum Ecclesiae suae expectatissimam opem quantocius largiatur.

CLXVIII.

EPISTOLA

Ad Thomam Gousset archiepiscopum Rhemensem scribens, eum monet de libris liturgicis sectandis [1].

Venerabili fratri
Thomae Gousset
archiepiscopo Rhemensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Studium pio prudentique antistite plane dignum recognovimus in binis illis tuis literis, quibus apud Nos quereris varietatem librorum liturgicorum, quae in multas Galliarum ecclesias inducta est; et a nova praesertim circumspectione dioecesium, novis porro non sine fidelium offensione actibus crevit. Nobis quidem idipsum tecum una dolentibus nihil optabilius foret, ven. frater, quam ut servarentur ubique apud vos constitutiones s. Pii V immortalis memoriae, decessoris Nostri, qui et breviario et missali, in usum ecclesiarum Romani ritus, ad mentem Tridentini concilii (sess. XXV) emendatius editis, eos tantum ab obligatione eorum recipiendorum exceptos voluit, qui a bis centum saltem annis uti consuevissent breviario aut missali ab illis diverso; ita videlicet, ut ipsi non quidem commutare iterum atque iterum arbitrio suo libros huiusmodi, sed quibus utebantur, si vellent, retinere possent. (Const. *Quod a Nobis*, septimo idus iulii millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, et const. *Quo primum*, pridie idus iulii millesimo quingentesimo septuagesimo). Ita igitur in votis esset, ven. frater; verum tu quoque probe intelligis, quam difficile arduumque opus sit morem illum convellere, ubi longo apud vos temporis cursu inolevit; atque hinc Nobis, graviora inde dissidia reformidantibus, abstinendum in praesens visum est nedum a re plenius urgenda, sed etiam a peculiaribus ad dubia quae proposueramus, responsionibus edendis.

---

[1] Ex opere cui titulus « Annali delle Scienze Cattoliche » auctore A. De Luca vol. 17, pag. 225.

Caeterum cum quidam ex regno isto, ven. frater, prudentissima ratione idoneaque occasione utens, diversos, quos in ecclesia sua invenerat liturgicos libros, nuper sustulerit, suumque clerum universum ad Romanae Ecclesiae instituta ex integro revocaverit, Nos prosecuti illum sumus meritis laudum praeconiis, ac iuxta eius petita perlibenter concessimus indultum officii votivi pluribus per annum diebus, quo nimirum clerus ille bene caeteroquin in animarum cura laborans, minus saepe adstringeretur ad longiora in breviario Romano feriarum quarumdam officia persolvenda. Confidimus equidem, Deo benedicente, futurum, ut alii deinceps atque alii Galliarum antistites memorati episcopi exemplum sequantur; praesertim vero, ut periculosissima illa libros liturgicos commutandi facilitas istic penitus cesset. Interea tuum hac in re zelum etiam atque etiam commendantes, a Deo supplices petimus, ut te uberioribus in dies augeat suae gratiae donis, et in parte ista suae vineae, tuis rigatae sudoribus, iustitiae fruges amplificet. Denique superni huius praesidii auspicem, Nostraeque pignus praecipuae benevolentiae, apostolicam benedictionem tibi, ven. frater, et omnibus ecclesiae tuae clericis laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem die sexta augusti anni millesimi octingentesimi quadragesimi secundi, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXIX.

LITTERAE APOSTOLICAE

Disiungit a vicariatu apostolico Oceaniae Occidentalis, curae concredito societatis Lugdunensis B. M. V., plures regiones, quas in novum vicariatum apostolicum, Centralem nuncupandum, erigit, eidem societati committendum [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Pastoris aeterni vicariam operam hic in terris, nullis certe Nostris promeritis, sed ineffabili divinae providentiae consilio gerentes, omni certe cura, studio ac vigilantia prospicere debemus, ut dominici gregis oves, Nobis divinitus commissae atque concreditae, magis magisque ad salutaria pascua deducantur, omnique adiuventur praesidio, quo salutem assequantur aeternam.

Itaque cum summa animi Nostri laetitia noverimus in amplissimo vicariatu apostolico Oceaniae in parte occidentali societatis Lugdunensis sub titulo B. M. V. presbyteris commisso, evangelicam lucem, divina adspirante gratia, ita usquequaque pervasisse, ut innumerae iam gentes e tenebris et umbra mortis fuerint eductae, atque in dies augeatur credentium in Domino multitudo, ac propterea ven. frater Ioannes Baptista Pompallier Maroneae episcopus, qui in praesentia totius vicariatus occidentalis praeses, ob nimiam locorum invicem interiecto mare seiunctorum distantiam, ac multiplices commercii difficultates, tanto oneri ferendo impar omnino sit, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, negotiis Propagandae Fidei praepositorum, consilio, nonnullas ex eodem vicariatu regiones seiungere, easque in distinctum apostolicum vicariatum alteri praesuli eiusdem societatis committendum ac Centralem appellandum erigere statuimus, quo facilius, tutius atque opportunius spiritualium illorum christifidelium bono atque utilitati consulatur.

Itaque Motu-Proprio, certa scientia, matura deliberatione deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, harum literarum vi, novum atque distinctum vicariatum apostolicum, Centralem nuncupandum, Oceaniae in parte occidentali erigimus et instituimus, ita ut novi huiusce vicariatus limites constituantur ad orientem linea meridiani quae per Mangeam insulam transit, sive linea ipsa, quae Occidentalem ab Orientali vicariatu dividit; ad occidentem linea quoque meridiani, quae orientalem tangit sinum insulae Christoval, quin tamen eam complectatur; ad septemtrionem linea aequinoctialis; ad meridiem denique tropicum Capricorni; ac propterea eidem vicariatui omnes inter praedictos fines regiones positas attributas esse decernimus; namque insulas vulgo Wallis Futuna, Tonga, Hamoa, Witij, Nova Caledonia, Novae Hebrides aliasque parvas insulas iis interiectas vel adiacentes, quas omnes et singulas regiones, eadem auctoritate Nostra, a vicariatu et omnimoda iurisdictione eiusdem ven. fratris Ioannis Baptistae Pompallier perpetuo auferimus atque dismembramus et in peculiarem novum apostolicum vicariatum Centralem appellandum erigimus et constituimus. Ipsi autem vicario apostolico huius novi vicariatus, ab hac Apostolica Sede eligendo, omnes et singulas facultates huiusmodi vicariis apostolicis concedi solitas, eadem auctoritate Nostra, concedimus et impertimur.

Haec volumus, statuimus atque mandamus, decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos spectat et in futurum

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

spectabit, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari atque inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo*, aliisque constitutionibus et sanctionibus apostolicis, ceterisque etiam speciali et expressa mentione et derogatione dignis in contrarium quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia augusti millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXX.

LITTERAE APOSTOLICAE

Coadiutorem vicario apostolico Oceaniae Centralis instituit [1].

Dilecto filio
Guillelmo Dusarre
presbytero Lugdunensis societatis
sub titulo B. M. V.

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum novus ac distinctus alter vicariatus apostolicus Centralis Oceaniae in parte occidentali pro maiore spirituali illorum catholicorum utilitate, per similes Nostras apostolicas literas, hodierno die datas, a Nobis fuerit erectus, atque ipsius vicariatus regimen dilecto filio Petro Bataillon presbytero eiusdem tuae societatis, tanti sane nominis claro, cum charactere et titulo episcopali in partibus infidelium fuerit demandatum, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, negotiis Propagandae Fidei praepositorum, consilio, in eam sententiam devenimus, ut ipsi vicario apostolico, habita ratione locorum distantiae, commercii aliarumque difficultatum, aliquem idoneum ecclesiasticum virum in auxilium daremus.

Quamobrem probe noscentes, te, egregiis animi ingeniique dotibus, morum gravitate, vitae religione, pietate, prudentia, integritate praestare, hoc munus tibi committendum censuimus. Itaque te, quem per similes alias apostolicas literas, hoc ipso die datas, episcopum Amatensem in partibus infidelium renuntiavimus, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, in coadiutorem novi electi centralis vicariatus antistitis eligimus et constituimus, tibique concedimus et indulgemus, ut illi in pastorali munere obeundo, opitulari possis et auxilium praesidiumque afferre valeas, ita tamen, ut in hoc officio exercendo, ea tantum peragas quae idem Petrus tibi committenda censuerit. Praeterea tibi facultatem tribuimus ut, postquam episcopalem consecrationem in Galliis acceperis, missionem petens, coadiutorem tuum in episcopum rite consecrare possis. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia augusti millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXXI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Novum vicariatum apost., Centralem nuncupatum, confectum ex terris disiunctis a vic. apost. Oceaniae Occidentalis, curae committit Petri Bataillon [2].

Dilecto filio
Petro Bataillon
presbytero Lugdunensis societatis
sub titulo B. M. V.

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Cum gravissimis ex causis, atque allatis maximi momenti rationibus, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, negotiis Propagandae Fidei praepositorum, consilio, per similes apostolicas literas hodierno die datas novum atque distinctum vicariatum apostolicum Centralem Oceaniae in parte occidentali pro maiore spirituali illorum christifidelium utilitate erigendum censuerimus iis circumscriptum limitibus, qui iisdem in literis describuntur, atque idcirco aliquis ecclesiasticus vir, episcopali charactere et titulo insignitus, eidem vicariatui sit praeficiendus. Nos huiusmodi munus alacri

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

[2] Ex eodem Iure.

libentique animo tibi committendum existimavimus, qui singulari pietate, doctrina, prudentia, integritate et evangelicis laboribus in iisdem regionibus exantlatis et catholicae fidei propagandae studio summopere praestas. Quamobrem te, quem per alias similes apostolicas literas, hoc ipso die, editas, episcopum Aenen. in partibus infidelium renuntiavimus, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, in vicarium apostolicum novi vicariatus Centralis Oceaniae in parte occidentali, auctoritate Nostra apostolica, hisce literis, eligimus, constituimus et deputamus, cum omnibus et singulis quibuscumque facultatibus, quae huiusmodi propriae sunt muneris, salva tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Mandamus proinde omnibus et singulis ad quos spectat, ut te in vicarium apostolicum huiusmodi recipiant et admittant, tibique faveant, pareant ac praesto sint, tuaque mandata efficaciter adimpleant, secus sententiam seu poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus ac faciemus, auctorante Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia augusti millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXXII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Guillelmum Dusarre coadiutorem novi electi Petri Bataillon vic. ap. Centralis vicariatus Oceaniae, eligit [1].

Dilecto filio
Guillelmo Dusarre
presbytero Lugdunen. societatis
sub titulo B. M. V.

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Cum novus ac distinctus alter vicariatus apostolicus Centralis Oceaniae in parte occidentali, pro maiore spirituali illorum catholicorum utilitate, per similes Nostras apostolicas literas hodierno die datas, a Nobis fuerit erectus, atque ipsius vicariatus regimen dilecto filio Petro Bataillon presbytero eiusdem tuae societatis, tanti sane nominis claro, cum charactere et titulo episcopali in partibus fuerit demandatum, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, negotiis Propagandae Fidei praepositorum, consilio, in eam sententiam devenimus, ut ipsi vicario apostolico, habita ratione locorum distantiae, commercii aliarumque difficultatum, aliquem idoneum ecclesiasticum virum in auxilium daremus.

Quamobrem probe noscentes te egregiis animi ingeniique dotibus, morum gravitate, integritate vitae, religione, pietate, prudentia praestare, huiusmodi munus tibi committendum censuimus. Itaque te, quem per similes alias apostolicas literas hoc ipso die datas episcopum Amaten. in partibus infidelium renuntiavimus, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, in coadiutorem novi electi Centralis vicariatus antistitis eligimus et constituimus. Tibique concedimus et indulgemus, ut illi in pastorali munere obeundo opitulari possis, et auxilium praesidiumque afferre valeas, ita tamen ut in hoc officio exercendo, ea tantum peragas, quae idem Petrus tibi committenda censuerit.

Praeterea tibi facultatem tribuimus, ut postquam episcopalem consecrationem in Galliis acceperis, missionem petens, coadiutorem tuum in episcopum rite consecrare possis.

Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia augusti millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXXIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Visitatorem apostolicum in archidioecesi Antibarensi, iuxta modum, eligit [2].

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

[2] Ex eodem Iure Pont. de P. F.

Venerabili fratri
Raphaëli Barissich
episcopo Azotensi
vicario apostolico
provinciae Bosnae Argentino Othomanae

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

De universi dominici gregis salute vehementer solliciti, ea omnia peragenda curamus, quae ad spiritualem eorum utilitatem pertinere videntur. Itaque cum noscamus talia nunc in archidioecesi Antibarensi rerum esse adiuncta, ut peculiarem huius Apostolicae Sedis sollicitudinem requirant, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, aliquem praeclarum virum eidem archidioecesi Antibarensi praeficiendum duximus, qui inibi visitatoris apostolici munere fungatur, atque huiusmodi officium, de eorumdem venn. fratrum consilio, tibi committendo censuimus.

Quamobrem te, ven. frater, peculiari benevolentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, huius tamen rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, ad Nostrum et huius Apostolicae Sedis arbitrium, te in visitatorem apostolicum commemoratae archidioecesis Antibarensis eligimus, constituimus et deputamus, tibique plenam potestatem tribuimus regendi et gubernandi praefatam Antibarensem archidioecesim, cum omnibus et singulis facultatibus, quibus antea illius archiepiscopus fruebatur, qui suspensus interim remaneat ab exercitio potestatis, tum ordinis tum iurisdictionis in ea archidioecesi, amoto insuper vicario apostolico Antonio a Boscomare, cui praefata archidioecesis regenda tradita fuerat, salva tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Mandamus proinde omnibus et singulis, ad quos spectat, ut te in visitatorem apostolicum huiusmodi recipiant et admittant, tibique faveant, pareant ac praesto sint, tuaque mandata efficaciter adimpleant, secus sententiam seu poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctorante Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die vigesima quinta augusti millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXXIV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Trium congregationum monachorum Basilian. Melchitarum in monte Libano, iuxta modum, visitat. apost. decernit [1].

Venerabili fratri
Francisco Villardel
archiepiscopo Philippensi
ac delegato apostolico in Monte Libano

GREGORIUS PP. XVI

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ex recta religiosarum familiarum disciplina in christianam et civilem rempublicam maxima bona redundent, tum omni quidem vigilantia et studio ea peragenda curamus, quae ad earumdem familiarum bonum pertinere cognoscimus. Itaque cum occasione controversiae circa validitatem postremi capituli generalis inter monachos Basilianos Melchitas S. Ioannis in Soairo exortae, noverimus tum in praefato, tum in aliis eiusdem nationis regularibus institutis, a s. Basilio pariter nuncupatis, Alepinorum nimirum et Ssmi Salvatoris, nonnullos invaluisse abusus, qui peculiarem huius Apostolicae Sedis providentiam exposcunt, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, negotiis Propagandae Fidei praepositorum, consilio, aliquem praestantem ecclesiasticum virum earum congregationum apostolicum visitatorem eligendum censuimus. Atque huiusmodi munus, de eorumdem venn. fratrum Nostrorum sententia, tibi committendum existimavimus, qui integritate, prudentia, religione, pietate, consilio ac rerum gerendarum peritia summopere es commendatus.

Itaque peculiari te benevolentia complecti volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi,

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, te, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, ad Nostrum et huius Apostolicae Sedis arbitrium, visitatorem apostolicum trium commemoratarum congregationum monachorum Basilianorum Melchitarum, nempe s. Ioannis in Soairo, Alepinorum et Ssmi Salvatoris, eligimus, constituimus et deputamus cum facultate assumendi duos convisitatores sive charactere episcopali insignitos, sive non, ac deputandi praesidem provisorie pro interino regimine; tibique omnes alias facultates necessarias atque opportunas tribuimus ad normam instructionis tibi ab eadem congregatione de Propaganda Fide tradendae, tum pro regimine corrigendo ac reformando earum trium congregationum, tum pro cognoscenda validitate capituli generalis iam initi a monachis s. Ioannis in Soairo.

Mandamus proinde omnibus et singulis ad quos spectat seu spectabit, ut te ad officium visitatoris apostolici memoratarum congregationum recipiant et admittant, tibique pareant ac praesto sint, secus sententiam seu poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus ac faciemus, auctorante Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Non obstantibus apostolicis atque in universalibus provincialibusque ac synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die trigesima augusti millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXXV.

MOTU-PROPRIO

Hollandicam missionem de Curaçao in America Meridionali in vicariatum apostolicum erigit [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Apostolici ministerii munus superna Dei providentia Nobis impositum atque commissum postulat, ut omni quidem studio et cura ea peragere non omittamus, quae ad catholicae religionis incrementum ac spiritualem christifidelium utilitatem pertinere perspicimus.

Itaque cum non mediocri paterni animi Nostri laetitia noverimus Hollandicae missionis de Curaçao in America Meridionali statum, benedicente Domino, ita florere, ut opportunum vel maxime sit missionem ipsam in apostolicum vicariatum erigi, eique antistitem charactere episcopali insignitum praefici, Nos maiori illorum christifidelium spirituali utilitati prospicere, ac rei catholicae incremento atque splendori consulere vehementer cupiens, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, negotiis Propagandae Fidei praepositorum, consilio, inibi peculiarem vicariatum apostolicum erigendum censuimus.

Motu igitur Proprio ac certa scientia et matura deliberatione, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hisce literis, Hollandicam missionem de Curaçao in America Meridionali, in peculiarem vicariatum apostolicum erigimus et constituimus, et in eo vicarium apostolicum charactere episcopali exornatum esse debere decernimus, qui eiusdem missionis regimini praesit. Ipsi autem vicario apostolico, ab hac Sede eligendo, omnes ac singulas facultates vicariis apostolicis concedi solitas, eadem auctoritate Nostra, concedimus et impertimur.

Haec volumus, statuimus atque mandamus decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat et spectabit, in futurum plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo*, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die vigesima sept. millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXXVI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Sedem episcopalem, quam anno praeterito erexerat in provincia occidentali Canadae superioris, in urbe Toronto *figendam esse statuit, et graphice determinat huius dioecesis fines* [2].

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

[2] Ex eodem Iure Pontificio de P. F.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum per similes Nostras apostolicas literas die decima septima decembris anno millesimo octingentesimo quadragesimo primo datas, occidentalem superioris Canadae regionem in dioecesim seu episcopatum peculiarem, a dioecesi Regipolitana distinctum, instituerimus, ven. fratri Michaeli Prower novae dioecesis episcopo facultatem tribuimus statuendi in qua civitate dioecesis sedes esset constituenda: ad huiusmodi autem negotium absolvendum idem venerabilis frater Nobis exponendum curavit, assentientibus iam venn. fratribus episcopis Regipolitano, Marianopolitano et Sydensi Quebecensis archiepiscopi coadiutore, episcopalem sedem in civitate Torontina *(Toronto)* constitui posse; consentiente vero ac probante ven. fratre episcopo Regipolitano seu Kingstoniensi, novae dioecesis limites incipere debere ad orientem a lacu Ontario per lineam separantem districtum Neocastrensem *(New-Castle)* in dioecesi Regipolitana a districtu *Stome* in dioecesi Torontina, continuatamque in eadem directione usque ad lacum Muskogo, et hinc versus septentrionem, vel strictius nord-est, per alveos vel media lacuum et amnium Moon Muskogo: deinde per ramum occidentalem duorum fluminum, vulgo *deux rivières,* usque ad magnum fluvium Ottawensem seu *Ottawa.* Itaque a Nobis idem ven. frater petiit, ut haec omnia auctoritate Nostra apostolica approbare et confirmare velimus.

Nos vero de venn. fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, rem ipsam, suprema Nostra auctoritate, sancire decrevimus. Quamobrem hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, novae dioecesis in occidentali superioris Canadae regione institutae episcopalem sedem in civitate Torontina, *Toronto,* constituimus, ac eiusdem novae dioecesis limites incipere debere decernimus ad orientem a lacu Ontario per lineam separantem districtum Neocastrensem, *New Castle,* in dioecesi Regipolitana a districtu *Stome* in dioecesi Torontina, continuatamque in eadem directione usque ad lacum Muskogo, et hinc versus septemtrionem vel strictius nord-est, per alveos, vel media lacuum et amnium Moon Muskogo; deinde per ramum occidentalem duorum fluviorum, vulgo *deux rivières,* usque ad magnum fluvium Ottawensem, seu *Ottawa.*

Haec volumus, statuimus atque mandamus decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat et spectabit in futurum plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo,* aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die vigesima septembris millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXXVII.

BULLA

Fit erectio cathedralis ecclesiae S. Salvatoris in America centrali [1].

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam.

Universalis Ecclesiae procuratio quam imperscrutabili divinae providentiae consilio licet immerentes gerimus, illud praecipue a Nobis exigit, ut nullum laboris ac sollicitudinis genus praetermittamus quominus, dioecesibus per universum terrarum orbem iam constitutis, idonei pastores praeficiantur ac novas ecclesias erigere novosque eisdem episcopos assignare apostolica auctoritate curemus, ubi scilicet fidelium vel necessitas vel utilitas idipsum expostulare videatur; succrescente siquidem vastissimis in regionibus incolarum numero, saepe contigit, ut cum iidem longo viarum intervallo eoque interdum difficillimo a proprio pastore seiungantur, neque omnes oves suae fidei traditas ipse cognoscat neque ab illis cognoscantur. Quae profecto cum animo revolvamus facere quidem non possumus quin summopere commoveamur, malisque exinde manantibus sane gravissimis, eo impensiori caritate occurramus, quo miserabiliorum eorumdem fidelium conditionem lamentamur. Haec Nobis, assidua mente cogitantibus, qui summa rerum in ea Sancti Salvatoris provincia potiuntur quae sita est ad occiduas Americae centralis oras, suo aeque et christifidelium inibi degentium nomine humillimas praeces obtule-

[1] Ex Cancellaria Episcopali S. Salvatoris in America Centrali.

runt, ut integrum territorium ex quo Sancti Salvatoris ditio modo resultat, ab archiepiscopali Guatimalensi ecclesia dismembrare novamque subinde dioecesim cum episcopali sede a Sancto Salvatore in America centrali nuncupandam, constituere, ac proprium eidem antistitem assignare, apostolica auctoritate, vellemus. Quam sane dismembrationem nedum opportunam imo etiam necessariam verum et ipsi Guatemalensi archiepiscopo probatam fore dicebatur. Cum enim nullum uti fertur impraesentiarum emolumentum e ditione Sancti Salvatoris ipse percipiat, nullam neque proventuum iacturam faceret dum alioquin magna curarum parte levaretur. Iam vero hodiernum vetustissimae dioecesis Guatemalensis territorium ex ditione Guatemalensi atque ex altera superius memorata Sancti Salvatoris coalescit, si districtus excipiatur quem Peten appellant. Ingens eiusmodi territorium oppida insimul et loca quatuorcentum ac triginta suo gremio complecti atque ab incolis supra decem centenis millibus frequentari perhibetur. Extant inibi paroeciae centum sexaginta quatuor quae longo atque aspero plerumque intervallo ita invicem separantur, ut plurimorum sacerdotum labores et curas necessario requirant. Quod si mens advertatur ad praedictam Sancti Salvatoris ditionem, princeps eiusdem civitas ab archiepiscopatu Guatimalensi septuaginta distat leucas, eiusdem vero limites ad septem millia supra centum viginti quinque milliaria, ut vocant, quadrata protenduntur, ubi quinquaginta quatuor paroeciae numerantur. Illud maxime dolendum est quod in tota, qua late patet, Sancti Salvatoris provincia, vigintiquatuor dumtaxat presbyteri habeantur, ita ut dici haud sine lacrymis merito queat messem quidem esse multam operarios autem paucissimos. Hinc assequi unusquisque coniectura potest, quantum detrimenti ex tali sacrorum ministrorum inopia animarum salus patiatur. Accedit insuper quod nimia locorum distantia et gravissimis itinerum incommodis nec non ingentibus eius archidioeceseos curis, Guatimalensis antistes praepeditur quominus infra praefinitum tempus singulas paroecias praesens inviset atque pastorem inter et oves praesertim remotiores ea communicatio intercedat qua res facilius celeriusve absolvantur. In spem itaque ingressi sumus futurum, ut nova episcopali ecclesia in memorato Sancti Salvatoris territorio constituta episcopus eidem praeficiendus commissum sibi gregem propius inspiciens eiusdem necessitatibus facilius occurrat. Catholicae doctrinae depositum apud fideles oves sartum tectumque custodiat atque efficacius illorum conversioni incumbat quos adhuc errorum tenebris atque umbra mortis obvolutos gravissime ingemiscimus. Haec sane aliaque rationum momenta a gubernio Sancti Salvatoris per suum negotiorum gestorem consulto huc missum allata tanti profecto ponderis apud Nos fuerunt, qui nihil antiquius habuimus quam ut spirituali comodo ac bono christifidelium in remotioribus etiam catholici orbis regionibus degentium, paterna caritate atque apostolica sollicitudine prospiceremus, cunctis matura deliberatione perpensis, porrectis supplicationibus obsecundantes ex certa scientia ac apostolicae potestatis plenitudine atque etiam Motu-Proprio consensui eorum quorum quomodocumque intersit quatenus opus esset derogantes sive supplentes, universum territorium quod hoc temporis momento obtinet Sancti Salvatoris provincia eiusdem nominis extans in centrali Americae occidentalis parte, a Guatimalensi archiepiscopatus dioecesi dividimus ac dismembramus ibidemque omnes et singulas paroecias ecclesias conventus monasteria et alia quaecumque saecularia ac quorumvis ordinum regularia beneficia quae inibi forsan existant insimulque utriusque sexus personas habitatores et incolas tam laicos quam clericos praesbyteros beneficiatos et religiosos cuiuscumque gradus status ordinis et conditionis ab ordinaria iurisdictione potestate ac superioritate archiepiscopi Guatimalensis pro tempore existentis seu eius dioecesis Ordinarii perpetuum pariter in modum eximimus et liberamus. Huiusmodi sic peracta dismembratione, divisione ac exemptione, eam civitatem a Sancto Salvatore in America centrali nuncupatam, quae in ipsa eiusdem nominis provincia ne dum caput est verum etiam in opportuniore loco posita ac prae ceteris aptior et praestantior dignoscitur, civitatem episcopalem erigimus atque instituimus cum curia et cancellaria ecclesiastica, oppidumque praefatum sic in civitatem episcopalem erectum et institutum frui volumus omnibus ac singulis honoribus iuribus privilegiis et praerogativis quibus caeterae pontificali sede insignitae civitates in America centrali earumque cives utuntur atque fruuntur. Parochialem ecclesiam quae in praefato oppido Sancti Salvatoris, ut supra in civitatem episcopalem erecto, extat sub invocatione transfigurationis Domini Nostri Iesu Christi ad honorem dignitatemque ecclesiae cathedralis, prisca tamen conservata parochialitate, mox evehimus atque attollimus et in ea sedem cathedramque pontificalem pro uno deinceps episcopo Sancti Salvatoris nuncupando, qui eidem ecclesiae civitati et dioecesi inferius assignandae eiusque clero et populo praesit, synodum convocet necnon omnia et singula iura officia et munia episcopalia habeat atque exerceat cum suis capitulo arca sigillo mensa ut infra constituenda ceterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis iuribus honoribus praeeminentiis gratiis favoribus indultis iurisdictionibus et praerogativis quibus aliae cathedrales ecclesiae in America centrali extantes earumque praesules potiuntur, dummodo ex peculiari indulto seu privilegio non

sint eis attributa, perpetuo pariter erigimus atque instituimus cathedrali Sancti Salvatoris ecclesiae hoc modo erectae, ut propria deinceps dioecesis tribuatur illius antistiti universum ditioni Sancti Salvatoris territorium a Guatimalensi dioecesi, ut supra avulsum et disiunctum, quod videlicet nunc conterminum est ad orientem cum sinu de Conchagua, ad occidentem cum flumine de Paz, ad septentrionem cum provincia Guatimalensi, ad austrum cum mari Pacifico nuncupato pro dioecesi novi episcopatus Sancti Salvatoris perenniter adiudicamus atque adsignamus, quod quidem territorium sic attributum et designatum ac in eo existentes seu existentia paroecias, ecclesias, conventus, monasteria et quaecumque alia saecularia ac quorumvis ordinum regularia beneficia utriusque sexus personas et incolas tam laicos quam clericos non tamen exemptos cuiuscumque gradus et conditionis ordinariae novi pro tempore existentis antistitis ecclesiae Sancti Salvatoris iurisdictioni, regimini, potestati ac superioritati perpetuo similiter subiicimus eique pro civitate, territorio, dioecesi, clero et populo perpetuum pariter in modum adsignamus et attribuimus. Ut autem futurus pro tempore existens episcopus Sancti Salvatoris suam eo quo par est decore valeat tueri dignitatem et vicario generali curiaeque episcopali satis providere pro congrua interim dote perpetuo libereque ipsum percipere uti frui volumus ea decimarum portione infra designanda necnon ea quota quae dicitur quarta episcopalis, proindeque huiusmodi redditus eius mensae episcopali iugiter adscribimus atque attribuimus. Quod vero attinet ad fabricam novae cathedralis ecclesiae Sancti Salvatoris, eam similiter dotationem quae itidemque in altera supradictarum decimarum portione, ut infra constabit, perpetuum in modum adscribimus atque adiudicamus, proprias aedes pro futuri episcopi habitatione eiusque curiae episcopalis residentia decenti forma et commodo loco positas ac proximiores quantum fieri poterit ecclesiae cathedrali quamprimum assignari praecipimus quae si modo distat easque conduci oporteat rationem habendam esse volumus pro illarum conductione solvenda. Quod spectat ad erectionem capituli cathedralis executioni diligenter ac rite ad praescriptum sacrorum canonum mandandam ferre iubemus, at vero capitulum ipsum haud secus erigi volumus nisi confletur primatus ex una saltem dignitate ac tribus canonicis. Ad dotationem vero tum capituli tum seminarii dioecesani iam uti fuerunt existentis in dicta civitate Sancti Salvatoris, eam utrique in id perpetuo attribuimus atque respective assignamus portionem in praedictis decimis eo quod sequitur modo. Quandoquidem edictum est donationes pro mensa episcopali Sancti Salvatoris, pro capitulo cathedrali, pro fabrica et sacrario eiusdem cathedralis nec non pro ecclesiastico clericorum seminario dioecesano constituendas esse in ecclesiasticis decimis libere pacifice iugiterque colligendis intra limites ditionis praedictae Sancti Salvatoris, similiter decernimus eas decimas perpetuo fideliterque dividi in decem omnino aequales portiones, quarum tres pro dotatione tribuantur et adiudicentur dictae mensae episcopali, tres alterae capitulo cathedrali inter eius membra prudenti arbitrio episcopi dividendae, tres aliae seminario dioecesano, decima denique pars fabricae et sacrario cathedralis cedat. Verumtamen quandocumque dictarum decimarum redditus ut supra dividendi, comperiantur impares pro congrua et decenti dotatione episcopi capituli et seminarii, habita circumstantiarum respective ratione, tum gubernium ditionis Sancti Salvatoris ex data fide teneri volumus usque ad opportunitatem et convenientiam dotationum earumdem supplementum ex aere publico impertire. Quum propter maximam in iis locis sacerdotum penuriam capitulum cathedrale in praesentiarum nequeat prorsus institui, dotationem ei ut supra praestitutam interim et usque dum eiusdem capituli erectio effecta non fuerit concedimus atque erogandam fore volumus ex prudenti eius episcopi ordinarii arbitrio, partim ad sacram supellectilem satius comparandam in usum ipsius cathedralis nec non ad eius decorem augendum, ut maiorem quoad fieri poterit splendorem ac dignitatem inibi cultus divinus praeseferat, partim vero in utilitatem seminarii dioecesani, sive pro commodiore eiusdem administratione atque incolumitate itidemque pro alendo educandoque inibi frequentiori numero ecclesiasticorum adolescentium, ut inde citius succrescat presbyterorum copia, quorum opera ecclesia illa maxime indiget. Donec autem contigerit novam ecclesiam Sancti Salvatoris carere capitulo cathedrali, ea sede vacante, habita nimirum ratione longissimae distantiae inde ad metropolitanam sedem Guatimalensem intercedentis, ut expeditius maiorique commoditate absque ulla intermissione dioecesis Sancti Salvatoris administratio procedere valeat, eiusdem administratorem cum facultatibus competentibus de iure vel de legitima consuetudine futurum esse illum qui vicarii generalis munus episcopi mox defuncti obierit; si autem nemo tempore obitus episcopi extiterit vicarius generalis, tum quoad vacantis ecclesiae procurationem servari volumus quae in id iure canonico praescribuntur. Tempore autem sedis vacantis, medietatem redituum eius mensae pro rata temporis vacationis attribuimus atque adiudicamus vicario seu eius dioecesis administratori uti supra futuro, alteram vero medietatem servandam fore episcopo successori praecipimus. Memoratam insuper Sancti Salvatoris ecclesiam, ut supra erectam, archiepiscopo Guatimalensi metro-

politico iure subiicimus eisque omnibus frui facultatibus exemptionibus praerogativis et iuribus, quae ad ceteras suffraganeas ecclesias metropolitanae Guatimalensis pertinent, volumus atque decernimus. Fructus autem eiusdem novae ecclesiae Sancti Salvatoris de more taxari ad florenos auri de camera triginta tres cum tertia floreni parte et huiusmodi taxam in libris camerae apostolicae et sacri collegii describi mandamus, ut vero cuncta a Nobis ut supra disposita rite ad suum perducantur effectum, dilecto filio Georgio de Viteri presbytero in utroque iure doctori ac in praedicta Sancti Salvatoris ditione degenti, quem harum literarum Nostrarum exequutorem eligimus ac deputamus necessarias omnes et opportunas ad praemissorum effectum plenarie consequendum tribuimus facultates, ut ipse per se vel aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam ab eo subdelegandam, omnia statuere ac decernere valeat, ut cuncta superius decreta ad exitum cumulate et rite perducantur atque etiam cum facultate ipsi executori sive eius subdelegato definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praedicta quomodolibet oritura, iniuncta ipsi obligatione, diligenter in decreto executoriali describendi fines novae dioecesis Sancti Salvatoris ac mittendi ad hanc Apostolicam Sedem infra sex menses ab expleta litterarum apostolicarum executione exemplar, authentica forma exaratum, decretorum omnium quae in earumdem litterarum exequutionem emittet, ut in tabulario congregationis Rebus Consistorialibus praepositae de more asservetur.

Praesentes autem literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes, vel habere praetendentes vocati et auditi non fuerint ac praemissis non consenserint eorum consensui quatenus opus sit de apostolicae potestatis plenitudine supplentes, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae vel aliquo alio etiam substantiali defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere volumus atque decernimus.

Non obstantibus *de iure quaesito non tollendo de suppressionibus committendis, ad partes,* vocatis quorum interest aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regulis ac in synodalibus, provincialibus, universalibus conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis vel quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum dispositionibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus praeterea ut harum literarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum dismembrationis, seiunctionis, separationis, erectionis, institutionis, assignationis, attributionis, seiunctionis, concessionis, indulti, commissionis, deputationis, mandati, decreti, derogationis ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, quarto kalendas octobris, pontificatus Nostri anno duodecimo.

CLXXVIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

In America septentrionali dividit a dioecesi Carolinopolitana novam Brunopolim seu Brunswik, eamque in proprie dictam dioecesim a Carolinopolitana distinctam constituit [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Dominici gregis cura Nobis divinitus commissa postulat, ut omni quidem vigilantia et studio christifidelium bono consulamus, quod ad maiorem eorum spiritualem utilitatem procurandam pertinere posse cognoscimus.

Non mediocri certe paterni animi Nostri voluptate gravibus ex testimoniis accepimus, in vastissima Americae septentrionalis Anglicana colonia Novae Brunopolis seu Novi Brunswikii, benedicente Domino, valde copiosum nunc esse catholicorum numerum, ibique simul magnam ad religionis incrementum suscipiendum propensionem, ac satis abundantes praesto esse reditus seu proventus temporales, quibus honestae episcopi conservationi prospici possit. Itaque cum ven. frater Bernardus Donaldus (Mac-Donald) episcopus Carolinopolitanus, in cuius dioecesi Nova Brunopolis hactenus comprehensa est, iurisdictionem in eam regionem totam sponte dimiserit, ac Nobis exponendum curaverit religioni plurimum utile futurum esse, Novam ipsam Brunopolim in dioecesim proprie

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

dictam erigi, Nos de venn. fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, ad catholicae religionis bonum procurandum, inibi novam dioecesim erigendam esse existimavimus.

Quamobrem Motu-Proprio atque certa scientia, matura deliberatione, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, Novam Brunopolim, hisce literis, ab iurisdictione ven. fratris episcopi Carolinopolitani penitus auferentes, in peculiarem, distinctam ac proprie dictam dioecesim erigimus, atque in ea proprium episcopum constituimus. Ipsi autem episcopo, ab hac apostolica sede eligendo, omnes et singulas facultates, quae propriae huius sunt muneris, damus et largimur.

Haec volumus, statuimus atque mandamus decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo*, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die trigesima septembris millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXXIX.

LITTERAE APOSTOLICAE

Novum instituit vicariatum apostolicum qui Guineam superiorem atque inferiorem, et regionem Sierra Leone *complectatur* [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

De universi dominici gregis salute Nobis divinitus commissa vehementer solliciti, ea omnia singulari studio peragenda curamus quae ad catholicae religionis incrementum ac maiorem christifidelium utilitatem pertinere posse cognoscimus.

Cum igitur ad catholicam religionem in Guinea superiori et inferiori, atque in tota regione, quae *Sierra Leone* dicitur, statuendam, confirmandam ac propagandam, opportunum in primis esse duxerimus, vicariatum apostolicum constituere, qui vastissimos illos regionum tractus comprehendat, de venerabilium fratrum Nostrorum sacrae congregationis de Propaganda Fide negotiis praepositorum consilio, huiusmodi vicariatum statuendum esse existimavimus, illique vicarium apostolicum charactere episcopali insignitum praeficiendum esse censuimus.

Motu igitur Proprio, certa scientia et matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, hisce literis, in Guinea superiori et inferiori, atque in tota regione, quae *Sierra Leone* dicitur, proprium ac peculiarem vicariatum apostolicum, qui vastissimos illos regionum tractus comprehendat, erigimus et constituimus. Ipsi autem vicario, ab hac apostolica sede eligendo, omnes ac singulas facultates, huiusmodi vicariis apostolicis concedi solitas, eadem auctoritate Nostra, concedimus et impertimur.

Haec volumus, statuimus atque mandamus decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat et spectabit in futurum plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo*, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die tertia octobris millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXXX.

BULLA

Qua fit circumscriptio seu commutatio et incorporatio paroeciarum Leodien. et Namurcen. in Belgico regno [2].

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

[2] Ex Archivio Secretariae Brevium.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam.

Quamvis Romani Pontifices praedecessores Nostri nunquam curare destiterint quaecumque ad maiorem catholicae Ecclesiae utilitatem conferre animadverterent, nihilotamen secius subortae deinde temporum ac locorum circumstantiae, interdum suaserunt, ut eorumdem implementum ad opportuniorem aliquam occasionem differretur. Nos itaque in sublimi Petri Cathedra constituti, ubi pronum in id tempus adventasse cognoscimus sapientissima praedecessorum Nostrorum decreta exitu compleri, ob effusissimam, qua universos christifideles complectimur, charitatem, ac pro supremi quo, licet immerentes, fungimur episcopatus officio, impense curamus.

Iamvero quo tempore sac. me. Leo XII praedecessor Noster die decima octava iulii anni millesimi octingentesimi vigesimi septimi spirituali ecclesiarum in Belgico regno existentium ordini atque regimini in melius consulturus, opportunam cum serenissimo Belgarum rege Guillelmo Primo conventionem inivit sancivitque, consultissimas hoc super negotio edidit sub die decima octava augusti eiusdem anni apostolicas literas, quarum initium *Quod quamdiu*. Quibus profecto literis inter cetera illud etiam provide cautum prospectumque fuit, ut Leodiensis ecclesia integras provincias Leodiensem et Limburgensem, ecclesia vero Namurcensis provinciam Namurcensem et magnum ducatum Luxemburgensem esset in posterum sub episcopali iurisdictione habitura ; verumtamen gravissimae vicissitudines et rerum circumstantiae paulo post in Belgico regno exortae, causae fuerunt quamobrem praestabilita a memorato praedecessore Nostro dioecesium in Belgico regno existentium circumscriptio, usque nunc optato effectu caruerit. At vero cum in praesentiarum nullum amplius eidem exequendae superesse impedimentum videatur, hodierni episcopi dioecesum Leodiensis et Namurcensis Nobis humillime supplicarunt, ut pro maiori illarum ecclesiarum commoditate, proque pastorali regimine uniformius aeque ac facilius exercendo paroecias cum earum cappellis et adnexis locis hinc inde a suis respective dioecesibus iuxta praelaudatas Leonis XII literas apostolicas disiungere et dismembrare, easque item respective Leodiensi et Namurcensi dioecesi ita unire atque adiudicare apostolica auctoritate vellemus, ut dioecesis Leodiensis ex integris provinciis Leodiensi et Limburgensi Belgicis in posterum constet, Namurcensis vero dioecesis ex integris provinciis Namurcensi et Luxemburgensi aeque Belgicis, quatenus scilicet serenissimi Belgarum regis ditioni modo subduntur exinde coalescat. Quocirca venerabilis frater Leodiensis episcopus in scriptis exposuit parochiarum, cappellarum et adnexorum locorumque quae modo intra limites episcopatus Leodiensis continentur, quaeque Namurcensi dioecesi perpetuum in modum uniendae forent atque adiudicandae, hunc esse catalogum videlicet: paroecia ex provincia Luxemburgensi in decanatu Salmiensi primaria Salmiensis cum cappellis Bustoville Comanster et Ville du Bois; succursalis Arbre fontaine cum cappella Geronne; succursalis Beho, succursalis Bovigny cum cappellis Courtit et Rogery; succursalis Grand Kalloux; succursalis Ourt; succursalis Salmechateau cum adnexo loco Provedraux; in decanatu autem Ferrerensi succursalis Bomal; succursalis Harre cum cappella Saint Antoine, succursalis Szie, succursalis My–ville cum cappella Vieux Ville, succursalis Sainte Gertrude; ex provincia autem Namurcensi in decanatu Coretuinensi succursalis Forville; succursalis Hingeon cum cappella Framwavet; succursalis Namêche cum cappella Marene le dames et adnexo loco Wartez, succursalis Pontillas cum cappellis Bierwart et Filliers, succursalis Vesin. Denique in decanatu Hannutensi, succursalis Hemptinne. Venerabilis pariter frater Namurcensis antistes in scriptis perhibuit parochiarum, cappellarum et adnexorum locorum provinciae Leodiensis quae ab episcopatu Namurcensi divelli, ac dioecesi uniri et adiudicari coniunctis cum Leodiensi antistite votis exoptare, catalogum esse hunc qui sequitur, nempe : In decanatu Andanensi succursalis paroecia Ben cum cappellis Gives et S. Leonare ac adnexo loco Aheu; in decanatu Harelaniensi succursalis paroecia Berus cum cappella Boix; succursales paroeciae La-belle maison Les-avinx Marchim, Quailhe Vyle. Demum in decanatu Durbutensi succursalis Aquier cum cappella Amas.

Nos itaque providentissimo Leonis XII praedecessoris Nostri consilio in memorata Bulla *Quod iamdiu* satis explicito inhaerentes, ut faciliori et commodiori christifidelium iis in locis degentium spirituali regimini atque utilitati consultum sit, enixis episcoporum ecclesiae Leodiensis et ecclesiae Namurcensis in id consilii ultro consentientium supplicationibus annuendum, atque expetitam circumscriptionem atque unionem concedendam a Nobis esse eamdemque protinus executioni amandandam censuerimus. Quapropter omnibus quae inspicienda erant matura deliberatione perpensis, certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, singulas cum oppidis, villis locisque adnexis paroecias, ecclesias, cappellas singillatim recensitas hinc inde a dioecesi Leodiensi et Namurcensi iuxta modum praeordinatum ac distincte supra designatum dividimus ac divellimus, atque etiam inibi existentia monasteria, beneficia tam saecularia quam regularia, necnon clerum, po-

pulum atque utriusque sexus personas, habitatores et incolas tam laicos quam clericos cuiuscumque gradus, ordinis et conditionis ab ordinaria iurisdictione, potestate et superioritate episcoporum Leodiensis et Namurcensis pro tempore existentium perpetuo eximimus atque omnino liberamus. Huiusmodi vero peracta dismembratione, avulsione atque exemptione quae antea episcopatui Namurcensi erant addictae eas singulas iuxta catalogum supra expositum in Belgica ditione, paroecias, ecclesias, cappellas cum oppidis, villis locisque adnexis, et siquidem cum monasteriis, beneficiis, clero et populo aliisque personis ibidem existentibus non tamen exemptis, episcopatui Leodiensi perpetuum in modum unimus, coniungimus et incorporamus, ita ut spirituali Leodiensis pro tempore antistitis iurisdictioni atque regimini perenniter subiiciantur. Itidem e converso quae antehac ad Leodiensem episcopatum pertinebant, eas singulas iuxta alterum catalogum supra relatum paroecias, ecclesias in Belgico regno existentes cum oppidis, villis locisque adnexis cum monasteriis ac beneficiis, clero et populo aliisque personis ibidem existentibus, non tamen exemptis, Namurcensi episcopatui, perpetuum pariter in modum unimus, adnectimus atque adiudicamus, adeo ut spirituali Namurcensis pro tempore antistitis administrationi atque iurisdictioni omnimode subdantur.

Ea demum ratione verum hanc componendam constabiliendamque profecto esse volumus atque statuimus, ut penitus ad formam praedictarum literarum Leonis XII *Quod iamdiu,* Leodiensis ecclesia in integras provincias Leodiensem et Limburgensem, ecclesia vero Namurcensis in provinciam Namurcensem et magnum ducatum Luxemburgensem quatenus hodiernae Belgici regni ditioni nunc subesse comperiuntur, episcopalem respective exerceat iurisdictionem.

Ut autem cuncta a Nobis ut supra disposita rite ad suum perducantur effectum, in executorem praesentium literarum Nostrarum venerabilem fratrem Raphaelem Fornari archiepiscopum Nicaen. in partibus infidelium et apud serenissimum Belgarum regem nuncium apostolicum eligimus et deputamus cum facultatibus necessariis et opportunis, ut per seipsum vel per alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum ab ipso subdelegandum omniaque oporteat statuere ac decernere valeat, facta itidem potestate eidem executori vel eius subdelegato super quacumque oppositione adversus praedicta quomodolibet oritura definitive pronunciandi.

Volumus praeterea, ut in decreto executoriali ab ipso executore exarando omnia oppida, terras, civitates, paroecias aliaque loca provinciarum Leodiensis et Limburgensis, Namurcensis et magni ducatus Luxemburgensis, ut supra perpetuum in modum dismembranda, avellenda, commutanda, unienda atque incorporanda, distincte ac singillatim describantur nec non ad sacram Consistorialibus Rebus praepositam congregationem, quatuor scilicet intra menses, ab expleta earumdem literarum apostolicarum executione inchoandos, exemplar authentica forma exaratum mittatur, ut in praefato congregationis Consistorialis archivio de more ponatur atque adservetur.

Praesentes vero literas et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere pretendentes, vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, eorum consensui quatenus opus sit de apostolicae potestatis plenitudine supplentes, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae vel aliquo alio etiam substantiali defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac ab omnibus ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari debere volumus atque decernimus.

Non obstantibus *de iure quaesito non tollendo,* vocatis quorum interest aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regulis ac in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis vel quibusvis aliis R. Pontificum praedecessorum Nostrorum dispositionibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus praeterea ut harum literarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum disiunctionis, dismembrationis, circumscriptionis, divisionis, exemptionis, unionis, coniunctionis, incorporationis, deputationis, mandati, decreti, derogationis ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, nonis octobris, pontificatus Nostri anno duodecimo.

CLXXXI.

EPISTOLA

Ad Hermannum episcopum Macrensem scribens, cum eo de illius singulari pietate ac religionis studio laetatur. De libello a Sartorio parocho Rohrbacensi edito loquitur. Episcopum nonet ut eorum audaciam compescat, quorum sermo et doctrina sunt in destructionem; atque hortatur ut episcopalem visitationem perficiat. Scandalum sacerdotum reprobat qui cum protestantibus connivere sese student [1].

Venerabili fratri Hermanno episcopo Macrensi, metropolitanae ecclesiae Friburgensis decano et vicario capitulari.

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex perlatis huc nuper capituli actis perlibenter cognovimus canonicos fratres tuos elegisse seu postulasse te in archiepiscopum istius ecclesiae: et mox quidem conficiendum mandabimus consuetum canonicum processum, ut subinde in proximo Nostro consistorio de conferenda tibi archiepiscopali dignitate statuamus. Interea vero Nostrum esse duximus, hasce ad te dare litteras, tum ut gratulemur in Domino pietatem singularem ac religionis studium, quo tuam fraternitatem animari ex acceptis iam testimoniis intelleximus; tum ut nonnulla significemus quae peculiarem a te curam et vigilantiam exposcunt. Horum primum illud est, ut quoniam in provectiore, qua es, aetate, complura erunt in quibus te aliorum opera uti oportebit, caveas idcirco etiam atque etiam, ne alios tibi adiutores assumas, quam quorum zelum, fidem sanamque doctrinam plene antea exploratam habueris.

Tales profecto non erant qui superiore anno millesimo octingentesimo quadragesimo primo ad te, uti archiepiscopi vicarium, retulerunt de libello, quem in scholarum catholicarum usum Sartorius parochus Rohrbacensis ediderat (cum titulo: *Leitfaden den christlichen religionis* – und Kirchengeschichte), et auctores tibi fuerunt ut tua illum approbatione commendares.

Eumdem librum, qui huc nuper delatus est, expenderunt sedulo bini theologi Nostrae congregationis Indicis, magnoque Nobis dolori fuit quod subinde ex eorum relatione cognovimus, illum esse prorsus eiusmodi, ut catholicae iuventuti plane noxius futurus sit. Itaque etsi in memorata congregatione adhuc expleta non fuerint acta omnia, quae decretum proscriptionis cuiuscumque libri anteire consueverunt, interea tamen abstinere non possumus, quominus fraternitatem tuam hortemur in Domino vehementer, ut nihil reliquum facias, quo idem opusculum a scholis et ab adolescentium manibus auferatur, et existimatio cesset quae ex memorata vicarii archiepiscopalis approbatione illi obvenerat. Imprimis vero satagendum erit, ne eiusdem, aut aliorum suspectae doctrinae librorum ullus unquam usus sit apud eos iuvenes, qui clericalis militiae tyrocinium ponunt; quorum ad catholicam doctrinam solidamque virtutem accuratior informatio, quemadmodum necessaria est clero dioeceseos perutiliter supplendo, ita praecipuas tuas curas sibi merito vindicabit.

Insuper diu est ven. fr. ex quo alii nonnulli e clero isto sacerdotes delati ad Nos sunt, uti minus sana aut etiam perversa prorsus doctrina imbuti, quorum sermo non erat in aedificationem sed in destructionem; qua de re Nos ipsi non semel antehac, nec sine aliquo fructu ad defunctos archiepiscopos scripsimus. Nunc igitur minime ambigimus, quin tibi summae curae futurum sit sive ut illorum compescas audaciam, sive universim ut solertissime advigiles in doctrinam ac mores ecclesiasticorum hominum, et parochos praesertim excitare studeas ad gravissimi muneris sui partes rite ac sedulo implendas. Hunc in finem commendatum quoque volumus fraternitati tuae, ut pastoralem dioecesis visitationem ad Tridentini concilii praescripta saepius tum per alios vere idoneos ecclesiasticos viros, tum etiam per teipsum, quoad poteris, rite perficias. Ita enimvero penitius cognosces conditionem sacrarum rerum in singulis locis, ac minori postmodum difficultate et cum maioris emolumenti spe praestare poteris, quae aut scandalis removendis, aut pietati fovendae, aut doctrinae fidei et morum sartae tectae habendae, profutura in Domino iudicaveris. Peculiaris item ex visitatione ipsa utilitas erit fidelibus pueris, ut adversus impendentia sibi ex acatholicorum societate pericula sacramento confirmationis in tempore roborentur.

Verum ad sanam doctrinam quod attinet, satis non est, ut clerus iste sub archiepiscopi et Sanctae huius Sedis ductu illam praedicet, nisi una simul ab iis agendis abstineat, quae illum in protestantium errores connivere arguerent. Quo in loco refugit animus renovare memoriam eius scandali, quod tres ante annos actum est in protestantium templo ad urbem istam inaugurando; cum nempe sacerdotes catholici plures, et nonnulli quoque e metropolitano capitulo, una cum acatholicis pompam

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

illuc ducere ac novum in ea inauguratione erroris triumphum concelebrare quodammodo visi sunt. Sed de his quidam scripsimus eo tempore ad demortuum antistitem ; nec facile futurum putamus ut idem scandali genus alias renovetur. Quae autem saepius in discrimen adducitur causa est mixtorum matrimoniorum, in quibus omni sane ope atque opera providendum tibi erit, ne ulli in posterum sacerdotes catholici facto ipsi suo probare in illis videantur quod ex doctrina ecclesiae illicitum esse noverunt. Supervacaneum foret loqui hic fusius in eam rem ; de qua plures iam dedimus ad diversos antistites litteras, et plures in Nostro consistorio allocutiones habuimus, quae in publicum editae ac longe lateque divulgatae sunt. Unum tamen denuo monemus, Nos scilicet nihil attingere de civilibus effectibus mixtarum nuptiarum, quae apud vos ineuntur. At vero in his quae ad matrimonii vim et sanctitatem coram Deo et Ecclesia, atque ad religiosam coniugum futuraeque sobolis causam pertinent, vae Nobis, venerabilis fr., nisi doceamus impavide irreformabilem fidei morumque doctrinam et custodiam inculcemus mandatorum Dei et Ecclesiae; atque iis in adiunctis, in quibus tolerare necesse sit mixtum aliquod connubium contra sanctissimas religionis Ecclesiaeque Catholicae regulas a catholico seu viro seu muliere in suam et obventurae sibi prolis spiritualem perniciem contrahendum, caveamus saltem, ut sacerdotes catholici prorsus abstineant nedum a sacro quovis ritu sacrilegis huiusmodi nuptiis admiscendo, sed etiam a quocumque alio actu, quo probare illas videantur.

Iam vero inter praesidia opportunasque vias ac modos, quibus utendum tibi erit ad sacerdotes tum ea in re tum in ceteris in officio continendos, illud certe non infimum tenet locum, quod in aequa et provida sacrorum munerum beneficiorumque distributione positum est. Quo in genere opportuna tibi occasio se offeret, ut in exordio ipso pastoralis procurationis tuam bonis omnibus prudentiam commendes. Vacabit scilicet in provectione tua canonicatus seu decanatus dignitas, quam modo ipse obtines ; ac Nos quidem pro certo habemus, te ita omnino acturum, ut illam ei conferas viro ecclesiastico quem prae ceteris et spectatum moribus, et zelo praestantem, et sana imprimis doctrina probatissimum noveris.

De reliquo minime dubitamus, quin fixum deliberatumque tibi sit, tueri constantem Ecclesiae causam, nec ullo prorsus modo assentiri novis illis ordinationibus quae in illius depressionem per regiones istas editae sunt ineunte anno millesimo octingentesimo trigesimo. Haud sane ignotum tibi esse arbitramur, ven. fr., quanto tunc studio reclamaverit Pius VIII gl. mem. decessor Noster: qui et gravissimis litteris ad Friburgensem archiepiscopum eiusque suffraganeos datis die trigesima iunii eius anni, ipsorum singulos excitavit, ut gregi suo impensius invigilarent et coram iis, apud quos agi oporteret, Ecclesiae iura firmiter sustinerent: quem quidem in finem revocavit etiam in illorum memoriam conventiones antea initas, quibus supremi istarum regionum principes polliciti fuerant se plane liberam in suis ditionibus Ecclesiam Catholicam praestaturos, tum quod attinet ad fidelium cum Sancta hac Sede de negotiis ecclesiasticis commercium, tum quod ad plenum archiepiscopi et episcoporum ius omnis episcopalis iurisdictionis ex vigentium canonum praescripto et praesentis disciplinae ecclesiasticae legibus exercendae. Nos etiam idipsum denuo monuimus in aliis literis quas die quarta octobris anni millesimi octingentesimi trigesimi tertii ad eosdem antistites scripsimus. Tu igitur, ven. fr., harum utrarumque literarum memor, et constitutioni inhaerens, Leonis XII recol. mem. praecessoris Nostri, quae ad supradictarum conventionum normam edita est III idus aprilis anni millesimi octingentesimi vigesimi septimi; ea semper constantia te geres, ut Ecclesiae libertatem eiusque iura sanctissima nullo unquam in capite deseruisse videaris. Ceterum ad praecipua officia tua illud etiam pertinere memineris, ut in rebus quae non quidem ecclesiastici iuris, sed civilis ordinis sunt, gregem tuum continere studeas in fide atque obsequio erga celsissimum principem et constitutos ab eo magistratus ; atque adeo inculcare fidelibus non praetermittas, ut eisdem obedientes se praebeant non solum propter iram sed etiam propter conscientiam. Ad extremum, certiorem te facimus, allata Nobis fuisse, quae ad Nos miseras, exempla nonnulla novi catechismi, qui in usum istius dioeceseos conscriptus est: de quo respondebimus postea ; cum scilicet liber idem rite fuerit expensus. Ceterum minime ambigimus, quin tu quidem, ven. frater, illius divulgationem atque usum non antea permissurus sis, quam Nostram super ipso responsionem acceperis.

Haec sunt, ven. frater, quae tibi significanda habuimus pro supremi apostolatus officio, et pro ea, qua te in Domino prosequimur, studiosissima caritate. Huius quoque testem esse volumus apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde depromptam fraternitati tuae peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum die vigesima quarta octobris millegimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXXXII.

INDULTUM

Quo fit concessio indumentorum magis insignium favore canonicorum metropolitanae ecclesiae Teatinae [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum divini cultus splendor atque maiestas christifidelium animos ad religionem atque pietatem vehementer excitet atque inflammet, tum R. Pontifices de ecclesiarum decore atque animarum salute summopere solliciti, honorifica insignia illis praesertim ecclesiasticis viris concedere consueverant, qui divino ministerio conspicuis in templis addicti, in hymnis et canticis laudes Deo concelebrant. Equidem Teatina civitas in Samnitibus semper permultis inclaruit nominibus, et quamplurimos protulit Sanctos, etiam martyrii laurea decoratos, ac tot praeclaros religiosorum Ordinum fundatores, atque amplissimos S. R. E. cardinales summosque Pontifices. Hinc porro evenit, ut haec Apostolica Sedes Teatinae metropolitanae ecclesiae canonicorum collegium amplioribus privilegiis honestandum censuerit. Iamvero ven. frater Iosue Maria Saggese, hodiernus Teatinae ecclesiae archiepiscopus, illius ecclesiae decus augeri vel maxime exoptans, enixis precibus a Nobis petiit, ut indultum benigne tribuere velimus, cuius vi eiusdem metropolitanae archidiaconus, quae est unica dignitas, ac reliqui canonici in pontificalibus sericam mitram albam auro contextam gestare, atque in funeribus uti mitra simplici ex tela pariter alba possint. Nos autem hisce ven. fratris desideriis quam libentissime annuendum censuimus, ea profecto spe freti fore, ut iidem archidiaconus et canonici, beneficentiae testimonio, acriori veluti incitati stimulo, in Dei gloriam amplificandam, in animarum salutem procurandam incumbere, ac virtutum omnium ornatu fulgere conentur.

Quamobrem omnes singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium Sacrorum Rituum congregationi praepositorum consilio, hisce litteris, auctoritate Nostra apostolica, perpetuum in modum concedimus atque indulgemus, ut tam archidiaconus quam alii canonici metropolitanae ecclesiae Teatinae, in ecclesiasticis functionibus intra tamen eamdem ecclesiam tantum, mitra serica, non tamen damascena, sed simplici cum parvis ornamentis auratis, et ex tela simplici, in missis defunctorum quae decantantur, libere ac licite perpetuo uti possint et valeant.

Haec concedimus atque indulgemus, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus *quoties opus fuerit,* fel. me. Benedicti XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis, atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non commemoratae metropolitanae ecclesiae et canonicorum collegii etiam iuramento atque confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima quinta novembris millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXXXIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Rectori Piae Cathecumenorum Domus Urbis parochialem iurisdictionem concedit super ibi morantes et domicilium habentes [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Plurima inter et maxima christianae caritatis instituta, et clarissima catholicae religionis monumenta, quibus communi omnium cuiusque aetatis sexus et conditionis haec alma Nostra urbs Roma copiose abundat et mirifice splendet, praecipuum certe locum obtinet Pia Cathecumenorum Domus, ad parochialem aedem Mariae Sanctae in regione Montana vico Suburra,

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

[2] Ex eodem Archivio Secretariae Brevium.

sita. Etenim ibi omnes omnium gentium ac nationum, qui de errorum tenebris emergere et christianam professionem amplecti exoptant, peramanter excepti, ac singulari cura, diligentia, contentione sanctissimis fidei rudimentis imbuti, praeceptionibus eruditi, quibus adiuvantur praesidiis, ut, omni mentis dispulsa caligine, ad pietatem, virtutem, honestatem et catholicae religionis disciplinam rite instituantur atque informentur. Quod quidem tam salutare tamque frugiferum opus Romani Pontifices decessores Nostri merito atque optimo iure summa benevolentia prosequuti, pluribus privilegiis ditarunt, ac nullis umquam curis sibi parcendum esse duxerunt, ne quid detrimenti caperet, atque omnibus consiliis et studiis maiori ipsius instituti bono atque utilitati quam diligentissime consulendum esse existimarunt.

Hac sane mente, cum idem institutum Nobis vel maxime cordi sit, ad illius prosperitatem magis magisque procurandam, illustribus praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, per similes Nostras apostolicas literas die decima secunda februarii, superiori anno datas, apostolicam visitationem ex tribus S. R. E. cardinalibus conflatam, in pia illa domo instituendam censuimus, ut ipsi pro eximia eorum sapientia, prudentia, consilio provide diligenterque ea peragenda curarent, quae tum spiritualibus, tum temporariis eiusdem piae domus rebus atque rationibus magis consentanea atque accommodata esse perspicerent. Iam vero cum ipsi Nobis exponendum curaverint, opportunum omnino esse, aliquas facultates illius piae domus rectori tribui, quo facilius spirituali Cathecumenorum bono consulatur, omnisque controversia penitus tollatur, quae inter rectorem ipsum et commemoratae paroeciae vicarium curatum in sacramentorum praesertim administratione aliisque sacris functionibus posset oriri, Nos, rebus omnibus maturo examine perpensis, huiusmodi postulationibus alacri libentique animo annuendum existimavimus.

Itaque omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Motu-Proprio, certa scientia, matura deliberatione, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hisce literis, Piae Catechumenorum Domus in tempore rectori perpetuum in modum omnimodam parochialem iurisdictionem tribuimus erga illos omnes tantum exercendam, qui intra eamdem piam domum morantur vel domicilium habent. Quam ob rem ipsius piae domus pro tempore rectori facultates perpetuo facimus, ut ipse pueris cathecumenis et neophytorum filiis Baptismi sacramentum conferre, ac intra eamdem piam domum degentibus sanctissimum Eucharistiae sacramentum paschali etiam tempore in ecclesiastici praecepti satisfactionem impertiri, illorum matrimoniorum celebrationi veluti proprius parochus assistere, ipsius piae domus benedictionem in sabbato sancto agere, atque aegrotantibus sanctissimum Christi Corpus ad aeternitatem viaticum dare, eosque sacro exeuntium oleo inungere libere, licite ac valide possit et debeat. Non dubitamus profecto quin ipse piae domus in tempore rector, hisce munitus facultatibus, omnia, eo quo par est decore et cultu ex ecclesiae praescripto, peragere diligenter studeat. Quod autem ad funera pertinet, volumus, ut quoties aliquis, intra eamdem piam domum degens, ex hac vita migraverit, illius cadaver ipse rector intus eamdem domum ex more efferat, seu associet usque ad ecclesiam, vel si ita magis placuerit supremis piae domus moderatoribus, usque ad limen externae portae, atque ibi illud vicarius curatus excipiat, in parochialem ecclesiam deferat, et exequias ex more agat.

Haec volumus, statuimus, praecipimus atque mandamus, decernentes has praesentes literas, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos spectat et pro tempore spectabit, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate, iudicari ac definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quoties opus fuerit, Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo,* ac rec. me. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum* aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non eiusdem piae domus et commemoratae paroeciae etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis deque verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque omnibus etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima nona novembris millesimo

octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXXXIV.

EPISTOLA

Petrum Brasiliae imperatorem ab impedimento consanguineitatis solvit, ut Christinam Mariam, regis utriusque Siciliae sororem, in uxorem ducere possit [1].

Carissimo in Christo filio Nostro
Petro Brasiliae imperatori

GREGORIUS PP. XVI.

Carissime in Christo fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Accidit sane pergratum paterno cordi Nostro eximiam religionem imperialis maiestatis tuae animumque filiali pietate Nobis Sanctaeque Sedi Apostolicae deditum, iterata ad Nos literarum confirmatione perspicere, ex quibus intelleximus consideranti tibi una cum corona imperiali munus esse impositum imperii commodis omni ratione prospiciendi, ne forte aliquando directi successoris defectu rerum tranquillitas turbari aliquo modo possit, deliberatum esse uxorem tibi adiungere. Itaque te, legato extraordinario ministro plenipotentiario tuo consiliario Beuto de Sylva mandasse, ut a rege utriusque Siciliae regni, sponsam tibi nomine tuo peteret regiam eius sororem dilectissimam in Christo filiam Nostram principem Theresiam Christinam Mariam. Verum cum hisce nuptiis, quas ceteroquin, iustis omnino de causis optas, canonicum obstet impedimentum consanguineitatis, Nobis postulas, ut idem impedimentum auctoritate Nostra apostolica tollatur. Nos igitur prudentiam a te suscepti consilii summe laudantes, petitioni tuae aequo sane libentique animo annuimus, quemadmodum aliae, quas misimus, literae Nostrae apostolicae testantur. Gratulamur autem imperiali maiestati tuae, quod regiam principem tibi sponsam delegeris, egregiis praeditam animi ornamentis; eoque dignam consortio tuo, sperantes fore, ut iuvante Domino, tecum in curam fovendae provehendaeque in subiectis gentibus catholicae fidei ac pietatis studiosissime incumbat. Omnis gratiae fontem Deum Optimum M. supplices obsecramus, ut te ad incrementum omnis virtutis, ad verum solidumque decus, ad amplissimae tibi creditae nationis felicitatem, sospitem et incolumen diutissime servet, sitque auspex omnis boni quod tibi, carissime in Christo fili Noster, et subditae imperiali maiestati tuae Brasilianae nationi universae, toto paterni animi affectu exoptamus, apostolica benedictio, quam imperiali maiestati tuae amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima octava novembris millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXXXV.

INDULTUM

Fit concessio indumentorum insignium favore canonicorum collegialis ecclesiae Castri Novi Portuensis dioecesis [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romanorum beneficientia Pontificum ecclesiasticis viris, qui conspicuis in templis divino ministerio addicti in hymnis et canticis laudes Deo persolvunt, honorifica insignia interdum concedere solet, ut ipsi maiore studio et contentione in Dei gloriam amplificandam, ac sempiternam hominumque salutem procurandam incumbant.

Exponendum Nobis curarunt dilecti filii canonici collegialis et parochialis templi sanctissimae Virginis Mariae in caelum evectae oppidi Castrinovi, Portuen. dioecesis, eorum in votis esse, pro maiore eiusdem templi decore ac divini cultus splendore, lineum amiculum tum manicatum tum absque manicis, seu cottam et rocchetum omnibus anni temporibus posse gestare. Nos igitur supplici cum prece precati sunt, ut huiusmodi veniam ipsis benigne concedere velimus. Itaque Nos rem gratam venerabili fratri Nostro Carolo Mariae S. R. E. cardinali episcopo Portuensi S. Rufinae et Centumcellarum facere cupientes, eorum votis alacri libentique animo annuendum censuimus.

Quam ob rem omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, iis qui modo sunt quique in posterum erunt, canonicis collegialis

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.
[2] Ex Archivio Capituli Collegialis Ecclesiae Castri Novi, Portuensis Dioecesis.

et parochialis templi Mariae Sanctae in caelum elatae oppidi Castrinovi, Portuensis dioecesis, perpetuum in modum concedimus et indulgemus, ut omnibus temporibus cottam et rocchetum in choro, in conventibus seu capitulis, uti dici solet, quum deliberationis causa coguntur, in sacris supplicationibus, aliisque canonicorum collegii functionibus gestare libere ac licite possint et valeant.

Haec concedimus atque indulgemus, decernentes has praesentes literas, firmas, validas et efficaces esse et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales iudicari ac definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum*, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et quoties opus fuerit, eiusdem collegialis et parochialis templi, et canonicorum collegii, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima nona novembris millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXXXVI.

EPISTOLA

Abbati generali fratrum Armenorum ordinis S. Antonii gratulatur de eius confirmatione in abbatia, a cap. gen. Ordinis statuta [1].

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Ex literis tuis sub die vigesima quarta augusti ad Nos datis, cognovimus ea quae Nobis grata admodum acciderunt, te scilicet in postremo capitulo, generalem tui ordinis abbatem fuisse confirmatum ac dilectos filios Nicolaum Gagoriean ac Narses Tojagian ordinis definitores electos esse. Porro ratum Nobis certumque est, quod ex tua integritate, prudentia ac religionis amplificandae studio, non ii tantum, quibus praees, regulares, sed et ipsa catholica Ecclesia magnum percipiet emolumentum. Etenim, praeterquam quod de tua virtute ac pietate minime dubitemus, probe novimus singularem tuam erga Sanctam hanc Sedem devotionem ac reverentiam, cuius quidem novum habuimus indicium, quod tu, missis ad Nos, data opera, literis tuis, Nos tamquam Dei Vicarios in terris b. Petri apostolorum principis, in capite universalis per totum terrarum orbem ecclesiae, divina providentia, licet imparibus meritis constitutos, quemadmodum decet, venerari volueris, ac Nobis tui confirmationem in munere generalis abbatis haud ulla interiecta mora nuntiaveris. Quapropter dilecte fili, de peculiari tua erga Petri cathedram observantia, te summopere commendamus hortamurque in Domino, ut quae hactenus pro catholica religione recte admodum praestitisti, ea in posterum, Spiritu Sancto cooperante, geras alacrius atque perficias. P. Arsenio Angiara-Kian procuratori tuo generali Armenorum collegio apud Nos constituto, p. Ioanni Bapt. Gagonian monasterii huius abbati tuisque omnibus, tum pro paterna qua eos complectimur benevolentia, cum etiam in tui gratiam ea semper libentissime tribuemus, quae a Nobis, salva Romanae Ecclesiae maiestate, expetere poterunt. Interim vero tibi, dilecte fili, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die quarta decembris millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXXXVII.

EPISTOLA

Respondet abbati generali congregationis Anglo-Benedictinae, sibi capituli generalis celebrationem ac simul monachorum studium erga Sedem Apostolicam et regularem observantiam significanti [2].

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Accepimus literas tuas nomine totius congregationis Anglicanae ordinis s. Benedicti ad Nos datas sub die quarta octobris labentis anni, eisque perlectis, non levem animo concepimus laetitiam, tum ob praefatam caritatem, quam inter eiusdem congregationis patres in generalis capituli celebratione viguisse cognovimus, cum etiam ob eorum regularis observantiae studium,

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

[2] Ex eodem Iure Pont. de P. F.

quam ipsis maxime cordi esse deprehendimus. Verum illud Nobis gratissimum fuit, quod eadem congregatio statim ac habitum est generale capitulum, Nos, meritis licet imparibus, ad supremum apostolatus fastigium erectos, de illius celebratione certiores effecerit, suamque in S. hanc Sedem observantiam ac reverentiam significaverit. Quod quidem etsi Nobis iucundissimum, non tamen novum accidit aut inexpectatum. Neque enim, dilecte fili, praeterire Nos poterat, quanta semper devotione et obsequio inclytus ordo tuus Apostolicam Petri Sedem sit prosecutus, quantaque religione eiusdem filii omnium Ecclesiarum matri atque capiti quovis tempore adhaerere studuerint. Id vero cum omnium eiusdem ordinis congregationum, tum etiam Anglicanae ornamentum esse praeclarissimum, cui quidem tanta nunc temporis religionis ac pietatis accessit laus, ut complures eiusdem alumni digni inventi sint, qui ad summum sacerdotii honorem eveherentur. Tibi itaque, dilecte fili, tuisque omnibus de his etiam atque etiam gratulamur in Domino, hortamurque vehementer, ut quas hactenus tanta Dei cum gloria atque Ecclesiae emolumento virtutes coluistis, eas in posterum alacriori animo perficiatis, quo scilicet, si forte Dominus in tanta messis copia atque operariorum penuria, vos in vineam suam mittere decernat ad maiores subeundos labores, aptos vosmetipsos atque idoneos ad uberes percipiendos fructus exhibeatis. Interim vero, dilecte fili, tibi ac tuae congregationis alumnis omnibus apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima prima decembris millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CLXXXVIII.

Administratorem apost. dioecesis Nanchinensis consolatur ob aerumnas quas ipse patitur; eumque monet per s. Congr. cogniturum quid ab ipso agendum quoad sacerdotes et Societatem Iesu [1].

Ven. fratri Ludovico Canopensi administr. ap. dioecesis Nankinensis vicario ap. in provincia Xan-tung.

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Ex literis fraternitatis tuae sub die decima tertia augusti ad Nos datis novimus quae et quanta dilecti filii Nostri Sinenses fideles, in regionibus istis degentes, cogantur sustinere, ac quibus praesertim aerumnis fraternitas tua, cui munus istius regendae ecclesiae divinitus est demandatum, pro nomine Iesu afficiatur. Haec quidem ven. frater, quantae Nobis tristitiae sint facile perspicis, cum unquam vehementius exoptemus, quam ut tristissimae calamitates, quibus Sinensis ecclesia iamdiu divexatur, ab ea tandem aliquando removeantur. Verum licet et Nos consolatione indigeamus, quod in supremo apostolatus culmine constituti, omnia simul Ecclesiae mala, quotidie magis adversus illam ingruentia, veluti uno oculi ictu dolentes adspectamus, attamen pro peculiari qua in Domino prosequimur dilectione, praetermittere non possumus, quin de praesentissimo Dei subsidio confidentes, virtutem tuam animique constantiam magis ac magis ad ardua quaeque propter amorem Iesu Christi alacriter perpetienda excitemus. Ne te perturbent, ven. frater, quae super caput tuum ab hoste humani generis glomerantur tempestates, quandoquidem illi nulla in te sit potestas, nisi quae eidem desuper non in destructionem at in aedificationem Ecclesiae tribuetur. Eadem, qua Apostoli, vocatus es vocatione; eorum itaque recorderis qui, velut agni in medio luporum missi, tanta ex alto virtute induti sunt, ut idololatriae caliginem in universo terrarum orbe disiecerint, gentesque omnes, quae sedebant in tenebris et in umbra mortis, divina evangelii luce illustraverint. Quereris, ven. frater, quod pauci admodum istic sint christifideles; verum ea spes tibi solatio sit, unde magnam Nos capimus consolationem, futurum videlicet, ut Deus ille, qui potens est de lapidibus ipsis filios Abraham suscitare, pro sui misericordia praestet aliquando, ut a terra ista tot martyrum sanguine foecundata, uberes tandem christianae fidei fructus educantur. Quantum vero attinet ad ea quae sacerdotes missionis attingunt, nec non Societatem Iesu, quam in regiones istas congregatio Fidei Propagandae, et fraternitate tua et Nankini fidelibus exposcentibus, misit, ab eadem congregatione quid tibi agendum sit deprehendes. Interim vero tibi, ven. frater, et fidelibus tuis omnibus, quos paterna caritate complectimur, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die prima ianuarii millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

CLXXXIX.

INDULTUM

Quo fit concessio indumentorum magis insignium favore canonicorum cathedralis templi Aversan. [1]

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romanorum beneficientia Pontificum honorifica insignia viris divino ministerio addictis interdum tribuere solet, ut ipsi viri maiore semper studio et contentione virtutum omnium ornatu fulgere, ac Dei gloriam et sempiternam hominum salutem pro viribus procurare conentur. Exponendum Nobis curarunt dilecti filii hebdomadarii cathedralis templi Aversani, ad illius ecclesiae decus augendum, eorum in votis esse talarem vestem, vulgo sottana, violacei coloris in ecclesiasticis functionibus gerere posse, atque etiam tibialia, focale sive collare et floccum in pileo eiusdem violacei coloris gestare. Itaque supplici cum prece a Nobis postularunt, ut huiusmodi privilegium ipsis benigne concedere velimus. Nos vero gravi venerabilis fratris hodierni episcopi Aversani accepto testimonio, ex quo Nobis innotuit, oratores eiusmodi gratia esse dignos, atque ea spe freti fore, ut ipsi hoc pontificiae Nostrae beneficientiae munere, acriori veluti incitati stimulo, maiorem in modum omni cura, solertia, alacritate in Dei gloriam promovendam ac spiritualem animarum salutem procurandam incumbant, illorum postulationibus annuendum existimavimus.

Quamobrem omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficientia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, iis, qui modo sunt quique in posterum erunt, hebdomadariis collegium efficientibus cathedralis templi Aversae seu Atellae, perpetuum in modum concedimus atque indulgemus, ut intra limites eiusdem Aversanae dioeceseos tantum, in sacris functionibus talarem violaceam vestem, atque etiam tibialia, focale et floccum in pileo eiusdem violacei coloris libere et licite gestare possint et valeant.

Haec concedimus atque indulgemus, decernentes has praesentes literas, firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, fel. rec. Benedicti XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et quoties opus fuerit eiusdem cathedralis ecclesiae et hebdomadariorum collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima ianuarii millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CXC.

BULLA

Qua fit erectio concathedralis in civitate Pitilianensi, illuc etiam translato capitulo Soanensi [2].

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam.

Quum divini cultus splendore, fidelium animi ad superna facilius erigantur et ad pietatem religionemque vehementius inflammentur, inter praecipua apostolicae Nostrae sollicitudinis munia, perpetuo esse duximus, eumdem ubi deciderit in pristinam dignitatem restituere, atque ubi iam ille nitesceret, ad maiorem Dei gloriam, et animarum utilitatem augere. Quapropter cum ven. frater Franciscus Maria Barzellotti hodiernus Soanensis antistes Nobis humillime repraesentaverit, nullam spem superesse, quominus illatum iamdiu episcopali suae civitati excidium reparari possit, atque ingruentem exinde in dies cathedralis illius ecclesiae squalorem ac solitudinem graviter ingemiscens, collatis quoque cum charissimo in Christo filio Nostro magno Hetruriae duce consiliis, Nobismetipsis impense

[1] Ex Archivio Capitulari Cathedralis Ecclesiae Aversae.
[2] Ex Archivio Secretariae Brevium.

supplicaverit, ut hisce malis opportunum aliquod remedium, suprema Nostra auctoritate, offerremus, pronas eiúsdem supplicationibus aures exhibendas decrevimus, quo episcopatus eiusdem dignitas instauretur ac divina ibidem officia impensius ac laudabilius exerceantur. Hunc itaque in finem ipsemet Soanensis antistes a Nobis humillime postulavit, ut eam eiusdem dioeceseos collegiatam ecclesiam quae Deo in honorem sanctorum apostolorum Petri et Pauli erecta reperitur in terra, quam vulgo vocant *Pitigliano*, ad concathedralis fastigium attollere vellemus, remque ita componere, ut utrumque Soanense scilicet et Pitilianense capitulum, in unum deinceps corpus coalescens, ipsi concathedrali erigendae in hymnis et canticis quotidie inserviret iuxta modum et rationem inferius stabiliendam. Quocirca idem praesul non solum asseruit utrumque canonicorum collegium necnon canonicatuum patronos, qua sua cuiusque interest, libenter deliberateque in id consentire, verum etiam significavit eo quoque nomine huiusmodi negotium si exitu compleatur, utile evasurum, quia ad populi illic quotidie percrebrescentis spirituale pabulum, sicuti par est suppeditandum, altera ibidem paroecia constitueretur. Nam praelaudatus charissimus in Christo filius Noster magnus Hetruriae dux, hac intercedente rerum componendarum occasione, edixit, dotationi et incolumitati ecclesiae a Sancta Maria nuncupatae, in paroeciam erigendae, se consulturum, simulque assentiri, ut qui duo canonicatus antedictae collegiatae ecclesiae regio patronatui obnoxii sunt, simul ac eorum vacatio contigerit, iidem in congruas pro curione eiusque coadiutore praebendas constituantur, atque interim velle ut ipsis ex aerario suo congrua suppeditetur. Ad haec quidem paterno animo respicientes, canonicum, hoc super negotio, processum fieri iussimus, eoque authentica forma exarato, ex collatis inde testimoniis, praeter caetera magni ponderis, haec quoque in comperto posita sunt; videlicet civitati Soanensi, quae olim amplitudine, nitore, populi frequentia praestabat, modo vere humilioribus aediculis ad instar ruralis pagi constat, paucas tantum aedes egenasque familias superesse, quae ad vitam sustentandam rei pastoritiae vel agrariae operam necessario impendunt; at aestivo praesertim tempore incolarum numerum ultra quinquaginta capita ut plurimum non assurgere. Et vero per ea loca talis esse perhibetur aeris inclementia ac prope lethalis, circumstantibus ac putrescentibus aquis, insalubritas, ut ingentem illarum rerum, quae hominum usui ac vitae maxime necessaria sunt, penuriam inducat, aliisque sane incommodis eorumdem locorum incolas obnoxios reddat. Quapropter inde a saeculo decimo sexto factum est, ut venia, ceu fertur, a Sancta Sede impetrata, Soanensis episcopus domicilium et curiam in finitimam Pitilianensem regionem transferre inceperit, et ecclesiae cathedralis canonici alibi pro lubitu suo degere consueverint, ex quo praesertim indultum fuisse dicitur, ut in ea cathedrali diebus dumtaxat festis ecclesiasticae functiones peragerentur. Item in comperto positum est Pitilianensem collegiatam sive ad fabricae structuram et ornatum, sive ad ipsius amplitudinem, sive ad ecclesiasticas suppellectiles pontificalibus etiam obeundis pares, sive demum ad annuam reddituum opem sustinendis expensis idoneas, mens convertatur, dignam esse, quae titulo concathedralis honestetur, eo vel magis, quod Pitilianum prae ceteris dioeceseos oppidis hanc dignitatem decentius atque accommodatius tueri possit. Lato siquidem et feraci gaudens territorio ac florenti commercio aucta sub mitioris quidem aeris influxu eminet edito in loco, totque continet aedes, ut incolarum numerus ad tria circiter millia et quingenta, praeter hebraeorum seorsim inhabitantium capita fere septingenta recenseantur; eas inter familias pleraque comperiuntur, quae natalium honestate, morum urbanitate, ingeniorum cultu praecellunt; a primis literarum rudimentis ad philosophicas atque theologicas usque scientias patent ibi publicae scholae; egentibus domus hospitalis aperta est, et tribunal extat civilibus controversiis expediendis. Compertum denique exploratumque est, opus de quo agitur in omnium votis esse, utpote decorum, utile ac necessarium.

Quibus omnibus plane cognitis riteque exploratis, et cunctis quae inspicienda erant matura deliberatione perpensis, votis quoque ipsius magni Hetruriae ducis benigne annuentes, Pitilianum superius commendatum, una cum villis illius territorium constituentibus, et ibidem respective extantibus quibuscumque ecclesiis, oratoriis publicis, locisque piis et beneficiis ecclesiasticis quibuslibet cum cura et sine cura animarum, saecularibus, et si quae sint, regularibus, necnon utriusque sexus ibi degentibus personis tam laicis quam clericis, presbyteris beneficiatis et non beneficiatis ac religiosis quibuscumque, a Soanensi dioecesi perpetuo dismembramus, secernimus et separamus, ipsumque Pitilianum in civitatem episcopalem cum curia et cancellaria ecclesiastica omnibus et singulis fruituram honoribus, iuribus, privilegiis atque praerogativis, quibus ceterae civitates, episcopali cathedra decoratae, earumque incolae et cives in magno Hetruriae ducatu utuntur atque fruuntur, evehimus atque constituimus, collegialitatem vero ecclesiae, quae Pitiliani est sub invocatione sanctorum apostolorum Petri et Pauli, una cum capitulo collegiali perpetuo abolemus atque penitus extinguimus, servata tamen parochialitate, ut infra, circumscribenda. Qua collegialitatis suppressione huiusmodi peracta, ecclesiam ipsam a sanctis apostolis Petro

et Paulo ut antea nuncupandam, concathedralis Pitilianensis titulo et dignitate cumulamus, eam vero cum cathedrali ecclesia Soanensi perpetuo aeque ac principaliter illico unimus, pariterque in eadem concathedrali canonice erigimus atque constituimus sedem, cathedram et dignitatem episcopalem pro uno antistite, qui Soanensis et Pitilianensis denominetur, itidemque praesit ecclesiis, civitatibus, oppidis et universae suae dioecesi necnon clero et populo, insimulque omnia et singula iura, officia et munia episcopalia habeat atque exerceat cum capitulo ex novo rerum ordine, ut infra, conformando ac designando cum arca et sigillo cum eadem cumulate mensa quae hactenus existit pro uno episcopatu Soanensi, cum iis omnibus et cathedralibus et pontificalibus iuribus, honoribus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, indultis, iurisdictionibus ac praerogativis quibus ceterae in eo magno Hetruriae ducatu concathedrales ecclesiae, earumque praesules fruuntur, dummodo sint in usu, neque ex speciali concessione ullatenus dimanarint.

Ut autem concathedrali ecclesiae sic erectae propria tribuatur dioecesis, ipsam civitatem Pitiliani et omnia loca, quae in eiusdem civitatis territorio comprehenduntur, necnon consistentes inibi ecclesias, oratoria publica et pia instituta, itemque unita qualiacumque sint vel aliquando extiterint saecularia et quorumvis ordinum regularia beneficia, utriusque sexus personas et incolas tam laicos quam clericos, non tamen exemptos, episcopi Pitilianensis pro tempore existentis iurisdictioni, regimini et superioritati perpetuo pariter subiicimus, eique pro suis civitate, territorio, dioecesi, clero, populo simili modo adsignamus et attribuimus.

Hodiernum itaque Soanensem antistitem eidem Pitilianensi quoque ecclesiae in episcopum praeficimus, proindeque ipsi pastoralem curam, regimen et administrationem eius etiam Pitilianensis ecclesiae in spiritualibus plenarie committimus absque nova apostolicarum literarum expeditione. Ab omnibus per consequens ad quos pertinet, habendum ac recognoscendum eum esse iubemus uti episcopum insimul Pitilianensem et Soanensem, eidemque debitam obedientiam praestari, adiecta tamen lege, ut eius futuri successores omnes possessionem huiusce episcopatus in utraque cathedrali semper accipiant, quin tamen teneantur quoadusque aliter Sanctae Romanae Sedi visum fuerit, residentiam, curiam et vicarium generalem apud Soanam habere.

Pro episcopio et curia cum cancellaria episcopali eas ipsas perpetuum in modum confirmamus, quatenus opus sit, atque constituimus omnes et singulas aedes quae Pitiliani ad haec iamdiu comparatae et decenter instructae fuisse perhibentur.

Potestatem itidem facimus, ut quando publico sumptu, ceu propositum est, Pitiliani apte instructa fuerit ecclesia sub invocatione Sanctae Mariae, tum inibi altera ab episcopo erigatur paroecia, eos habitura parochiales fines, quos eidem filiali ex dismembratione alterius matricis paroeciae extantis in praedicta ecclesia sanctorum Apostolorum Petri et Pauli Ordinarius idem prudenti arbitrio semel iugiterque assignare censuerit; deinde autem praecipimus, ut ad istius novae paroeciae procurationem rite explendam instituantur cum congruis dotationibus inferius designandis parochus et vice-parochus, earum animarum curam sedulo navaturi; declaramus insuper quod, excepto sacro fonte baptismatis istius erigendae paroeciae, parochiani, parochus et vice-parochus quemadmodum teneri debent ad omnia et singula onera parochialia, quae fert mos et sacrorum canonum disciplina, ita parochialia omnia iura, privilegia, honores et praerogativas habere, illisque frui possint quemadmodum caeterarum paroeciarum parochiani, parochi et vice-parochi, excepto sacro fonte baptismatis, legitime fruuntur. Iamvero etsi nondum desinamus in votis habere, ut cathedrale canonicorum collegium aliquando satis commode possit chorali servitio indulgere in ecclesia cathedrali quae Soanae eo etiam intuitu servatur, quod perhibetur erecta fuisse a sancto Gregorio Papa, huius nominis septimo, qui inibi natus fuisse dicitur, interea tamen cum propter irreparatas aerumnas et rerum circumstantias superius commemoratas nonnisi gravissimo cum incommodo, nec ea qua decet assiduitate, gravitate et decore queant in eadem cathedrali ecclesia choralis officii munia a capitulo expleri; idcirco capitulum ipsummet penitus nunc absolvimus atque liberamus ab onere residendi Soanae, praestandique pristinae cathedrali servitia choralia, illudque transferimus iuxta modum qui inferius innuetur, coniungimusque capitulo novae concathedrali Pitilianensi mox constituendo. Eam porro, quae in antedicto capitulo extat, praepositurae praebendam actu tam eximimus atque omnino exoneramus ab animarum cura, quam hucusque eiusdem possessor ibi exercere tenebatur; ne vero interim desint qui spirituali eorum inhabitantium christifidelium pabulo eiusque cathedralis custodiae et cultui prospiciant, volumus atque mandamus, ut asservato qui nunc ibi est sacellano cum iisdem prorsus, quibus nunc ipse fruitur emolumentis, supersint parochus et cappellanus ei coadiutor extiturus; pro eorum autem congrua decernimus, ut illico perpetuoque suppressis duobus canonicatibus a sancta Maria et a s. Ioanne ibidem nuncupatis, eorum respective reditus et bona quaeque, prioris nempe canonicatus pro congrua praebenda unius parochi, alterius autem pro congrua praebenda antedicti capellani perpetuo ita assignentur, ut qui nunc obtineat praefatam praebendam Sanctae

Mariae, ipso facto, absque ulla bullarum expeditione extet ibi parochus; ipsamet vero in posterum non secus ac altera S. Ioannis praesignata praebenda (quae utpote vacans hac statim lege afficitur) iuxta sacrorum canonum et conciliorum praescripta conferatur.

Habita porro locorum et peculiarium circumstantiarum ratione, quum opportunum esse videatur, ut quoad fieri potest valetudo parochi et cappellani de quibus mentio modo facta est, sospitetur, eodemque tempore spirituali earum animarum saluti indesinenter consulatur, ex apostolica benignitate ac providentia ita ipsius parochi et cappellani residentiam moderandam censemus, ut per octo mitiores anni menses eam uterque insimul et assidue servare teneantur, per quatuor vero aestuantes anni menses, alterna tantummodo vice eamdem obire licite possint et valeant.

Pro manutentione fabricae Soanensis cathedralis eiusque sacrarii, si qui extiterint, fundos et redditus quoscumque in hunc usum fideliter servandos et erogandos esse decernimus, praetereaque huiusmodi onus magnopere commendamus episcoporum pro tempore pietati et zelo, ut quemadmodum antea factum fuisse perhibetur, ecclesiam, quam veluti sponsam habent, incolumem sicuti par est servent rebusque necessariis decenter communiant atque exornent.

Quibus rebus sic praeordinatis atque decretis, ut in antedicta cathedrali Pitilianensi satis consultum esse queat divino servitio ecclesiasticaeque dignitati et splendori, protinus inibi erigimus atque in perpetuum constituimus capitulum, illudque nunc componendum esse volumus non solum decem et octo canonicis (ad sexdecim progressu temporis, ut innuetur, reducendis), comprehensis tribus dignitatibus, titulos praepositi, archipresbyteri et primicerii districte habituris, nec non theologo et poenitentiario ac duobus supranumerariis canonicis, verum etiam octo maturo tempore accessuris beneficiatis choralibus sive mansionariis, iis utique in horum numero computatis cappellanis, (posthac nuncupandis beneficiatis seu mansionariis), qui iam habentur coadiutores parochi ipsius collegiatae supprimendae.

Quae res ut accommodatius componi ac perfici valeat, e vestigio duodenas Pitilianensis collegiatae praebendas canonicales rursum erigimus in totidem canonicatus concathedralis, ipsosque omnes, haud secus ac sex reliquos Soanensis cathedralis canonicatus, ita coniunctim eidem concathedrali erigendae addicimus, ut eorum pro tempore singuli titulares canonici unicum idemque dehinc permanenter constituant capitulum, quod indiscriminatim futurum sit episcopi senatus, cum hoc tamen quod omnes recensiti canonicatus cum iisdem prorsus iuribus, bonis et oneribus (adempta dumtaxat praepositurae, uti dictum est, cura animarum) retineri et singillatim possideri queant ab ipsis hodiernis rectoribus, qui ipso facto titulum canonicorum cathedralis et concathedralis praeseferant, quin pro hac vice quisquam indigeat nova literarum expeditione sive, ut aiunt, investitura.

Declaramus vero atque constituimus, ut cum consuetis iuribus, honoribus et oneribus ex praefatis dignitatibus post pontificalem prima (videlicet praepositura) inhaereat praebendae praepositurae Soanensis; secunda (nempe archipresbyteratus) inhaereat praebendae canonicali, sbyteratus Pitilianensis; tertia demum (idest primiceriatus) inhaereat praebendae canonicali, quae sub invocatione sanctissimae Mariae Virginis a Septem Doloribus inter duodenos supradictos canonicatus recensetur, confirmato siquidem huic praebendae, quod pridem inerat, onere edocendae iuventutis ecclesiasticae in sacra theologia: praeterea in praebendam theologalem nunc pro tunc quando primum vacaverit perpetuo instituimus canonicatum a ss. Petro et Paulo nuncupatum; item in praebendam poenitentiariam perpetuo confirmamus ac etiam rursus instituimus canonicatum a sancto Petro denominatum; quas porro duas canonicales praebendas pridem erectas in cathedrali Soanensi propter adnexa huiusmodi officia, ad concilii Tridentini et apostolicarum constitutionum praescriptum, nonnisi praevio concursu conferri volumus atque praecipimus.

Hoc etiam tribuimus et concedimus, ut parochus et vice-parochus novae paroeciae, ut supra Pitiliani erigendae, iure proprio gaudeant titulo canonici supranumerarii concathedralis; parochus vero Soanensis paroeciae, sit in ipsa concathedrali canonicus dumtaxat honorarius, qui etiam capitularibus conventibus interesse poterit quoties ab Ordinario fuerit vocatus.

Ipsius novae cancathedralis et totius capituli et canonicorum ecclesiastico servitio praeter tres illos iam inibi extantes sacellanos, alterum etiam instituimus atque addicimus, adiecta conditione, ut singuli in posterum sint clericali saltem tonsura honestati.

Praeterea, ut capitulum concathedralis ecclesiae Pitilianensis, dum divinis officiis operabitur, splendidioribus ordinis insignibus praefulgeat, omnibus et singulis eiusdem sive dignitariis sive numerariis, sive supranumerariis, sive honorariis canonicis indulgemus, ut eadem indumenta atque insignia quibus capitulum ecclesiae cathedralis Soanensis utebatur, tum in dicta concathedrali Pitilianensi tum extra illam, quoties capitulariter sive ad supplicationes publicas, sive ad sacra solemnia, sive ad alios ecclesiasticos id generis actus convenirent, deferre, gestare, illisque uti libere, licite ac perpetuo possint et valeant; hodierno autem episcopo Soanensi et Pitilianensi facultatem concedimus, ut semel de-

cernat quae item indumenta ecclesiastica seu choralia gestare, illisque perpetuo uti valeant omnes et singuli eiusdem capituli beneficiati sive mansionarii, adiecta tamen lege, ut ea indumenta adamussim in more nunc sint apud unum ex cathedralibus capitulis in magno Hetruriae ducatu constitutis.

Facultatem insuper eidem capitulo sic erecto impertimur de novo etiam condendi statuta capitularia, ordinationes et decreta, sacris tamen canonibus, apostolicis constitutionibus et concilii Tridentini decretis consentanea, ab eodem episcopo Soanensi et Pitilianensi pro eorum robore ac pleno effectu expendenda atque approbanda, et pro eius prudentia, prout in Domino censuerit, etiam modificanda; itemque ius gaudendi omnibus et singulis gratiis, honoribus et privilegiis quibus fruuntur caetera ecclesiarum cathedralium et concathedralium capitula, in magno Hetruriae ducatu existentia, dummodo in usu sint nec fuerint peculiari indulto vel titulo oneroso acquisita, concedimus atque tribuimus.

Quum maxime oporteat certum ubicumque in ecclesiasticis coetibus servari praeeminentia, ordinem idcirco praescribimus et statuimus, ut in capitularibus quibuscumque functionibus, tres canonici dignitarii eo quo superius recensiti sunt ordine primum ante caeteros omnes canonicos locum obtineant. Prope gradatim sequantur canonici numerarii, habita respective anterioris quam quisque inierit possessionis canonicalis ratione, tam in hac prima quam in omni alia deinceps eventura singulorum institutione. Post hos veniant duo canonici supernumerarii, ita tamen ut parochus licet fortasse recentius in praebendae canonicalis possessionem devenerit, locum tamen semper habeat ante alterum canonicum supernumerarium cui vice-parochi munus adnexum est; postmodum veniat quicumque canonicus honorarius, ac demum beneficiati seu mansionarii quandocumque futuri locum post eos gradatim habeant iuxta rationem et normam superius pro canonicis praestabilitam.

Quod vero ad chorale servitium spectat, auctoritate Nostra apostolica indulgemus, ut divina officia qualibet die de more ceterarum cathedralium a singulis canonicis titularibus et beneficiatis (simul ac extiterint) in duas aequales partes discriminatis hebdomadaria alternatim vice rite atque integre expleantur. Inter quae choralis officii munia comprehendi omnino volumus missam quam vocant conventualem, quotidie profecto pro benefactoribus in genere applicandam.

Potestatem vero episcopo facimus praefiniendi, audito capitulo, tam pro ferialibus quam pro communibus, uti vocant, diebus, certam ac stabilem divini officii exercendi normam prout melius in Domino expedire iudicaverit.

Attamen constituimus, possessores canonicatuum sancti Philippi Nerii ac s. Hieronymi, qui privato iurepatronatu affecti inveniuntur, eiusmodi lege haud praegravari, nihilominus declaramus eos omnino teneri ad idem plane chorale servitium novae concathedrali ecclesiae exhibendum, quod antea collegiatae ecclesiae praestabant, data siquidem venia, ut si voluerint, idem quod ceteri canonici numerarii, chorale servitium semper et quandocumque valeant obire.

Rector paroeciae supra erigendae, utpote canonicus supranumerarius, choro concathedralis ecclesiae solemnioribus saltem diebus festis interesse debebit, dummodo animarum cura non fuerit praepeditus: mandamus praeterea ut eius vice-parochus, canonicus supranumerarius, ac duo illi cappellani qui ad dictam collegiatam Pitilianensem ecclesiam iam pertinebant alternis hebdomadis et diebus communibus intersint choro et functionibus ipsius concathedralis aeque ac caeteri canonici titulares ac beneficiati residentes; nihilominus eosdem penitus ac legitime excusatos haberi volumus quoties ad curam animarum incumbant.

Ut primaevae cathedrali Soanensi aliquod reverentiae et cultus testimonium ab universo canonicorum collegio perpetuo tribuatur, volumus ac praecipimus, ut episcopus una cum Pitilianensi concathedrali capitulo quotannis in Soanensem eamdem ecclesiam se conferat debitum obedientiae obsequium inibi quoque ab eo recepturus, ibique tribus diebus ab ipsomet hodierno episcopo semel constituendis, solemnia de more officia et pontificalia peragantur.

Ut vero in capitulo supramemorato, minusculae quorumdam canonicatuum praebendae sunt, par esse videtur annuo censu congrue decenterque augeri queant; quum bona et reditus ad hoc necessarii aliunde non suppetant, sequentia, quae vacant, simplicia beneficia nulloque patronatus iure affecta perpetuo supprimimus, scilicet beneficium sub titulo Gratiarum erectum in archipresbyterali ecclesia Arcis Albegnae (vulgo *Rocca Albegni*), aliud sancti Sebastiani in ecclesia archipresbyterali Montis Marani (vulgo *Monte Marano*), aliud sub titulo legati sanctissimae Conceptionis in futura concathedrali Pitilianensi, aliud sancti Christophori in ecclesia collegiata Sorani (vulgo *Sorano*), aliud sanctissimae Annuntiationis in plebana ecclesia Pereti (vulgo *Pereto*), aliud sanctae Catharinae in ecclesia archipresbyterali Marani (vulgo *Marano*), aliud sancti Antonii abbatis sive Paduani in ecclesia archipresbyterali Malleani (vulgo *Magliano*), aliud sub titulo pii legati s. Iosepho dedicati in praefata collegiata ecclesia Pitilianensi, aliud denique supprimimus nunc pro tunc, quum primum vacaverit, beneficium sanctae Mariae a Carmelo in ecclesia archipresbyterali Capalbii (vulgo *Capalbio*).

Hac suppressione statuta planeque confecta, perpetuum in modum cum omnibus utique pristinis bonis, iuribus atque oneribus ab unoquoque futuro possessore ut antea fideliter satisfaciendis, adiungimus atque adiudicamus canonicatui regio patronatu affecto sub titulo sanctae Elisabeth, antedictum beneficium Sanctissimae Annunciationis, suppeditaturum (uti asseritur etiam de ceteris singillatim recensendis) annua scutata decem; canonicatui ad liberam Ordinarii collationem sub titulo sanctorum Petri, Caroli et Michaelis, similiter adiungimus praedictum beneficium Gratiarum suppeditaturum annua scutata quadraginta; canonicatui theologali ad liberam Ordinarii collationem sub titulo sanctorum Petri et Pauli praefatum beneficium, suppeditaturum annua scutata tria super triginta, dicatum Mariae SSmae a Carmelo, nunc siquidem pro tunc quando primum hoc vacaverit, intereaque tantum ab episcopo pro tempore, quemadmodum ipse adpromisit, praebendum esse declaramus; canonicatui ad liberam Ordinarii collationem sub titulo sancti Gregorii tria beneficia praememorata Sanctissimae Conceptionis unde annua scutata octo, alterum sanctae Catharinae unde annua scutata triginta, tertium sancti Antonii Abbatis unde annua scutata quatuordecim hauriri dicuntur; canonicatui sub titulo Poenitentiariae, in id officii ut supra designato, praenunciatum beneficium sancti Sebastiani annua scutata triginta unum redditurum; ac demum adprobamus ac confirmamus beneficii Sanctae Mariae ad Nives, afferentis annua scutata triginta, perpetuam liberamque unionem, cum pleno regii patroni consensu sancitam, favore canonicatus sub titulo Virginis Mariae a Septem Doloribus ad tertiam capituli, ceu praefertur, dignitatem evecti, ad liberam Ordinarii collationem, cum iniuncto onere instituendi ecclesiasticos iuvenes in sacra theologia.

Praeterea ut certo, firmo perpetuoque modo consultum esse queat congruis dotationibus pro duobus praefatis canonicatibus supernumerariis, parocho et vice-parocho praesignatae paroeciae noviter erigendae conferendis, nunc pro tunc quando primum vacaverint, suppressos declaramus binos ex Pitilianensibus canonicatibus, regio patronatui obnoxiis, exceptis tamen canonicatibus sancti Caroli et sanctae Elisabeth, quippe quod eorum alteri onus incumbit informandi clericos in cantu Gregoriano (vulgo *canto fermo*), alteri autem adnexa est cura animarum erga illos, qui in territorialibus degunt pagis, quae quidem onera ab eorum canonicatuum rectoribus respective iugiterque ut antea debent satisfieri.

Statuta huiusmodi suppressione declaramus atque constituimus, ut ex eorumdem supprimendorum canonicatuum bonis et redditibus perpetuo impendantur centum romana scutata annua in dotationem dicti supranumerarii canonicatus parochialis, ac sexaginta scutata romana in dotationem alterius dicti supranumerarii canonicatus vice-parochialis.

Interim vero, quoadusque scilicet decretae eiusmodi dotationes ad exitum perducentur, ex condicto charissimi in Christo filii Nostri magni Hetruriae ducis, eadem pecuniae vis pro congrua utriusque praebenda ex eo regio aerario quotannis persolvetur. Ambos insuper canonicatus supranumerarios modo recensitos, quod ipsi duo canonicatus supranumerarii, habita dotalis eorumdem derivationis ratione, regio patronatu affectos declaramus.

Ceterum ut certo ac perpetuo haberi aliquando queant bona et redditus ad congruas stabiliendas dotationes pro choralibus octo beneficiis supra designatis, necnon ad stipendia opportune augenda pro quatuor sacellanis antedictis, nunc pro tunc quando primum vacaverint, supprimimus duos ex his liberae episcopalis collationis canonicatibus, qui veniunt sub titulo sanctorum Petri et Caroli et Michaelis, sancti Sebastiani et sancti Gregorii, item praebendas curatas extantes in oppidis (vulgo dictis *Telamone* et *Montiano*), quarum porro altera perhibetur annuo scutatorum triginta supra quatuorcentum, altera autem quatuorcentum scutatorum censu praedita esse perhibetur, cum primum vacaverint, ita dismembranda esse decernimus, ut ab unaquaque earum in perpetuum desumantur bona et redditus usque ad annua scutata Romana quadraginta, itemque ubi vacaverit supradictae praepositurae uberior praebenda quae tercentum et quadraginta septem scutatorum annuo censu aucta dicitur, eamdem nunc pro tunc dismembramus et ab ipsa quoque assumi volumus bona et redditus usque ad annua scutata Romana sexaginta.

Itaque simul ac decretae harum praebendarum suppressiones ac dismembrationes respectivae executioni, licet singillatim, mandari potuerint, id apostolicis Nostris hisce litteris praestabilimus atque praeordinamus, ut fundi redditusque eventuri ex modo dicta duorum canonicatuum suppressione constituantur in quatuor perpetuas dotationes, quarum unaquaeque extet in annuis scutatis Romanis quadraginta pro quatuor ex praesignatis beneficiis choralibus; item fundi et redditus eventuri ex dismembratione parochialis praebendae Telemonianae usque ad annua quadraginta scutata Romana constituantur in perpetuam dotationem pro alio beneficio chorali, necnon fundi ac redditus eventuri ex dismembratione parochialis praebendae Montianae usque ad annua scutata Romana quadraginta constituantur in perpetuam dotationem pro alio beneficio chorali; fundi autem et redditus usque ad scutata sexaginta eventuri ex dismembratione praebendae praepositurae, partim id est usque ad annua scutata romana vi-

ginti, perpetua assignatione cumulentur in peculiarem massam (in duas aequales partes dividendam), quae instituta iam habetur ad congruam dotationem pro duobus supramemoratis beneficiis curatis; partim vero, idest usque ad annua scutata romana quadraginta, perpetua pariter assignatione, ut decentius quartus ali queat sacellanus, cumulentur in priscam stipendiorum pro sacellanis massam, quae porro cum reliquis eventualibus emolumentis ecclesiasticis erit in posterum prudenti arbitrio episcopi inter eos singulos dividenda.

Pristina vero beneficiorum, ceu modo dictum est, supprimendorum pia quaeque onera ut sarta tectaque sint perenniterque serventur, ea prudenti arbitrio ipsius episcopi distribuenda esse praecipimus inter ipsa concathedralis beneficia, ab eorum respective rectoribus fideliter, iuxta piam fundatorum voluntatem, satisfacienda; titulos vero eorum canonicatuum qui praenunciatam passuri sunt pro beneficiis instituendis suppressionem, pietatis et honoris ergo, perenniter adiungendos esse decernimus pristinis titulis duorum ex Soanensibus canonicatibus dein superfuturis.

Cum autem omnino deceat, ut omnes et singuli qui huic capitulo novae concathedralis addicti inveniuntur, divinis inibi officiis et funeralibus etiam anniversariis caeterisque ecclesiasticis functionibus diligenter adsistant, episcopi erit diligenter providere, ut incerta emolumenta, quae inde obvenire contigerit, stabili, sicuti par est, methodo, ab omnibus et singulis rite intervenientibus, nemine excepto, percipiantur.

Quod autem pertinet ad quotidianas distributiones propter reddituum angustiam decernimus, ut in earum locum punctaturae inducantur, quae solvendae ab illegitime absentibus neutiquam cedant in ipsius fabricae beneficium, sed distribuantur inter praesentes; cautum tamen esse volumus, ut hae punctaturae certa semel methodo ac lege pro unaquaque divini officii et ecclesiasticarum functionum omissa parte, ab hodierno episcopo sanciendae, minime excedant tertiam uniuscuiusque sive canonicalis sive beneficialis praebendae partem, iis reditibus constitutae, qui certorum nomine veniunt.

Insuper decernimus, ut annua illa scutata quadraginta, quae perhibentur hactenus constituisse in cathedrali Soanensi massam pro quotidianis distributionibus, posthac certa methodo ab ordinario episcopo praefinienda, illis titularibus canonicis et beneficiatis tribuantur, qui personali adsistentia, tempore condicto, adfuerint quibusdam solemnioribus concathedralis festivitatibus ab eodem episcopo designandis.

Peculiaribus inspectis loci circumstantiis et aliqua habita veteris quae super hac re inibi invaluit consuetudinis ratione, specialem impertimur facultatem, ut posthac tempore vacationis uniuscuiusque ex praefatis sive canonicalibus sive beneficialibus praebendis, reditus omnes inde mature obvenientes, quibuscumque porro deductis oneribus dividantur in totidem aequales partes ac seorsim respective distribuantur singulos inter superstites sive canonicos sive beneficiatos concathedralis Pitilianensis.

Ut autem meliori quo fieri datum nunc est modo, incolumitati fabricae huiusce novae concathedralis, atque impendiis necessariis pro cultu divino, necnon dotationi eius sacrarii consultum sit, confirmamus perenniterque in hosce usus constituimus pristinam pecuniae summam, videlicet biscentum supra septuaginta libellas ab aerario regio, ut antea quotannis persolvendas, ut eos annuos census, quos perhiberi in id consueverunt, *ex Opera*, uti eam vocant, quae ab archipresbytero Pitilianensi pro tempore administratur. Praeterea in hos ipsos usus nunc pro tunc quando primum vacaverit parochialis praebenda Soanensis sub titulo sanctae Mariae, perpetuo adiudicamus annua scutata Romana viginti, desumptura ex parte reddituum eiusdem parochialis praebendae, itemque perpetuo attribuimus atque adiudicamus fundos et redditus vacantium beneficiorum s. Christophori et s. Iosephi (de quorum suppressione superius actum est) ex quorum altero sex, ex altero autem quatuordecim scutata romana quotannis hauriri.

Capitulo vero concathedrali impense commendamus atque iniungimus, ut pia horum beneficiorum onera ex aere eiusdem sacrarii concathedralis iuxta fundatorum mentem perpetuo ac fideliter adimpleantur.

Praecipue insuper curae et sollicitudini episcopi committimus, ut in civitate Pitiliani ad clericos in litteris, scientiis, ecclesiasticisque disciplinis rite informandos, seminarium dioecesanum, quo ecclesiam illam hactenus caruisse aegre intelleximus, ex sacri concilii Tridentini praescripto, cum congrua in bonis stabilibus dotatione quam primum fieri potest, instituatur.

Quibus omnibus statutis atque decretis illud etiam declaramus atque constituimus, ut praedicta quoque concathedralis Pitilianensis non secus ac altera cathedralis Soanensis ecclesia metropolitico iure archiepiscopi pro tempore Senensis perpetuo subiecta sit, iisque omnibus fruatur facultatibus, exemptionibus, praerogativis et iuribus quae ad caeteras suffraganeas Senensis archiepiscopi legitime pertineant vel in posterum pertinere potuerint.

Istiusmodi vero episcopatus Soanensis et Pitilianensis iuxta pristinos redditus, ut supra, eidem attributos de more taxari ad florenos tercentum quatuor auri de camera, et huiusmodi taxam in libris camerae apostolicae et sacri collegii describi mandamus.

Tandem ut omnia et singula a Nobis ut supra disposita atque sancita, ad suum perdu-

cantur effectum, venerabili fratri Francisco Barzellotti episcopo, quem harum litterarum Nostrarum executorem eligimus ac deputamus, necessarias omnes et opportunas ad praemissorum effectum plenarie consequendum tribuimus facultates, ut ipse per se vel per aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, ab eo subdelegandam omnia statuere ac decernere valeat, atque etiam cum facultate eidem exequutori vel eius subdelegato definitive, libere ac licite pronunciandi super quacumque oppositione in actu exequutionis quomodolibet forsan oritura, iniuncta ipsi obligatione diligenter mittendi ad hanc sacram congregationem Consistorialem inter quatuor menses ab expleta harum litterarum executione, exemplar authentica forma exaratum, decretorum omnium quae in praefatarum litterarum apostolicarum executionem emittet, ut in eius tabulario de more asserventur.

Praesentes autem litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes, vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, eorum consensui quatenus opus sit de apostolicae potestatis plenitudine supplentes, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio vel intentionis Nostrae seu aliquo alio etiam substantiali defectu notari, impugnari aut in controversiam vocari posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere volumus atque decernimus.

Non obstantibus *de iure quaesito non tollendo,* de suppressionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regulis, ac in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum dispositionibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus praeterea ut harum literarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum dismembrationis, seiunctionis, translationis, erectionis, institutionis, assignationis, attributionis, subiectionis, concessionis, indulti, commissionis, deputationis, mandati, decreti, derogationis ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, idibus ianuarii, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CXCI.

INDULTUM

Theresiae Verzeri, praepositae generali sacrarum virginum, quae Filiae Sacri Cordis nuncupantur, concedit usum oratorii privati [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Religiosas mulierum sodalitates, quae instituti cui addictae sunt, observantia ac puellis ad pietatem bonasque artes informandis sacram ac civilem rempublicam iuvant ornantque, eas singularibus ornare privilegiis Romanorum indulgentia Pontificum consuevit. Iam vero exponendum Nobis curavit dilecta in Christo filia Theresia Eustochio Verzeri, praeposita generalis sacrarum virginum quae Filiae Sacri Cordis nuncupantur, in maximam cedere commoditatem pietatisque augmentum, tum sororum ipsarum, tum vero etiam puellarum quas instituunt, si in omnibus eiusdem instituti domibus sive extructis, sive extruendis, et qualibet in dioecesi positis, oratorium privatum erigi possit ubi in sororum ac puellarum praesentia una vel plures missae singulis diebus celebrentur ac Ssma Eucharistia perpetuo asservetur, cum facultate, ut praedictae sorores puellaeque infra sacrificii actionem divinissimo Christi Corpore refici possint, ac praeterea praedicto instituto valde utile futurum, si universa illius domus tum extructae tum extruendae a parochorum iurisdictione eximantur, atque immediate subdantur respectivis Ordinariis.

Nos igitur omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficientia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, auctoritate Nostra apostolica, hisce litteris, eam facultatem perpetuo valituram impertimur, ut in quibusvis praedicti instituti domibus sive extructis sive extruendis oratorium

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

privatum erigi valeat ad hoc decenter muro extructum et ornatum, ab Ordinario antea visitandum et adprobandum, ibique per quemcumque sacerdotem rite probatum saecularem, sive de superiorum suorum licentia regularem singulis anni diebus, duae missae, solemnioribus vero tres celebrari possint in ecclesiastici praecepti implementum valiturae tum praedicti instituti sororibus, ceterisque ancillis eidem addictis, tum puellis instituendis; praeterea facultatem concedimus, ut in iisdem oratoriis, dummodo sacra supellectili ad hoc praesertim necessaria instructa sint, ssm̃um Eucharistiae sacramentum asservari possit, dummodo die noctuque ante tabernaculum lampas exardescat, eiusque tabernaculi clavis penes cappellanum, seu confessarium diligenter custodiatur. Insuper facultatem impertimur, ut dictae Sacrae Virgines, nec non puellae, quae in monasterio degunt, sacramento Poenitentiae rite expiatae, ssm̃um Eucharistiae sacramentum de manu sacerdotis celebrantis infra sacrificii actionem libere sumere, quae vero puellae extra monasterium degunt, excepto Paschate, possint et valeant. Denique auctoritate Nostra apostolica concedimus, ut singulae memorati instituti domus sive extructae, sive extruendae de ordinariorum consensu a parochiali iurisdictione exemptae sint, ac respectivis Ordinariis immediate subiectae.

Haec concedimus et indulgemus, decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima tertia ianuarii millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CXCII.

Franciscum a Paula Villadicani archiepiscopum Messanensem, Ignatium Ioannem Cadolini archiepiscopum Edessenum, S. R. E. presbyteros cardinales; diaconos vero Paulum Mangelli et Ioannem Serafini creat atque declarat [1].

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE VIGESIMA SEPTIMA IANUARII
MILLESIMO OCTINGENTESIMO QUADRAGESIMO
TERTIO.

Venerabiles fratres

Duodecimum pontificatus annum iam pene emensi, et Deo O. M. pro tot tantisque in Nos bonitatis suae donis humillimas gratias, dante ipso, propediem solemni ritu acturi, respeximus interim ad vestrum amplissimum ordinem; cui recenti etiam unius alteriusque cardinalis obitu contristato, deliberamus quatuor hodie viros adscribere, quibus quidem communis omnibus et pietas, religionis studium, morum integritas; singulis vero peculiares aliae sunt laudes quas aut gravissimis episcopalis officii partibus obeundis, aut in functione aliorum publicorum munerum sibi apud Sedem Apostolicam compararunt.

Horum primus erit ven. frater Franciscus a Paula Villadicani claro ab avis et maioribus genere, qui a Pio VII gl. mem. praecessore Nostro Messanensium archiepiscopus factus, creditum fidei suae gregem constanti studio custodivit, paternaque caritate confovit; in cuius proinde ad altiorem gradum provectione consilium Nobis est tum antistiti ipsi praemium virtutis, tum inclitae urbis Messanae novum ex nova illius dignitate splendorem adiungere. Alter erit ven. frater Ignatius Ioannes Cadolini archiepiscopus Edessenus, idemque secretarius Nostrae congregationis Fidei Propagandae; qui nedum in eo gerendo munere, sed antea etiam sive dum Nostro apud regem catholicum ordinario nuntio navaret operam, sive cum deinde traditas curae suae ecclesias moderaretur, haud obscura sedulitatis eximiaeque pietatis suae argumenta praebuit. His accedunt bini alii ex ordine antistitum Urbanorum, videlicet dilecti filii Paulus Mangelli auditor generalis Nostrae apostolicae camerae et Ioannes Serafini clericorum eiusdem camerae decanus annonaeque Urbis praefectus; quorum uterque tum in ministeriis, in quibus modo versantur, tum antea vel in aliis Urbanis magistratibus gerendis vel in provinciis Nostrae temporalis ditionis administrandis, multos sane annos fide, obsequio ac labore suo bene de hac Sede Apostolica meriti sunt. Hosce igitur spectatos viros in collegium vestrum cooptaturi sententiam ea super re consiliumque vestrum, venn. fratres, maiorum more rogamus.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apo-

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

stolorum Petri et Pauli ac Nostra, creamus S.R.E. cardinales

presbyteros quidem :

Franciscum a Paula Villadicani archiepiscopum Messanensem

Ignatium Ioannem Cadolini arch. Edessenum ;

diaconos vero :

Paulum Mangelli

Ioannem Serafini.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis.

In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

CXCIII.

BULLA

Electionem seu postulationem Michaelis Der-Asdnazarian archiepiscopi Caesareae in patriarcham Ciliciae confirmat [1].

Venerabili fratri
Michaeli Der-Asdnazarian
nuper archiepiscopo Caesareae
in patriarcham Ciliciae Armenorum electo

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei
salutem et apostolicam benedictionem.

Romani Pontificis, quem pastor ille coelestis et episcopus animarum potestatis plenitudine sibi tradita ecclesiis praetulit universis, sollicitudo requirit, ut circa cuiuslibet ecclesiae statum sic vigilanter excogitet sicque prospiciat diligenter, quod per eius providentiam circumspectam, tunc per simplicis provisionis officium, quandoque vero per ministerium translationis, accommode prout personarum locorum et temporum qualitas exigit et ecclesiarum utilitas persuadet, ecclesiis singulis pastor accedat idoneus et rector providus deputetur, qui populum sibi commissum salubriter dirigat et informet, ecclesiamque sibi traditam non solum gubernet utiliter, sed etiam multimodis efferat incrementis.

Sane patriarchali ecclesia Ciliciae Armenorum, cui bo. me. Iacobus Petrus denominatus Septimus ultimus illius patriarcha dum viveret praesidebat, per obitum dicti Iacobi Petri patriarchae, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta, Nos ad provisionem ipsius patriarchalis ecclesiae paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo huic ecclesiae patriarchali personam utilem ac etiam fructuosam cum vener. fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus habuimus diligentem. Demum ad te nuper archiepiscopum Caesareae, quem venerabiles etiam fratres Nostri episcopi catholici nationis Ciliciae Armenorum ad patriarchalem ecclesiam huiusmodi pro illius patriarcha elegerunt seu postularunt, *quique fidem catholicam iuxta articulos iampridem a Sede Apostolica Orientalibus praescriptam expresse professus fuisti,* consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam illarum largitor Altissimus multipliciter insignivit, et attendentes quod tu, qui ad archiepiscopalem ecclesiam Caesaream viginti duobus circiter ab hinc annis evectus, munus consecrationis suscepisti, pontificalia exercuisti, ordinationes habuisti, Confirmationis sacramentum administrasti, animarum salutem multo zelo et caritate procurasti, atque in reliquis ita te bene gessisti, ut praedictae patriarchali ecclesiae praefici dignus censearis ipsamque patriarchalem ecclesiam scies, voles et poteris, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos Nostrae mentis.

Intendentes igitur tum patriarchali ecclesiae Ciliciae Armenorum, tum eius gregi dominico salubriter providere, ac te a quibusvis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad hoc dumtaxat, ut translatio et provisio ac praefectio per Nos ut infra faciendae praesentesque literae suum debite sortiantur effectum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, atque eiusmodi electionem seu postulationem de fratrum eorumdem consilio, apostolica auctoritate, approbantes et confirmantes, omnesque ac singulos etiam substantiales defectus, siqui in electione seu postulatione huiusmodi quomodolibet intervenerint, quatenus opus sit, eadem apostolica auctoritate supplentes et sanantes, iuxta decretum a congregatione eorumdem fratrum Nostrorum praefatae S. R. E. cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum emanatum et per Nos etiam approbatum, te licet absentem, a vinculo quo tenebaris dictae archiepiscopali ecclesiae Caesareae, cui hactenus praefuisti, de simili consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ad patriarchalem ecclesiae Ciliciae Armenorum de consilio et apostolicae potestatis plenitudine similibus transferimus, teque illi in patriarcham praeficimus et pastorem, curam, regimen et administrationem eiusdem patriarchalis ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi ad patriarchalem ecclesiam huiusmodi transeundi licentiam tribuendo, in illo qui dat gratias et largitur prae-

---

[1] Ex Iure Pont. de P. F.

mia confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, patriarchalis ecclesia Ciliciae Armenorum sub tuo felici gubernio regetur utiliter ac prospere dirigetur atque grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa.

Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus ad patriarchalem ecclesiam Ciliciae Armenorum cum gratia Nostrae benedictionis accedens, curam et administrationem praefatas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod exinde sperati fructus proveniant, ac tuae bonae famae odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur ipsaque patriarchalis ecclesia gubernatori provido ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium Nostram et dictae sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis.

Nec non venerabilibus fratribus Nostris suffraganeis orthodoxis ac dilectis filiis vassallis ipsius patriarchalis ecclesiae ac clero et populo, eidem patriarchali ecclesiae subiectis, per apostolica scripta mandamus, ut suffraganei tamquam membra capiti obsequentes, tibi exhibeant obedientiam et reverentiam debitas et devotas, ita quod mutua inter te et ipsos gratia, gratos sortiatur effectus, et Nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare; clerus autem te pro Nostra et eiusdem Apostolicae Sedis reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent; populus vero te tanquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis; vassalli praeterea praedicti te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem solitam ac consueta servitia et iura ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam tu rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus ac faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Volumus autem quod tu, antequam regimini et administrationi ipsius patriarchalis ecclesiae te in aliquo immisceas, in manibus duorum pariter fratrum Nostrorum archiepiscoporum vel episcoporum gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentium et in hisce partibus degentium seu alterius eorum fidelitatis debitae solitum praestes iuramentum, iuxta formam praesentibus adnotatam, et sic a te praestiti iuramenti formam ad eamdem congregationem de Propaganda Fide de verbo ad verbum per tuas patentes literas, tuo sigillo munitas, per proprium nuncium quantocitius transmittere omnino tenearis, quibus et eorum cuilibet per easdem praesentes pariter mandamus, ut ipsi vel eorum alter a te Nostro et Romanae Ecclesiae nomine iuramentum huiusmodi iuxta eamdem formam recipiant seu recipiat.

Forma autem iuramenti quod praestabis haec est: – Ego Michael Der-Asdnazadrian patriarcha Ciliciae Armenorum ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro apostolo Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae et Domino Nostro Domino Gregorio PP. XVI eiusque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu literas, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et regalia sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Iura, honores, privilegia et auctoritatem Sanctae Romanae Ecclesiae, Domini Nostri Papae et successorum praefatorum conservare, defendere, augere et promovere curabo. Non ero in consilio, facto vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum Nostrum vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel praeiudicialia personae, iuris, honoris, status et potestatis eorum machinentur, et si talia a quibuscumque procurari novero vel tractari, impediam hoc pro posse, et quantocitius commode potero, significabo eidem Domino Nostro vel alteri per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, reservationes, dispositiones, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari. Haereticos, schismaticos et rebelles Domino Nostro ac eisdem successoribus pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad synodum, veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis quinquenniis personaliter et per me ipsum visitabo et Domino Nostro successoribusque praefatis rationem reddam de toto meo pastorali officio deque rebus omnibus ad patriarchalis ecclesiae meae statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum tandem quae meae fidei creditae sunt salutem quoquo modo pertinentibus, et vicissim mandata apostolica praefata humiliter recipiam et quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo per certum nuncium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio cleri mei aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum seu alias personatum habentem aut, his mihi deficientibus, per dioecesanum sacerdotem, et, clero deficiente omnino, per aliquem alium presbyterum secularem vel regularem spectatae probitatis et re-

ligionis, de supradictis omnibus plene instructum. De huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad S. R. E. cardinalem proponentem in congregatione sacrosancti Concilii Tridentini per supradictum nuncium transmittendas. Possessiones vero ad mensam mei patriarchatus pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo etiam cum consensu cleri patriarchalis ecclesiae meae, inconsulto Romano Pontifice. Et constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo, et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita constitutione contentas, eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, octavo kalendas februarii, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CXCIV.

EPISTOLA

Pallium concedit Michaeli Der-Asdnazarian in Patriarcham Ciliciae electo [1].

Venerabili fratri
Michaeli Der-Asdnazarian
nuper archiepiscopo Caesareae
in patriarcham Ciliciae Armenorum
electo

GREGORIUS PP. XVI.

servus servorum Dei
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum Nos electionem seu postulationem de tui persona ad patriarchalem ecclesiam Ciliciae Armenorum per venn. fratres Nostros episcopos catholicos nationis Ciliciae Armenorum factam, de venn. quoque fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, apostolica auctoritate approbantes et confirmantes, teque a vinculo quo archiepiscopali ecclesiae Caesareae cui praeeras tenebaris, de simili consilio ac apostolicae potestatis plenitudine absolventes, te ad patriarchalem ecclesiam huiusmodi, certo tunc expresso modo, pastoris solatio destitutam, iuxta decretum in congregatione eorumdem fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum desuper emanatum et per Nos approbatum, de pari consilio, apostolica auctoritate praedicta hodie transtulerimus, teque ipsi ecclesiae in patriarcham praefecerimus et pastorem, curam regimen et administrationem patriarchalis ecclesiae huiusmodi tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in Nostris inde confectis literis plenius continetur; ac postmodum pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, pro parte tua fuerit Nobis hodie per dilectum filium Carolum Armellini Nostrae consistorialis aulae advocatum, ea qua decuit reverentia, postulatum: Nos postulationibus huiusmodi annuentes, pallium ipsum de corpore beati Petri sumptum et per duos venn. fratres Nostros archiepiscopos vel episcopos in istis partibus degentes, gratiam tamen et communionem Sedis Apostolicae habentes, tibi assignandum per dilectum quoque filium Ioannem Topus presbyterum Armeni ritus nuncium tuum duximus destinandum, ut iidem archiepiscopi vel episcopi aut eorum alter illud tibi sub infrascripta forma assignent vel assignet, et a te Nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub altera etiam praesentibus inserta forma fidelitatis debitae solitum iuramentum recipiant seu recipiat (tu autem eodem pallio intra patriarchalem ecclesiam huiusmodi illis tantum diebus uteris, qui expressi in ipsius patriarchalis ecclesiae privilegiis continentur): ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, interius serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, quatenus humilitatem et iustitiam, dante Domino qui dat praemia et munera elargitur, observare studeas quae suum servant et promovent servatorem, ac eamdem patriarchalem ecclesiam Ciliciae Armenorum sponsam tuam cures sollicite, auctore Domino, spiritualiter et temporaliter augere.

Quocirca praefatis archiepiscopis vel episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel eorum alter dictum pallium iuxta subsequentem formam tibi curent vel curet assignare et a te Nostro et eiusdem S. R. E. nomine sub reliqua forma huiusmodi fidelitatis debitae solitum recipiant seu recipiat iuramentum, eiusdemque sic a te praestiti iuramenti formam Nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas, tuo sigillo munitas, per proprium nuncium quantocitius destinare procures. Forma autem qua praefati archiepiscopi vel episcopi in assignando tibi dicto pallio utentur, haec est: « Ad honorem omnipotentis Dei ac beatae Mariae Virginis ac sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Domini Nostri Domini Gregorii PP. XVI et S. R. E. nec non patriarchalis ecclesiae Ciliciae Armenorum tibi commissae, tradimus tibi pallium de corpore beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ut eo utaris intra ecclesiam tuam certis diebus qui exprimuntur in privilegiis ei ab Apostolica Sede concessis ». Forma autem iuramenti quod praestabis, haec

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

est: « Ego Michael Der-Asdnazarian patriarcha Ciliciae Armenorum electus, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro Apostolo Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae et Domino nostro Domino Gregorio PP. XVI eiusque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant vel membrum, seu capiantur mala captione. Consilium vero quod mihi crediturі sunt per se aut nuncios seu literas, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et regalia sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Vocatus ad synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis quinquenniis visitabo aut per me aut per meum nuncium, nisi apostolica absolvar licentia. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo inconsulto Romano Pontifice. Et constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia ».

Datum Romae, apud s. Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, octavo kalendas februarii, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

CXCV.

EPISTOLA

Ad Ferdinandum regem Utriusque Siciliae scribens, eum consolatur in morte Antonii comitis Lyciensis fratris sui [1].

Carissimo in Christo filio Nostro,
Ferdinando
regni Utriusque Siciliae regi illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Carissime in Christo fili Noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Nuntium plane acerbissimum Nobis attulerunt regiae tuae maiestatis litterae, ex quibus intelleximus dilectissimum in Christo filium Nostrum Antonium comitem Lyciensem fratrem tuum ab hominibus demigrasse. Nos, qui regiam maiestatem domumque tuam singulari paternae charitatis studio prosequimur, multam quidem partem coepimus in vestro isto luctu, cui nullum sane adhibere potuisses opportunius levamen, quam quo usum te pro tua pietate ac religione cognovimus, videlicet, ut benediceres regem regum Deum, eiusque decretis sanctissimis voluntatem tuam ex animo subiiceres. Ceterum quod rogas Nos de anima defuncti, Nostris etiam ad misericordiarum Patrem suffragiis iuvanda id quidem fecimus faciemusque perlibenter, illud insuper a Domino suppliciter postulantes, ut te carissime in Christo fili Noster, tuosque omnes infortunio isto contristatos, uberioribus porro bonitatis suae donis consoletur.

Atque horum auspicem, Nostraeque testem studiosissimae benevolentiae, apostolicam benedictionem regiae maiestati domuique tuae, intimo cordis affectu amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die prima februarii millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CXCVI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus sodalitas Sanctissimi et Afflictissimi Cordis Mariae erigitur in archisodalitatem [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Piorum hominum societates ad omnipotentis Dei gloriam, ad catholicae religionis propagationem et incrementum provido consilio institutas decet sane pontificiae beneficentiae muneribus large effuseque donari. Quum igitur dilectus filius presbyter Carolus Leo Victor Cossineau rector parochiae, vulgo *de Mouilleron le Captif*, dioecesis Lucionen., Nobis exponendum curaverit, in praedicto parochiali templo congregationem seu confraternitatem, cui a Ssmo et Afflictissimo Corde Mariae Virginis nomen, erectam esse, et supplici cum prece a Nobis petierit, ut eamdem congregationem seu confraternitatem ad archisodalitatis decus et iura evehere benigne velimus, Nos huiusmodi postulationibus libenter annuendum censuimus.

Nos igitur omnes quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, sodalitatem Ssmi et Afflictissimi Cordis Mariae Nobis ab epi-

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

[2] Ex Archivio Secretariae Brevium.

scopo Lucionensi commendatam et in praedicto parochiali templo erectam, archisodalitatis nomine, apostolica Nostra auctoritate, hisce literis, decoramus. Illi propterea singula quaeque iura, privilegia, honores atque indulta, voce quavis designanda, quibus aliae archisodalitates ex usu et consuetudine utuntur, fruuntur vel uti ac frui possunt ac poterunt, concedimus et indulgemus. Insuper eius moderatoribus, eadem auctoritate Nostra, in perpetuum facultatem facimus, cuius ope, alia quaecumque sodalitia eiusdem nominis et instituti extra Urbem ubilibet erecta, in commemoratam archisodalitatem, servata tamen forma constitutionis fel. record. Clementis VIII praedecessoris Nostri edita, adscíscere seu aggregare libere et licite possint, atque cum illis omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, quibus ipsa pollet, communicare.

Haec concedimus atque elargimur decernentes has praesentes literas, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis nec non quatenus opus sit eiusdem sodalitatis etiam iuramento atque confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima februarii millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CXCVII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus Pia Presbyterorum Sodalitas in parochiali ecclesia S. Laurentii in Lucina sub auspiciis Immaculati Mariae Cordis constituitur, et Regulae approbantur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum nullis certe Nostris promeritis, sed ineffabili divinae providentiae consilio amantissimi Christi Iesu vicariam hic in terris geramus .operam, qui Dei filius ante Luciferum et ante omnia saecula genitus propter nimiam, qua Nos dilexit, caritatem, e coelo in terras venit in similitudinem hominum factus vocare peccatores omnesque salvos facere, tum singulari sane studio atque omni ope illa pia instituta fovere ac tueri solemus, quae eo potissimum spectant, ut qui in tenebris et umbra mortis sedent, atque in peccatorum coeno iacent, ad veritatis lumen traducti, atque ad salutis tramitem revocati ingrediantur vias Domini. Itaque per similes Nostras apostolicas literas die decima quinta februarii superiori anno datas sodalitatem seu piam unionem sanctissimi Cordis Mariae, pro conversione peccatorum, in parochiali aede S. Laurentii in Lucina huius Nostrae almae Urbis approbandam, eamque caelestibus Ecclesiae thesauris ditandam existimavimus. Nunc autem ut magis magisque in iustitiae semitam possint redire, qui ab ea aberrant, Nobis expositum est in eadem parochiali ecclesia S. Laurentii aliam piam sodalitatem seu unionem institui, quae sub auspiciis Immaculati Mariae Cordis ex utriusque cleri presbyteris tantum constet, quorum numero non minori triginta, qui omnes statuto unicuique mensis die, Divinam Hostiam pro omnium peccatorum atque infidelium conversione immolare debent, quemadmodum ex ipsius sodalitatis praescriptis patet, quae italico sermone exarata, hisce literis inserenda mandavimus prout sequitur; nempe:

Pia Unione di Sacerdoti riuniti sotto gli auspicii del Sacro Cuore di Maria Ssma per la conversione dei peccatori.

Fin dagli 11 aprile 1842 nella venerabile chiesa parrocchiale di S. Lorenzo in Lucina canonicamente si stabiliva una pia unione di fedeli porgenti preghiere al Cuore purissimo ed immacolato di Maria Vergine per la conversione de' peccatori, e la Santità di Nostro Signore Gregorio XVI fin dal 15 febraro del detto anno aveane segnato e spedito il Breve di approvazione, e agli aggregati avea accordato copiose indulgenze. A questa pia unione poteva e puole ascriversi ogni fedele, che nutra nell' animo divozione al Sacro Cuore di Maria, che provi dispiacere del traviamento di tanti suoi fratelli, che si affligga nello scorgere tanti suoi simili giacenti nelle tenebre dell'errore e della infedeltà, e che senta in pari tempo in sè il desiderio di vedere quel Cuore purissimo onorato ancora dagli altri, i suoi fratelli risorti alla grazia e dissipato l'errore, distrutta l' infedeltà, tutti gli uomini riuniti nel sacro seno della Chiesa Cattolica Romana. Ora poi a promuovere ed impetrare maggior bene e ulteriori vantaggi per i miseri peccatori, si stabilisce nella

---

1 Ex Archivio Parochialis Ecclesiae S. Laurentii in Lucina de Urbe.

menzionata chiesa altra pia unione parimenti militante sotto gli auspicii del Cuore Immacolato di Maria, e per lo stesso fine di ottenere per la sua mediazione la conversione de' traviati, degli erranti e de' fedeli. E a questa potranno ascriversi i soli sacerdoti sì del clero secolare che regolare tanto dimoranti in Roma, quanto fuori di essa; ed ascritti che siansi faranno ogni sforzo possibile e compatibile alla loro condizione, stato e dignità per procurare aumento e propagazione al culto del Cuore Immacolato di Maria Santissima Madre di Dio e cooperare in quel modo qualunque che il loro zelo saprà dettargli alla conversione de' peccatori.

E siccome mira precipua di questa unione si è il formare una mensile catena non interrotta di offerte e spirituali oblazioni a Dio, appunto per la conversione de' peccatori, si stabilisce un numero non minore di trenta sacerdoti ogniuno de' quali in un giorno del mese celebrerà una messa applicandola per il conseguimento del fine sopraccennato, e nell'offrire al Signore questo incruento sacrificio gli dimanderà per i meriti di Gesù Cristo e del Sacro Cuore di Maria Vergine di lui madre, di rivedere l'Universo riunito nell' unità della fede formare un sol gregge diretto dal capo visibile della vera Chiesa di Gesù Cristo, dal Romano Pontefice. Che se il numero di trenta si oltrepassasse sarà maggiore la gloria di Dio, l'onore tributato al Sacro Cuore di Maria, ed i peccatori avranno più abbondanti mezzi a risorgere, se invece di una messa al giorno ne avranno a loro pro' due, tre, quante più sarà possibile. Nell' aggregarsi, sceglierà ciascuno quel giorno del mese che reputerà più opportuno a soddisfare l'obbligo della celebrazione della messa come sopra, e volendolo commutare ne darà avviso al direttore perchè provveda al rimpiazzo onde non si rompa la stabilita catena e i poveri peccatori restino in tal giorno defraudati di quel mezzo di propiziazione. Ogni sacerdote nell' aggregarsi darà il suo nome, cognome e luogo di dimora per tenersene registro e notizia dal parroco *pro tempore* di detta chiesa, che della medesima unione sarà il direttore ed agli ascritti rilascerà pagella di aggregazione. S' inculca poi ad ogni ecclesiastico aggregato di aver presente anche negli altri sacrificii che sarà per offrire al Signore lo stato miserevole di tanti riscattati dal Sangue preziosissimo di Gesù Cristo e che tante pene costarono al Cuore purissimo ed immacolato di Maria ed impetrarne per i meriti di quello, e la santità di questo, la vera conversione.

Iamvero, cum a Nobis suppliciter petitum fuerit, ut huiusmodi presbyterorum sodalitatem auctoritate Nostra apostolica approbare velimus, Nos quibus nihil potius esse potest, quam ut spiritualia cuiusque generis comparentur subsidia, quibus errantes ad salutis semitam possint redire, piis hisce votis alacri libentique animo annuendum censuimus.

Quamobrem omnes et singulos quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque sententiis, censuris ac poenis, quocumque modo vel quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint huius tantum rei gratia absolventes ac absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, piam presbyterorum sodalitatem seu unionem in parochiali ecclesia sancti Laurentii in Lucina huius Urbis, sub auspiciis Immaculati Mariae Cordis, pro peccatorum conversione instituendam, atque illius praescripta, hisce literis inserta, approbamus et confirmamus. Atque huic presbyterorum sodalitati omnes et singulas gratias atque indulgentias quibus alia eiusdem nominis sodalitas in commemorata parochiali aede S. Laurentii iam instituta ac praedictis Nostris apostolicis literis probata fruitur, concedimus atque impertimur. Praeterea caelestis Ecclesiae thesauros eiusdem sodalitatis presbyteris largiri volentes, ipsis presbyteris plenariam concedimus indulgentiam, quo die statutum sacrosanctum missae sacrificium pro peccatorum conversione celebraverint.

Insuper de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ut quandocumque eiusdem sodalitatis presbyteri sacrosanctum missae sacrificium ad quodcumque altare celebraverint, missae sacrificium huiusmodi, tribus tantum vicibus, pro qualibet hebdomada animae seu animabus pro qua seu quibus celebratum fuerit perinde suffragetur ac si ad altare privilegiatum fuerit celebratum, auctoritate Nostra, hisce literis pariter concedimus et indulgemus. Denique in cuiuslibet ipsius sodalitatis sacerdotum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Iesu ore si potuerint, sin minus corde devoto invocaverint, pariter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in Domino misericorditer impertimur.

Haec concedimus et indulgemus, statuimus et mandamus, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat et pro tempore spectabit hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, iudicari ac definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus apostolicis atque in univer-

salibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima februarii anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CXCVIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus ecclesia episcopalis S. Salvatoris Americae centralis erigitur in basilicam minorem [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

In sublimi Principis Apostolorum cathedra, nullis certe Nostris promeritis, sed arcano divinae providentiae consilio collocati, ac propterea ecclesiarum omnium cura Nobis a Domino commissa continenter districti, illarum decori atque honori libentissime consulimus atque prospicimus. Exponendum Nobis curavit ven. frater Georgius de Viteri hodiernus episcopus novae episcopalis ecclesiae S. Salvatoris in America centrali, eius in votis esse eamdem episcopalem ecclesiam basilicae minoris nomine ac iuribus honestari. Itaque supplici cum prece a Nobis efflagitavit, ut huiusmodi honorificentiam illi ecclesiae concedere velimus.

Nos igitur piis eiusdem ven. fratris desideriis obsecundare ac illius ecclesiae decus augere cupientes, huiusmodi petitioni alacri libentique animo annuendum censuimus.

Quamobrem omnes et singulos quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, commemoratam episcopalem ecclesiam S. Salvatoris in America centrali in basilicam minorem, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, perpetuo evehimus et constituimus cum omnibus et singulis privilegiis, gratiis, praeeminentiis, exemptionibus, indultis, quibus aliae ecclesiae basilicae minores huiusmodi quomodolibet utuntur, fruuntur vel uti ac frui possunt et poterunt, atque eamdem ecclesiam basilicam appellari volumus et mandamus.

Decernentes has praesentes literas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quoties opus fuerit Benedicti XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et sanctionibus, nec non eiusdem ecclesiae etiam iuramento atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima februarii millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CXCIX.

EPISTOLA

Ad Franciscum De Aguirre pro-praesidem ditionis ab Aequatore nuncupatae scribens, illum certiorem facit, Conchensis ecclesiae regimini episcopum Petrum Antonium Torre praefecisse [2].

Dilecto filio nobili viro
Francisco De Aguirre
pro-praesidi ditionis
ab Aequatore nuncupatae

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, nobilis vir,
salutem et apostolicam benedictionem.

Diu Nos sollicitos tenuit infelix conditio ecclesiae Conchensis, suo, multos ante annos, pastore viduatae; nec potuimus antehac inducere animum ut eidem episcopum daremus dilectum filium Petrum Antonium Torres; quandoquidem ex variis variorum testimoniis circa ipsius causam huc perlatis metuere cogebamur, ne idem ecclesiasticus vir meritis dotibusque careret, quas et dignitas tam excelsi muneris et peculiaris illius dioeceseos ratio postulabant. Novissime autem literas tuas accepimus, indices

---

1 Ex Archivio Secretariae Brevium.
2 Ex Archivio Brevium ad Principes; vide regesta Epistolarum Latinarum.

tui religionis studii et reverentiae in Apostolicam Sedem, quas Nobis a dilecto filio Petro Maria Moure afferendas curasti; ac tum in eisdem literis, tum in documentis a te item missis graviora de doctrina probatisque dotibus presbyteri illius argumenta et testimonia consideravimus; omni tandem dubitatione abiecta, promovendum illum duximus ad supradictae ecclesiae regimen, prout ex actis apparet consistorii proxime a Nobis celebrati, atque ex apostolicis literis, quas subinde ea de re dedimus. Et quoniam memoratus Petrus Moure ad vos modo reversurus est, noluimus discedere illum absque hac Nostra epistola, qua officio illi tuo respondentes, studium paternae caritatis Nostrae perlibenter tibi testamur et confirmamus. Firma vero spe sustentamur fore, ut novus episcopus rebus ecclesiae Conchensis, creditique sibi gregis saluti ea iugiter vigilantia ac sedulitate cum Dei gratia sit consulturus, ut Nostro bonorumque omnium desiderio plane respondeat, itemque, ut tu ipse dilecte fili nobilis vir, in supremo quo auctus es gubernandae reipublicae munere religionem Nostram sanctissimam ecclesiaeque catholicae immunitatem et iura tueaaris, nec permittas ut sacri antistites caeterique sub illis viri ecclesiastici ullo unquam modo impediantur quominus suis quique officiis ad Dei gloriam salutemque animarum libere sub Sanctae huius Sedis auctoritate ductuque fungantur. Nos interea non desistimus Deum O. M. orare suppliciter et obsecrare, ut tibi cunctoque istius reipublicae populo prospera et salutaria cuncta largiatur. Ac benedictionem apostolicam ex intimo corde depromptam tibi ipsi, dilecte fili nobilis vir, atque illi peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die vigesima tertia februarii anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CC.

EPISTOLA

Leopoldo Belgarum regi commendat archiepiscopum Damiatensem Ioachim Pecci [1] *nuntium apostolicum* [2].

Serenissimo ac potentissimo Belgarum regi illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Serenissime ac potentissime rex, salutem et apostolicam benedictionem.

Has regiae maiestati tuae literas reddet ven. frater Ioachim archiepiscopus Damiatensis, cui Nostri Sanctaeque huius Sedis apud te nuncii munus detulimus. Eidem diligenter mandavimus, ut tibi Nostris verbis plurimam apprecetur salutem, et pro benevolo tuo in rem catholicam animo, multas iterum atque iterum gratias persolvat, sensus denique Nostrae in maiestatem tuam studiosissimae voluntatis testetur atque confirmet. Tum vero hac in re, tum in omnibus de quibus Nostro nomine tecum acturus est, eamdem velimus ei fidem adiungas, quam Nobis ipsis coram loquentibus adhiberes. Virum noveris honestate generis, fide, integritate, prudentia aliisque animi dotibus praestantem, nec dubitamus quin tu quidem, serenissime ac potentissime rex, illum benevolentissime excipias, et pro excelso quo es animo, regia benignitate et peculiari favore tuo prosequaris.

Nos etiam ipsum regiae maiestati tuae impense commendamus, et quidquid humanitatis et gratiae in eumdem contuleris gratum perinde habebimus, ac si fuisset Nobis ipsis tributum. Interea Deum O. M. suppliciter oramus et obsecramus, ut regiam maiestatem tuam diutissime sospitet, ac verae omnis prosperitatis dono cumulatam perfecta Nobiscum caritate coniungat.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima prima martii millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCI.

EPISTOLA

Aloisiae Belgarum reginae commendat Ioachim Pecci nuntium apostolicum apud eius aulam [3].

Carissimae in Christo filiae Nostrae Aloysiae Belgarum reginae illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Carissima in Christo filia Nostra, salutem et apostolicam benedictionem.

Veniet in conspectum regiae maiestatis tuae cum Nostris hisce literis ven. frater Ioachim archiepiscopus Damiatensis, quem religionis

[1] Hic, arcano Divinae Providentiae consilio, ad supremum Pontificatus apicem dein est evectus, imposito sibi nomine Leonis PP. XIII, quem Deus diutissime sospitet.

[2] Ex Archivio Brevium ad Principes.

[3] Ex eodem Archivio.

studio, integritate, prudentia aliisque commendatum egregiis animi dotibus destinavimus, ut apud serenissimum ac potentissimum Belgarum regem virum tuum, Nostri Sanctaeque huius Sedis nuncii munere fungatur. Ipse, ut ei mandavimus, plurimam tibi Nostro nomine salutem dicet, et Nostrae in te praecipuae paternaeque caritatis studium amplissime confirmabit.

Novimus singularem pietatem erga Nos tuam; ideoque dubitare non possumus, quin hominem a Nobis missum benevolentissime excipias, benigneque audias cum validissimum patrocinium tuum postulabit praesertim, ut iniuncti a Nobis gravissimi ministerii partes, ad maiorem rei catholicae utilitatem gerat. Omnia vero, quibus eumdem prosequuta fueris, documenta regii favoris tui, ita Nobis grata fore scias, ac si fuissent in Nos ipsos collata. Interea Deum, a quo bona cuncta procedunt, orare suppliciter non intermittimus, ut tuae maiestati regiisque filiis abundantiae gratiae caelestis et veram omnem faustitatem largiatur. Ac Nostrae pignus studiosissimae voluntatis, apostolicam benedictionem tibi, carissima in Christo filia Nostra, atque illis amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima prima martii millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCII.

EPISTOLA

Commendat archiepiscopum Damiatensem Ioachim Pecci, quem mittit nuntium ordinarium apud regem Belgarum [1].

Dilecto filio Nostro
Engelberto tit. S. Bartholomaei in Insula
presb. S. R. E. cardinali Sterckx
archiep. Mechliniensi
et venn. fratribus episcopis Belgii
eius suffraganeis

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili et venerabiles fratres
salutem et apostolicam benedictionem.

Aderit cum Nostris hisce literis, ven. frater Ioachim archiepiscopus Damiatensis, quem Nostrum Sanctaeque huius Sedis nuncium istic a Nobis constitutum, tibi dilecte fili Noster, vobisque venerabiles fratres, impense commendamus. Eidem itaque Nostro nomine vobiscum agenti, eam in rebus omnibus adiungatis fidem, quam Nobis ipsis coram alloquentibus habetis, ac pro vestro erga Nos Sedemque hanc Apostolicam singulari devotione et obsequio praesto illi eritis, ubi studio, consilio et opera vestra opus habent ad iniuncti sibi gravissimi ministerii partes rite feliciterque obeundas. Hominem noveritis religionis laude, integritate, prudentia aliisque ingenii dotibus praestantem, quibus etiam praecipuam sibi apud vos benevolentiam conciliaturum non dubitamus. Vestra quaecumque in illum officia memores animo retinebimus, eaque grata perinde habebimus ac si fuissent Nobis ipsis adhibita. Hac interim occasione tibi dilecte fili Noster, vobisque venerabiles fratres, studium praecipuae Nostrae voluntatis testamur denuo et confirmamus. Atque huius pignus apostolicam benedictionem unicuique vestrum et creditis fidei ac vigilantiae vestrae clericis laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima prima martii millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCIII.

EPISTOLA

S. R. E. cardinali de Bonald archiepiscopo Lugdunensi Ioachim Pecci nuntium apud aulam Belgarum regis commendat [2].

Dilecto filio Nostro
Ludovico
tit. SSmae Trinitatis in Monte Pincio
presb. S. R. E. cardinali de Bonald
archiepiscopo Lugdunensi

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ut Nobis iucundissimum est habere opportunitatem aliquam testandi tibi confirmandique singularem erga te benevolentiam Nostram, ita vicissim certi sumus gratum tibi fore, si quo possis, tuam erga Nos observantiam officio declarare. Hinc minime dubitamus, quin benignissime excepturus sis venerabilem fratrem Ioachim archiepiscopum Damiatensem, qui istuc transiens, Nostri Sanctaeque huius Sedis nuncius Bruxellas iturus te conveniet Nostro nomine salutatum. Hominem religionis studio et praeclaris ingenii animique dotibus ornatum, tibi maiorem in modum commendamus, et quidquid in illum favoris et gratiae erit a te collatum, id tamquam Nobis ipsis tributum existimabimus. Interim propensi in te animi No-

---

1 Ex Archivio Brevium ad Principes.

2 Ex eodem Archivio.

stri pignus habeto apostolicam benedictionem quam tibi, dilecte fili Noster, et commissis fidei tuae ovibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima prima martii millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCIV.

EPISTOLA

Comiti Camillo de Briey, Belgarum regis exterarum relationum ministro, Ioachim Pecci nuntium apost. commendat [1].

Dilecto filio nobili viro
comiti Camillo de Briey
Belgarum regis exterarum relationum ministro

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, nobilis vir
salutem et apostolicam benedictionem.

Has nobilitati tuae literas reddet venerabilis frater Ioachim archiepiscopus Damiatensis, quem Bruxellas destinavimus, ut apud serenissimum ac potentissimum Belgarum regem Nostri Sanctaeque huius Sedis nuncii munere insignitus resideat. Minime dubitamus quin hominem eximia virtute ingenioque suo Nobis probatum humaniter benigneque excipias, eidemque Sedis Apostolicae Ecclesiae negotia istic gerenti studiis atque ope tua libenter, ubi oportuerit, sis adfuturus. Quidquid autem officii nuncio huic Nostro praestiteris, perinde id equidem reputabimus ac si fuisset in Nos ipsos collatum. Ipse, ut ei mandavimus, testabitur et confirmabit sensus Nostrae in te praecipuae benevolentiae; cuius etiam pignus esse volumus apostolicam benedictionem, quam omnis auspicem gratiae caelestis, tibi, dilecte fili, nobilis vir, peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima prima martii millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCV.

EPISTOLA

Ioannem Lindo praesidem S. Salvatoris in America monet de erectione novae cathedralis ecclesiae in urbe S. Salvatoris, ad quam Georgium de Viteri episcopum consecratum provehit [2].

Dilecto filio nobili viro
Ioanni Lindo
praesidi ditionis
S. Salvatoris in America

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili nobilis vir,
salutem et apostolicam benedictionem.

Annuimus libenti sane animo tuis et istius gentis desideriis, venerabilis quoque fratris Raimundi Guatimalensis archiepiscopi consensione suffultis, ut ad maiorem Dei gloriam et utilitatem animarum novam in urbe Sancti Salvatoris cathedralem ecclesiam instituteremus. In consistorio autem sexto kalendas mensis proximi a Nobis celebrato, proveximus ad eius regimen illum ipsum ecclesiasticum virum, qui ad Nos in eam causam legatus advenerat, nempe venerabilem fratrem Georgium de Viteri, de cuius virtute idoneisque ad id muneris dotibus tum ex documentis aliis, tum ex gravissimo tuarum etiam literarum et memorati archiepiscopi testimonio Nobis constiterat. Ipse igitur acceptis apostolicis literis collatae sibi dignitatis testibus et in ipsa hac alma Urbe ex mandato Nostro episcopus consecratus ad vos redire festinat, ut gregis sui curam, Deo benedicente, suscipiat. Eidem itaque has ad nobilitatem tuam literas damus, ut sensus Nostrae in te tuosque concives paternae ac flagrantissimae caritatis testemur et confirmemus, nec non ut episcopum ipsum tuis nominatim, aliorumque reipublicae procerum benignitati ac favoribus commendemus: quo is scilicet vestris, cum opus fuerit, studiis adiutus sacra Ecclesiae iura tueri et omnes pastoralis officii partes sine ullo impedimento alacrius et maiore cum fructu adimplere valeat. Id quidem te atque illos pro vestra religione ac pietate ultro libenterque praestituros confidimus, atque interim a Deo O. M. in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione supplices poscimus, ut super cunctos istius gentis ordines sua propitius dona multiplicet. Horum denique auspicem apostolicam benedictionem tibi dilecte fili, nobilis vir, eisdemque concivibus tuis toto cordis affectu peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die decima prima martii millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.
[2] Ex eodem Archivio; vide regesta Epistolarum Latinarum.

CCVI.

EPISTOLA

Ad Ioannem Petrum Boyer Haitarum reipublicae praesidem respondens, eius gratissimum habet studii testimonium a quo est animatus religionis in Haitana republica tuendae. Cum illo dein tristatur de horribili terraemotu, quo non pauca pars christiani illius gregis concussa est. Ut autem res sacrae in meliorem ordinem restituantur, illuc mittit legatum, qui propositae conventionis capita paulisper tantum immutata afferet, quae tamen immutationes nihil prorsus quod civilis sit ordinis attingunt [1].

Dilecto filio illustri et honorabili viro
Ioanni Petro Boyer
Haitarum reipublicae praesidi

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, illustris vir,

salutem et apostolicam benedictionem.

A venerabili fratre episcopo s. Ludovici dudum a Nobis ad nobilitatem tuam allegato perlatae ad Nos fuerunt humanissimae tuae literae, iteratum et luculentum sane Nobisque gratissimum habentes testimonium studii, quo animatus es catholicae religionis in Haitana republica fovendae; idemque episcopus delegatus Noster sua etiam relatione testatus est et confirmavit, te, dilecte fili, Nobis validissima ope tua perlibenter impenseque adfuturum, ut sacras istic res praeteriti temporis discrimine afflictas in meliorem conditionem canonicumque ordinem restituamus. Adiecit insuper adventurum huc brevi hominem nobilitati tuae probatum tuisque instructum mandatis, qui nomine tuo ageret, atque adeo conveniret Nobiscum de nonnullis rerum capitibus, quae gubernio tuo ac delegato ipsi Nostro in eum finem Nobis proponenda visa fuerant. Dum vero expectabamus in dies legatum ipsum tuum, perlati istinc sunt tristissimi nuncii de terrae motu horribili, quo haud parva regionis pars concussa est, ad urbem praesertim Haitani Capitis, quam pene totam corruisse, nec paucos sub eius ruinis obiisse incolas cum magno equidem paterni Nostri cordis dolore intelleximus. Huic tantae calamitati tribuendum ducimus, quod virum adhuc non miseris, quem huc destinaveras; proindeque decrevimus mittere denuo ad te, dilecte fili, ipsum illum delegatum Nostrum ven. fratrem Iosephum quem opportunis ad negotium perficiendum mandatis instruximus; ideoque petimus, ut ei Nostro nomine tecum acturo, eamdem habeas fidem quam Nobis coram alloquentibus adhiberes. Ipse igitur nobilitati tuae renunciabit, Nos tum per aliquos ven. fratres Nostros cardinales S. R. E., tum per Nos ipsos sedulo graviterque expendisse singula, quae idem episcopus attulerat, propositae conventionis capita; et tandem in eam venisse sententiam ut conventionem probaturi simus, nonnullis tantum immutatis, quorum porro modum a delegato ipso Nostro cognosces. Haud vero fugiet prudentiam tuam, eas immutationes nihil prorsus attingere quod civilis sit ordinis, sed Nos quidem sollicitudine onerati omnium ecclesiarum, atque ad sacri iuris custodiam in suprema hac Petri Sede constituti assentiri aliter in eam rem, officii Nostri conscientia reclamante, non possumus. Itaque Nobis omnino pollicemur, te dilecte fili rationi huic Nostrae pro tua religione tuaque in Nos pietate assensurum; ut totum hinc conventionis negotium in valida firmaque publici iuris forma perfici queat. Post haec respicientes iterum universim ad calamitosum in ditione ista catholicae religionis statum, temperare Nobis non possumus, quin nobilitatem tuam obtestemur in Deo vehementer, ut consideres etiam atque etiam, quantae tibi apud homines gloriae, quantoque imprimis apud Omnipotentem Dominum merito erit quum Nostro delegato Nobisque ipsis in Nostra erga populum Haitarum sollicitudine, non aliud quam divini nominis sanctificationem salutemque animarum quaerentibus, adiutricem tuam operam et totum quo summa vales auctoritate tua praesidium praebueris. Interea non desistimus Patrem misericordiarum per Iesum Christum filium suum omni qua possumus, supplicum precum contentione obsecrare, ut tibi atque universis fidelibus Haitanae reipublicae Nobis in Christo ipso carissimis prospera et salutaria cuncta largiatur. Denique Nostrae testem paternae ac studiosissimae voluntatis apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, illustris et honorabilis vir, totique eidem Haitano populo peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die decima quinta martii anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

---

1 Ex Archivio Brevium ad Principes; vide regesta Epistolarum Latinarum.

CCVII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Fr. Fidelis Sutter a Ferrara vicarius apost. missionis Thunetanae nominatur, episcopali charactere haud insignitus [1].

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi adiuvante Domino cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare.

Quum itaque ad catholicae religionis bonum in locis Thunetanae missioni subiectis stabiliter procurandum statuerimus, memoratae missionis regimen vicario apostolico, charactere episcopali haud insignito, committendum esse, Nos de tua pietate, doctrina et prudentia, itemque catholicae religionis studio quamplurimum in Domino confisi, quod ea, quae tibi committendo duxerimus, cumulate sis expleturus, de venebilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio in iisdem locis Thunetanae missioni subiectis, te vicarium apostolicum absque tamen charactere episcopali ad Nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum tenore praesentium eligimus, deputamus et constituimus cum omnibus facultatibus ac iuribus, quae huius sunt muneris propria, salva tamen semper in praemissis ipsius congregationis auctoritate.

Mandamus propterea omnibus et singulis, ad quos spectat ac spectabit in posterum, ut tibi in praemissis prompti pareant et obediant, tuaque salubria monita ac mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimpleant; alioquin sententiam seu poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus ac faciemus, auctorante Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrariis praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima prima martii millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCVIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Missionem Thuneti in Africa in vicariatum apostolicum erigit [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris Notris impositi, non leve sane universi gregis dominici onus ferentes, illis praesertim ovibus, quae regiones a Sede hac Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per apostolicam curam intra verum ovile, ad pascua coelestia possint vocari feliciterque perduci.

Hinc quum innotuerit in Thunetana missione catholicorum numerum augeri in dies, ac modo talia esse rerum adiuncta, ut pro bono religionis vicariatus apostolicus ibi constituatur, de venn. fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio statuimus, ut in eadem missione vicariatus apostolicus habeatur, qui, praeter spiritualem iurisdictionem, temporalia etiam iura missionis eiusdem ineat.

Motu igitur Proprio, ex certa scientia et matura deliberatione deque apostolicae potestatis plenitudine, harum literarum vi, in missione Thunetana vicariatum apostolicum erigimus ac deputamus.

Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit hoc futurisque temporibus, plenissime suffragari. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima prima martii millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

[2] Ex eodem Iure Pontificio de P. F.

CCIX.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus parocho S. Laurentii in Lucina datur facultas in ea paroecia Sodalitatem Cordis Mariae instituendi [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ea praesertim pia instituta fovere, excitare, inflammare Romani Pontifices semper consueverunt, quae in sempiternam hominum salutem omni contentione procurandam incumbunt, quaeque diu noctuque Deo Optimo Maximo pro peccatorum conversione preces obsecrationesque effundunt. Hac sane mente per similes Nostras apostolicas literas die decima quinta februarii superiori anno datas, dilecto filio Nostro Constantino S. R. E. presbytero cardinali Patrizi, Nostro in alma Urbe vicario in spiritualibus generali, mandavimus, ut auctoritate Nostra apostolica, pro suo tamen arbitrio, sodalitatem seu piam unionem a Ssmo Mariae Corde nuncupatam ad S. Laurentii in Lucina institueret, in quam sodalitatem christifideles tantum Romae degentes possent cooptari, eamdemque pluribus indulgentiis et gratiis ditavimus. Cum vero dilectus filius presbyter Ferdinandus Papi Clericorum MM., animarum curator paroeciae S. Laurentii in Lucina eiusdemque sodalitatis moderator, impense cupiat, non tantum christifideles Romae, sed ubique gentium morantes, etiam in hanc sodalitatem cooptari posse, iccirco supplici cum prece a Nobis petiit eius rei ergo, apostolica venia muniri. Nos igitur quibus nihil unquam antiquius nihil gratius quam istorum institutorum bono et incremento prospicere, huiusmodi votis benigne annuendum existimavimus.

Quamobrem omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, eidem Ferdinando Papi presbytero et parocho, eiusque in huiusmodi parochi moderatoris munere successoribus perpetuum in modum concedimus et indulgemus, ut in memoratam sodalitatem Ssmi Cordis Mariae in Sancto Laurentio in Lucina, hic in Urbe pro peccatorum conversione institutam, etiam cuiusque gentis et ubique morantes christifideles vel singillatim vel in pios coetus collectos cooptare possint, atque ita adscriptis singulas indulgentias, privilegia et gratias, quibus alii praedictae sodalitatis Romae degentes utuntur fruuntur, pariter concedimus et elargimur.

Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et extraordinarios etiam S. R. E. cardinales ordinari ac definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus apostolicis constitutionibus eiusdemque sodalitatis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die trigesima prima martii millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCX.

Memorat ea quae pro spirituali bono Portugalliae regni acta sunt, praecipue in electione episcoporum. Hinc nonnullos ecclesiasticos viros episcopos nominat, quorum Franciscum a S. Ludovico, olim episcopum Colimbriensem, promovet ad patriarchalem ecclesiam Olisiponensem, Petrum Paulum de Tigueiredo ad episcopalem ecclesiam Bracharensem, Guillelmum Henriquez de Carvalho ad ecclesiam Leiriensem regendam proponit [2].

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE TERTIA APRILIS
MILLESIMO OCTINGENTESIMO QUADRAGESIMO TERTIO.

Venerabiles fratres

Conquesti sumus non semel in amplissimo vestro consessu de iis, quae in Lusitaniae regno plures ante annos in religionis damnum, atque in multiplicem sacrae potestatis iniuriam contigerant, simulque declaravimus, nihil Nobis potius fore quam ut violata illic Ecclesiae iura, Deo adiutore, tueremur; atque interim ipsas Nostras ad vos orationes in publicum edi mandavimus, ut de reclamationibus et consiliis iisdem Nostris palam constaret. Hinc vero nunquam destitimus fidelium Lusitanorum spiritua-

1 Ex Archivio Paroeciae Sancti Laurentii in Lucina de Urbe.
2 Ex Archivio Brevium ad Principes.

libus indigentiis, omni, qua datum erat, ratione opitulari; dum una vobiscum prosterneremus humillimas preces ante faciem Dei, pleniorem implorantes misericordiam et gratiam in auxilio opportuno.

Ignotum autem vobis non est, venerabiles fratres, affulsisse postea meliorem temporum spem, cum Romam venit dilectus filius vice-comes a Carreira, a carissima in Christo filia Nostra Mariae Portugalliae et Algarbiorum regina fidelissima ad Nos extra ordinem legatus; quem quidem legationis eiusdem munere tum demum fungi permisimus, quum ex acceptis a regina mandatis rite declaravit, ipsam omnes antistites, qui postremis etiam annis ad Lusitanas ecclesias a Sancta hac Sede instituti fuerant, agnoscere uti veros atque unicos illarum episcopos, atque in reliquis adfuturam se Nobis ope sua, ut afflictis in suo regno religionis rebus, auctoritate Nostra apostolica, prospiceremus. Itaque postquam nonnullis saltem ex eiectis episcopis liber ac tutus ad suas sedes reditus patuisset, ac Nobis cum memorato legato de aliis quibusdam rebus rite convenisset, permisimus, ut eidem hinc discessuro alter sufficeretur dilectus filius commendator de Miqueis, qui porro apud Nos resideret. Subinde Olisiponen misimus dilectum filium Franciscum Capaccini praesulem in ministerio Romani Pontificis diu multaque cum laude versatum, quem consiliis atque ope suffultum praestantis doctrina viri dilecti filii Stephani Vizzardelli, ac munere insignitum internuntii delegatique apostolici Nostri, congruis instruximus mandatis et facultatibus, ut conditionem sacrarum in Lusitania rerum propius inspiceret, et opportuna malis remedia vel admoveret, vel Nobis admovenda proponeret. Is igitur ab anno eoque amplius Olisipone residens, nulli quidem pepercit seu labori seu curae, nec pauca iam in animarum salutem ecclesiaeque utilitatem perfecit; verum eas nactus est rerum ac temporum difficultates, ut nondum annuntiare vobis, et gratulari possimus, cuncta inibi in canonicum ordinem rediisse. Iam nunc tamen communicanda vobis censuimus nonnulla, quae acta curataque sunt circa regimen ecclesiarum eius ditionis; quarum quidem aliquibus novos praesules in ipso hoc consistorio daturi erimus. Ac primum ad ecclesias quod attinet, quae absentis adhuc pastoris reditum praestolantur, his quidem consultum est per dilectos a Nostro internuntio probatissimos viros, qui singulas, vice ac nomine episcopi, donec is abfuerit, moderabuntur. Quod vero spectat ad ecclesias, quae viduae sunt, octo iamdudum designati fuerant viri ecclesiastici, quos reginae gubernium ad totidem illarum nominare proposuerat. Horum Nos unum atque alterum prorsus reiecimus; ea insuper conventione accedente, ut eorundem loco alii nominentur spectatae omnino probataeque virtutis. Ex reliquis tres hodie promovebimus, unum ad patriarchalem ecclesiam Olisiponensem, alterum ad ecclesiam Bracharensem antiquitate pariter metropolitanae suae dignitatis, ac dioeceseos amplitudine illustrem, tertium ad episcopalem ecclesiam Leiriensem. Hi autem sunt venerabilis frater Franciscus a S. Ludovico episcopus olim Colimbriensis, et dilecti filii Petrus Paulus de Tigueiredo et Guillelmus Henriquez de Carvalho. Haud quaquam hoc loco dissimulare volumus, quaedam ab eis, ac praesertim a primo alteroque ipsorum contra canonicas sanctiones gesta fuisse, quae Nos circa eorumdem promotionem, valde ancipites atque sollicitos habuerunt. Verum nonnullis ex vestro ordine in consilium adhibitis, et ecclesiarum illarum necessitate, ac summa planeque maxima providendi aliter difficultate perspecta, tandem post fusas ad Deum preces induximus animum, ut eorum nominationi annueremus. Id scilicet non antea fecimus, nisi postquam unusquisque ipsorum datis ad Nos litteris declarasset, se quaecumque egerat iudicio Nostro submittere, acturumque deinceps uti obedientem planeque devotum S. Ecclesiae Romanae filium; et postquam Nos ipsi ex idoneis iam documentis cognovissemus, eos ceteroquin religionis studio, et ingenii, probitatis doctrinaeque dotibus non carere, ac bono apud fidelem populum testimonio commendari. Cum igitur in hanc sententiam non sine oratione et consilio, maturaque totius causae consideratione venerimus, nec exempla Nobis defuerint decessorum Nostrorum, qui ab ipsa maiorum aetate similem, haud dissimili tempore inivere rationem, bona equidem spe sustentamur fore, ut benedicat conatibus hisce Nostris dives in misericordia Dominus, adsitque propitius in abundantia gratiae suae, tum illis, tum probatis aliis viris, quos hodie item ad diversas ecclesias provecturi sumus, ut tradendis vigilantiae suae populis omnes verbo pariter exemploque proficiant.

CCXI.

EPISTOLA

Franciscum patriarcham Lisbonensem monet, ex peculiari gratia indulsisse, ut statim ac literas accepit, munere et iuribus pastoralis regiminis, sublatis existentibus impedimentis, uti potuisset. Hinc reprobat consuetudinem suscipiendi procurationem vacantis Ecclesiae, nondum obtenta approbatione Sedis Apostolicae; tunc enim vicariorum capitularium constitutio ad arbitrium laicae potestatis transferretur, illudque consequeretur, ut Romanus Pontifex ab ecclesia iam occupata re-

pellere nequeat hominem a principe nominatum, et episcopali munere indignum. Canones autem Ecclesiae, in antistitum electione, reiiciunt talem abusum, qui Ecclesiae libertati vincula iniicit [1].

Venerabili fratri
Francisco
patriarchae Lisbonensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

In consistorio quod die tertia huius mensis celebratum a Nobis est, praefecimus te patriarchali isti ecclesiae, quemadmodum apostolicae literae de more a Nobis sub plumbo datae testabantur. Eisdem et alias addidimus literas apostolicas, piscatoris annulo obsignatas, quas huic epistolae inclusas invenies. Ex his autem intelliges, Nos ex peculiari gratia indulsisse, ut statim ac ipsas heic adiunctas literas acceperis, fungi valeas pastorali munere et cohaerentibus iuribus libere uti. Ita scilicet visum Nobis est antevertere impedimenta illa, quae tu ipse obventura praevideras ex praesenti conditione Ecclesiae tuae in qua duplex capitulum est, alterum canonice constitutum sed a suorum officiorum functione praepeditum ; alterum calamitoso tempore cum manifesta sacri iuris violatione illi subrogatum, quocum proinde nihil tibi fore commune verbis factisque ipsis sapientissime testatus es. Haec sane tua ratio erga memoratum novum capitulum uti et consignata in tuis ad Nos literis declaratio, qua te quaecunque egeras submittere iudicio Nostro professus fuisti, facile Nobis persuasit, ut fraternitatem tuam ad patriarchale munus provehere non differemus. Ceterum probari Nobis minime potuit quod iisdem in literis scribis de consuetudine contra cognitas perspectasque fraternitati tuae canonum sanctiones istic inducta, scilicet ut qui ad patriarchatus dignitatem a principe designatus est, nondum autem a Sede Apostolica ad illam provectus, suscipiat interim vacantis ecclesiae procurationem a capitulo (seu ab alio in quem id iuris devolutum) sibi delatam. Sane per huiusmodi consuetudines vicariorum capitularium constitutio ad arbitrium transferretur laicae potestatis, illudque insuper inde consequeretur longe funestissimum, ut si quando Romanus Pontifex hominem a principe nominatum episcopali munere dignum non invenerit, vix porro aut ne vix quidem illum ab occupata iam ecclesia repellere valeat. Iam vero ignotum non est prudentiae tuae sacros ecclesiae canones reiicere omnino eas consuetudines, quae sive aliis in rebus, sive nominatim in electionibus antistitum libertati Ecclesiae vincula iniiciunt. Quo praesertim pertinent literae Honorii III in cap. *Noverit* 49 de sentent. excomm., et responsum Coelestini III in cap. *Cum terra* 14 de electione. Sed de his quidem hactenus ; nec enim consilium Nobis est contristare te, venerabilis frater, quem singulari equidem et flagrantissima in Domino caritate prosequimur. Immo et eam habemus de tua virtute opinionem, ut bona hinc spe sustentemur fore, ut Deo benedicente, partes tui pastoralis officii ad salutem dilectarum ovium impigre et constanter adimpleas : atque ut Nobis tua ope adfuturus sis quo et supradictum patriarchalis ecclesiae capitulum et cetera quae istic disiecta vel perperam immutata lugemus, reparare ac restituere in canonicorum ordinem valeamus. Interea non intermittimus te gregemque tuum Deo et Verbo gratiae ipsius suppliciter commendare. Ac Nostrae in te studiosissimae voluntatis pignus adiungimus apostolicam benedictionem quam tibi, venerabilis frater, atque illi peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die sexta aprilis anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXII.

BULLA

Qua fit concessio indumentorum magis insignium favore canonicorum cathedralis ecclesiae Aversae [2].

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.

In suprema Principis Apostolorum Cathedra meritis licet imparibus, divina favente clementia, constituti, ad ea solertes animi Nostri curas libenter intendimus per quae ecclesiarum omnium praesertim cathedralium decori et maiestati opportune consulendo provide disponitur, ut personae ecclesiasticae in eis Altissimo famulantes, peculiaribus condecorentur honoribus, cum ex hoc profecto non modicum divini cultus oriatur incrementum ac christifideles ad piorum operum exercitium magis in dies excitentur, proindeque huiusmodi gratiarum concessionibus libenter annuimus prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum modernorum quatuor dignitariorum,

---

1 Ex Archivio Brevium ad Principes; vide regesta Epistolarum Latinarum.
2 Ex Curia Episcopali Aversae.

ac viginti sex canonicorum maioris ecclesiae Aversanae Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi in choro ceterisque ecclesiasticis functionibus usu pontificalium aliorumque canonicalium insignium ex privilegio apostolico iam gaudent. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dignitarii et canonici praefati ad hoc ut dictae maioris ecclesiae decus clarius perfulgeat, ibique divinus cultus magis magisque augeatur, plurimum cupiant digniori praerogativa condecorari, quare iidem Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui quantum in Domino possumus pia ecclesiasticarum personarum desideria ad maiorem Dei gloriam tendentia ad exauditionis gratiam libenter admittimus, praefatos dignitarios ac canonicos dictae maioris ecclesiae specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, nec non eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati eisdem dignitariis ac canonicis, ut ipsi eorumque in dignitatibus ac canonicatibus dictae maioris ecclesiae successores de cetero perpetuis futuris temporibus tam in ipsa maiori ecclesia illiusque choro et capitulo, ac inter missarum et horarum canonicarum diurnarum pariter ac nocturnarum, aliorumque divinorum officiorum celebrationem, quam extra eam in processionibus aliisque omnibus actis capitularibus, ac publicis functionibus, etiam in synodalibus, provincialibus, universalibus generalibusque conciliis, ac etiam in praesentia Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium etiam de latere legatorum, vice-legatorum et Sedis Apostolicae nunciorum, archiepiscoporum et episcoporum, ac ordinariorum etiam proprii, et aliorum quorumcumque quavis auctoritate et potestate fungentium, ac honore et praeeminentia fulgentium, quibuscumque anni temporibus et diebus quandocumque ubicumque et quotiescumque opus fuerit, vestem talarem violacei coloris, nec non cappam magnam supra rochetum ad instar canonicorum ecclesiae Capuanae deferre et gestare, illisque libere et licite uti respective possint et valeant, apostolica auctoritate, ipsarum tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

Ipsosque dignitarios ac canonicos, eorumque successores praefatos super praemissis a quoquam quavis auctoritate, et quovis praetextu colore vel ingenio molestari, inquietari, perturbari vel impediri numquam posse neque debere, ac easdem praesentes et quocumque capite quantumvis iuridico et legitimo, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, revocari, suspendi, limitari, ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illos restitutionis in integrum aut aliud quodcumque iuris vel facti, aut iustitiae seu gratiae remedium impetrari, seu illis in aliquo derogari, aut quidquam aliud in contrarium disponi nullo unquam tempore posse, nec illas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam ut praefertur, vel alias quovis modo etiam per cancellariae apostolicae regulas, aut constitutiones apostolicas pro tempore factis et faciendis comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per eosdem dignitarios et canonicos quandocumque eligenda concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos nunc spectat et pro tempore quomodolibet spectare poterit in futurum firmiter et inviolabiliter observari, eisdemque dignitariis et canonicis semper et perpetuo suffragari; sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praefatae S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, vice-legatos dictaeque Sedis nuncios iudicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane decernimus.

Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus et universalibus conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis dictaeque maioris ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa et individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quavis alia expressio habenda aut alia aliqua etiam exquisita forma ad hoc servanda foret eorum tenores ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso et forma in illis tradita observata eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, tutissime et plenissime specialiter et expresse

nec non opportune et valide pro hac vice dumtaxat ad praemissorum validissimum effectum, harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, concessionis, indulti, decreti et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, sexto idus aprilis, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXIII.

BULLA

Qua Parisiis fit erectio capituli regii in ecclesia S. Dionysii episcopi et martyris [1].

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.

Quo maiori sacrae aedes vetustate ac splendore praestabant, eo impensiori studio consueverunt Romani Pontifices praedecessores Nostri peculiaribus illas sive honoribus sive privilegiis cumulare, probe intelligentes, quantopere ipsum ad confovendam augendamque fidelium pietatem inserviret. Hinc ecclesiam, amplitudine et magnificentia insignem, iam inde a saeculo sexto in civitate S. Dionysii prope Parisios constitutam, atque eidem inclyto episcopo et martyri dicatam, (quem scilicet illustris Francorum natio ob illatum sibi ab ipso divinitus christianae fidei lumen, maxima semper religione venerata est), praeclaris vel a prima aetate privilegiis, constanti regum erga illam studio obsecundantes, Romani iidem Pontifices honestarunt. Nec minori dilectionis affectu continentis coenobii abbates et monachos sacro eiusdem cultui assiduam sanctamque operam navantes prosecuti sunt, regum in eos benevolentiam aemulati, ut inde etiam maior in dies accresceret loci sanctitati splendor et dignitas. Huc sane spectant quae de abbatiae illius iuribus multoties, ut Alexandri II Pontificis ad archiepiscopum Rhemensem de ea scribentis verbis utamur, a sanctis et apostolicis viris salubriter concessa fuerunt, sancteque instituta.

Verum ecclesia isthaec, tot tantisque nominibus commendata, inter quae maximum illud sane ac singulare decus ex Francorum regum sepulcris accesserat, qui gloriosis suis cineribus condendis eam selegerunt, erepta infeliciter fuerat ob temporum calamitates divinis officiis, quibus redditam iamdudum et lectissimo ecclesiasticorum virorum coetu ditatam, boni omnes conspexerant, benedicentes cum gaudio auctori luminum et Patri totius consolationis, qui squallere diutius templum suum haud permiserat.

Sed maiori adhuc illius ecclesiae honori consultum exoptans charissimus in Christo filius Noster Ludovicus Philippus Francorum rex christianissimus, sua ad Nos vota deferri curavit per dilectum filium nobilem virum comitem Septimium de Jay de la Tour Maubourg, suum apud Nos et Apostolicam hanc Sedem oratorem, quibus canonicam capituli ibidem institutionem, adprobationem eiusque Apostolicae huic Sedi immediatam subiectionem certis quibusdam modis decernere, eaque privilegia extendere rogati sumus ad regium gynaeceum in continentis monasterii aedibus collocatum, ubi adolescentulae filiae equitum legionis honoratorum religioni, bonis moribus artibusque muliebribus apprime erudiuntur.

Talem serenissimi regis postulationem quae sedulam ipsius pro re sacra sollicitudinem mirifice testatur, animo excepimus benevolo, vestigiis insistentes praedecessorum Nostrorum, qui singularibus favoribus Dionysianam abbatiam cumularunt, quam sibi a S. Bernardo in epistola ad Eugenium III enixe commendata recogitabant.

Re itaque universa diligenter accurateque perpensa, collatisque cum maiestate sua consiliis et audito venerabili fratre Dionysio Augusto archiepiscopo Parisiensi, haec demum ad laudem omnipotentis Dei et in honorem beatissimae semper Virginis Mariae, Galliarum patronae tutelaris, et S. Dionysii illius nationis apostoli, duximus de apostolicae potestatis plenitudine perpetuum in modum decernere.

Capitulum nimirum ad divina et sacra in memorato S. Dionysii templo procuranda, quod ex canonicis duas in classes distinctis constat, ex iis nimirum qui episcopali gradu fulgent et ex iis qui presbyteralis ordinis sunt, atque unicam dignitatem percensent titulo primicerii, uni ex episcopis semper conferendam, congruoque ministrorum numero est instructum, Nostris hisce apostolicis literis, canonice constitutum declaramus, cunctaque capitulorum iura, honores et insignia, eidem concedimus et attribuimus, iisque iam nunc participes edicimus eos quoque qui aucto deinceps canonicorum coetu, legitime iisdem adiiciatur. Eos vero universos, primicerium scilicet, canonicos tum episcopos tum non episcopos, aliosque omnes e capitulo ex libera maiestatis suae nominatione, quae

---

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

regii in eamdem S. Dionysii ecclesiam patronatus iure potitur, eligendos esse denunciamus, reservata Nobis et successoribus Nostris canonica, per apostolicas Bullas, institutione, tum pro primicerio tum pro episcopis qui in capitulum cooptentur, adtributa primicerio auctoritate ad eam Nostro nomine conferendam canonicis, qui ea dignitate nova fulgent aliisque qui in collegium admittantur.

Eam vero ecclesiam, primicerium, canonicos et capitulum, caeterosque in capitularium coetum cooptatos et ministros ecclesiasticos aut laicos eiusdem servitio actu addictos, sub speciali Nostra et successorum Nostrorum tutela recipimus et constituimus, ipsosque in iis quae ad interiorem illius Ecclesiae cultum ad divina officia, ad cleri disciplinam, ad priorum onerum exequutionem et ad fabricae atque census curationem pertineant, perpetuo Nobis et Apostolicae Sedi immediate subiectos edicimus et denuntiamus. Ad hanc porro iurisdictionem in eam ecclesiam, clerum, ministros, Nostro et Apostolicae Sedis nomine, et auctoritatem exercendam, perpetuo adsignamus ac praeficimus primicerium illius capituli, eamque auctoritatem uti primiceriali dignitati adnexam, statim a suscepta legitima ipsius possessione eidem competere, Nostris hisce literis decernimus et mandamus, eique primicerio ius reservamus visitandi Nostro et Apostolicae Sedis nomine, servatis servandis, ecclesiam resque ad eam pertinentes, adempta cuilibet alteri auctoritate visitationis ibidem peragendae, inconsulta Sede Apostolica.

Eidem autem primicerio indulgemus, ut iis qui e capituli gremio sunt facultatem impertiatur, si idoneos ipsos nactus fuerit iudicio examinatorum a se de consensu capituli eligendorum, ad sacramentales confessiones fidelium utriusque sexus intra ecclesiae septa excipiendas, qui tamen sic per primicerium adprobati confessarii eos qui de capitulo ecclesiaeque familia non sint, absolvere minime poterint a casibus in Parisiensi dioecesi reservatis; caeterum canonici, episcopali dignitate insigniti, deputari ad id muneris a primicerio poterunt, quin ullum coram examinatoribus scientiae periculum praecesserit.

Poterit praeterea primicerius ex capitulari coetu atque ex iis qui eidem inserviunt, eos adsciscere, qui ad conciones et ad alia ecclesiastica officia ibidem obeunda destinentur. Liberum insuper eidem primicerio erit pontificalia in capitulari ecclesia, iisdem plane ac caeteri antistites in suis dioecesibus, honoris insignibus caeremoniisque conficere.

Quae vero de ecclesia et capitulo concessimus, eadem votis annuentes serenissimi regis, extendimus pariter ad regium gynaeceum in veteri monasterio collocatum, ubi filiae equitum legionis honoratorum aluntur atque ad pietatem et artes pro sexus ratione instituuntur. Itaque primicerio committimus et potestatem facimus, ut in hanc quoque regiam domum, donec ad memoratum eum finem destinata perstiterit, atque in moderatrices, alumnas, inservientes, seu cunctas earumdem servitio obstrictas personas, ibidem diu noctuque commorantes, ecclesiasticam iurisdictionem, Apostolicae huius Sedis nomine, auctoritate exerceat. Hinc eidem primicerio ius fore edicimus, ut cuncta munera parochialia super illas, infra tamen aedium claustra, rite per se vel per alium exerceat; quod tamen ita ipsi a Nobis concessum declaramus, ut nihil exinde detractum censeatur dispositionibus iuris, favore parochorum in iis quae matrimonia eorumque denuntiationes respiciunt, si quas forte ex gynaeceo contrahere nuptias contigerit.

Haeç porro sancita volumus de funeribus capitularium, praesidum, moderatricum, alumnarum ministrorumque in dioecesana domo et regio gynaeceo decedentium, ut nimirum accedente parocho, intra cuius paroeciae fines illud est, ad ecclesiae vel domus fores acceptoque defuncti cadavere, sibi per clerum capitularem tradito, illud uti in more est, ad paroeciam efferatur, in qua iusta funebria divinaque officia curentur, et deinceps in coemeterium adsportetur. Quod si postmodum ex regia munificentia proprium pro hisce locis coemeterium paretur, ius funerum pro iis qui ibidem obiverint ad primicerium atque ad electos ab ipso vicarios integre spectare mandamus, quin parocho ius ullum in ipso sit. Ad paroecialia vero munera obeunda mandamus, ut unum ex canonicis, praemisso coram examinatoribus periculo, ipse primicerius praeficiat admovibilem ad nutum, eidemque adiutores designet unum vel plures sacerdotes, qui antea, instituto coram supradictis examine, idonei iudicati fuerint ad confessiones fidelium utriusque sexus excipiendas. Id quoque privilegii primicerio vel alteri per ipsum ex collegio episcopo designando attribuimus, ut nimirum confirmationem administret iis qui ad capituli et gynaecei familiam pertineant.

Cum vero necessarium prospiciendum sit spirituali ecclesiae et regii gynaecei gubernationi per id temporis quo primiceriatum vel ex obitu vel alia ex legitima causa vacare contingat, praecipimus et mandamus, ut intra octo dies alter ex canonicis per secreta suffragia vicarius capitularis eligatur, cui temporaria earumdem locorum procuratio committatur. Quae quidem electio si stato eo tempore non concilietur, archiepiscopo Parisiensi devolutum pro ea vice ius electionis denunciamus, qui unum e collegio in id muneris vocabit.

Ut tandem ea omnia quae superius a Nobis sancita sunt ad optatum exitum vitae perducantur, volumus ac praecipimus, ut harum li-

terarum Nostrarum executor sit quem dilectus filius apud serenissimum Francorum regem apostolicus nuncius ex venerabilibus fratribus episcopis prout in Domino melius expedire iudicaverit, maturo tempore designabit; eidemque nomine S. Sedis id negotii demandaverit cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, ut per se ipsum vel per alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum, ab ipso executore subdelegandum, ea omnia facere, statuere ac decernere valeat, quae ad earumdem rerum omnium executionem congrua esse videantur, facta ibidem ei vel eius subdelegato potestate definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura, ita tamen ut ad Nostram Consistorialibus Rebus praepositam congregationem decretorum omnium et singulorum in praesentium literarum executione conficiendorum exemplar maturo tempore transmittat ad hoc, ut in praefatae congregationis Consistorialis archivio de more ponatur atque adservetur.

Praesentes vero literas et in eis contenta, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio ex qualibet causa praetextu et capite etiam in corpore iuris clausa notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari debere volumus atque decernimus. Eumque in finem contrariis quibuscumque, iis etiam quorum peculiaris et extrema mentio habenda esset, de apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine derogamus.

Non obstante *iure quaesito non tollendo*, vocatis quorum interest aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regulis, ac in synodalibus provincialibusque et universalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis vel quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum dispositionibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus praeterea, ut harum literarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum concessionis, attributionis, declarationis, deputationis, mandati, decreti, derogationis ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, nonis aprilis, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXIV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Paroecia cathedralis Guayaquil reipublicae Aequatoris a decanatu dividitur, et dicta paroecia in canonicatum erigitur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis muneris quod in universum divinitus commissum est, ad christifideles ab hac Apostolica Sede longe disiunctos pastorales curas protendentes, per apostolicas literas sub plumbo datas quarto kalendas februarii anno millesimo octingentesimo trigesimo septimo novam episcopalem sedem in ista Guayaquilensi civitate constituimus [2], in eaque cathedrale capitulum ereximus sex constans praebendis quamprimum fieri posset ad divini cultus splendorem augendis, nimirum duabus dignitatibus, decanatu scilicet, cui animarum curam adiunximus, et magistro scholae, duobus canonicatibus theologali ac poenitentiario ac duobus beneficiis maiori ac minori nuncupandis. Porro in iisdem apostolicis literis decrevimus, ut decanatus cum adnexa paroecia ac duo canonicatus theologalis nempe ac poenitentiarius per concursum deferrentur iuxta praescriptum concilii Tridentini et apostolicarum constitutionum, utque praebendae reliquae sive erectae, sive erigendae deferrentur, praevio examine vel alio experimento ab episcopo Guayaquilensi designando.

Iamvero tuo atque istius gubernii nomine expositum Nobis est, quam maxime expedire, ut istius cathedralis paroecia a decanatu in perpetuum dividatur, cum ob exiguum praebendarum choralium numerum, tum vero etiam quod decanus parochi officio obeundo impeditus saepenumero choro abesse debeat; quare postulatum a Nobis est, ut paroecia a decanatus dignitate, auctoritate Nostra apostolica, in perpetuum dividamus.

Nos igitur omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi vo-

---

1 Ex Archivio Secretariae Brevium.
2 Vide Bullam *In supremo*, vol. 2. huius operis, pag. 189.

lentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, de consilio venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium Extraordinariis Ecclesiae Negociis expediendis praepositorum, tibi, venerabilis frater, per praesentes eas partes committimus, ut auctoritate Nostra apostolica, parochi munus a decanatus dignitate in perpetuum dividas atque seiungas. Volumus autem et mandamus, ut in collatione dictae cathedralis paroeciae, concursus adhibeatur iuxta concilium Tridentinum; in conferenda autem decanatus dignitate examen praemittatur vel aliud experimentum ab episcopo Guayaquilensi pro tempore existente designandum.

Denique tibi, venerabilis frater, per partes suademus atque inculcamus, ut ad ornandum parochiale munus, memoratam istius cathedralis paroeciam in canonicatum curatum erigas atque constituas.

Haec concedimus et mandamus decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis ad quos spectat et in posterum spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo*, necnon memoratis Nostris literis sub plumbo datis quarto kal. febr. anno millesimo octingentesimo trigesimo septimo aliisque constitutionibus et sanctionibus apostolicis caeterisque etiam speciali mentione ac derogatione dignis, contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima prima aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXV.

EPISTOLA

Imperatori Brasiliae, constituenti legatum suum apud S. Sedem, respondet [1].

Carissimo in Christo filio Nostro Petro Brasiliae imperatori

GREGORIUS PP. XVI.

Carissime in Christo fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Adiit Nos, literas afferens imperialis maiestatis tuae, dilectus filius Aloysius Mouttino de Lima Alvarez de Silva, quibus officiosa cum significatione filialis in Nos pietatis et observantiae eum nuntias, ad Nos et Sanctam Sedem Apostolicam legatum tuum extraordinarium et ministrum plenipotentiarium a te fuisse destinatum. Accidit sane periucunda cordi Nostro praeclara isthaec fidei tuae ac devotae Cathedrae Petri confirmatio voluntatis: ut autem ea res maiori gaudio Nobis sit, illud accedit, quod huiusmodi hominem ad Nos legandum selegeris, insignibus decoratum honoribus, eumdemque Nobis ipsis, quas in eo laudas, virtutibus cognitum, et antea experiendo probatum. Quapropter eo maiorem habemus gratiam imperiali maiestati tuae, quo certior Nobis affertur spes fore, ut novo hoc egregie fungens munere, utrique Nostrum sit plane satisfacturus; eoque libentius pollicemur et plenam Nos ei habituros fidem nomine tuo Nobiscum agenti, et ipsum semper omni officii et benevolentiae Nostrae testimonio prosecuturos. Quod reliquum est, quam habemus gratiam referre exoptantes, fontem bonorum omnium Deum O. M. supplices rogamus, ut religionem tuam mentemque personae humilitatis Nostrae pie deditam, uberrima omnis gratiae coelestis copia remuneretur. Pignus autem grati paternique animi Nostri, apostolica sit benedictio, quam tibi, carissime in Christo fili Noster, amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima quarta aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

CCXVI.

EPISTOLA

Ad Lotharium Anselmum archiepiscopum Monacensem et Frisingensem scribens, recordatur quae acta sunt in morte reginae acatholicae, et quae sit eius sententia quam manifestavit in epistolis ad episcopum Augustanum et ad religiosum virum praesidem coenobii Scyrensis; hinc ad ipsum mittit exemplum suarum literarum, ut iuxta ea quae in illis continentur, agat. Prudentiam praesulis laudat, quum ipse regem praemonuerit de doctrina ac legibus Ecclesiae, quae reginae extra Christi ovile defunctae, catholicos ritus non permittit [1].

Venerabili fratri
Lothario Anselmo
archiepiscopo Monacensi et Frisingensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Literas accepimus quibus refers ad Nos de iis, quae a te acta sunt sub finem anni millesimi octingentesimi quadragesimi primi occasione mortis acatholicae principis serenissimae reginae viduae; ac super ratione in huiusmodi casibus porro tenenda Nostram rogas sententiam. Iamvero Nos scripsimus dudum ea super re tum ad ven. fratrem episcopum Augustanum, tum ad dilectum filium religiosum virum praesidem coenobii Scyrensis; quorum alter pro memorato funere ad clerum suum mandata dederat, a doctrina canonum non leviter abhorrentia, alter vero, nonnullos ante annos, conditionem acceperat in coenobii restitutione adiectam, qua obstrictus censeretur ad funus et anniversaria postmodum in simili causa ritu catholico celebranda. Itaque mittimus tibi exemplum Nostrarum ad eos literarum, in quibus documentum habes commendari probarique Nobis quae a te gesta sunt in sacris exequiis, catholicisque caeremoniis occasione illa interdicendis. Prudentiam quoque laudamus, qua te studuisse significas praemonere antea carissimum in Christo filium Nostrum Ludovicum regem de doctrina sacrisque Ecclesiae legibus, quae reginam extra unicum Christi ovile defunctam, catholicis efferre ritibus non permittebant. Utinam nemo alius sacerdotum ac praesertim antistitum apud vos fuisset, qui eo in casu suffragia catholica sub vario obtentu permittenda putasset; ita enimvero in irritum prorsus cecidissent quorumdam conatus, qui religiossimum maiestatis suae animum circumvenire fallaciis et exacerbare curarunt. Scimus tamen, haud multum ipsis profuisse consilia sua; ac firma in Domino spe nitimur fore, ut pius idem rex sibi penitus persuadeat, haudquaquam agi de civili aliquo honore, qui defunctae principi etiam acatholicae denegandus non fuisset; sed funus et suffragia catholica, eam, ex doctrina Ecclesiae, habere vim, ut ad solos ipsius Ecclesiae filios pertineant. Nos autem in hac rerum conditione abstinendum censuimus a praedicto Augustano praesule, aliisve, qui hac in re sanctissimos Ecclesiae canones violaverant, palam reprehendendis; cum praesertim similem alium casum ad multos saltem annos minime obventurum speremus. Idipsum a te pariter servari cupimus, venerabilis frater, videlicet, ut responsionem hanc Nostram in publicum non evulges. Interea Deum O. M. coniunctis tecum precibus orare suppliciter non intermittimus, ut Nostris tuisque in sacrorum canonum sanaeque doctrinae defensionem studiis adesse per gratiam suam ac benedicere dignetur. Ac Nostrae in te benevolentiae pignus adiungimus apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde depromptam, tibi, venerabilis frater, et omni, cui praees, clero populoque fideli peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die trigesima aprilis anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXVII.

EPISTOLA

Ad Henricum episcopum Passaviensem, qui Pontificem rogaverat, quaenam esset eius sententia circa funera solvenda homini extra Ecclesiae unitatem morienti, respondet. Ad illum mittit exemplum epistolarum quas de eadem re scripsit ad episcopum Augustanum et ad praesidem coenobii Scyrensis, in quibus continetur doctrina Ecclesiae, funera catholica, acatholicis tradita, reprobantis. Illi gratulatur quod in adhibitis regiis funeribus a sanctissimis Ecclesiae regulis non desciverit [2].

Venerabili fratri
Henrico
episcopo Passaviensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Rogasti nuper sententiam Nostram, venerabilis frater, circa funera hominum extra unitatem catholicam morientium, cum non desint

---

1 Ex Archivio Brevium ad Principes; vide regesta Epistolarum Latinarum.
2 Ex eodem Archivio.

istic nonnulli etiam e clero, viri, qui contra manifestissimas Ecclesiae sanctiones licitum esse contendunt, illorum exequias catholicis ceremoniis peragere, ac vel ipsum in his missae sacrificium cum generali saltem ad plures defunctos intentione celebrare. Iamvero Nos scripsimus dudum hac super re tum ad venerabilem fratrem episcopum Augustanum, tum ad dilectum filium religiosum virum praesidem coenobii Scyrensis ; quorum alter in obitu acatholicae principis serenissimae reginae viduae ad clerum suum mandata dederat a doctrina canonum non leviter abhorrentia, alter vero nonnullos ante annos conditionem acceperat in memorati coenobii restitutione adiectam, qua obstrictus censeretur ad funus et anniversaria postmodum in simili causa ritu catholico peragenda. Itaque mittimus tibi exemplum Nostrarum ad eos literarum, in quibus funera exequiasque illas a Nobis gravissime improbatas habebis. Sed te quidem, venerabilis frater, in casu illo regii funeris a sanctissimis Ecclesiae regulis haudquaquam descivisse cognovimus. Atque utinam omnes ad unum antistites concordem eo in casu tenuissent rationem ; ita enimvero in irritum prorsus cecidissent quorumdam conatus, qui religiosissimum maiestatis suae animum circumvenire fallaciis et exacerbare curarunt.

Scimus tamen haud multum ipsis profuisse consilia sua ; ac firma spe nitimur fore, ut pius idem rex sibi penitus persuadeat haudquaquam agi de civili aliquo honore, qui defunctae principi etiam acatholicae denegandus non fuisset ; sed funus et suffragia catholica, eam, ex doctrina Ecclesiae, habere vim, ut ad solos ipsius Ecclesiae filios pertineant. Nos autem in hac rerum conditione abstinendum censuimus a praedicto Augustano praesule, aliisve, qui hac in re sanctissimos Ecclesiae canones violaverant, palam reprehendendis ; quum praesertim alium hoc in genere eiusdem momenti casum ad multos saltem annos minime obventurum speremus. Idipsum a te pariter servari cupimus, venerabilis frater, videlicet ut responsionem hanc Nostram in publicum non evulges. Interea Deum O. M. coniunctis tecum precibus orare suppliciter non intermittimus ut Nostris tuisque in sacrorum canonum sanaeque doctrinae defensione studiis adesse per gratiam suam ac benedicere propitius dignetur. Ac Nostrae in te singularis benevolentiae pignus adiungimus apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde depromptam, tibi venerabilis frater et omni, cui praees, clero populoque fideli peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die trigesima aprilis anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXVIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus Sodalitas B. M. Virginis de Rosario in Ecclesia S. Dominici, Arborensis civitatis (Oristano), in archisodalitatem erigitur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Pias hominum sodalitates, ex quibus religio ac pietas incrementi plurimum habent, decet pontificiae indulgentiae muneribus large ditari. Quum igitur sodales, sub titulo Beatae Mariae Virginis de Rosario in ecclesia S. Dominici in urbe Arborensi legitime instituti, vehementer cupiant ad titulum ac decus archiconfraternitatis evehi, et privilegia omnia consueta gaudere, cum facultate etiam gestandi mozzettas, ac pileos nigri coloris, Nos eorum precibus hac super re Nobis expositis benigne censuimus adnuendum.

Nos itaque omnes, quibus hae literae favent peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, sodalitatem praedictam Beatae Mariae Virginis de Rosario in templo S. Dominici erectam, et ab archiepiscopo Arborensi commendatam, archisodalitatis nomine, apostolica Nostra auctoritate, hisce literis decoramus. Illi propterea singula quaeque iura, privilegia, honores atque indulta, voce quavis designanda, quibus aliae archisodalitates ex consuetudine utuntur, fruuntur ac frui possunt ac poterunt, concedimus et indulgemus, ac facultatem etiam mozzettas et pileos nigri coloris gestandi largimur. Praeterea eius moderatoribus, eadem auctoritate Nostra, in perpetuum potestatem facimus, ut alia quaeque sodalitia eiusdem nominis et instituti extra Urbem ubilibet erecta, in commemoratam archisodalitatem, servata tamen forma constitutionis fel. rec. Clementis VIII praedecessoris Nostri, adsciscere seu aggregare libere ac licite possint, atque cum illis omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, quibus ipsa gaudet, communicari.

Haec concedimus atque largimur decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque illis in omnibus et per omnia plenissime suffragari ; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordina-

[1] Ex Archivio Archiepiscopali Arborensi (Oristano).

rios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, nec non si opus fuerit eiusdem sodalitatis etiam iuramento, confirmatione apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die secunda iunii millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXIX.

EPISTOLA

Ad Emmanuelem archiepiscopum Sanctae Fidei in Indiis occidentalibus respondet, qui ad Pontificem retulerat de decretis, a praeside et a moderatoribus reipublicae editis, ut pium opus missionum in Indiis occidentalibus pene neglectum, instauraretur, atque illuc revocarentur religiosi viri Societatis Iesu. Pontifex promittit haec omnia quam celeriter se ad exitum adducturum. Archiepiscopo autem gratulatur, quod in tota Neogranatensi republica religio catholica integra inviolataque servetur, et vehementer consolatur, quod epistolae pontificiae pro afflictis in Hispania religionis rebus, omni veneratione ab ipsius reipublicae populo fuerint receptae [1].

Venerabili fratri
Emmanueli
archiepiscopo Sanctae Fidei
in Indiis occidentalibus

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Literas libentissime accepimus datas a te quarto kalendas iulias superioris anni, quibus venerabilis frater retulisti ad Nos de decretis a coetu moderatorum istius reipublicae, et a dilecto filio nobili viro eiusdem praeside editis, ut pium opus sacrarum missionum tum ad fideles tum imprimis ad infideles Indos proximis temporum calamitatibus pene neglectum instauraretur, atque adeo ut istuc revocarentur religiosi viri Societatis Iesu, qui tum in missiones ipsas, tum ad iuventutem religione, solidaque virtute, ac bonis disciplinis instituendam, tum in alia sacri ministerii opera solerter incumbant. Iamvero quod tuo et istius cleri populique nomine rogasti, Nos ut illos, ne venire abnuerent, adhortaremur; id equidem libentissime fecimus; nec maiori stimulo opus fuit, quum generalem eiusdem societatis praepositum sponte iam sua propensissimum invenerimus ad rem celeriter et meliori qua fieri poterit ratione ad exitum adducendam. Ex his interim facile intelligis, quam gratum Nobis acciderit vestrum studium, quo Societatem ipsam de religione bene adeo meritam prosequimini.

Longe autem iucundissimum fuit, quod in tuis eisdem literis confirmasti, sanctissimam Christi fidem in tota Neogranatensi republica integram inviolatamque servari, atque adeo gentem istam doctrinis variis et peregrinis haudquaquam praebere aures, sed adhaerere firmiter supremae huic Petri Cathedrae, in qua Christus Dominus Ecclesiae suae fundamentum posuit. Peculiari quoque Nobis consolationi fuit, quod a te item accepimus Nostras encyclicas literas die decima quinta augusti millesimo octingentesimo quadragesimo de societate Propagationis Fidei datas, et alias de Iubilaeo pro afflictis in Hispania religionis rebus die vigesima secunda fubruarii superioris anni editas, omni veneratione et alacritate ab ipsius reipublicae populo fuisse acceptas. Atque hanc piam mentem ac voluntatem praesertim gregis assiduis tuis curis et laboribus magna ex parte tribuendam esse novimus, venerabilis frater, qui tanto per Dei gratiam pastorali zelo praestas, ac tanto Nos Nostrosque apostolicos nuntios et allegatos obsequio et studio prosequi gaudes. Pro qua tua erga ipsos benignitate Nos quidem plurimas fraternitati tuae gratias persolvimus; tibique hinc commendatum volumus, ut eum, qui istic in praesens Nostra Sanctaeque huius Sedis negotia curat, dilectum filium presbyterum Nicolaum Savo benevolentia officiisque tuis impensius iuvare pergas. Nos etiam te, venerabilis frater, atque omnem, cui praees, clerum populumque fidelem atque inclytos reipublicae moderatores et catholicam Neogranatensem gentem universam ardentissimo caritatis affectu prosequimur; nec praetermittimus a Deo O. M. in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione suppliciter poscere, ut bonitatis suae dona super vos propitius multiplicet. Denique benedictionem apostolicam ex intimo corde depromptam tibi ipsi, venerabilis frater, gregique tuo paramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die tertia iunii millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

---

1 Ex Archivio Brevium ad Principes; vide Regesta Epistolarum Latinarum.

CCXX.

BULLA

Qua fit suppressio ecclesiae Maynen. et erectio ecclesiae de Chachapoyas in America [1].

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Ex sublimi Petri specula, ad quam licet immerentes divinae providentiae consilio evecti sumus, universum christianum gregem Nobis divinitus commissum inspicientes, eo protinus accurrimus, quo peculiares remotissimorum quoque abhinc fidelium necessitates vocant, et, apostolica omnium ecclesiarum sollicitudine perciti, ea noviter decernimus, quae pro immutata locorum ac temporum conditione, ad aeternae salutis semitam tutius animabus communiendam opportuniora in Domino iudicamus. Quandoquidem haud raro contingit, ut quae olim salubriter sancita sunt, novis deinde subortis rerum ac temporum circumstantiis, immutari in melius oporteat.

Hinc licet nemo uspiam dubitaverit quin episcopalibus de Truxillo et de Maynas ecclesiis ea olim territoria assignata rite fuerint, quae priscis eorumdem locorum conditionibus accommodata penitus viderentur, nihilo tamen secius, cum rerum ibidem facies non eadem decursu temporis manserit, communis invaluit opinio, spirituali quoque rerum illic sacrarum procurationi melius consultum fore, si ex dismembratione dioecesis Truxillensis altera Maynensis augeretur, et prisca huius episcopatus sedes inde amota opportunius alibi constitueretur. Quamobrem, qui in inferioribus Peruanae ditionis oris summam rerum tenent ac moderantur, humillime Nobis supplicarunt, ut provincias quas Pataz et Chachapoyas appellant, a Truxillensi dioecesi adimere atque dismembrare, easque finitimae dioecesi Maynensi adiungere atque incorporare, simulque ab ipsa civitate de Maynas in civitatem Chachapoyas transferre sedem episcopalem vellemus, ut, quo hactenus ecclesia de Maynas nuncupata est, ea imposterum ab ipsamet civitate Chachapoyas nomen acciperet. Cui rei assequendae et gravis illorum christifidelium necessitas et maior quae inde exurgebat catholicae religionis servandae augendaeque opportunitas afferebatur. Et vero ex canonico processu quem in id negocii peragendum iussimus, rite confecto, plane cognitum exploratumque est dioecesanum territorium de Truxillo septem recensere vastissimas provincias pagis oppidisque sane multis et pluribus incolarum millibus refertas; provincias autem quae veniunt sub nomine Pataz et Chachapoyas, ab reliqua dioecesi Truxillensi per flumen Marinon prorsus discriminari, ipsasque ab extremis finibus centeno et amplius leucarum intervallo a Truxillo distare, ita ut eiusdem ecclesiae antistes nimia viarum asperitate gravibusque itinerum periculis nec non vehementissimis memorati fluminis undis praepeditus, rarius profecto quam oporteret eo sese conferre possit ad pastoralem visitationem ac caeteras episcopalis officii partes explendas, unde animarum salus potissimum pendet. Qua communione adeo necessaria pastorem inter illamque commissi gregis partem vel penitus sublata vel ad diuturnum tempus interclusa, dolendum sane est plerosque fideles iam adultos, imo etiam senescentes, adhuc sacramento Confirmationis carere. Quibus accedit exiguus admodum sacerdotum numerus qui tantae et tam incultae Domini messi excolendae impar omnino est, nec catholicae religioni tuendae atque amplificandae necessariam impendere operam potest.

Caeterum, perhibitum est, ex huiusmodi dismembratione vel ne minimum quidem decrementum mensis episcopatus aut capituli cathedralis Truxillensis obventurum, quandoquidem eidem dioecesi superessent aliae quinque peramplae et ditissimae provinciae, ipsius autem antistes inde exoneraretur non mediocri curarum et laborum parte, quibus in praesentiarum praegravatur. In memorato itidem processu expositum et comprobatum est rem utilem, imo quoque necessariam esse, ut praefatae provinciae Pataz et Chachapoyas Maynensi dioecesi coniungantur atque adiudicentur, tum etiam, ut a civitate Maynas sedes episcopalis dimoveatur eaque in civitatem Chachapoyas transferatur, quandoquidem, praeterquamquod illarum provinciarum christifideles incolae ferme universi magnopere hanc ipsam rem adprecantur, exploratum insuper exinde est, civitatem Maynas sitam in monte praerupto et arduo, sub aestuantis atque insalubris aeris inclementia esse, insuper obnoxiam summae penuriae illorum quoque vectigalium et annonarum quibus necessarius indiget vitae usus, ecclesiam quae inibi extat incultam esse atque iis etiam rebus carere, quae rite adhibere necesse est ad incruentum missae sacrificium peragendum; e converso, civitatem Chachapoyas in commodiore et prope centrali loco positam coeli salubritate frui, commercio frequentissimo locupletari, ipsamque praecellere tum aedificiorum amplitudine ac structura, tum incolarum magis cultis moribus et familiarum nobilitate nec non incolatu praefecti provinciae et publicorum administratorum copiarumque militarium statione; praeterea inibi extare parochialem ecclesiam sub invocatione sancti Ioannis Baptistae

[1] Ex Iure Pont. de P. F.

satis ornatam decenter sacra supellectili et dotatione munitam, adeo ut idonea prae caeteris et digna dicatur, quae cathedralis titulo donetur, alias ibidem quinque recenseri ecclesias, coemeterium, publicae hospitalitatis domum, scholas, collegium praestoque esse dioecesanum pro ecclesiasticis alumnis seminarium, aedesque pro decenti habitatione et curia episcopi, cuius insuper mensae congruae dotationis modo accedit cumulus. Ratum denique nunciatumque est, eiusmodi episcopatum de Maynas haud posse diu utiliterque subsistere, nisi eiusmodi consilium compleatur.

His omnibus amplissimis indubiisque testimoniis luculenter demonstratis, cunctis matura deliberatione perpensis, nec non audita pridem in id peculiaris congregationis S. R. E. cardinalium sententia, enixis Peruani gubernii eorumque populorum votis annuendum esse censuimus. Itaque de apostolicae auctoritatis plenitudine, Motu Proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione, praefatas provincias quae Pataz et Chachapoyas appellantur, idest universum territorium ab episcopatu de Truxillo sive ab eius dioecesi perpetuo dividimus ac dismembramus, insimulque omnes et singulas paroecias, ecclesias, conventus, monasteria et alia quaecumque saecularia et quorumvis ordinum regularia beneficia, quae inibi forsan existant, nec non utriusque sexus personas, habitatores et incolas tam laicos, quam clericos, presbyteros beneficiatos, religiosos cuiuscumque gradus, status, ordinis et conditionis, ab ordinaria iurisdictione, potestate ac superioritate episcopi pro tempore existentis Truxillensis sive eius dioecesis Ordinarii perpetuum pariter in modum eximimus omnino atque liberamus.

Eiusmodi autem dismembratione, divisione atque exemptione peracta, perpetuo supprimimus atque extinguimus titulum sedis episcopalis et cathedralitatem ecclesiae existentis in civitate de Maynas eamque reducimus ad statum simplicis parochialis, et inibi matricis ecclesiae, simulque commendamus, ut eius curae et manutentioni, nec non divino cultui et sacramentorum administrationi rite decenterque peragendae, quoad melius fieri poterit, diligenter consulatur.

Hac sedis episcopalis et cathedralitatis Maynensis ecclesiae suppressione et extinctione confecta, civitatem Chachapoyas in memorata eiusdem nominis provincia erigimus etiam atque instituimus in civitatem episcopalem omnibus et singulis fruituram honoribus, iuribus, privilegiis ac praerogativis quibus caeterae civitates episcopali sede decoratae in Indiis eorumque incolae et cives utuntur atque potiuntur.

Templum autem quod in antedicta civitate Chachapoyas sub invocatione sancti Ioannis Baptistae dicatum est, in novam cathedralem de Chachapoyas erigimus atque constituimus, retento siquidem pristino titulo S. Ioannis Baptistae et parochiali adservata animarum cura, protinusque inibi sedem cathedramque pontificalem pro uno deinceps episcopo de Chachapoyas tantummodo nuncupando, qui eidem ecclesiae, civitati et dioecesi inferius assignandae eiusque clero et populo praesit, synodum convocet, nec non omnia et singula iura officia et munia episcopalia habeat atque exerceat cum suis capitulo, arca, sigillo, mensa caeterisque cathedralibus insigniis, iuribus, honoribus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, indultis, iurisdictionibus et praerogativis quibus aliae cathedrales ecclesiae in Indiis occidentalibus earumque praesules potiuntur, dummodo ex peculiari indulto seu privilegio non sint eis attributa, perpetuo pariter erigimus atque instituimus.

Quum vero relatum fuerit praefatam ecclesiam S. Ioannis Baptistae, decenti, ceu par est, pro cathedralitate sua sacrario atque etiam organo carere, idcirco praecipimus, ut utrisque hisce rebus consulatur quatenus id nondum factum fuerit.

Cathedrali ecclesia de Chachapoyas hoc modo erecta, ut propria deinceps dioecesis tribuatur illius antistiti, ipsam civitatem de Chachapoyas et caetera cuncta loca quae territorium ac dioecesim Maynensem hactenus constituerunt, tum etiam universa loca et territorium quo et quibus in praesentiarum constant, memoratae provinciae Pataz de Chachapoyas, ut supra ab episcopatu Truxillensi eiusque iurisdictione exemptae atque avulsae, pro dioecesi istiusmodi episcopatus de Chachapoyas assignamus perenniterque adiudicamus: quod quidem territorium sic assignatum ac in eo existentes seu existentia paroecias, ecclesias, conventus, monasteria et quaecumque alia saecularia ac quorumvis ordinum regularia beneficia, utriusque sexus personas et incolas tam laicos quam clericos, non tamen exemptos, cuiuscumque gradus et conditionis mox ordinariae pro tempore existentis antistitis ecclesiae de Chachapoyas iurisdictioni, regimini, potestati ac superioritati perpetuo similiter continenterque subiicimus, eique pro civitate, territorio, dioecesi, clero et populo perpetuum pariter in modum assignamus atque constituimus.

Venerabili fratri Iosepho Mariae de Arriaga, qui Maynensem modo obtinebat episcopatum, superius memoratum, benigniter facultates concedimus necessarias et opportunas, ut absque nova literarum apostolicarum expeditione, antedictam ecclesiam et episcopatum de Chachapoyas moderandum administrandumque suscipere atque obtinere possit et valeat, utpote eiusdem Ordinarius; quem in finem antistitem ipsum etiam atque etiam hortamur, ne vicario generali diutius carere velit, quin immo quantocitius curet, ut in id officii virum ecclesiasticum probum, prudentem atque idoneum sibi

eo impensius nancisci studeat, quo maior est dioecesis amplitudo et spiritualis eorum populorum necessitas.

Ut autem Ordinarius pro tempore existens episcopus de Chachapoyas, eo quo par est decore, tueri valeat dignitatem episcopalem et vicario generali curiaeque episcopali prospicere, eidem pro congrua dote assignamus atque constituimus summam sexmillium eorum nummorum qui vulgo *pezze* dictitantur, quae summa ex data fide ex aerario eius civilis gubernii persolvenda est donec in stabilibus fundis eadem congrua dotatio fuerit constituta.

Quod autem pertinet ad congruam pro fabricae huiusce novae cathedralis de Chachapoyas dotatione, quandoquidem perhibitum est, quod in arca, quam vocant decimalem civitatis de Truxillo, praesto in id habeantur quatuor millia nummorum vulgo *pezze*, itidemque redditus duorum millium eiusdem valoris nummorum, qui Limae constabiliti extant, tum denique accedere posse videatur quidquid supererit ex eorum quinque millium nummorum redditu, qui pro Sanctissimi Sacramenti cultu in ea ecclesia de Chachapoyas destinati inveniuntur, idcirco decernimus, ut omnes et singulae pecuniarum summae superius recensitae et quaecumque aliae in id destinatae dignoscentur, uti praefertur, pro praefata dotatione singillatim colligantur, ut ad hunc potissimum usum, quam primum ac melius fieri poterit, in stabilibus item fundis constituantur.

Proprias item aedes congruamque dotationem pro dioecesano ecclesiasticorum alumnorum seminario adtribuimus quatenus in ea civitate Chachapoyas id nondum fuerit perfectum.

Quod vero spectat ad erectionem capituli quo hactenus destituta remansit ipsamet Maynensis ecclesia, propter rerum circumstantias statuimus, ut interim in nova cathedrali de Chachapoyas saltem duo quos vocant assistentes canonici praesto sint, cum congrua dotatione ab eo item gubernio Peruanae reipublicae perpetuo persolvenda, sicuti antea, ibidemque pristinus parochus cum eadem congrua dotatione iugiter servetur pro animarum cura exercenda, item ut ante; nihilo tamen minus volumus et declaramus, quod, ubi primum opportunae rerum circumstantiae id tulerint, in antedicta cathedrali sancti Ioannis Baptistae erigi debeat ad formam sacrorum canonum capitulum cathedrale congruo canonicorum atque administratorum numero praeditum atque honestatum.

Praefatam ecclesiam de Chachapoyas, ut supra erectam, Ordinario archiepiscopo Limano metropolitico iure subiicimus eisque omnibus frui volumus facultatibus, exemptionibus, praerogativis et iuribus, quae ad caeteras suffraganeas ecclesias Limanae ecclesiae metropolitanae pertinent.

Quoad fructus eiusdem ecclesiae de Chachapoyas, ceu est in more positum pro Americanis ecclesiis, ad florenos auri de Camera triginta-tres cum tertia floreni parte taxari volumus, et huiusmodi taxam in libris Camerae Apostolicae et sacri Collegii describi mandamus.

At hoc itaque ut omnia et singula ut supra a Nobis disposita rite ad suum perducantur effectum, venerabilem fratrem Franciscum Sales de Arrieta Limanae ecclesiae archiepiscopum praesentium literarum Nostrarum deputamus executorem, cum facultatibus necessariis et opportunis ut per se sive per aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, ab ipso specialiter subdelegandam, ea omnia facere statuere ac decernere et super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet forsan oritura cognoscere ac etiam definitive pronunciare libere ac licite possit et valeat, iniuncta ipsi obligatione diligenter in decreto executoriali distincte describendi fines totius dioecesis de Chachapoyas, ut supra constitutae, nec non actorum omnium et singulorum exemplar quae in praefatarum literarum apostolicarum executione emittentur, ad hanc Sanctam Sedem infra sex menses ab expleta illarum executione de more transmittendum, in tabulario congregationis Consistorialis diligenter asservetur.

Praesentes autem literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel non fuerint auditi aut praemissis non consenserint, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus in contrarium facientibus licet speciali expressa et individua mentione dignis non obstantibus quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, annullationis, translationis, erectionis, constitutionis, assignationis, deputationis, mandati, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, quarto nonas iunii, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXXI.

Providet per novos pastores tribus viduatis ecclesiis Portugallensi, Goanae ac Macaonensi; dein binos praestantissimos viros creat cardinales, nempe Franciscum Saraiva a S. Ludovico patriarcham Lisbonensem, et Antonium Mariam Cadolini episcopum Anconae et Humanae [1].

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE DECIMA QUINTA IUNII
ANNO MILLESIMO OCTINGENTESIMO QUADRAGESIMO TERTIO.

Venerabiles fratres

In Consistorio, quod fuit die tertia aprilis huius anni, nonnulla vobiscum communicavimus de sacris rebus Lusitani regni in conditionem aliquanto meliorem adductis, et de viris ecclesiasticis ad octo inter viduatas inibi ecclesias a civili gubernio designatis, quorum unum quidem atque alterum omnino reiecimus, ex reliquis vero post totam rei causam mature graviterque perpensam, tres interim in ipso eius diei consessu vel ad patriarchalem Lisbonensem, vel ad metropolitanam Bracharensem, vel ad Leiriensem cathedralem ecclesiam instituimus. Iam vero ex nunciis postmodum acceptis intelleximus, rem multa iam ex parte cessisse feliciter, atque hinc meliorem erecti sumus in spem, ut benedicat conatibus Nostris omnipotens Dominus, detque propitius per misericordiam suam, ut de sacris Lusitaniae rebus in canonicum ordinem plene restitutis, gratulari quamprimum in sui nominis gloriam valeamus. Hodie autem tres alias ecclesiarum illarum a diuturnae suae viduitatis luctu liberabimus, videlicet Portugallensem in Europa, et Goanam ac Macaonensem in ea Indiarum orientalium parte, quae Lusitaniae ditioni subdita est. Ac de dilecto quidem filio Hieronymo Iosepho a Costa Rebello, a carissima in Christo filia Nostra Maria regina fidelissima ad episcopatum Portugallensem nominato, ignorare vos nolumus, ipsum quibusdam in rebus gessisse se perperam contra canonicas sanctiones, sed quoniam datis ad Nos literis plenam in omnibus submissionem et obedientiam professus est, nec caret ceteroquin necessariis doctrinae, morum prudentiaeque laudibus, et ecclesiae illi melius prospiciendi nulla ferme supererat spes, demum non sine oratione, et inito cum nonnullis vestrum consilio, induximus animum, ut ipsius nominationem acciperemus. Longe autem libentius acceptas habuimus reliquas binas nominationes dilectorum filiorum Iosephi a Silva ad archiepiscopalem ecclesiam Goanam, et Nicolai Rodriguez Pereira Borja ad cathedralem ecclesiam Macaonensem. Namque horum primus, etsi et ipse ad Nos dederit peculiares submissionis et obedientiae literas, his tamen vix opus esse videbatur; quandoquidem post vitam a iuventute sua in ordine sancti Benedicti laudabiliter actam, si porro aliqua in re ab officio declinaverat, rediit brevi atque a multis iam annis ad vitae rationem sacerdotali suae dignitati consentaneam, in qua et constanter perseverat. Alter vero probatissimus undequaque vir, nulli unquam, quod sciamus, graviori scandalo causam praebuit; atque adeo laetati summopere sumus in Domino, cum illum ad Macaonensem episcopatum destinari cognovimus. Habetis ergo quales sint viri ecclesiastici quos supradictis Lusitaniae ditionis dioecesibus praeficiemus. De ipsis ergo sententiam vestram audiemus, postquam et alios proposuerimus, quos diversis aliarum nationum ecclesiis hodie item dare episcopos constituimus.

Antea consilium Nobis est binos vestro amplissimo ordini cardinales adiungere, quorum unus erit patriarcha Lisbonensis venerabilis frater Franciscus Saraiva, qui religiosa professione in Benedictino instituto emissa, cognomen a S. Ludovico accepit; alius autem erit venerabilis frater Antonius Cadolini episcopus Anconae et Humanae. Ad prioris promotionem quod attinet, nostis, venerabiles fratres, Clementem XII fel. rec. praedecessorem Nostrum in apostolicis literis datis decimo sexto kalendas ianuarias anno millesimo septuagesimo trigesimo septimo sub nonnullis conditionibus statuisse, ut in numerum eorum cardinalium, quos in gratiam praecipuarum catholicarum nationum Romanus Pontifex creare solitus est, censerentur omni tempore patriarchae Lisbonenses, quorum quisque suis ceteroquin commendatus meritis, post acceptam a Sede Apostolica canonicam institutionem, in proximo subinde Consistorio in vestrum ordinem cooptaretur; ita scilicet ut eius provectio anteire quidem posset electionem cardinalium ex aliis nationibus assumendorum, sed Lusitana ipsa gens in proxima eiusmodi assumptione suum deinde locum non haberet. Cum igitur carissima in Christo filia Nostra Portugalliae et Algarbiorum regina enixe a Nobis petierit, ut memoratum Lisbonensem patriarcham Franciscum cardinalitia dignitate augere velimus, ipse autem venerabilis frater post acceptam a Nobis patriarchalem ecclesiam, luculenta satis indicia dederit suae erga Nos Sanctamque hanc Sedem obsequentis devotaeque voluntatis, aequum sane iudicavimus privilegium custodire a Clemente XII

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

Lisbonensi ecclesiae indultum, et reginae fidelissimae precibus obsecundare, ipsi denique patriarchae Francisco addere animos, ut de credito sibi grege, de catholica illic re et de Apostolica Sede bene per Dei gratiam mereatur.

De Anconitano deinde antistite non est cur fusius loquamur; quandoquidem dubitare non possumus, quin praeclaras eius virtutes iamdiu perspectas habeatis. Is enim religiosum institutum Clericorum Regularium Congregationis Sancti Pauli a sua iuventute professus, diu in alma hac Urbe vixit, ac tum integritate morum, tum sacris obeundis ministeriis, maxime autem predicatione Verbi Dei solidam praestantis operarii laudem a bonis omnibus meritus est. Deinde a Pio VII gl. mem. decessore Nostro pastor Caesenatibus datus, multos sane annos ad illius gregis salutem sedulo advigilavit; nec minora porro pastoralis studii documenta praebuit in ecclesia Anconae patriae suae, ad quam Nos haud ita pridem ipsum duximus transferendum. Non latuit etiam eius virtus alias plures seu pontificiae ditionis seu exteras urbes et pagos, in quos identidem ad evangelizandos populos advocatus est. Tales igitur sunt bini spectatissimi praesules, quos in vestrum numerum adscribere deliberavimus.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, ss. apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, creamus S. R. E. cardinales presbyteros:

Franciscum Saraiva a S. Ludovico patriarcham Lisbonensem.

Antonium Mariam Cadolini episcopum Anconae et Humanae.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis.

In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

CCXXII.

BULLA

Iosephum M. de Silva Torres archiepiscopum Goan. eligit [1].

Dilecto filio
Iosepho Mariae de Silva Torres
electo archiepiscopo Goan.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei
salutem et apostolicam benedictionem.

Divina disponente clementia, cuius inscrutabili providentia ordinationem suscipiunt universa, in apostolicae dignitatis solio meritis licet imparibus constituti, ad universas orbis ecclesias aciem Nostrae considerationis extendimus, et pro earum statu salubriter dirigendo apostolici favoris auxilium adhibemus; sed de iis propensius cogitare Nos convenit, quas propriis carere pastoribus intuemur, ut eis iuxta cor Nostrum pastores praeficiantur idonei, qui commissos sibi populos per suam circumspectionem providam et providentiam circumspectam salubriter dirigant et informent, ac bona ipsarum ecclesiarum non solum gubernent utiliter, sed etiam multimodis efferant incrementis.

Sane ecclesia Goan. unica Indiarum orientalium carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae nomine secundae Portugalliae et Algarbiorum reginae fidelissimae subiectarum metropolitana, quae de iurepatronatus praefatae Mariae reginae ex fundatione vel dotatione seu privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, fore dignoscitur, et cui venerabilis frater Noster Emmanuel a Sancto Gualdino ultimus illius archiepiscopus dum viveret praesidebat, per obitum dicti Emmanuelis archiepiscopi, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta, Nos, vacatione huiusmodi, fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem ecclesiae metropolitanae Goan. celerem et felicem, ne illa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eidem metropolitanae ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam cum venn. fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus habuimus diligentem; demum, ad te de legitimo matrimonio ex catholicis honestisque parentibus in Portugalliensi civitate progenitum atque quadragesimum tertium aetatis tuae annum agentem, qui presbyteratus ordine dudum initiatus doctoralique laurea in sacra theologia donatus in ecclesiasticis functionibus apprime enituisti, eo vel maxime quo Benedictinorum

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

institutum prima iuventute amplexus sis, professor dein philosophiae ac theologiae renunciatus, plures per annos hoc munere scite perfunctus es, quique fidem catholicam iuxta articulos iampridem a Sede Apostolica propositos expresse professus fuisti, quemque laudata Maria regina Nobis ad hoc per suas patentes literas die vigesima quinta aprilis currentis anni Domini praesentavit, ac de cuius doctrina, gravitate, prudentia, honestate morum, rerum usu praestantia fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos Nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, metropolitanae ecclesiae Goan. de persona tua Nobis et eisdem venn. fratribus Nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, fratrum eorumdem consilio, apostolica auctoritate, providemus, teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius metropolitanae ecclesiae Goan. tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur praemia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos, metropolitana ecclesia Goan. sub tuo felici gubernio regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in iisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa.

Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam et administrationem praefatas sic exercere studeas sollicite fideliter ac prudenter, quod ecclesia ipsa Goan. gubernatori provido ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium Nostram dictaeque sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Volumus autem quod in civitate Goan. montem pietatis erigi cures, super quo conscientiam tuam desuper onerantes.

Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, decimo kalendas iunii, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXXIII.

EPISTOLA

Archiepiscopo Goano Iosepho a Silva Torres mentem suam aperit de eius nominatione, quae iuxta lit. Multa praeclare *est intelligenda; monet eum nullam exercere posse iurisdictionem in regionibus, quae vic. ap. traditae sunt regimini, etsi antea archiepiscopo Goae subiicerentur* [1].

Venerabili fratri
Iosepho a Silva Torres
electo archiep. Goano

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Nuncium ad te iam pervenisse arbitramur de consistorio a Nobis celebrato die decima tertia kalendas huius mensis, in quo novos pastores dedimus pluribus viduatis ecclesiis, initio facto ab inclyta archiepiscopali ecclesia Goana in Indiis orientalibus, Lusitanae ditionis, cui te, ven. frater, praefecimus. Accipies subinde Nostras apostolicas literas sub plumbo, quas statim edi iussimus de promotione ipsa tua et de consecratione episcopali rite suscipienda, nec non de sacro pallio, quod tibi uti metropolitano antistiti tradendum mandavimus. Animum quoque intendimus ad conditionem ecclesiae illius, et in calamitates haud sane leves quibus diuturnae viduitatis suae tempore afflicta est, atque adeo avertere cupientes difficultatem omnem, quae fraternitatem tuam ab ineunda eius procuratione retardare posset, alias ad te literas dedimus supra dicta die piscatoris annulo obsignatas, quibus ex peculiari gratia indulsimus, ut statim ac ipsas acceperis, delata tibi pastorali iurisdictione libere atque integre uti valeas: ac fuit quidem Nobis curae, ut eaedem sine mora ad te mitterentur. Nunc insuper hanc tibi epistolam scribimus, ut novum praebeamus testimonium praecipuae erga te benevolentiae Nostrae, bonaeque spei, qua in Deo nitimur fore, ut ad salutem crediti gregis constanter atque impigre advigiles, et a debita sacris canonibus ac Nostris Sedisque Apostolicae decretis obedientia, nulla unquam in causa recedas. Obversantur enim Nobis ante oculos sensus tuae in Romanam Ecclesiam obsequentissimae voluntatis, quos literis consignasti, datis tertio idus martii; quibus et consona sunt, quae de te accepimus a dilecto filio Francisco Capaccini Nostro Olisipone internuntio delegatoque apostolico, qui retulit inter alia nominatim de iterata declaratione, qua Nos certiores fieri voluisti, deliberatum tibi fixumque in animo esse, ut non alia unquam utaris auctoritate, quam quae tibi a Nobis tributa sit. Pertinent haec ad ea quae statuimus in apostolicis literis, datis sub annulo piscatoris die vigesima quarta aprilis anni millesimi octingentesimi trigesimi octavi quarum initium *Multa praeclare etc.*, atque hinc ad decreta cetera subinde edita, aut etiam edenda, circa procurationem catholicarum rerum in quibusdam regionibus, ubi ob mutatam temporum viam Goanus antistes nec facile iam, nec satis animarum bono consulere poterat. Nos in iis decernendis non aliud certe spectavimus, quam salutem et incrementa dominici gregis, ac vae

---

1 Ex Iure Pontificio de P. F.

quidem Nobis, si quamcumque ipsius partem sive illuc, sive alibi in discrimine positam, spiritualibus quibus datum fuerit iuvare subsidiis negligamus! Quare dum tuos illos sensus sollicitudini eidem Nostrae obsequentes plurimis merito prosequimur laudibus, temperare Nobis ipsis vero non possumus, quin fraternitatem tuam hortemur in Domino vehementer, ut ab huiusmodi te gerendi ratione nullo unquam obtentu dimoveri te sinas, atque ut in reliquis ita iugiter agas, quemadmodum pastorem agere oportet de maiore tantum Dei gloria et spirituali dilectarum ovium emolumento sollicitum, ac suas omnes spes collocantem in Domino pastorum principe, qui portat omnia verbo virtutis suae, quique sacris operariis in cultura vineae suae diligenter cum eius gratia perseverantibus immarcescibilem repromisit gloriae coronam. Nos interea, licet indigni, non praetermittimus ab eo suppliciter petere, ut super te ac super omnem quem tuae curae tradidimus clerum ac populum, sua propitius dona multiplicet. Denique Nostrae pignus studiosissimae voluntatis apostolicam benedictionem tibi ipsi, ven. frater, atque illis intimo cordis affectu peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die octava iulii millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXXIV.

EPISTOLA

Electum episcopum Macaonensem monet exercere non posse iurisdictionem in iis regionibus, olim ad Macaonen. ep. pertinentibus, quas Sedes Ap. aliis regendas tradidit [1].

Venerabili fratri
Nicolao Rodriguez Pereira de Borja
electo ep. Macaonensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

In consistorio a Nobis celebrato decimo tertio kalendas huius mensis proveximus te ad cathedralem ecclesiam Macaonensem in Indiis orientalibus Lusitanae ditionis: eiusque rei testes esse voluimus apostolicas literas sub plumbo, quae de more a Nobis editae sunt. His vero et alias addidimus literas apostolicas sub annulo piscatoris eadem die datas, quibus consilium Nobis fuit impedimenta avertere, quae te ab ineunda istius ecclesiae procuratione retardare potuissent. Has misimus statim dilecto filio Francisco Capaccini Nostro Ulyssipone internuntio delegatoque apostolico, ut ipsas ad te perferendas curaret. Nunc insuper hanc tibi epistolam scribimus, ut studium confirmemus Nostrae benevolentiae, qua te, ven. frater, eo impensius complectimur, quo meliorem erecti sumus in spem, fore ut de religione, de Sancta hac Sede, et de grege, tuae a Nobis curae concredito, praeclare per Dei gratiam merearis. Obversantur enim Nobis ante oculos bona quae accepimus testimonia virtutis tuae; quibus veluti cumulum adiicere visae sunt literae datae a te ad dilectum filium presbyterum Umpierres, atque ab eo Nostrae congregationi Propagandae Fidei communicatae, ex quarum scilicet significatione cognovimus, te, ad episcopatum Macaonensem a regina fidelissima nominatum, haudquaquam induci potuisse, ut contra canonum tramites et statuta S. huius Sedis procurationem interea viduatae ecclesiae sub quovis obtentu susciperes. Laudamus equidem in Domino vehementer praeclaram istam rationem tuam; qua eo vel magis laetati sumus, quod Nobis hinc omnino pollicemur, te, ven. frater, obsequuturum pariter humili constantique animo decretis a Nobis, seu a supradicta Propagandae Fidei congregatione, iussu Nostro, editis aut edendis, circa procurationem catholicarum rerum in nonnullis istarum regionum, ubi antistes Macaonensis, ob mutatam temporum vicem, nec facile iam, nec satis animarum bono consulere poterat. Nos certo in his statuendis non aliud spectavimus quam salutem et incrementa dominici gregis; ac vae quidem Nobis, si quamcumque ipsius partem, sive illuc sive alibi in discrimine positam, spiritualibus, quibus datum fuerit, iuvare subsidiis negligamus! Itaque etsi opus esse non videatur, ipsa tamen rei gravitate et supremi apostolatus Nostri officio compulsi, fraternitatem tuam hortamur in Domino vehementer, ut videas etiam atque etiam quam magni apud Deum ipsum criminis reus fieres, si decretis iisdem cum tanto apostolicae Nostrae auctoritatis contemptu et gravi adeo animarum detrimento te opponeres. Verum nulla, uti diximus, causa est, ut dubitemus de pietate tua, ven. frater, quem et in reliquis, quae episcopalis muneris sunt, ita iugiter acturum confidimus, quemadmodum pastorem agere oportet de maiore tantum Dei gloria et spirituali dilectarum ovium emolumento sollicitum, ac suas omnes spes collocantem in Divino pastorum Principe, qui portat omnia verbo virtutis suae, quique sacris operariis in cultura vineae suae diligenter cum eius gratia perseverantibus, immarcescibilem repromisit gloriae coronam. Nos interea, licet indigni, non praetermittimus ab eo suppliciter

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

petere, ut super te ac super omnem, quem tuae curae tradidimus, clerum ac populum, sua propitius dona multiplicet. Denique Nostrae pignus studiosissimae voluntatis apostolicam benedictionem tibi ipsi, ven. frater, atque aliis intimo cordis affectu peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die octava iulii millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXXV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus damnatio fit et prohibitio libri cui titulus « Lettera sulla direzione degli studi di Francesco Forti, Ginevra » [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Inter maximas et acerbissimas quas turbulentissimis hisce temporibus ingemiscimus catholicae religionis calamitates, praecipua sane est pestiferum librorum colluvies, qui veluti *locustae ex puteo abyssi prodeuntes,* ferme totam invadunt, ad eam vastandam, Domini vineam, et tanquam *poculum plenum abominationum,* quod vidit Ioannes in *manu meretricis magnae,* venenum omnis generis bibentibus praebent. Huiusmodi profecto est libellus qui inscribitur « *Lettera sulla direzione degli studi* » sub nomine « *di Francesco Forti* », notam praeseferens typographicam « Ginevra 1843 »: mole quidem exiguus, sed argumenti varietate et errorum multitudine magnis voluminibus habendus est aequipollens, eo fine ac maligna magistrorum iniquitatis arte ad pauca folia ideo redactus, ut sic molis exiguitate et modicitate pretii facilius esse possit prae omnium manibus, ad quaelibet studia inficienda et depravandam iuventutem cuiuslibet aetatis, ordinis et conditionis, religionemque labefactandam. Ex callidioribus quippe fidei et christianae moralis hostibus quos laudat et nominat, atque ex damnatis eorum operibus hausisse conspicitur auctor perversas et erroneas, quas dictat, sententias, et aculeata quibus utitur sophismata contra Ecclesiam, contra catholicam doctrinam, contra christianam moralem, ut vere dici possit, in uno hoc eius libello praecipuos collegisse omnium errores atque deliramenta; ac propterea eidem libello merito potest aptari quod de Priscillanistarum dogmate scribit s. Leo ad Turibium (ep. xv) scilicet: « *Nihil esse sordium in quorumcumque sensibus impiorum, quod in hoc libello non confluxerit; quoniam de omni terrenarum opinionum luto multiplicem sibi faeculentiam auctor miscuit; ut solus totum biberet, quod alii ex parte gustassent* ». Atque ut id apertissime pateat, sufficit ex bene multis sequentia summatim ad operis sensum excerpta adnotare.

Asserit auctor non posse vincendo responderi philosophorum scepticorum argumentis: « *atque scepticismum insinuat etiam circa Cosmogoniam Mosaicam; et periculosas promovet captiosasque dubitationes circa animae naturam eiusque facultates* ». Ad ipsius praeterea mentem, iudicandum esset de virtutibus et vitiis relate tantum ad felicitatem generis humani, et conservationem ordinis naturae in societate civili: « *nullo proinde habito respectu ad legem divinam neque ad religiosam actionum moralitatem* ». Immo eo impietatis devenit, ut pro absurdo habeat et immorale quodcumque *dogmaticum* principium unde frenum imponitur passionibus humanis, audeatque, omni deposita verecundia, suadere politicae potestati passionis omnium turpissimae et effrenatioris impunitatem. « *Statum autem naturae docet statum esse belli ac veluti brutorum* ». Insuper acceptam refert Luthero et protestantismo, tanquam societatis beneficium, reformationem philosophicam et reformationem politicam, unde meliorem asserit factam fuisse et nunc esse conditionem populorum ferme omnium nationum. Constat igitur, religionem, quam comminiscitur auctor, essentialiter esse aliam a religione revelata, eamque esse tantum religionem politicam, determinandam, regendam, ac etiam pro voluntate reformandam a politica potestate cuiuscumque status prout in statibus protestantium.

Quoad vero religionem catholicam, su bnomine ministrorum, exprobrare intendit Ecclesiae numerum dogmatum, moraliaque praecepta libertatem cogitandi limitantia; ac modum proponit quo possint gubernia, sub quibus viget, eam reducere, ut ad sensum politicorum utilis evadat societati cui praesunt. Utilem autem humano generi et societati illam dicit esse religionem, in qua pauca sint dogmata, simplicioresque religiosae exercitationes, et in qua *metaphysicae* (ut ait) *praetensionibus cor substituatur,* id est (ex operis contextu) in qua moralibus christianae religionis praeceptis substituantur cordis motiones et affectiones. Quoad crimina autem contra religionem, studendum esse docet servandae *tollerantiae* magis quam dogma protegere.

Patet itaque auctoris consilia et dictata ad reformandam seu potius ad evertendam tendere catholicam religionem iuxta principia protestantium. Principia siquidem ab auctore posita at-

---

1 Ex opere cui titulus « Annali delle Scienze Cattoliche » auctore A. De Luca vol. 17, pag. 118,

que statuta pro legislatorum et gubernantium norma in religionis negotio eo diriguntur : ut clerus diffidentiae et ludibrio populorum, et ecclesiastica auctoritas suspicioni, invidiae et despectui exponatur gubernantium, ut vel unico tractu evellantur, vel gradatim abalienentur fideles ab Apostolica Sede, catholicae unitatis centro, ut quaelibet abrogetur ecclesiastica iurisdictio in foro externo et in omnibus externis actionibus, ut ius sit politicae potestati moderandi et etiam variandi ecclesiasticas institutiones et instructiones etiam elementares, excutiendi catholicae Ecclesiae doctrinam, ac de ea iudicandi, eiusque interdicendi proclamationem, ut Ecclesiae regimen ad unum spectet, vel uni subiiciatur civili gubernio : uno verbo, eo tendunt, ut Ecclesia in durissimam adducatur gubernii servitutem.

Haec igitur omnia serio perpendentes, atque ad Crucifixi pedes profusis lacrymis considerantes immensa animarum damna a dicti pestiferi libelli lectione oritura ; auditis venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium in tota republica christiana inquisitorum generalium suffragiis, Motu Proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine praefatum libellum ubicumque et quocumque idiomate, seu quavis editione et versione impressum, aut, quod absit, imprimendum, tenore praesentium damnamus, reprobamus et prohibemus sub consuetis clausulis et poenis in indice librorum vetitorum indictis, tanquam continentem doctrinas et assertiones « *inducentes in scepticismum et incredulitatem, scandalosas contra bonos mores, impias, respective falsas, temerarias, captiosas, erroneas, haeresi proximas, de haeresi suspectas, iniuriosas et calumniosas in odium sacri ecclesiastici ministerii, divinis Ecclesiae iuribus derogantes, fidei divinaeque constitutionis Ecclesiae eversivas, protestantismo eiusque propagationi faventes, schismaticas* ».

Hortamur itaque et obtestamur in Domino, venerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos, episcopos aliosque locorum ordinarios, ut pro sibi divinitus commisso docendi ministerio, meminerint se districte teneri ad instruendum gregem in catholica doctrina, atque ad eos arguendos qui contradicunt, proindeque ad modis omnibus omnique sollicitudine et apostolica firmitate satagendum, ut oves a tam venenatis pascuis, scilicet ab huius impii et execrandi libelli lectione avertantur.

Ut autem eaedem praesentes literae omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus et decernimus, illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum et cancellariae apostolicae nec non curiae generalis in Monte Citatorio, et in acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui ; sic vero publicatas perinde afficere omnes et singulos quos spectant, ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die quinta augusti millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXXVI.

INDULTUM

Fit concessio indumentorum insignium favore beneficiariorum collegialis ecclesiae ab Angelo Custode, Anagninae civitatis [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex iis potissimum ecclesiasticis viris, qui aliqua dignitate exornati una simul in templis laudes Deo persolvunt atque animarum salutem procurandam pro viribus incumbunt, peculiaria ornamenta eo sane consilio tribuere solet, ut magis magisque virtutibus praefulgeant, ac suscepti ministerii partes rite obeuntes, spirituali populorum bono, omni ope et opera prospiciant.

Quum igitur dilecti filii beneficiarii insignis collegii, cui ab Angelo Custode nomen, in Anagnina civitate instituti, enixis precibus a Nobis efflagitarint, ut benignitate Nostra apostolica, utendi palliolo, sive ut aiunt mozzetta cineracei coloris, veniam ipsis concedamus. Nos, insignis commemorati collegii, quod decem nunc constat canonicis et duobus beneficiariis, maiori decori consulere cupientes, eorum votis annuendum censuimus.

Quamobrem commemoratos beneficiarios peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, iis qui modo sunt, quique in posterum erunt, beneficiariis collegii ab Angelo Custode nuncupati, in Anagnina civitate instituti, facultatem concedimus ut palliolum sive mozzettam cineracei coloris in conventibus seu capitulis in sacris supplicationibus aliisque publicis functionibus gestare libere et licite possint.

---

[1] Ex Cancellaria Episcopali Anagninae Dioeceseos.

Id concessum et indultum volumus decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et spectabit, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et quoties opus fuerit eiusdem collegii canonicorum et beneficiariorum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die octava augusti millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXXVII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus, piis sodalitatibus ad extirpandus blasphemias et imprecationes, tempore sacrarum missionum instituendis, concedit ipsas indulgentias, quibus locupletata est eadem pia sodalitas de Urbe [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Expositum Nobis est a nonnullis religiosis viris, ipsis in votis esse, ut piae sodalitates, quibus cura sit teterrimum blasphemiae et imprecationis vitium inter homines extirpandi, tempore sacrarum missionum ubique instituendae, iisdem indulgentiis gaudeant, quibus ex rescripto sacr. congregationis Indulgentiarum die vigesima augusti anno millesimo octingentesimo quadragesimo ditata est pia sodalitas eadem de causa Romae erecta in oratorio, cui a patre Caravita nomen. Nobis propterea humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur piis huiusmodi supplicationibus permoti, deque omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, per praesentes concedimus et impertimur, ut piae sodalitates ad extirpandas blasphemias et imprecationes, tempore sacrarum missionum, de licentia tamen locorum Ordinariorum, ut praemittitur, ubique instituendae, omnibus et singulis indulgentiis fruantur et gaudeant, quibus per praefatam concessionem locupletata reperitur eadem pia sodalitas de Urbe, dummodo tamen pro illis consequendis, iniuncta pietatis opera adimpleantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die octava augusti millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXXVIII.

INDULTUM

Fit concessio indumentorum magis insignium favore canonicorum cathedralis ecclesiae Alatrinae [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad futuram rei memoriam.

Pontificiae Nostrae beneficentiae munera, iis libenter ecclesiasticis viris tribuenda esse ducimus, qui uti aliqua dignitate praestant, ita etiam virtutis exemplis ac vigilanti in sui muneris partibus obeundis sollicitudine fulgere summopere gloriantur. Itaque dilecti filii canonici cathedralis templi s. Pauli Alatrinen. exponendum Nobis curavere, suis in votis esse ad eiusdem cathedralis templi splendorem augendum semula, seu collare violacei coloris, et talari veste eiusdem coloris uti posse.

Nos igitur, eos omnes singulari benignitate prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis

---

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

[2] Ex Archivio Cancell. Episcopalis Civitatis Alatrinae.

modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, eorumdem precibus benigne annuendum censuimus. Quamobrem hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, decernimus et constituimus, ut canonici cathedralis ecclesiae Alatrinensis qui modo sunt quique in posterum erunt, semulam, seu collarem violacei coloris, eiusdemque coloris talarem vestem, in choro, in conventibus, seu ut dici solet in capitulis, in sacris supplicationibus aliisque publicis functionibus tantum gestare libere ac licite possint et valeant. Haec concedimus et mandamus, certa spe freti, illos huiusmodi privilegio ac decore honestatos, religione, pietate, et assidua in sacris peragendis diligentia, catholicae religionis cultum magis magisque augendum curaturos.

Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat et pro tempore spectabit perpetuo plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales iudicari debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV praedecessoris Nostri, *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et sanctionibus, et quatenus opus fuerit, eiusdem cathedralis templi et canonicorum collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima prima augusti millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXXIX.

INDULTUM

Quo fit concessio indumentorum insignium favore collegialis ecclesiae oppidi Roccasecca, *Privernensis dioecesis* [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romanorum Pontificum mos atque institutum fuit peculiaria honoris insignia iis tribuere ecclesiasticis viris, qui templo Dei assidentes supernae Sionis aemuli, divinis laudibus canendis insistunt. Itaque quum collegiatum capitulum oppidi, quod vulgo *Roccasecca* nuncupatur, intra fines Privernensis dioecesis vetustate imprimis excellat, nulloque, ut fertur, dignitatis ornamento a reliquo clero discriminetur; Nos ad eius dignitatem augendam peculiare illi honoris indicium tribuendum censuimus, certa spe ducti fore, ut externis honoris insignibus virtutum decora adiungere nitatur, quo praeclaris exemplis in populi istius salutem eniteat.

Nos igitur omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, archipresbytero ac canonicis universis memorati capituli tam praesentibus quam futuris, auctoritate Nostra apostolica, facultatem concedimus, ut roccheto et palliolo, seu mozzetta violacei coloris, in sacris ritibus peragendis uti libere ac licite possint et valeant.

Haec concedimus et indulgemus decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his, a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quoties opus fuerit eiusdem collegii canonicorum etiam iuramento atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima prima augusti millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

---

1 Ex Archivio Secretariae Brevium.

CCXXX.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus in Pensylvania occidentali, quam ab episcopatu Philadelphiensi separat, novam sedem episcopalem erigit in civitate Pittsburgensi collocandam, et Baltimorensi suffraganeam [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Universi dominici gregis curam ac sollicitudinem superno Nobis consilio commissam gerentes, dioecesum per universum orbem descriptioni cogitationes curasque Nostras intendere debemus, ut earum fines immutemus vel coarctemus, prout rerum ac temporum ratio ac fidelium utilitas exquirere videatur.

Itaque quum in concilio quinto Baltimorensi, habito mense maio anni millesimi octingentesimi quadragesimi tertii, cetera inter negotia ad religionis catholicae bonum in foederatis Americae septentrionalis provinciis promovendum, de ratione quoque actum fuerit, qua in vastissimo Pensylvaniae statu, religionis necessitati atque incremento constanter prospici possit, cumque collatis inter se consiliis episcopi omnes in concilium coacti, interque illos praecipue ven. frater Franciscus Patritius Kenrick Philadelphiensis episcopus, Nobis exponendum iudicaverint, fidelium bono valde expedire, ut Pensylvania occidentalis, secundum limites civili divisione receptos, in peculiarem dioecesim a Philadelphiensi distinctam erigatur: Nos tanti momenti rem venn. fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis examinandam commisimus. Rebus itaque mature perpensis, atque habita ratione consensus episcopi Philadelphiensis, super memoratae regionis Pensylvaniae a sua sede episcopali separatione, de eorumdem fratrum consilio, memoratam episcopatus erectionem perutilem cognovimus.

Motu igitur Proprio et ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, Pensylvaniam occidentalem, iuxta limites civili divisione receptos, a dioecesi Philadelphiensi perpetuo separantes, eam in peculiarem episcopatum, cuius episcopalis sedes in Pittsburgensi civitate constituatur, ac suffraganea sit archiepiscopalis Baltimorensis donec aliter statuatur, cuiusque titulus a praedicta Pittsburgensi urbe derivetur, et cathedralem habeat s. Pauli apostoli ecclesiam in eadem urbe iamdiu conditam, vi praesentium literarum erigimus et constituimus.

Decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et omnia iuxta praemissa accurate adimplere; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non apostolicis literis datis die decima septima iunii anno millesimo octingentesimo trigesimo quarto, quarum initium *Benedictus Deus,* nec non praedictae Philadelphiensis ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima prima augusti millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXXXI.

EPISTOLA

Acerbissime dolet quod in Melitensi dioecesi variae pestiferae sectae longe lateque, cum magno bonorum moerore, omnia labefactare et catholicae religionis fundamenta evertere conentur. Episcopum hortatur, ut omni industria ac providentia prospiciat, ne grex eius curae commissus fiat in rapinam, et oves in devorationem bestiarum [2].

Venerabili fratri
Francisco Xaverio
archiepiscopo episcopo Melitensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ad gravissimas angustias et sollicitudines, quibus in tanta rerum asperitate afflictamur ac distinemur, acerbissimus sane dolor accessit, venerabilis frater, cum intelleximus gregem tuae curae commissum impiorum hominum machinatione in maximum salutis periculum adduci, eique perditionis impendere discrimen. Ex pluribus enim crebrisque nunciis cognovimus in Melitensi dioecesi cum magno bonorum omnium

---

1 Ex Iure Pontificio de P. F.
2 Ex Archivio Brevium ad Principes; vide regesta Epistolarum Latinarum.

moerore varias pestiferas eorum sectas iam longe lateque serpere, qui nefaria inter se societate coniuncti clandestinis potissimum colloquiis nocturnisque conventibus libertatem promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis, tamquam fluctus feri maris despumantes suas confusiones quaecumque ignorant, blasphemant, ac monstrosis opinionum commentis pudicos mores corrumpere, execrabilem cogitandi vivendique licentiam promovere, improvidam praesertim iuventutem in fraudem inducere, iura quaeque divina et humana permiscere, dissolvere, et si fieri umquam posset, catholicae religionis fundamenta evertere et legitimi cuiusque imperii potestatem labefactare commoliuntur. Quas quidem sectas e tenebris ad exitium et vastitatem emersas, Romani Pontifices pro suprema universi dominici gregis pascendi regendique potestate sibi divinitus tradita, modis omnibus acriter improbandas abigendasque semper curarunt. Etenim non ignoras, venerabilis frater, quanto studio et vigilantia suis pontificiis literis has societates et conventicula reprobaverint, prohibuerint, atque in eos omnes, qui hisce societatibus vel nomen darent vel quovis modo faverent, debitas severissimas poenas statuerint, rec. me. Clemens XII, Benedictus XIV et Pius VII decessores Nostri. Atque horum illustria vestigia premens fel. rec. Leo XII praedecessor pariter Noster suis apostolicis literis die decima tertia martii anno millesimo octingentesimo vigesimo quinto datis, quarum initium « *Quo graviora mala* », ne tam dira contagia pestis latius in dies manarent, imo potius averti et radicitus erui possent, eorumdem Pontificum constitutiones renovans atque confirmans, simul ratum fixumque manere decrevit quidquid ipsi hac super re provide sapienterque edixerant atque statuerant. Neque minori Nos sollicitudine, ubi nullis certe Nostris promeritis, sed arcano divinae providentiae consilio, ad sublimem Principis Apostolorum cathedram evecti fuimus vel in prima Nostra encyclica epistola die decima quinta augusti anno millesimo octingentesimo trigesimo secundo data, omnes venerabiles fratres in pastoralis ministerii partem vocatos excitavimus, ut strenue praeliantes praelia Domini, impias huiusmodi consociationes et coetus ab eorum grege pro viribus propulsarent. Hinc, venerabilis frater, facile intelligis quanto angamur dolore, cum in tua dioecesi clandestinas ipsas ac damnatas societates propagari, conventicula et coetus haberi noscamus, in quibus subdoli et peritissimi scelerum architecti non artificio minus simulationis eruditi, quam omnes nocendi vias apprime edocti, scelestissima eorum consilia et finem callidissime occultantes, nihil inexpertum relinquunt, ut molles potissimum imperitae iuventutis animos vel pravae voluptatis illecebris, vel rerum novarum cupiditate, vel literariae gloriae lenociniis, vel eruditionis specie, vel quibuscumque aliis cuiuscumque generis captiosissimis insidiis alliciant, pervadant et erroris veneno inficiant. Ac vehementissime dolemus, venerabilis frater, quod veluti accepimus, plures iam tuae dioecesis iuvenes miserandum in modum hisce fraudibus illecti, laqueis irretiti, ad istas nefandas societates sese aggregaverint. « Et quoniam per omnes ecclesias cura Nostra distenditur, exigente hoc a Nobis Domino qui apostolicae dignitatis beatissimo apostolo Petro primatum fidei suae remuneratione commisit » [1]; iccirco pro supremo Nostri apostolatus officio non possumus in tanto istius dioecesis discrimine, quin hisce literis, tuum, venerabilis frater, zelum tuamque pastoralem sollicitudinem summopere in Domino excitemus, ut omni industria ac providentia diligentissime prospicias, ne grex tuae curae commissus fiat in rapinam, et oves tuae in devorationem bestiarum. Optime enim noscis, venerabilis frater, tibi fortiter esse pugnandum, ac pro viribus curandum, ut mortifera harum societatum pernicies a tuo grege avertatur. Itaque vigila, venerabilis frater, in omnibus labora, ministerium tuum imple, viriliter age, et quo facilius catholicae religionis et morum integritati consulas, atque aeternae perditionis aditum animabus tibi traditis intercludas, clamare ne cesses, exalta quasi tuba vocem tuam, et pastoralibus literis, edictis, monitis populo tuo teterrimam harum societatum indolem, damna, pericula ostendere, diabolicas impiorum fraudes insidias detegere, fallacias explicare numquam desine, una simul in omnium memoriam revocando gravissimas excommunicationis poenas, quas apostolicae constitutiones ipso facto incurrendas iis infligunt, qui societatibus ipsis vel nomen dare vel quibusque modis favere non reformidant. Fideles tibi concreditos monere exhortari ne intermittas, adhibita praesertim atque excitata parochorum opera, ut ab istorum hominum societatibus fugiant tamquam a facie colubri, et illorum sermonem, qui veluti cancer serpit, studiosissime devitent, ac stabiles et firmi in fide permaneant, neque umquam decipi patiantur nequitia et astutia hominum ad circumventionem erroris. Cum autem pro Christo fungaris qui, ut ipse professus est, non venit vocare iustos, sed peccatores, singularem quoque curam et industiam adhibeas oportet, venerabilis frater, ut eos, qui in tua dioecesi miserrime iam prolapsi ac eiusmodi sectis addicti sedent in tenebris et umbra mortis, paternis monitis, consiliis, hortationibus arguas, obsecres, increpes in omni patientia et doctrina, atque ad salutis semitam revoces, et ad Christum Iesum

[1] S. Leo epist. 5, ad Metropolitanos Illyrici.

reducas. Non dubitamus profecto, venerabilis frater, quin hisce Nostris literis excitatus, et gravissimo episcopalis tui ministerii officio permotus, cogitationes omnes et studia in tui gregis salutem tuendam conferas, et quantum in te est, omnia coneris, ut detestabilis ista pestis in tua dioecesi comprimatur atque extinguatur. Ut enim, veluti sapientissime monet s. Leo decessor Noster, habebit a Deo dignae remunerationis praemium, qui diligentias, quod ad salutem commissae sibi plebis proficiat, fuerit exequutus; ita ante tribunal Domini de reatu negligentiae se non poterit excusare, quicumque plebem suam contra sacrilegae persuasionis auctores noluerit custodire [1]. Nos interim in humilitate cordis Nostri miserationum Dominum enixis precibus obsecrare non omittemus, ut tribuat tibi auxilium de sancto ad destruendas perditorum hominum molitiones, et ministerii tui partes cumulate impendat, atque propitius ad populum istum respiciens, multiplicet super eum misericordiam suam, et impiorum subvertat insidias. Atque in optati eventus auspicem, et praecipuae Nostrae erga te caritatis pignus, apostolicam benedictionem tibi venerabilis frater, tuoque gregi peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem die trigesima prima augusti anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXXXII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Fratribus archisodalitatis Ssmi Sacramenti pagi vulgo Fiumalbo, *dioecesis Mutinensis, datur facultas induendi mozzettam laneam rubri coloris* [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romanorum Pontificum mos atque institutum fuit peculiaribus privilegiis ornamentisque sacras sodalitates augere, ex quibus fidelium pietas quam maxime inflammatur. Iam vero exponendum Nobis curarunt fratres archisodalitatis Ssmi Sacramenti intra fines paroeciae Flumalbo, Mutinensis dioecesis, eamdem archisodalitatem iam inde ab anno millesimo sexcentesimo octavo canonice institutam, subinde archisodalitati Romanae s. Mariae supra Minervam aggregatam fuisse anno millesimo septingentesimo quinquagesimo octavo, atque ab institutionis tempore vestem caerulei coloris sodales induisse, nunc vero sibi esse in votis, ut super eamdem vestem palliolum, seu mozzettam laneam rubri coloris, adiecto argenteo insigne seu stemmate ubi calix cum hostia effictus sit, induere possint, ac flocco albi et caerulei coloris uti valeant; qua de re apostolicam a Nobis veniam flagitarunt.

Nos igitur omnes ac singulos, quibus hae literae favent peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, facultatem impertimur, ut memoratae archisodalitatis fratres supra caeruleam vestem palliolo, seu lanea mozzetta rubri coloris, in perpetuum uti possint, cum stemmate argenteo seu argento ornato, ubi calix cum hostia sit effictus, itemque flocco albi et caerulei coloris libere ac licite uti perpetuo valeant.

Haec concedimus atque indulgemus, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat et pro tempore spectabit perpetuo suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales iudicari ac definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus vel ordinationibus, nec non legis institutionis eiusdem archisodalitatis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, deque verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, caeterisque etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die prima septembris millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

---

1 S. Leo epist. 7, al. 8, ad Episcopos per Italiam.

2 Ex Archivio Cancellariae Episcopalis Mutinensis.

CCXXXIII.

EPISTOLA

Contra scandalum electionis et consecrationis pseudo-antistitis Harlemensis Henrici Ioannis Van Buul a Ioanne Van Sauten factae, vocem attollit. Hanc electionem et consecrationem illegitimam irritamque declarat, ac ipsum Henricum omnesque qui electioni aut consecrationi, opera, consilio et consensu adfuerunt, excommunicat [1].

Dilectis filiis

universis catholicis in Belgio commorantibus

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecti filii,

salutem et apostolicam benedictionem.

In Sancta hac Petri Sede, meritis licet imparibus, disponente Domino, constituti, officio ipso supremi apostolatus urgemur, vocem Nostram attollere contra gravissimum scandalum quod istic instauratum est, in electione et consecratione pseudo-antistitis Harlemensis. Nostis enim, dilecti filii, Ioannem Van Santen, qui Ultraiectini archiepiscopi nomen iamdiu usurpaverat, eamque ob causam a Leone XII fel. rec. praedecessore Nostro anathematis vinculo innodatus, atque ab omni pontificalis ministerii functione severissime interdictus fuerat, nuper sacrilegas imposuisse manus Henrico Ioanni Van Buul, antea in conventu schismaticorum delecto ad ecclesiam Harlemensem invadendam. Is porro de nefaria eadem provectione sua referre ad Nos ausus est per literas mendacibus fidei, pietatis et obsequii testificationibus refertas; quasi vero satis sit, ut Ecclesiae catholicae Sanctaeque huius Sedis auctoritatem revereatur verbis, qui factis illam contemnit. Haec scilicet Ultraiectinis istis veteratoribus usitata fraus est, ut pravitatem schismatis errorumque suorum eiusmodi fallaciis occultare studeant, et obfirmati, ut sunt, in pervicacissima sua contra Ecclesiam catholicam Romanumque Pontificem contumacia, catholicum adhuc nomen, catholico licet reclamante orbe, sibimetipsis attribuant. Nos igitur tantam ipsorum improbitatem palam rursus occasione hac et gravissime detestamur; et vestigiis inhaerentes decessorum Nostrorum, recentem in Harlemensi causa eiusdem nequitiae fructum merita animadversione persequimur.

Ac primo quidem auctoritate apostolica declaramus atque decernimus, electionem illam Henrici Ioannis Van Buul in episcopum Harlemensem fuisse illegitimam atque omnino irritam, et subsequentem eius consecrationem illicitam atque sacrilegam; hinc vero tum ipsum Henricum Ioannem, tum eos omnes qui eiusdem electioni aut consecrationi, opera, consilio, consensu adfuerunt, apostolica item auctoritate, excommunicamus, et excommunicatos haberi catholicis universis ac vobis praesertim, dilecti filii, districte mandamus. Sciat insuper idem Henricus Ioannes ac serio perpendat, novis se poenis ex sacrorum canonum sanctione constrictum iri, ubi sacrum chrisma conficere, confirmationis aut ordinis sacramenta administrare, quemquam curae animarum praeficere, aut alia quaecumque agere praesumat, quae propria sunt episcopalis ordinis, quem nullo modo exercere licite potest, aut spectant ad iurisdictionem episcopalem, quam minime prorsus accepit.

Utinam Henricus ipse, et consentiens illi schismaticorum coetus, spiritualium poenarum, quibus ex canonum sententia innodati sunt, et decreti huius Nostri severitate deterriti redeant demum ad cor! Nobis vices Eius gerentibus, qui venit quaerere et salvum facere quod perierat, nihil sane iucundius foret, quam paterna ipsos caritate complecti, si resipiscant ab errore viae suae, omnique contumacia deposita, in catholicae Ecclesiae sinum reverti sincero animo velint.

Itaque non desistimus, lumen pro illis a Deo misericordiamque uberem implorare. Vos vero, dilecti filii, enixe adhortamur, ut fervidas eum in finem preces offerre studeatis. Interim pergite, ut facitis, cavere ab illorum vafritie, atque in omnibus, ita semper agite, quemadmodum homines decet in catholicae veritatis luce ambulantes, ut ii etiam, qui ex adverso sunt, vereantur nihil habentes malum dicere de nobis.

Denique Nostrae in vos ardentissimae caritatis pignus, accipite apostolicam benedictionem, quam ex imo corde depromptam, et cum verae omnis prosperitatis voto coniunctam, vobis, dilecti filii, peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die quarta septembris millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

---

[1] Ex opere cui titulus « Annali delle scienze Cattoliche » auctore De Luca vol. 17, pag. 257.

CCXXXIV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Collegio parochorum civitatis Pisauri (Pesaro) datur facultas induendi mozzettam nigri coloris cum purpureis filamentis etc. [1]

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

In sublimi Principis Apostolorum Sede, licet immerito sedentes, ineffabili Dei consilio collocati, pontificiae Nostrae beneficentiae munera in ecclesiasticos viros conferre solemus, ut ipsi divini ministerii partes recte implere satagentes, Dei cultum augere et animarum saluti prospicere, qua opere qua exemplo connitantur. Iam vero quum collegium curionum Pisaurensium Nobis curavit exponendum, suis esse in votis, ut ad maiorem ipsorum dignitatis splendorem atque ornamentum, rocchetto et mozzetta nigri coloris, purpureis tamen filamentis extremis oris ornata, cum fibulis, vulgo *bottoni,* purpurei item coloris, nec non fascia atri coloris uti possint, Nos eorumdem votis precibusque libenter duximus annuendum.

Nos igitur omnes et singulos quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes ac absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, decernimus et constituimus, ut parochi civitatis Pisauri, qui modo sunt quique in posterum futuri, rocchettum et palliolum, seu mozzettam nigri coloris purpureis in extremitatibus filamentis ornatam, cum globulis, vulgo *bottoni,* purpurei item coloris, nec non taeniam seu fasciam atri coloris, in sacris quibusque caeremoniis sive in templo, sive in publicis supplicationibus aliisque publicis functionibus induere libere ac licite possint et valeant.

Haec concedimus et indulgemus, volumus et mandamus, decernentes has literas firmas, validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque perpetuo plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales iudicari debere, irritumque esse et inane, quidquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, et quoties opus fuerit eiusdem parochorum collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima quinta septembris millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXXXV.

INDULTUM

Quo castrum Vallis Montonis (Valmontone) civitatis titulo ac iuribus decoratur [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontifices provido sane consilio, splendidioribus titulis amplioribusque honorum muneribus et beneficentiae testimoniis eas potissimum sui civilis principatus regiones exornare atque ad maiorem dignitatem extollere consueverunt, quae originis vetustate ac civium indole, ingenio, virtute, industria ac religione insignes, luculentissima in hanc Apostolicam Sedem fidei et observantiae testimonia quibuscumque temporibus singulari constantia praestitere. Neminem profecto latet alias inter vetustissimas Latii regiones Tolerium seu castrum Vallis Montonis in colle positum ad viam Casilinam, quod in spiritualibus antistiti Signino, in temporalibus vero Veliternae provinciae praesidi seu legato paret. Quod oppidum multis sane nominibus clarum, tam vetustate originis et civium frequentia, et egregia eorum indole, quam agrorum fertilitate et religionis catholicae et divini cultus studio excellit. Illud etiam accedit, ut ipsius oppidi cives nihil inausum nihilque intentatum reliquerunt, ut de hac principe Petri Cathedra optime promereri possent; hinc difficillimis asperrimisque temporibus in eamdem Petri Cathedram singularis fidei et obsequii non levia continenter praestitere argumenta. Quae cum ita se habeant, ad maiorem splendorem dignitatemque commemoratum castrum evehere existimamus.

Nos igitur omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi

---

[1] Ex libro Precum et Rescriptorum Curiae Episcopalis Pisauri.
[2] Ex Archivio Secretariae Brevium.

volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Motu Proprio et certa scientia, plenaque auctoritate Nostra apostolica, Castrum Vallis Montonis, vulgo Valmontone, in dioecesi Signina et legatione Veliterna situm, hisce literis in civitatem erigimus et constituimus, eique omnes et singulos honores delatos volumus, itemque iura et insignia quae ceteris pontificiae Nostrae ditionis civitatibus tributa sunt vel in posterum tribuentur. Concedimus etiam et impertimur, ut Vallis Montonis incolae civium nomine decorentur, ita tamen ut episcopus in tempore Signinus inibi consistere minime teneatur, sed ecclesiae Signinae ut antea sint subditi.

Haec volumus atque mandamus, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et eorum causa quae expressa sunt hoc futurisque temporibus plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, nec non peculiaribus quorumcumque locorum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus aliisque etiam speciali et individua mentione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die vigesima sexta septembris millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXXXVI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Canonicis cathedralis templi Signini datur facultas utendi collare ac talari veste violacei coloris in sacris functionibus [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

In suprema Principis Apostolorum Sede, Deo sic volente, collocati, ac de universi dominici gregis incolumitate solliciti, ecclesiae ministerio addictos viros peculiaribus dignitatis insignibus libenter decoramus, ut iisdem ad paranda sibi virtutum ornamenta vehementius incitentur, quo fiat, ut qui lux mundi in sacris literis nuncupantur, ii reliquis hominibus ad terendam iustitiae semitam bonorum operum exemplo praeluceant.

Itaque quum Nobis Campaniam provinciam adeuntibus, capitulum et canonici cathedralis templi Signini humiliter exposuerint, sibi esse in votis, ut ipsi ad augendum suae dignitatis splendorem collare ac talari veste violacei coloris uti possint, Nos eorum precibus aequo animo ducimus annuendum, ea potissimum ratione, quod Signina urbs, quae duobus Romanis Pontificibus, scilicet S. Vitaliano I atque Alexandro IV ortum dedisse gloriatur, Sanctae huic Sedi certissima perpetuo dederit fidelitatis argumenta, et vero etiam, quod cathedrale eiusdem urbis templum celebre sit in Ecclesiae fastis, utpote Alexandrum III et Lucium III Romanos Pontifices acceperit, quorum alter in eo beatum Thomam Cantuariensium antistitem, alter beatum Brunonem Sanctorum fastis adscripserint.

Nos igitur omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia complecti volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes ac absolutos fore censentes, auctoritate Nostra apostolica, harum literarum vi, concedimus et indulgemus, ut canonici cathedralis templi Signini, qui modo sunt quique in posterum futuri, collare ac talari veste violacei coloris in choro, in conventibus seu capitulis, in sacris supplicationibus aliisque publicis functionibus uti libere ac licite possint et valeant.

Haec concedimus et indulgemus decernentes has literas firmas, validas et efficaces esse et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat et pro tempore spectabit hoc futurisque temporibus ple-

---

1 Ex Archivio Cancellariae Episcopalis Signinae Civitatis.

nissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales iudicari debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum*, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et quoties opus fuerit, eiusdem cathedralis templi Signiensis, et canonicorum collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die vigesima septima septembris millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXXXVII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Canonicis cathedralis ecclesiae Nursinae datur facultas induendi cappam magnam [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romanorum Pontificum mos atque institutum fuit peculiaribus dignitatis ornamentis ecclesiasticos viros decorare, qui in templo Dei adsidentes, eius laudes canunt, ut externis honorum insignibus magis magisque ad virtutum apparatum incendantur, quo veluti lucernae ardentes super candelabrum, reliquis christifidelibus ad illustrem pietatis laudem praefulgeant. Itaque cum capitulum et canonici cathedralis templi Nursini Nobis exponendum curaverint, suis esse in votis, ut ad maiorem suae dignitatis splendorem cappam magnam mustelae alpinae, vulgo *armellino*, pelle subsutam super rocchetum induere possint, Nos eorum precibus votisque libenter adnuendum censuimus.

Nos igitur omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, harum serie absolventes ac absolutos fore censentes, auctoritate Nostra apostolica, harum literarum vi, concedimus atque indulgemus, ut canonici cathedralis templi Nursini, qui modo sunt quique in posterum futuri, cappa magna uti libere ac licite possint et valeant.

Haec concedimus atque indulgemus, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum*, aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et quoties opus fuerit eiusdem cathedralis templi Nursini et collegii canonicorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die vigesima octava septembris millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXXXVIII.

EPISTOLA

Archiepiscopum Parisiensem reprehendit ob nonnulla eius statuta ad confessiones excipiendas [2].

Dilecto filio Nostro
Dionysio D'Affre
archiepiscopo Parisiensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Allatum isthinc ad Nos est exemplum mandati, die nona septembris a fraternitate tua editi, super presbyteris Societatis Iesu, ad excipiendas confessiones in metropolitana tua Urbe sacramentales fidelium approbatis; quod quidem intimo perlegentes doloris sensu, vix Nobismet-

---

1 Ex libro memoriarum Cathedralis Ecclesiae Nursinae.
2 Ex opere cui titulus « De Romano Pontifice » auctore Roskovani vol. 6, pag. 180.

ipsis persuadere poteramus, te dixisse ac statuisse quae inibi habentur, quaeque licet aliter ipse putaveris, et congrua minime sunt canonicis sanctionibus, et hoc praesertim tempore cessura erunt in sacrae rei detrimentum. Cave tamen existimes, ven. Frater, Nos hinc minori te prosequi caritatis studio, cuius imo non aliud nunc praebere tibi possemus luculentius documentum, quam ut Nostris hisce literis ea de re tecum loquamur. Ac primum fraternitatem tuam considerare volumus, decretum concilii Tridentini sess. 23, c. 15, de ref., de confessionibus secularium personarum a nullo vel regulari presbytero nisi post acceptam episcopi approbationem excipiendis, et recentiores in eamdem sententiam Romanorum Pontificum constitutiones non eo spectare, ut episcopus datum inde sibi putet arbitrium adiiciendi approbationi suae limites inutiles, aut etiam regularium confessariorum ordini iniuriosos, qualis sane praefinitio illa est, qua iidem confessarii audire prohibeantur in ecclesia sua. Deinde ad poenitentium causam quod attinet, legimus in mandato tuo discrimen positum inter homines ecclesiasticos et laicos, et circa hos solummodo, sive feminae sint sive viri statutum, ne presbyteri Soc. Iesu extra destinatam unicuique parochialem ecclesiam et alia quaedam definita loca sacramentales eorum confessiones auscultent. Atqui Nostra hac aetate atque in urbe ista praesertim magnus est laicorum imprimis virorum numerus, quos nimius pudor vel derisionum metus a sacramentorum usu retrahit adhuc in praesens, aut alias retraxit. Hi autem, si iustam non habeant libertatem seu confessarii, cui plane confidunt, seu loci et temporis, quo illum adeant, eligendi, longe inde difficilius adduci poterunt ad eluendas per sacramentum Poenitentiae animi sordes, divinamque subinde communionem salubriter accipiendam, aut ab assumpto iam more utriusque sacramenti rite ac saepius suscipiendi, facile admodum recedent. Ita igitur ex inconsultissima eadem praescriptione mandati tui non leve animarum periculum consequetur. Tuum vero est, ven. frater, videre, qualem eius rei excusationem habiturus sis apud divinum iudicem, qui rationem ab episcopis reposcet vel unius creditarum cuique ovium, si non propria tantum sed pastoris etiam culpa perierit. Post haec fatemur, ignorare Nos quare illud nominatim statueris circa solos confessarios e Soc. Iesu; et qua porro auctoritate, quave ex causa iidem insuper interdixeris, ne recedant ab urbe ista aut in eam veniant, nisi te ante mensem consulto. Novimus tamen, hanc societatem, utpote de catholica re bene merentem, apud prudentiores et ferventiores catholicos, atque adeo apud hanc S. Sedem magno in pretio esse; ipsam vero male audisse apud homines aut incredulos, aut sacrae Ecclesiae auctoritati parum amicos, qui posthac nomine fraternitatis tuae gloriari poterunt, ut suis contra illam calumniis fidem concilient. De reliquo, persuasum habemus, te, ven. frater, mandatum illud haud mala edidisse mente, sed aliqua potius utilitatis specie deceptum, non perspexisse animo, quanta inde damna consequerentur. Firmam igitur erigimur in spem fore, ut hac accepta epistola, Nostraque de mandato eodem sententia perspecta, revocare illud festines. Ita et scandalum tolles quod exinde iam venerat, et insigne Nobis documentum praebebis sincerae tuae erga Romanum Pontificem reverentiae germanaeque humilitatis, qua nihil potius esse debet christiano antistiti suas omnes spes in eo collocanti, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Nec vero timendum est, ut ea propter quidquam amittas apud prudentes quosque bonosque viros, qui norunt sapientis esse mutare consilium, et eo vel magis observabunt personam ac dignitatem tuam, quo te promptiorem viderint in tua omni ratione, ad gloriam divini nominis atque ad spiritualem gregis utilitatem accommodanda. Interea Nostrae in te voluntatis pignus adiungimus apostolicam benedictionem.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem die decima secunda octobris millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXXXIX.

BULLA.

Quibus ven. serva Dei Maria Francisca a Vulneribus D. N. I. C. honore Beatorum decoratur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Humani generis sospitator ac vindex Christus Dei filius, qui e sinu Patris in terras descendens humiliavit semetipsum, atque omni exhausto poenarum genere, ligno Crucis adfixus, aeternae Nobis vitae aditum sua morte reclusit, iis omnibus, qui sua persequi vestigia vellent, hoc imprimis proposuit, ut Crucem et ipsi amplecterentur, ac libenti animo alacrique sustinerent. Quamobrem, qui christianae perfectionis iter ingressi, auctorem fidei et consummatorem Iesum ducem sequuti sunt, ii carnem suam cum vitiis et concupiscentiis suis crucifigentes, imagini filii Dei conformes fieri

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

meruerunt. Praeclarum inter heroum agmen, qui crucis sectatores egregii ad eximiam sanctitatis laudem convolarunt, recensenda enimvero est ven. serva Dei Maria Francisca a Vulneribus Domini Nostri Iesu Christi, tertiaria professa ordinis Minorum strictioris observantiae S. Petri de Alcantara, quae quidem insigni heroicarum virtutum ornamento Ecclesiae fastos nuperrimis temporibus illustravit. Haec enim Neapoli octavo kalendas aprilis anno millesimo septingentesimo decimo quinto humili genere orta, sacrisque baptismatis aquis rite lustrata, Annae Mariae nomen accepit. Iam inde a pueritia pudoris custos vigilantissima, precationi intenta, abstinentiae addicta, humilis, mansueta, dicto audiens parentibus, illustria praesertim dedit patientiae documenta; severius quippe ac durius habita, convicia, verbera ac quodvis asperitatum genus laeta atque hilaris tulit. Honestis repudiatis nuptiis, caelesti ut sponso, quem diligebat unice, suam obligaret fidem, quum a sacrarum virginum claustris rerum inopia prohiberetur, sexdecim annos nata, religiosae familiae S. Petri de Alcantara vestes induere impetravit, atque inter tertiarios adscita, rigidum illud institutum amplexa est, ac Mariae Franciscae sibi nomen indidit. Cum ita se Deo peculiarem in modum consecrasset, patiendi studio mirabiliter incensa, vitae severitatem, quam nunquam remiserat, adauxit plurimum; ieiunia multos in dies proferre, instrumentis asperrimis suos artus discerpere ac cruentare, breve noctis spatium nudis in tabulis quieti dare, reliquum rebus divinis meditandis impendere. Charitate porro in Deum usque adeo flagrabat, ut praeclara illa flamma pectoris angustiis nequiret contineri, quod fiebat potissimum quoties caelesti dape reficeretur. Christi Domini cruciatus mente ac cogitatione recolebat assidue; qua ex meditatione sic afficiebatur, ut vim lacrymarum profunderet, ac prae doloris acerbitate prope exanimis rueret. Deiparam Virginem parentis loco omni cultu prosequuta, praesens illius est plurimis in rebus experta subsidium.

Cum nihil ei gravius accideret, quam perditos videre homines gravissimis Deum incessere iniuriis, eo curas omnes intendit suas, ut quiqui in turpissimo vitiorum coeno misere versarentur, emergerent inde aliquando, atque in Dei gratiam complexusque redirent. Praeclarae huic rei obtinendae nihil reliquit intentatum; sic ut plerique, peccandi licet consuetudine ad omne flagitium obcalluissent, ven. servae Dei victi monitis precibusque, victi praecipue illustribus virtutum exemplis, ad honestam vitae disciplinam sese traduxerint. Pari emicuit charitate erga illas animas, quae ab aeterna arcentur beatitate, donec Purgatorii igne admissorum labes expiaverint; siquidem assiduis precibus, ieiuniis ac voluntaria corporis afflictatione optatum eisdem caelestem in patriam ingressum maturare studuit: ex quo pietatis officio fructum illum coepit iucundissimum, ut animas quamplures, exorato suis precibus ac cruciatibus Numine, in aeternam beatitatem advolare conspexerit. Singulari etiam egenos charitate complexa est; nullo enim censu aucta, quidquid suis manibus laborando, stipemque ostiatim emendicando comparasset, illud maxima ex parte perditis egestate hominibus largiter erogabat. Gravissimis appetita iniuriis, ac diuturnis afflicta morbis, eamdem semper animi firmitatem ac constantiam, eamdem oris hilaritatem prae se tulit, cum nihil potius haberet, quam ut Christi amore durissima quaeque pateretur. Tot tantisque virtutibus ornata, singularibus a Deo muneribus cumulari promeruit, utpote quae et animorum latebras perspectas haberet et cognitas, et futura praenosceret, et caelestibus etiam visionibus illustraretur; sed tamen, qua erat humilitate, caelestia illa dona curavit occultanda, ne praestans de se ipsa hominum animis opinio insideret. Quum omnigena virtute excellens, ad septuagesimum sextum aetatis annum pertigisset, seque dignam probasset divini sponsi nuptiis, quas tantopere deperiret, extremi morbi acerbitates fortiter passa, atque Ecclesiae sacramentis rite munita, conquievit in osculo Domini postridie nonas octobris anno millesimo septingentesimo nonagesimo primo.

Percrebrescente in dies illius sanctitatis fama, institutoque de virtutibus iudicio apud congregationem venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium Sacris Ritibus praepositorum, matura deliberatione expensis omnibus, Nos solemni decreto pridie idus febr. anno millesimo octingentesimo trigesimo secundo edito, ven. Mariae Franciscae virtutes heroicum attigisse culmen, declaravimus. Tum habita quaestio est de miraculis, quae illa deprecante, patrata a Deo ferebantur; cumque duo potissimum in eodem sacro consilio Ritibus Tuendis praeposito verissima perspecta ac iudicata sint, Nos solemni altero decreto quarto kalendas ianuarias anno millesimo octingentesimo quadragesimo evulgato, eadem adprobanda censuimus. Coacti denique coram Nobis sunt decimo sexto kalendas apriles anni praedicti memorati cardinales Sacris Ritibus praepositi, atque ad unum omnes assensi sunt, laudatam Dei Servam beatam declarari posse omnibus cum indultis, quum primum Nobis visum esset, donec solemnis eius celebretur canonizatio. Nos igitur enixis Utriusque Siciliae regis, ordinum antistitum, nec non religiosae familiae S. Petri de Alcantara, ac dilecti filii Aloisii Vagnuzzi huius causae postulatoris precibus permoti, de memoratae cardinalium congregationis consilio atque assensu, auctoritate Nostra apostolica, harum literarum vi, facultatem impertimur, ut eadem ven. serva

Dei Maria Francisca a Vulneribus Domini Nostri Iesu Christi tertiaria professa ordinis Minorum strictioris observantiae Sancti Petri de Alcantara, beata in posterum nuncupetur, eiusque corpus ac reliquiae (non tamen in publicis supplicationibus circumferendae) fidelibus colendae proponantur, atque imagines radiis exornentur. Item auctoritate Nostra apostolica concedimus, ut de illa quotannis die sexta octobris recitetur officium et missa de Communi Virginum cum orationibus propriis a Nobis adprobatis iuxta rubricas missalis et breviarii Romani. Verum tam officii recitationem, quam missae celebrationem fieri dumtaxat concedimus Neapoli, eiusque in dioecesi ubi ortum duxit, atque in templis omnibus, quae spectent ad religiosam familiam S. Petri de Alcantara ab omnibus christifidelibus tam saecularibus, quam regularibus, qui horas canonicas recitare teneantur; missas vero celebrari concedimus a sacerdotibus omnibus, qui ad ecclesias, ubi festum peragitur, accesserint. Denique concedimus atque indulgemus, ut anno ab hisce literis datis primo, solemnia beatificationis ven. servae Dei Mariae Franciscae a Vulneribus Iesu Christi in templis Neapolitanae dioecesis, ac religiosae Alcantarensis familiae celebrentur, cum officio ac missis duplicis maioris ritus; quod quidem fieri praecipimus die ab ordinariis sacris praesidibus indicenda, posteaquam eadem solemnia in basilica Vaticana peracta sint, quibus celebrandis diem decimam secundam mensis novembris anni vertentis adsignamus.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut praesentium literarum exemplis etiam impressis, dummodo manu secretarii praedictae congregationis subscripta sint, et sigillo praefecti munita, eadem prorsus in disceptationbus quoque iudicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce literis ostensis haberetur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima quinta octobris anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri decimo tertio.

CCXL.

LITTERAE APOSTOLICAE

Abbatibus Benedictinis Gallicae Congregationis datur indultum, ut statim ac abbates electi sint, tanquam a Summo Pontifice benedicti habeantur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum religiosae familiae, qua opere, qua verbo, qua exemplo, qua precibus magno christianae reipublicae praesidio et usui esse soleant; tum Romani Pontifices singulari illas benevolentia prosequendas, atque amplissimis privilegiis honestandas esse existimarunt, ut earum alumni ab oculis convictuque hominum remoti, ac terrenis omnibus exuti, maiore semper studio euntes de virtute in virtutem, atque aemulantes charismata meliora, tanquam auxiliares Ecclesiae milites strenue praeliantes praelia Domini, in sempiternam fidelium salutem procurandam pro viribus incumberent. Hac sane mente venerabilium fratrum archiepiscoporum Parisiensis et Turonensis atque episcopi Cenomanensis votis obsecundantes, rebus omnibus maturo examine perpensis, per similes apostolicas literas die prima septembris anno millesimo octingentesimo trigesimo septimo datas, Congregationem Gallicam ordinis sancti Benedicti, eiusque constitutiones apostolica Nostra auctoritate approbandas et confirmandas censuimus [2], atque ipsi venerabili fratri episcopo Cenomanensi potestatem fecimus, ut eadem auctoritate Nostra, monasterium s. Petri de Solesmis in abbatiam erigeret, ac dilectissimum filium Prosperum Ludovicum Paschalem Gueranger eiusdem s. Benedicti ordinis institutum iam professum atque abbatis dignitate exornatum, in ipsius monasterii s. Petri de Solesmis abbatem ac supremum moderatorem, seu superiorem generalem commemoratae Gallicae Congregationis ad normam illius constitutionum institueret. Iamvero maiori eiusdem congregationis splendori ac decori consulere statuimus, ea profecto spe freti, ut religiosi illius viri Nostrae beneficentiae stimulis magis magisque excitati, illustrium patrum suorum vestigiis insistentes, exempla sectantes, de catholica Ecclesia deque hac Apostolica Sede modis omnibus optime mereri vehementer contendant.

Quamobrem omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque eccles. censuris, sententiis et poe-

---

1 Ex Archivio Secretariae Brevium.

2 Vide in nostro opere hoc monumentum « Innumeras inter gravissimasque curas » vol. 2. pag. 222.

nis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Motu-Proprio, certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, hisce literis, declaramus omnes abbates, cuiuscumque monasterii commemoratae Gallicae Congregationis ordinis s. Benedicti in tempore existentes, eodem prorsus privilegio gaudere ac frui debere, quo abbates eiusdem Benedictini ordinis Congregationis Cassinensis potiuntur; ac propterea volumus, ut statim ac abbates ipsi eiusdem Gallicae Congregationis canonice electi, habeantur tanquam a Summo Pontifice benedicti, quo monachos sibi subditos sacra tonsura aliisque minoribus ordinibus tantum libere ac licite initiare possint, quemadmodum alii abbates s. Benedicti Congregationis Cassinensis ex peculiari huius Apostolicae Sedis indulto possunt et valent.

Haec concedimus et indulgemus, statuimus, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus apostolicis, atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non eiusdem Congregationis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, aliisque etiam speciali mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima septima octobris millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXLI.

EPISTOLA

Ad presbyterum Etienne, superiorem generalem congregationis Missionis, scribens, cum eo laetatur de generali conventu Lutetiae Parisiorum habito, in quo ille omnibus suffragiis superior generalis fuerat electus. Item debitas reddit gratias pro tabula quam dono recepit, imaginem referente V. I. Gabrielis Perboyre, qui in Sinarum imperio missionarii munere strenue functus, ac tot labores, pericula, certamina pro catholica fide fortiter constanterque perpessus, die 11 septembris anno 1840, martyrii palmam obtinuerat [1].

Dilecto filio presbytero
Etienne
superiori generali Congregationis Missionis
et Puellarum Caritatis

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Vehementer Nos delectarunt tuae literae die vigesima septima proximi mensis septembris ad Nos datae, atque omni pietatis, venerationis et officii sensu exaratae. Nam ex illis cum summa laetitia cognovimus, mense augusto generalem conventum Lutetiae Parisiorum singulari omnium consensione ex vestrae Congregationis constitutionibus habitum esse, atque in ipso non solum Italos et Gallos verum etiam deputatos Americanae provinciae ac praefecturae, itemque visitatorem Constantinopoli morantem adfuisse. Neque minori gaudio accepimus, omnes ex eo conventu concordissimis animis et studiis id ipsum invicem sentientes nihil aliud spectasse, nisi ut illustri s. Vincentii a Paulo instituto supremus praeficeretur moderator, qui ex ipsius instituti legibus binas Congregationes tum Presbyterorum Missionis tum Puellarum Caritatis provide sapienterque regendas susciperet. Tibi autem summopere gratulamur, quod ita divina providentia disponente, cunctis fere suffragiis superior generalis renunciatus, ad tam praeclari instituti regimen fueris electus, ac tuam animi humilitatem in Domino commendantes, non dubitamus quin caelestis gratiae ope innixus, insignia s. Vincentii vestigia sectari, omnesque demandati muneris partes pro maiore Dei gloria et animarum salute studiosissime implere contendas. Noscimus enim quae tua sit pietas, religio et quae reverentia atque observantia erga hanc Petri Cathedram eiusque

---

1 Ex Archivio Brevium ad Principes; vide regesta Epistolarum Latinarum.

auctoritatem, quam summopere vereri, ac pro viribus defendere vel maxime gloriaris. Nec ignoramus quantum curae, industriae, laboris semper impenderis ut de instituto, cui nunc praees, egregie posses mereri. Equidem Nos singulari s. Vincentio a Paulo familiam atque institutum studio et benevolentia prosequentes, quidquid ad maiorem illius utilitatem in Domino conducere duxerimus, alacri libentique animo praestare haud omittemus.

Iamvero debitas tibi agimus gratias pro tabula, quam Nobis dono a te missam libentissime accepimus, cum fortissimi illius Christi athletae V. I. Gabrielis Perboyre imaginem referat, qui in Synarum imperio missionarii munere strenue functus, ac tot labores, pericula, certamina pro catholica fide fortiter constanterque perpessus, obita morte effusoque sanguine, martyrii palmam obtinuit. Quod vero attinet ad illius canonizationem quam enixis votis precibus efflagitas, Nos certe omnem de illa curam habuimus ad apostolicarum constitutionum normam. Denique propensissimae Nostrae in te voluntatis pignus, ac coelestium omnium munerum auspicem accipe apostolicam benedictionem, quam toto cordis affectu tibi, dilecte fili, atque omnibus s. Vincentii a Paulo alumnis peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die vigesima prima octobris anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXLII.

EPISTOLA

Ad episcopum Baiocensem scribens, cum eo dolet de nova secta in animarum perditionem exorta. Commenta ac deliria huius societatis recenset. Episcopo enixe commendat, ut industriam ac omnes opes quae in eius potestate sunt, conferat, ut fideles sibi concrediti stabiles in catholicae Ecclesiae fide permaneant [1].

Venerabili fratri
Ludovico Francisco
Episcopo Baiocensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ubi novam impiorum hominum societatem in tua dioecesi exortam esse Nobis significasti, ac nonnulla de ipsa societate scripta tum typis edita, tum manu exarata misisti, has ad te literas dare vehementer optabamus. Verum propter gravissimas maximasque curas et sollicitudines, quibus constanter distinemur, haud potuimus scripta illa statim legere et perpendere, quemadmodum Nostris erat in votis, quo perversae huius societatis indolem nosceremus. Magno quidem cum animi Nostri dolore ex pestiferis ipsis scriptis cognovimus, scelestos huius societatis homines, mentita pietatis specie et captiosissimo sermonis genere, in Christi gregem perditionis sectas introducere. Hanc, ausu prorsus temerario atque sacrilego, transfigurantes se in apostolos Christi, novam missionem divinitus indictam sibi arrogant, commentitium fictumque misericordiae opus annuntiant, ut Christi Ecclesia eorum opera quodammodo reviviscat. Atque etiam arcana angelorum aliorumque coelitum, et ipsius Christi alloquia, visiones, miracula in vulgus spargere, novum apostolatum ex laicis conflatum hominibus sibi assumere, tertium in Christi Ecclesia regnum proponere audent, quod Spiritus Sancti regnum appellare non reformidant, ut veritates evangelio commissae et nondum, quemadmodum blasphemando asserunt, satis et bene ab Ecclesia explicatae, sua luce refulgeant, nova manifestentur dogmata, atque Ecclesia ipsa ex depravationis statu tandem emergat. Quae impia istius societatis commenta atque deliria plane congruunt cum mente illius perditi hominis, qui falso se Normandiae ducem iactat, quique a catholica Ecclesia iam descivit, atque huius Apostolicae Sedis auctoritate spreta, ambulans in abominationibus suis et loquens perversa, eosdem prorsus execrabilis huius societatis errores, sensus, consilia, diversis modis variisque rationibus profitetur, eisdemque tenebricosissimas insidias, ac pestem Christi gregi molitur. Omnia pene ab isto apostolatu vel manu scripta vel in lucem edita, iam Nobis penitus comperta atque explorata erant, propterea quod ea ipsa iamdiu ad Nos pervenerant.

Gravissimo certe moerore conficimur, venerabilis frater, cum videamus istius diabolicae societatis homines eo sane consilio tanta perversitate tantaque impudentia verae Christi Ecclesiae doctrinam invadere, atque in hanc Petri Cathedram irruere, eiusque auctoritatem contemnere, ut facilius atque liberius dominici gregis oves discerpant, mactent et perdant. Itaque, venerabilis frater, ea omnia, quae contra eamdem societatem agere existimasti, maximopere approbamus, tuamque pastoralem vigilantiam eximiamque sollicitudinem meritis laudibus in Domino prosequimur. Etenim ministerium tuum egregie implens, nulla interposita mora, vix dum in tua dioecesi tam detestabilem societatem latius in dies serpere novisti, illam omni studio

[1] Ex opere cui titulus « Annali delle scienze Cattoliche » auctore De Luca vol. 18, pag. 89.

reprobasti, ac singulari diligentia gregem tuae curae commissum ab venenatis hisce pascuis arcere studiosissime contendens, tui praesertim cleri zelum opportunissimis literis et monitis excitasti, ut perditorum hominum impietas, licentia, conatus possint reprimi et cohiberi. Lupi enim sunt et apri de sylva ad laniandas dominicas oves, ad vineam Domini exterminandam parati et intenti, atque omni exprobratione, censura et ecclesiastica poena digni. Perge igitur ut coepisti, venerabilis frater, ac pro tuo zelo, prudentia perspectaque virtute, pro viribus praeliare praelia Domini, nihilque intentatum relinque, ut fideles tibi concrediti stabiles in catholicae Ecclesiae fide permaneant, atque impiae huius societatis errores, fabulas, somnia diligentissime devitent atque reiiciant. Nos certe in humilitate cordis Nostri enixis precibus Deum, cuius causa est, orare non desinemus, ut consilia actusque tuos caelesti suo praesidio adiuvet atque confirmet. Interim remittimus tibi scripta quae de istis illusoribus a te accepimus, ac certissimum praecipuae Nostrae erga te benevolentiae pignus, apostolicam benedictionem ex imo corde depromptam, tibi, venerabilis frater, tuoque gregi peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die octava novembris millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXLIII.

BULLA

Qua capitulum Lisbonense patriarchale et collegiale extinguitur, et datur facultas, ut novum templum erigatur in quo sedes patriarchalis ecclesiae resideat [1].

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.

Quamvis aequo apostolicae solicitudinis ac paternae caritatis ardore universos christifideles per totum terrarum orbem diffusos complectamur, eo tamen alacriori impensiorique quodam studio ferimur, quo graviores eorum necessitates Nos vocant, nullumque laboris ac curarum genus praetermittimus, quominus spiritualibus, quae ipsi Nobis commonstrant, vulneribus amantissime medeamur. Huc sane spectat inter cetera, quod ubi per tempus licuit apostolicum internuntium apud fidelissimam Portugalliae et Algarbiorum reginam, ad componenda ibidem, auctoritate Nostra, ecclesiastica negotia miserimus ; quod quidem non sine ingenti sacri illic ordinis et fidelium utilitate factum fuisse, illustria argumenta hucusque testantur.

Illud vero peculiari memoratu dignum est, quod patriarchali Lisbonensi ecclesiae tot tantisque nominibus celebratissimae, proprium pastorem nuper dederimus, eumque subinde ad amplissimam cardinalatus dignitatem evexerimus. Post haec autem necessarium omnino Nobis visum est, ut ad opportuniorem patriarchalis Lisbonensis capituli conformationem curas cogitationesque Nostras serio converteremus. Quum, scilicet, ob infelices temporum vicissitudines rerumque humanarum discrimina illud etiam in Portugalliae et Algarbiorum regnis contigerit, ut patriarchale capitulum in regia ecclesia sive cappella Deo in honorem beatissimae Virginis in Coelum Assumptae dicata, munificentissime olim erectum, a primaevo splendore ad statum conditionemque humiliorem deciderit; cumque iisdem propemodum iacturis obnoxium fuerit alterum quoque in praefata urbe Lisbonensi extans capitulum simpliciter collegiale sub invocatione sanctae Mariae; hinc ad ecclesiasticae quoque rei incolumitatem dignitatemque, quo satius fieri possit, sustentandam tuendamque, consultius visum est, ut patriarchalis Lisbonensis ecclesia capitulum deinceps haberet personarum numero atque ordine, praesentibus rerum circumstantiis magis accommodatum. Quapropter carissima in Christo filia Nostra Maria secunda, fidelissima Portugalliae et Algarbiorum regina, pro sua religione ac pietate Nobis impense supplicavit per dilectum filium commendatarium Ioannem Petrum Migueis de Carvalho de Brito, suum apud Nos et Apostolicam hanc Sedem legatum, ut apostolica auctoritate, istiusmodi capitulum nova quadam constitutione componi decerneremus. Quibus quidem inclytae reginae supplicationibus eo libentius annuimus, quod ita maiori illorum christifidelium bono consultum fore intelleximus ; atque idcirco re tanti momenti ceterisque omnibus, quae conspicienda erant, matura deliberatione perpensis, praefatae fidelissimae reginae vota clementer obsecundare cupientes, ac quorumcumque interesse habentium consensui supplentes, ex Motu–Proprio, certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, ante omnia funditus perpetuoque cum omnibus hucusque habitis et quomodocumque quaesitis vel adhibitis iuribus, privilegiis, praerogativis, honoribus cum toto denique primaevo statu suo, utrumque capitulum Lisbonense, illud videlicet patriarchale pridem erectum in ecclesia sive regia cappella beatissimae Virgini Mariae sub titulo Assumptionis dicata, alterum vero

---

[1] Ex opere cui titulus « Annali delle scienze Cattoliche » Auctore A. De Luca vol. 19, pag. 257.

collegiale in ecclesia a Sancta Maria nuncupata supprimimus, proindeque earumdem ecclesiarum pristinos cathedralitatis, patriarchalitatis et collegialitatis respective titulos olim eisdem attributos identidem abolemus, sicque penitus extinguimus, ut ad simplicium ecclesiarum gradum et statum ipsaemet redigantur.

Qua suppressione, abolitione atque extinctione rite conficienda sic decreta, ne dehinc desit ecclesia patriarchalis, ubi Lisbonensi pro tempore patriarchae sedes et cathedra patriarchalis statuta habeatur, venerabili fratri Nostro Francisco S. R. E. cardinali Saraiva de sancto Ludovico, hodierno Lisbonensis patriarchatus antistiti, inferius a Nobis in exequutorem harum literarum deputando, facultatem impertimur, ut ipse qui locorum et peculiarium adiunctorum probe est gnarus, indigitet designetque, consulta eadem fidelissima regina intra Lisbonensis urbis moenia templum, quod patriarchalitatis titulo et dignitate prae ceteris honestandum sibi visum fuerit, adeoque ipsum templum, dummodo in id opportuna et necessaria quaeque de more comparata firmiterque instituta fuerint, ad patriarchalis ecclesiae Lisbonensis fastigium erectum sit, ibique pro uno antistite patriarcha Lisbonensi, canonice erecta extet sedes et cathedra cum dignitate patriarchali cumque capitulo ex novo rerum ordine, ut infra confirmando, constituta.

Porro autem ut in patriarchali dein ecclesia, ceu superius dictum est, designanda atque instituenda, cultus divinus in hymnis et canticis ceterisque sacris functionibus, qua maiori datur ex hodiernis rerum circumstantiis celebritate ac dignitate, sedulo procurari concinneque possit expleri, protinus inibi erigimus atque in perpetuum constituimus capitulum patriarchale cum omnibus quidem iuribus, honoribus et oneribus istiusmodi capitulis per sacros canones attributis; illud autem componendum statuimus ex quatuor et viginti canonicis, quos inter sex tantummodo recenseantur dignitarii, et decem praeterea et octo beneficiatis perpetuo titularibus, et ex quindecim denique cappellanis cantoribus, qui ad nutum possint quandocumque amoveri atque destitui.

Declaramus profecto quod cuique ex praenunciatis canonicatibus dignitariis peculiaris inhaereat denominatio, hosce singillatim pro tempore rectoribus praecipuos titulos importatura, ut videlicet rector primi canonicatus dignitarii *decanus,* secundi *cantor,* tertii *archipresbyter,* quarti *archidiaconus,* quinti *thesaurarius–maior,* sexti denique canonicatus rector, *magister scholae* perenniter nuncupetur. Et insuper quod praesignati canonici dignitarii, eo prorsus, quo hic supra recensiti sunt, ordine et gradu praecedentiam inter se et supra ceteros canonicos simplices permanenter habeant ac inviolabiliter valeant tueri, volumus atque decernimus.

Quod vero spectat ad necessarias et opportunas dotationes in hoc negotio rite componendo optataeque executioni feliciter demandando, ei qui inferius in exequutorem harumce literarum apostolicarum deputabitur, committimus, ut communicatis opportune consiliis cum fidelissima Portugalliae et Algarbiorum regina, quae dotationes eiusmodi se praestituram promisit, praequisitis praediorum vel interim annuarum praestationum assignationibus perpetuis, totidem distinctas et congruas pro singulis supramemoratis dignitatibus, canonicis et beneficiatis, dotationes perpetuum in modum assignet atque adiudicet; similique modo initis cum praelaudata maiestate sua consiliis, perpetuas item et congruas dotes decernat pro cappellanis, nec non pro ipsius capituli et ecclesiae patriarchalis administris, ad eum scilicet numerum, quem templi dignitas aliaeque circumstantiae postulare videbuntur; ac tandem pro perenni eiusdem fabricae manutentione et pro sacrario ad sacras supellectiles, ceterasque res pro ecclesiastico servitio cultuque divino decenter et continuo comparandas. Plane autem persuasum habemus futurum, ut fidelissima Portugalliae et Algarbiorum regina, pro zelo quo fertur, decoris domus Dei adeo munificam se praebeat, ut patriarchalis ecclesiae dignitati, splendori atque incolumitati, nec non singulis personis eiusdem capitulum constituturis, eisque inservientibus satis omnino consultum ab ea fuisse appareat, eo etiam intuitu, ut quae ecclesia in toto Portugalliae et Algarbiorum regno princeps extitura est, eadem quoque sacrarum functionum decore, dignitate atque apparatu ceteris omnibus antecellat.

Omnes vero et singulas praebendas supramemoratas cum congruis dotationibus, ut modo inditum est, constituendas, non ex privilegio sed ex vera omnimoda et actuali primaeva hac fundatione, regio patronatui obnoxias esse edicimus; proindeque ad eas obtinendas, nominationem seu praesentationem in favorem idonearum personarum quae canonicam deinde institutionem accipient, pertinere declaramus ad laudatam Portugalliae et Algarbiorum reginam Mariam secundam et fidelissimos reges eiusdem successores. Pristino autem illorum iure, qui in alterutro ex dictis capitulis, ceu praefertur, supprimendis titulares praebendas legitima possessione iampridem retinent, praeteriri haudquaquam volumus, sed quod melius pro hodiernis rerum circumstantiis fieri poterit, decernimus atque mandamus, ut prius antiqui capituli patriarchalis, utpote eminentioris gradus, dein vero alterius simplicis collegiatae a Sancta Maria nuncupatae, aut in nova praedictarum praebendarum collatione, aut alio convenienti et aequo modo ratio habeatur. Decernimus interim, ut duo illi praebendati, qui soli ex viginti quatuor principalibus antiqui capituli pa-

triarchalis canonicis hodie superesse dicuntur, in hoc novum capitulum patriarchale ibidem admittantur, cum congrua pensione veteris praebendae loco, iidemque habeantur et sint tanquam canonici principales et canonice iubilati, adeo siquidem, ut pro lubitu suo sacris functionibus et capitularibus conventibus cum voto activo et passivo, valide liciteque interesse possint; eisdemque insuper indulgemus, ut non modo primos obtineant locos inter dignitarios et canonicos omnes et quoscumque, verum etiam gaudeant peculiari facultate utendi, sicut antea, purpurea tunica talari, aliisque insigniis et honoribus quibus in veteri patriarchali capitulo fruebantur. Attamen cum eiusmodi privilegia duobus tantum principalibus supramemoratis canonicis a Nobis personaliter attributa intelligi omnino debeant et sint, neminem idcirco post illos in haec privilegia successurum, sed ea nunc pro tunc plane extincta declaramus.

Deinde vero quoad reliquos vel praesules sive simplices canonicos sive minores ibidem etiam nunc canonice praebendatos, (illis vero exceptis a quibus alterius ecclesiastici beneficii incompatibilis possessio esset retinenda) eos utique cooptandos esse volumus in praebendatos novi capituli patriarchalis, hac nempe methodo, ut in collatione sex dignitatum et octodecim canonicatuum, ex quibus, ut dictum est, praefatum constare debet capitulum, eorum primum ratio habeatur qui praesules et canonici etiam simplices erant in pristino; iis autem, qui in coetu inferiori erant praebendati, tribuantur beneficia; siqui vero ex hisce omnibus maluerint nuncium huic iuri remittere, accepturi potius in compensationem, ac fruituri annua pensione ab eodem exequutore literarum apostolicarum aequa lance in perpetuum constabilienda, id fas esse, et sanctione muniendum statuimus atque decernimus.

Nihilominus eo etiam consilio, ut impensius et quam solertius exerceri ac veluti par est, expleri quotidie valeat servitium in sacris peragendis functionibus, veniam quoque impertimur, ut ex hodiernis eiusmodi supprimendi capituli patriarchalis praebendatis adhuc extantibus, inter novi capituli cuiuscumque classis praebendatos neutiquam illi cooptentur, qui seu propter senescentem aetatem, seu propter depereuntem corporis valetudinem, videantur minus esse posse idonei ad canonicalia onera substinenda in choralibus praesertim officiis, atque muniis, requisita assiduitate ac solertia obeundis: hisce vero in casibus iniungimus atque mandamus, ut emeritis istiusmodi viris ecclesiasticis constituatur, et quotannis donec vixerint, tantum nummorum in pensionem persolvatur, quantum saltem redditiuum iisdem singulis unoquoque anno obventurum esset ex ea canonicali praebenda quam habituri fuissent, si apti atque idonei essent ad chorale servitium substinendum.

Ceterum qua iure meritoque eorum interest, qui in collegiata Sanctae Mariae item supprimenda praebendas canonice obtinuerant, decernimus, ut eis etiam postquam provisum fuerit, singulis ex veteri capitulo patriarchali actualibus praebendatis diligenter, et qua accommodatiore pro hisce rerum adiunctis fieri potest decetque ratione prospiciatur. Ad hunc igitur finem id tribuimus atque mandamus, ut antedictis etiam S. Mariae praebendatis aut in novo capitulo patriarchali conferantur praebendae iuxta gradum, quem eorum quisque nunc tenet in eo S. Mariae capitulo, aut saltem congrua cuique eorum, qui in novum capitulum patriarchale non fuerint cooptati, annua pensio assignetur.

Quibus omnibus sic statutis ac decretis super novo patriarchali Lisbonensi capitulo, ut in posterum eiusdem etiam decor et dignitas, dum divinis officiis vacabitur, ordinis insigniis praefulgeat, potestatem facimus canonicis tam dignitariis quam simpliciter titularibus, nec non beneficiatis et cappellanis superius commemoratis, ut nedum in patriarchali ecclesia designanda, verum etiam extra ipsam quoties capitulariter sive ad supplicationes publicas sive ad sacra solemnia, sive ad alios ecclesiasticos id generis actus convenerint, licite ac libere uti possint illis insigniis et choralibus indumentis, quae pro unaquaque antedictorum praebendatorum classe et dignitate ipsemet praenunciatarum literarum apostolicarum exequutor censuerit prudenti consilio deliberare atque praesignare; exceptis tamen purpureis tunicis talaribus aliisque peculiaribus insigniis, quae memoratis duobus principalibus canonicis tantummodo competere superius declaravimus.

Denique ut cuncta, quae supra sancita sunt, ad suum perducantur effectum, venerabilem fratrem Nostrum Franciscum S. R. E. cardinalem Saraiva de Sancto Ludovico, Lisbonensis patriarchatus antistitem, harum literarum Nostrarum exequutorem eligimus ac deputamus cum omnibus facultatibus in id negocii necessariis et opportunis, ita videlicet ut per se, vel per aliam personam in ecclesiastica dignitate legitime constitutam, ab ipso subdelegandam, ea omnia facere, statuere ac decernere valeat, quibus ad felicem effectum superiora decreta cumulate perducantur; itidemque facultatem eidem exequutori vel eius subdelegato concedimus atque attribuimus, definitive pronunciandi super quacumque quaestione, siqua in hac re quomodolibet suboriri potuerit, iniuncta tamen ipsi exequutori obligatione diligenter mittendi ad hanc Sanctam Sedem intra quatuor menses ab expleta literarum apostolicarum executione, exemplar authentica forma exaratum decretorum omnium, quae in harum literarum apostolicarum executionem emiserit, ut de more in tabulario Nostrae congregationis Consistorialis asserventur.

Praesentes porro literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes vocati vel auditi non fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio vel intentionis Nostrae defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari decernimus.

Non obstantibus *de iure quaesito non tollendo,* aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regulis dictaeque patriarchalis ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque licet expressa et individua mentione dignis contrariis quibuscumque.

Volumus praeterea, quod harum literarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum suppressionis, extinctionis, cumulationis, translationis, designationis, erectionis, constitutionis, deputationis, facultatis, decreti, derogationis ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, quinto idus novembris, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXLIV.

INDULTUM

Fit concessio indumentorum insignium favore canonicorum collegialis templi Marinensis [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ecclesiasticos viros, ecclesiastica dignitate exornatos, integritate vitae, gravitate morum, doctrina, pietate ac religionis studio fulgentes, de civili catholicaque republica, qua opera, qua consilio, optime meritos, peculiaribus beneficentiae testimoniis atque honoribus prosequi, Romani Pontifices quam libentissime consueverunt. Quum igitur Nos minime lateat, abbatem et canonicos collegialis templi sancto Barnabae Apostolo Marinensium patrono sacri, religionis amore flagrantes, probitate vitae, comitate morum, virtutum laude spectatos, suscepti ministerii partes caste integreque obeuntes, in sempiternam animarum procurandam salutem pro viribus incumbere; quumque probe noscamus quanta observantia, fide, obsequio ac reverentia Nos et hanc Apostolicam Sedem colat et prosequatur universus ordo ac populus Marinensium, de quibus plura ac praeclara habuimus testimonia; hinc in id consilii venimus, ut erga praedictam civitatem et collegiale capitulum, aliud benevolentiae Nostrae peculiare testimonium exhibeamus.

Quare omnes et singulos, quibus hae Nostrae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, harum serie absolventes ac absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, in perpetuum decernimus et constituimus, ut abbas et canonici collegialis templi civitatis Mareni, tum qui sunt, tum qui in posterum erunt, collare violacei coloris uti libere ac licite possint et valeant. In eam autem spem erigimur fore, ut ipsi huiusmodi privilegio donati, commemorati templi cultum pietate et assidua in sacris rebus peragendis diligentia magis magisque augendum curent.

Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et quoties opus fuerit eiusdem collegialis templi Marinensis et collegii canonicorum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima septima novembris millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

---

[1] Ex Archivio Capitulari Collegialis Ecclesiae Mareni (Marino).

CCXLV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus Hartfordia in sedem episcopalem erigitur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

In suprema militantis Ecclesiae specula, Deo sic volente, collocati, atque universi dominici gregis curam gerentes, eo intendere studia Nostra debemus, ut novas per terrarum orbem dioeceses constituamus, prout rerum ac temporum ratio ferat, quo pluribus constitutis pastoribus, rectius atque expeditius christiani gregis incolumitati consulatur. Quocirca cum in concilio V Baltimorensi, habito mense maio anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, inter cetera illud quoque e re catholica esse iudicatum fuerit, ut ad stabilius confirmandam ac latius proferendam christianam fidem in foederatis Americae septentrionalis regionibus, quatuor novae episcopales sedes erigantur, quarum una Hartfordiae constituatur, cuius dioecesis status Connecticut et Rhode–Island complectatur; Nos tanti momenti rem venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis perpendendam commisimus. Matura igitur deliberatione adhibita, de eorundem fratrum consilio, memoratam Hartfordiae episcopatus erectionem utilem cognovimus. Motu igitur Proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, novam episcopalem sedem Hartfordiae, cuius dioecesis territorium Connecticut et Rhode–Island complectatur cuiusque titulus a dicta Hartfordiae urbe derivetur, vi praesentium literarum erigimus et constituimus.

Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illos ad quos spectat et spectabit hoc futurisque temporibus plenissime suffragari. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima octava novembris millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXLVI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus Chichagia in sedem episcopalem erigitur [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

In suprema militantis Ecclesiae specula, Deo sic volente, collocati, atque universi dominici gregis curam gerentes, eo intendere studia Nostra debemus, ut novas per terrarum orbem dioeceses constituamus, prout rerum ac temporum ratio ferat, quo pluribus constitutis pastoribus, rectius atque expeditius christiani gregis incolumitati consulatur. Quocirca cum in concilio V Baltimorensi, habito mense maio anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, inter cetera illud quoque e re catholica esse iudicatum fuerit, ut ad stabilius confirmandam ac latius proferendam christianam fidem in foederatis Americae septentrionalis regionibus, quatuor novae episcopales sedes erigantur, quarum una Chichagiae statuatur, cuius dioecesis statum Illinois comprehendat; Nos tanti momenti rem venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus Propagandae Fidei praepositis perpendendam commisimus. Matura igitur deliberatione adhibita, de eorundem fratrum consilio, memoratam Chichagiae episcopatus erectionem utilem cognovimus. Motu igitur Proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine novam episcopalem sedem Chichagiae cuius dioecesis territorium Illinois complectatur cuiusque titulus a dicta Chichagiae urbe derivetur, vi praesentium literarum erigimus et constituimus.

Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illos ad quos spectat et spectabit hoc futurisque temporibus plenissime suffragari. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima octava novembris millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

---

[1] Ex Bullario Congregationis Propagandae Fidei.

[2] Ex eodem Bullario Congregationis Prop. Fidei.

CCXLVII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Milovanchia in sedem episcopalem erigitur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

In suprema militantis Ecclesiae specula, Deo sic volente, collocati, atque universi dominici gregis curam gerentes, eo intendere studia Nostra debemus, ut novas per terrarum orbem dioeceses constituamus, prout rerum ac temporum ratio ferat, quo pluribus constitutis pastoribus, rectius atque expeditius christiani gregis incolumitati consulatur. Quocirca cum in concilio V Baltimorensi, habito mense maio anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, inter cetera illud quoque e re catholica esse iudicatum fuerit, ut ad stabilius confirmandam ac latius proferendam christianam fidem in foederatis Americae septentrionalis regionibus, quatuor novae episcopales sedes erigantur, quarum una Milovanchiae statuatur, cuius dioecesis territorium Wiskonsin complectatur, Nos tanti momenti rem venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, negotiis Propagandae Fidei praepositis, perpendendam commisimus. Matura igitur deliberatione adhibita, de eorumdem fratrum consilio, memoratam Milovanchiae episcopatus erectionem utilem cognovimus. Motu igitur Proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, novam episcopalem sedem Milovanchiae, cuius dioecesis territorium Wiskonsin complectatur, cuiusque titulus a dicta Milovanchiae urbe derivetur, vi praesentium literarum erigimus et constituimus.

Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illos ad quos spectat et spectabit, hoc futurisque temporibus, plenissime suffragari. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima octava novembris millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCXLVIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Novam episcopalem sedem Petriculae in foederatis Americae septemtrionalis regionibus constituit, cuius dioecesis statum Arkansas complectatur [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

In suprema militantis Ecclesiae specula, Deo sic volente, collocati, atque universi dominici gregis curam gerentes, eo intendere studia Nostra debemus, ut novas per terrarum orbem dioeceses constituamus, prout rerum ac temporum ratio ferat, quo pluribus constitutis pastoribus, rectius atque expeditius christiani gregis incolumitati consulatur.

Quocirca cum in concilio V Baltimorensi, habito mense maio anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, inter cetera illud quoque e re catholica esse iudicatum fuerit, ut ad stabilius confirmandam ac latius proferendam christianam fidem in foederatis Americae septemtrionalis regionibus, quatuor novae episcopales sedes erigantur, quarum una Petriculae seu Little-Rock statuatur, cuius dioecesis statum Arkansas comprehendat, Nos tanti momenti rem venn. fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus, negotiis Propagandae Fidei praepositis, perpendendam commisimus. Matura igitur deliberatione adhibita, de eorundem fratrum consilio memoratam Petriculae episcopatus erectionem utilem cognovimus. .

Motu igitur Proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, novam episcopalem sedem Petriculae seu Little-Rock, cuius dioecesis statum Arkansas complectatur, cuiusque titulus a dicta Petriculae urbe derivetur, vi praesentium literarum erigimus et constituimus.

Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illos ad quos spectat et spectabit, hoc futurisque temporibus, plenissime suffragari. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesimà octava novembris millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

---

[1] Ex Bullario Congregationis Propagandae Fide.

[2] Ex Iure Pontificio de Prop. Fide.

CCXLIX.

BULLA

Pro sacrario ecclesiae cathedralis Sabinensis statuitur pensio quinquaginta scutatorum solvenda a praepositura collegiatae ecclesiae S. Stephani a Monte Sancto (S. Stefano di Monte Santo) *dioecesis Firmanae* [1].

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.

Apostolici ministerii Nostri esse ducimus continuo enixoque studio curam, ut decor domus Dei praesertim in cathedralibus ecclesiis semper refulgeat, et quoties deprehendimus ecclesias ipsas per redituum inopiam decori huic prospicere non valere, apostolicae Nostrae liberalitatis subsidium libenter praestamus, prout ad optatum finem opportunum esse in Domino arbitramur. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte venerabilis fratris Nostri Aloysii episcopi Sabinen. Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Lambruschini nuncupati, petitio, continebat quod sacrarium cathedralis ecclesiae Sabinensis sacrae supellectilis ad divina peragenda plurimum indiget, nec reditus habet quibus indigentiae huiusmodi possit consulere. Quapropter dictus Aloysius episcopus cardinalis, cui cordi est decor Dei in sua praesertim cathedrali ecclesia, plurimum cupiens eidem sacrario pro necessaria supellectilis huiusmodi comparatione ac quotidiana absumptione tam in praesens quam in posterum per Nos et Sedem Apostolicam provideri, Nobis supplices admovit preces, ut suis votis in praemissis annuere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur memoratum Aloysium episcopum cardinalem pro honoris divini zelo ac assidua pro dioecesis ecclesiae cura et sollicitudine, plurimum in Domino commendantes, supplicationibus huiusmodi inclinati, super omnibus et singulis fructibus, reditibus et proventibus praepositurae saecularis insignis collegiatae ecclesiae Sancti Stephani oppidi Montis Sancti, Firmanae dioecesis, dignitatis inibi principalis existentis, et per obitum quondam Aloysii Pasquali, illius dum viveret ultimi possessoris, extra Romanam Curiam, de praesenti adhuc vacantis, (cuius praepositurae bona in emphyteusim ad annos nonaginta novem favore dilecti filii marchionis Felicis Matteucci laici Firman. seu alterius civitatis vel dioecesis, apostolica auctoritate, ex congregatione venerabilium quoque fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, receptioni et perceptioni reddituum et proventuum beneficiorum ecclesiasticorum vacantium et camerae apostolicae debitorum proposita, fuere nuper concessa), pensionem annuam, perpetuis futuris temporibus duraturam, *quinquaginta scutorum* monetae Romanae de iuliis decem pro quolibet scuto huiusmodi ad favorem eiusdem sacrarii per illius praefectum vel administratorem pro tempore existentem, annis singulis, duabus aequalibus solutionibus seu terminis videlicet in sancti Ioannis Baptistae et Domini Nostri Iesu Christi Nativitatis festivitatibus (primo tamen pensionis huiusmodi termino in altera ex festivitatibus post habitam novi praepositi dignitatis huiusmodi possessionem persolvendo), et sic successive de anno in annum ac termino in terminum, vigore tamen praesentium nec alias, alioquin praesens reservatio nulla sit eo ipso vigore mandatorum praefatae congregationis super respondenti fundo, qui ab emphyteuta dictorum bonorum ad formam originarii instrumenti investiturae in mensa nummaria Sancti Spiritus Urbis effici debet percipiendam et exigendam, apostolica auctoritate, praefato tenore praesentium reservamus, constituimus et assignamus.

Decernentes pensionem praefatam ab omni et quocumque onere tam hactenus imposito quam pro tempore quomodolibet imponendo liberam, immunem et exemptam fore, illamque etiamsi super dictae praepositurae fructibus, reditibus et proventibus praefatis aliae pensiones annuae antiquae reservatae reperiantur seu etiam hodie per Nos vel in posterum per Nos pariter ac per Romanos Pontifices pro tempore existere reperientur, ad minorem summam reduci, eamdemque ex quovis praetextu annullari vel invalidari, minusque illius reservationem, constitutionem et assignationem huiusmodi nec non easdem praesentes ex quovis capite quantumvis iuridico et privilegiato ac speciali nota digno ac de necessitate iuris vel facti omnino experimento de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae aut quopiam alio defectu notari, impugnari aut adversus illas quodcumque iuris vel facti aut gratiae remedium impetrari vel etiam Motu-Proprio vel ex certa scientia concedi nunquam posse; sed eas semper validas et efficaces sortiri et obtinere, eidemque sacrario in omnibus et per omnia perinde ac si pensio huiusmodi de consensu praepositi praesenti reservata fuisset plenissime suffragari debere, sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, vice-legatos dictaeque sedis nuncios iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca pro tempore existenti cardinali dictae congregationis praefecto per apostolica

[1] Ex Regestis Archivii Capitularis Ecclesiae Sabinen.

scripta mandamus, quatenus ipse per se vel etiam per alios curet auctoritate Nostra pensionem praefatam per praesentes reservatam iuxta reservationis et constitutionis et assignationis praedictorum ac Domini Nostri huiusmodi continentiam et tenorem dicto sacrario singulis annis modo et forma praemissis integre persolvi.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de praestando consensu in pensionibus*, ac quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis dictaeque collegiatae ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus privilegiis quoque, indultis ex literis apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan causis quibus omnibus et singulis etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio aut quaevis alia expressio habenda vel aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret tenoris huiusmodi nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum latissime et plenissime ac specialiter et expresse nec non opportune et valide hac vice dumtaxat, harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae reservationis, constitutionis et assignationis decreti derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, quarto nonas decembris, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCL.

LITTERAE APOSTOLICAE

Erigit vicariatum apostolicum in regionibus trans Montes Saxeos positis et Columbiam seu Oregon appellatas in America Septemtrionali, quarum pars ad archiepiscopum Quebecensem, pars ad episcopum S. Ludovici hactenus spectarunt [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Pastorale officium, divina providentia Nostrae humilitati impositum, omnino exquirit, ut illis praesertim ovibus, quae regiones ab hac Apostolica Sede, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, Nostra sedulitate consulamus, ut in adventu pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per apostolicam curam intra verum ovile, ad pascua coelestia feliciter perducantur.

Quare cum in concilio provinciali Baltimorensi V religionis bono conducere visum sit, ut vicariatus apostolicus erigatur, qui comprehendat territorium trans Montes Saxeos, vulgo *les Montagnes Rocheuses*, situm, ac territorium Columbiae seu Oregon appellari solitum, partim ad Quebecensem partim ad S. Ludovici dioecesim huc usque pertinens, ac territorium simul contineat, quod trans eas regiones constitutum est, quodque hactenus ad dioecesim Quebecensem pertinebat; Nos eiusdem concilii Baltimorensis votis precibusque annuentes, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum consilio, rebus mature perpensis, ac ratione habita consensus, quem circa iurisdictionem in memoratas regiones dimittendam tum ven. frater archiepiscopus Quebecensis, tum ven. frater episcopus S. Ludovici ultro dederunt, Motu-Proprio atque ex certa scientia ac matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum literarum vi, novum vicariatum apostolicum erigimus ac constituimus, qui complecti debeat territorium trans Montes Saxeos, vulgo *les Montagnes Rocheuses*, situm, ac territorium Columbiae seu Oregon appellatum, partim ad Quebecensem partim ad S. Ludovici dioecesim spectans, ac territorium pariter contineat, quod trans illas regiones constitutum est, quodque adhuc ad Quebecensem dioecesim pertinebat.

Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque iis, ad quos spectat et in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo*,

---

[1] Ex Iure Pontificio de Propaganda Fide.

aliisque sanctionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque etiam speciali et expressa mentione et derogatione dignis, contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die prima decembris millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCLI.

EPISTOLA

Ad archiepiscopum Baltimorensem et episcopos eius suffraganeos scribit de quinto provinciali concilio celebrato [1].

Venerabilibus fratribus
Samueli archiep. Baltimorensi
et eius suffraganeis

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Gratissimae Nobis fuerunt vestrae literae, vixdum quinto provinciali Baltimorensi concilio a vobis mense maio celebrato, ad Nos datae, quibus singularem ac perspectam vestram in Nos atque hanc Petri cathedram, catholicae unitatis centrum, venerationem atque observantiam amplissimis verbis una omnes iterum profiteri gloriamini, atque eiusdem concilii acta huius Apostolicae Sedis iudicio et auctoritati subiicientes, a Nobis efflagitatis ut decreta in ipso concilio edita confirmare velimus. De quibus quidem decretis opportunum vobis responsum reddet Nostra Propagandae Fidei congregatio, cui eiusdem concilii acta examinanda commisimus.

Summis vero meritisque laudibus episcopalem vestrum omnium sollicitudinem prosequimur, quod muneris vestri partes sedulo obeuntes, ex canonum praescripto rursus in unum convenistis, ut in nomine Spiritus Sancti simul coniunctis, concordissimis animis ea susciperetis consilia, quae maiori dioecesium vestrarum bono atque animarum saluti conducerent. Exultavit autem vehementer cor Nostrum in Domino, cum ex ipsis vestrae literis noverimus in istis vastissimis regionibus, vestrae curae ac zelo concreditis, divina adspirante gratia, evangelii lucem longe lateque in dies diffundi, catholicam religionem protendi, populos Christi fidem amplecti, silvestres quoque homines et Nigros in plagis Africae occidentalibus evangelizari, sacra templa in Dei honorem exstrui, pias institutiones crescere, sacerdotes augeri, ecclesiasticam disciplinam vigere, ac fideles pastoris sui voci faciles aures praebere, eiusque monita perficienda curare.

Itaque, venn. fratres, dum maximas Deo totius consolationis gratias agimus, qui super istas gentes misericordiam suam effundere dignatur, vobis quoque vehementer gratulamur, qui pastorali zelo incensi, nullis neque curis, neque laboribus, neque consiliis, vobis parcendum esse cognoscitis, ut de Catholica Ecclesia, de hac Apostolica Sede atque animarum salute optime mereri possitis : atque in eam profecto spem erigimur fore ut, Deo semper auxiliante, catholica religio in istis regionibus altissimas in dies agat radices, ac prospere feliciterque vigeat, floreat et fidelium numerus ita augeatur, ut omnes supernae veritatis lumine illustrati, atque enutriti verbis fidei, incedant per semitas Domini, atque ambulent in Christo Iesu. Nos quidem non cessamus in omnibus orationibus Nostris fraternitates vestras et commissos vobis greges Deo humiliter commendare, nihil dubitantes quin vos quoque sine intermissione ipsum miserationum Dominum orare atque obsecrare velitis, ut infirmitatem Nostram, asperrimis hisce temporibus, omnium Ecclesiarum sollicitudine laborantem adiuvet atque confirmet, actusque Nostros ad maiorem sui nominis gloriam, et totius catholici orbis utilitatem dirigat.

Interim vero studiosissimae Nostrae erga vos caritatis pignus accipite apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde depromptam cuique vestrum atque omnibus istarum ecclesiarum clericis laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die secunda decembris millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCLII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Decano capituli cathedralis Brunensis datur facultas utendi benedictione abbatiali et consecrandi vasa sacra cum assensu episcopi existentis pro tempore [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Quidquid ad divinum cultum provehendum atque Ecclesiarum splendorem augendum per-

---

[1] Ex Iure Pont. de Prop. Fide.

[2] Ex Archivio Secretariae Brevium.

tinere videatur, id Romani Pontifices impertiri libentissime consueverunt. Iamvero, cum Nobis exponendum curaret ven. frater episcopus Brunensis, decanum, quae modo prima dignitas est cathedralis sui capituli Brunensis in Monte S. Petri prout asseritur, iam inde ab anno millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo a fel. rec. Benedicto XIV praedecessore Nostro per similes apostolicas literas datas idibus maii eiusdem anni, pontificalibus insigniis in perpetuum fuisse decoratum; nunc vero ad ecclesiae ipsius Brunensis, quae ab anno millesimo septingentesimo septuagesimo septimo a fel. me. Pio VI praedecessore Nostro episcopalis constituta est, dignitatem amplificandam et capituli decus augendum, illud se impense cupere, ut idem decanus pro tempore existens, praeter insignia pontificalia, benedictione etiam abbatibus concedi solita, quae continetur in pontificali Romano, augeatur; ac quoniam evenire potest, ut sede episcopali vacante, vel episcopo per aegritudinem aliamve causam impedito, nemo sit, qui in ampla dioecesi calices aliaque vasa sacra consecret, ac campanis benedicat, optare se, ut decanus praedictus facultate exornetur consecrandi calices ceteraque sacra vasa et campanis benedicendi, ea tamen lege adiecta, ut plena episcopali sede, episcopi pro tempore existentis consensum obtineat ad eas caeremonias obeundas, in quibus sacra unctio adhibetur; Nos praedicti ven. fratris episcopi Brunensis votis pontificia Nostra indulgentia libenter obsecundamus.

Quamobrem omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari honore prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, decanum cathedralis capituli Brunensis pro tempore existentem, benedictione abbatibus concedi solita in perpetuum decoramus atque instruimus, eique in perpetuum facultatem impertimur, ut in dioecesi Brunensi calices ac reliqua vasa sacra consecrare et campanis benedicere iuxta formam a Rituali Romano praescriptam libere ac licite possit et valeat, ea tamen conditione, ut ad functiones huiusmodi peragendas, quibus sacra unctio adhibetur, si plena sit episcopalis sedes, ab episcopo pro tempore existente consensum petat, atque obtineat.

Haec concedimus et indulgemus, non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus nec non legis fundationis eiusdem capituli etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die quinta decembris millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCLIII.

MOTU-PROPRIO

De palatii Cancellariae Apostolicae divisione [1].

Dilecto filio Nostro
Mario S. R. E. presbytero card. Mattei
ab intimis Nostrae ditionis
negotiis procurandis.

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili Noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Nihil optatius Nobis esse solet, ut in rebus omnibus quaevis controversia prohibeatur, ac quidquid bono publico praecipiendum censemus, illud expedite ac sine ulla quaestione conficiatur. Iamvero cum multa praeclara statuerit fel. rec. Pius VIII praecessor Noster ad publici aerarii onera sublevanda, tum illud imprimis, quod in peramplo palatio, a Cancellaria nuncupato, locum esse voluerit cardinali praefecto Boni Regiminis officiisque illius congregationis, nec non praecipuis viris, qui eisdem officiis addicti essent, provido sane consilio, ut sumptus non exiguos pro conductitiis aedibus antea necessarios curaret avertendos. Quare eiusdem palatii confecta divisio est, ac pars cardinali vice-cancellario adsignata quae quidem finitima esset proximo templo, cuius idem card. vice-cancellarius abbas commendatarius est, et vero etiam aditum haberet in odea vulgo *coretti,* quae in idem proximum templum prominent; pars vero altera cardinali praefecto s. congregationis Boni Regiminis addicta fuit. Huius porro divisionis linearis descriptio mense iulio anni millesimi octingentesimi trigesimi per Iosephum Valadier camerae Nostrae apostolicae architectum confecta est, atque exinde descriptionis eiusdem exemplar unum a cardinali secretario status transmissum fuit ad cardinalem Arezzo tunc temporis vice-cancellarii munere ornatum, exemplar alterum ad cardinalem Dandini praefectum s. congregationis Boni Regiminis; idque praescriptum ut traditio eius-

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

dem exemplaris, formalis possessionis obtineret locum.

Exinde vero quum dilectus filius Noster Ludovicus card. Gazzoli, praefectus congregationis Boni Regiminis renuntiatus, nonnulla eiusdem palatii cubicula a defuncto cardinali Pedicini vice–cancellario occupata repererit, utpote sui iuris esse putaret, queis tamen antea bo. me. cardinalis Dandini praefectus s. congregationis Boni Regiminis potiebatur, Nos omnem ea de re controversiam censemus componendam. Quapropter omni adhibita diligentia, memorata illa palatii cubicula ad cardinalem praefectum sacrae congregationis Boni Regiminis pertinere comperimus, eique omnino spectare, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, constituimus ac declaramus; utque omnis in posterum tollatur quaestio, eiusdem palatii divisionis linearem descriptionem accurate fieri mandavimus, in qua rubro colore signaretur pars addicta cardinali vice-cancellario, viridi autem colore pars notaretur, quae cardinali praefecto s. congregationis Boni Regiminis fuisset constituta. Quamobrem ut recte omnia conficiantur ac ne amplius illi controversiae locus esse possit, tibi dilecte fili Noster, linearis eiusdem descriptionis tria exemplaria mittimus, tibique hisce literis mandamus, ut exemplar unum ad cardinalem S. R. E. vice-cancellarium, alterum vero ad cardinalem praefectum s. congregationis Boni Regiminis transmittas, tertium vero exemplar in publico tabulario istius secretariae ab intimis negotiis pontificiae Nostrae ditionis accurate custodiendum deponat, ut huius rei perpetuum existat monumentum.

Haec statuimus et mandamus, non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda decembris millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCLIV.

EPISTOLA

Monasterii monialium s. Augustini in Mediolanensi civitate instaurationem confirmat et approbat [1].

Dilecto filio Nostro
Carolo Caietano
tit. s. Marii
presbytero S. R. E. cardinali Gaysruk
archiepiscopo Mediolanensi

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Tuas accepimus literas, die quinta huius mensis ad Nos datas, quibus te vehementer angi significas ob nonnullas res ad istud monialium ordinis s. Augustini monasterium spectantes, atque apostolicam Nostram opem efflagitas. Nobis enim in iisdem literis exponis post diuturnas septennii curas tandem fieri potuisse, ut anno millesimo octingentesimo trigesimo quinto eiusdem ordinis monasterium in ista civitate iterum posset institui. Cum vero huius rei perficiendae cogitatio a nonnullis ipsius ordinis monialibus tristissima temporum asperitate extinctis primum fuerit suscepta, tum ubi huic tractando negotio manus est admota, de simplici tantum instauratione sermo habitus est. Verum longo temporis intervallo contigit, ut ex tribus Augustinianis monialibus, quae primae petitioni subscripserant, una ex hac vita migraverit, altera vero adeo morbo fuerit conflictata, ut claustralem vitam denuo sustinere minime posset. Hinc alia monialis sese adiunxit, ac duae tantum moniales novum ingressae sunt monasterium. Quae quidem cum graves essent aetate atque opportunis dotibus omnino destitutae, non solum regendo et instaurando monasterio, verum etiam novae religiosae familiae moderandae ac primis muneribus obeundis impares plane erant. Quapropter cum aliae eiusdem ordinis moniales arcessiri non possent cum obligatione communem vitam perfecte agendi, quemadmodum impense optabatur, in ipsa huius monasterii instauratione existimatum fuit, ex quindecim iuvenibus, quae religiosam vestem iam induerant, quatuor praeclaris dotibus ornatas a tirocinio omnino solvere, quae in sancto proposito constantes, atque ad religiosi ordinis legem institutae, illam diligentissime servare studebant. Accessit etiam, ut tu, dilecte fili Noster, ob gravia tuae dioecesis negotia Vindobonae esses, dum monasterii instauratio ad exitum perducebatur. Itaque eas facultates tribuisti, quae a te petitae fuerunt et quibus te praeditum esse putabatur. Nunc vero cum probe noveris iisdem te carere facultatibus, a Nobis enixis precibus petiisti, ut apostolica Nostra auctoritate, huic rei benigne occurrere velimus. Nos alacri libentique animo tuis desideriis ac postulationibus annuentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, eiusdem monasterii instaurationem confirmamus et approbamus, et quoscumque defectus qui in ipsa quovis modo locum habere potuerunt, supplemus atque sanamus. Quod vero pertinet ad religiosam professionem quatuor iuvenum monialium ob omissum tirocinium nullam,

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes; vide regesta Epistolarum Latinarum.

tibi, ven. fili Noster, eadem auctoritate Nostra apostolica, hisce literis facultatem facimus, ut per te vel per alium a te subdelegandum illarum professionem secreto ac privatim iterum excipias, actumque novae professionis tum ab unaquaque earum, tum a te vel a subdelegato firmandum redigas. Quo quidem in actu unaquaeque illarum exprimere debet se plane noscere nullius momenti fuisse professionem primum emissam. Ac si illarum aliqua scribere nesciat, huiusmodi actus coram duobus testibus erit redigendus, quos tamen si expedire censueris, omittere potueris, ita tamen, ut a te vel a subdelegato exprimatur causa ob quam subscriptio deest. Si autem pro tua prudentia ab hac agendi ratione abstinendum esse duxeris, tibi facultatem quoque impertimur professiones commemoratas in radice, ut aiunt, sanandi et convalidandi, quin a professis novus exquiratur consensus, quatenus prior moraliter perseveret. Quocumque vero modo facultates huiusmodi adhibere volueris, semper in actu vel per te vel per subdelegatum conficiendo mentio erit habenda de apostolica facultate impertita ad hanc rem peragenda. Haec concedimus, indulgemus et decernimus contrariis non obstantibus quibuscumque etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis. Ut autem de confirmatione monasterii ac praesertim de validitate seu sanatione professionum futuro quovis tempore constare possit, tuum erit, dilecte fili Noster, has Nostras literas, atque actus a te vel a subdelegato conficiendos in secreto isto archiepiscopali tabulario caute diligenterque asservare. Excipe dilecte fili Noster, in hac concessione novum Nostrae in te benevolentiae testimonium, nec dubitamus quin haec Nostra indulgentia stimulo tibi sit, ut maiore semper studio et contentione cum divina gratia perges in Dei gloriam et animarum salutem procurandam incumbere. Interim vero certissimum Nostrae singularis in te pignus ac omnium coelestium munerum auspicem, apostolicam benedictionem ex intimo corde depromptam tibi, dilecte fili, et gregi, tuae vigilantiae concredito, peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die vigesima tertia decembris anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCLV.

BULLA

Qua fit dismembratio territorii a dioecesi Ilascalensi, et erectio novae sedis episcopalis de Vera Cruce [1].

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.

Quod olim propheta gravissime lamentabatur, parvulos, scilicet, petiisse panem nec unquam fuisse, qui eisdem frangeret, id quidem Nobismetipsis in sublimi Petri Cathedra, meritis licet imparibus, divinae providentiae consilio collocatis, haud infrequenter plorandum venit. Scilicet dioecesium territoria tam longe lateque interdum patent, ut unus tantummodo pastor, singulis ovibus suae fidei traditis cognoscendis, easque ad aeternae salutis pascua quamtumvis sollers et impiger traducendas, omnino sit impar. Iam vero paternae caritatis ardore compulsi, statim ubi licet, in illorum auxilium accurrimus, et dioecesum quae nimis amplae videntur, territoria circumscribimus, novisque exinde ecclesiis constitutis, novos ipsis pastores assignamus, ut onere sane gravissimo in plures distributo, christifideles ibi degentes accuratius atque expeditius ad aeternae salutis pascua perducantur.

Hisce de caussis optimates, qui in Mexicana ditione rem publicam gerunt, Nobis impense supplicarunt, ut per quam vastum Ilascalensis dioecesis territorium, quod modo ex duabus provinciis constat, quarum altera vulgo nuncupatur *Dipartimento di Angelopoli* seu *di Ilascala,* altera autem *Dipartimento di Vera Crux,* apostolica Nostra auctoritate dismembraremus, aliamque inde sedem episcopalem *de Vera Cruce* appellandam erigeremus, cui proprius antistes praeesset. Quod sane consilium iam inde ab anno millesimo octingentesimo sexto a regio etiam Hispaniarum gubernio susceptum fuisse, ac subinde in eiusdem implementum ven. fratrem Franciscum Paulum Vasquez hodiernum episcopum Ilascalensem consensisse perhibetur. Et sane locorum illorum natura ac diuturnior rerum experientia luculentius in dies ostenderunt istiusmodi consilium, ubi exitu compleretur, meliori eorum christifidelium in spiritualibus regimini mirifice profuturum. Perlatum siquidem ad Nos est, eos qui in memorata provincia de Vera Cruce degunt, lethali morbo haud raro corripi, quem vulgo appellant *febbre gialla;* in eiusmodi autem vitae discrimen advenas facilius adduci. Quapropter valde

[1] Ex Iure Pontificio de Prop. Fide.

periculosus ad episcopum aditus eisdem patet, eiusque difficultas eo etiam nomine succrescit, quod cum territorium Ilascalensis dioecesis per sex Leucarum quadratarum millia supra octingentas late protendatur, plurimae paroeciae intra vastum hunc terrarum ambitum constitutae, tam longis atque asperis itineribus ab episcopali sede distant, ut oves illic dispertitae, quae ad nongenta circiter capitum millia assurgunt, raro admodum pastoris praesentia recreari ac moneri opportune possint, atque idcirco remissius ibi Christi frumentum succrescat, neque unus queat gravissimis erga singulos pastoralis officii partibus satisfacere. Idcirco necessarium visum est, ut alteri episcopo unius provinciae de Vera Cruce procuratio committeretur, eademque provincia de Vera Cruce, quae bis centum et octoginta animarum millia recenset, ab Ilascalensi dioecesi seiuncta, nova constitueretur episcopalis ecclesia, eiusque sedes in civico oppido de Vera Cruce nuncupato poneretur. Princeps enim est ac prae caeteris circumstantibus oppidis fere centralis ipsius provinciae locus, elegantibus aedificiis auctus, decem circiter incolarum millibus frequens, ac portu maritimo instructus ; praeterea tria habet religiosorum virorum coenobia, aliquot pias sodalitates et publica instituta, quae ad religionem et puerorum cultum spectant, nec non hospitium infirmis suscipiendis curandisque ; in eo vero praeter quatuor minores ecclesias eminet parochiale templum Deo in honorem beatissimae Virginis Mariae dicatum, illudque affabre instructum, satis amplum ornatumque et sacra supellectile divinis officiis decenter peragendis instructum ; dignum propterea, quod in honorem dignitatemque cathedralis ecclesiae eveheretur. Ut autem eiusmodi negocium rite quaquaversus absolvatur, ditionis Mexicanae gubernatores ultra solliciti sunt, dataque fide spoponderunt, Mexicanum ipsummet gubernium iis omnibus provisurum, quae in id necessaria videbuntur ; neque enim satis essent annui redditus duodecim millium scutorum Romanorum ex decimis ecclesiasticis, quae per eam provinciam de Vera Cruce colliguntur, hauriri soliti, quique, uti propositum est, sunt in hoc ipsum negocium impendendi.

His aliisque magni ponderis momentis matura deliberatione perpensis, ac vehementer cupientes, ut illi dominici gregis parti, quam licet longe a Nobis dissitam paterni amoris caritate complectimur, tutior ac facilior salutis via muniatur, enixis Mexicani gubernii supplicationibus annuendum esse duximus. Itaque de apostolicae auctoritatis plenitudine, certa scientia, atque etiam Motu Proprio, ab hodierno ipsius episcopatus Ilascalensis dioeceseos territorio universam provinciam, quam vulgo appellant *Dipartimento di Vera Crux,* ubi, uti fertur, recensentur fere biscentum super octoginta capitum millia, perpetuo modo distrahimus, dividimus ac dismembramus, ita quidem, ut insimul dismembrata haberi debeant, et sint nedum omnia inibi consistentia oppida seu paroeciae ac loca quaelibet, itemque omnes ecclesiae nec non oratoria et conventus seu monasteria, sed etiam saecularia quaeque et quorumvis ordinum regularia, si nunc ibidem iam instituta reperiantur, beneficia, nec non utriusque sexus personae habitatores et incolae, tam laici quam clerici, praesbyteri beneficiati et religiosi, cuiuscumque gradus, status, ordinis et conditionis, ab ordinaria iurisdictione antistitis pro tempore antedicti episcopatus Ilascalensis.

Huiusmodi divisione seu dismembratione atque exemptione peracta, quum oporteat praesignati episcopatus de Vera Cruce noviter erigendi, sedem in praecellentiore atque aptiori loco parare atque constituere, quumque ad hoc praestandum opportune ex antea memoratis se se offerat oppidum civicum de Vera Cruce nuncupatum, illud profecto in civitatem episcopalem attollimus atque instituimus cum curia et cancellaria ecclesiastica, fruiturum scilicet omnibus honoribus, iuribus, privilegiis, favoribus et praerogativis, quibus absque titulo oneroso vel indulto speciali modo caeterae pontificali sede insignitae civitates eorumque cives in Mexicana ditione utuntur et gaudent.

Praeterea ecclesiam parochialem, quae in antedicta civitate de Vera Cruce Deo dicata est in honorem beatissimae Virginis Deiparae..... illic, etiam in posterum, parochialitate et animarum cura non secus ac antea rite diligenterque exercenda, perpetuum pariter in modum erigimus ac constituimus in ecclesiam cathedralem, ibique erigi simul ac constitui volumus sedem, cathedram et dignitatem episcopalem pro uno deinceps episcopo de Vera Cruce nuncupando, qui eidem ecclesiae cathedrali, civitati et dioecesi mox assignandae, eiusque clero et populo praesit, synodum convocet, nec non omnia et singula iura, officia et munia episcopalia habeat atque exerceat, cum suis capitulo (ubi illud fuerit institutum), arca, sigillo, mensa, ut infra constituenda, gaudeat, denique quibuscumque cathedralibus et pontificalibus insigniis, nec non iuribus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, indultis, praerogativis, iurisdictionibus realibus et personalibus et mixtis, quibus aliae cathedrales ecclesiae in Mexicana ditione nunc extantes eorumque praesules utuntur et gaudent, dummodo ex peculiari indulto seu privilegio non fuerint eis attributa.

Ut vero ecclesia de Vera Cruce in cathedralem evecta propriam habeat dioecesim, universam provinciam, vulgo *Dipartimento de Vera Cruce,* ab hodierno territorio Ilascalensis dioecesis, uti superius dictum est, avellendam, novae cathedrali ecclesiae eiusque pro tempore antistiti perpetuo assignamus atque at-

tribuimus. Praefatam itaque provinciam, idest civitatem de Vera Cruce et caetera cuncta oppida seu paroecias, quae in eiusdem provinciae territorio continentur, itemque omnes inibi consistentes ecclesias sive parochiales sive succursales, sive collegiatas, sive simplices, oratoria, conventus, monasteria, pia quaelibet instituta et, tam saecularia quam regularia quorumvis ordinum, beneficia, una cum utriusque sexus saecularibus et regularis personis, non tamen exemptis, tam laicis quam clericis aut presbyteris beneficiatis et non beneficiatis quibuscumque in eadem provincia degentibus, cuiuscumque sint vel fuerint status, gradus, ordinis et conditionis, perpetuo similiter modo ordinariae iurisdictioni, regimini, potestati ac superioritati ordinarii antistitis de Vera Cruce subiicimus illique omnia haec in civitatem episcopalem, territorium, seu dioecesim in clerum et populum itidem assignamus atque attribuimus.

Praeterea cum oporteat, ut in parochiali ecclesia de Vera Cruce, ad cathedralis honorem evecta, condecens canonicorum collegium divinis laudibus persolvendis instituatur, volumus atque mandamus, ut ad sacrorum canonum praescripta protinus in ea capitulum erigatur, ita tamen, ut illud primitus coalescat saltem ex una dignitate canonicali, ex tribus canonicis titularibus, quibus accedant aliquot cappellani seu mansionarii et clerici; tot videlicet, quot pro hodiernis rerum circumstantiis instituere censuerit exequutor praesentium literarum apostolicarum posterius deputandus, cui etiam veniam et potestatem impertimur adsignandi tam praefatae dignitati et unicuique canonicorum, quam praenunciatis cappellanis et mansionariis et clericis eam congruam praebendam, quam et quantam unicuique eorum nunc adsignare ex redditibus inferius designandis iudicaverit. Insuper edicimus, ut eiusmodi cathedrale capitulum fruatur et gaudeat omnibus iuribus et honoribus cum adnexis oneribus, proindeque indulgemus, ut omnes ipsius canonici cappellani et mansionarii et clerici supra memorati licite libereque tam in dicta cathedrali de Vera Cruce, quam extra illam, quoties nempe sive ad divina officia et sacra solemnia, sive ad supplicationes publicas, et ad alios ecclesiasticos actus capitulariter convenerint, deferre, induere ac gestare possint et valeant ea respective indumenta atque insignia ecclesiastica, quibus utuntur canonici et cappellani aut mansionarii et clerici capitulorum cathedralium, extantium in ditione Mexicana, iis tamen exceptis indumentis aut insigniis quae ex gratia speciali vel privilegio a caeteris illis capitulis obtenta fortasse fuerint.

Eidem porro capitulo cathedrali de Vera Cruce fas et ius attribuimus conficiendi sibi statuta capitularia, ordinationes atque decreta, sacris tamen canonibus, apostolicis constitutionibus et oecumenicae synodi Tridentinae decretis penitus consentanea, quae scilicet ab ordinario antistite de Vera Cruce sint dein expendenda et adprobanda, ut robur et sanctionem obtineant; adeoque ipsi capitulo ius perpetuo tribuimus gaudendi omnibus et singulis gratiis, honoribus, praerogativis, iuribus, privilegiis atque indultis quibus gaudent atque fruuntur caetera cathedralium ecclesiarum capitula, in eadem ditione Mexicana instituta, dummodo legitima et in usu sint, nec fuerint ex peculiari concessione vel titulo oneroso data et quaesita.

Firmam insuper ratamque habentes sponsionem Nobis factam a praedicto Mexicanae ditionis gubernio, se scilicet impense curaturum, ut quamcitius praesto sint aedes necessariae pro episcopo, curia et cancellaria novi episcopatus de Vera Cruce, volumus atque decernimus, ut ad eius pro tempore antistitis bene instructam commodamque habitationem residentialem, nec non opportunum episcopalis curiae et cancellariae usum perpetuo cum dominio adsignentur illae aedes quas gubernium ipsum debebit iuxta datam fidem illico comparare, atque in hunc usum episcopo attribuere. Quod si eas interim oporteat conducere, hoc in casu pretium istius locationis et conductionis penitus ab eodem gubernio suppeditandum et satisfaciendum erit, atque adeo magnopere commendamus, ut aedes praesignatae non solum idoneae sint atque decentes, verum etiam quoad fieri poterit proximiores.

Quod ad ecclesiasticum seminarium pertinet, cum nihil optabilius utiliusque excogitari possit, quam ut adolescentes in sortem Domini vocati, procul a mundi strepitu ac periculis sacrae militiae illic a teneris annis assuescant, uberes aliquando fructus allaturi, congruum idcirco aptumque aedificium quod Mexicanum gubernium in tantum opus se daturum spopondit, nunc pro tunc perpetuo et cum libera proprietate cum pleno dominio dioecesi de Vera Cruce assignamus. Tantopere vero Nobis cordi est saluberrima haec institutio, ut facere quidem non possimus quin impense iterum commendemus, ut de ecclesiastico eiusmodi adolescentium tyrocinio, iuxta concilii Tridentini praescripta erigendo, nulla interposita mora, serio cogitetur.

Libenti quidem animo exhibitam Mexicani gubernii sponsionem datamque fidem excipientes, qua repromisit consulturum singulis omnino rebus ac dotationibus pro hac nova episcopatus et cathedralis ecclesiae de Vera Cruce erectione necessariis atque opportunis, ad quas tamen, uti fertur, praesto iam est duodecim millium scutorum romanorum summa ex decimis ecclesiasticis, quemadmodum dictum est, hauriri solita; impense nihilominus commendamus, ut iusta sacrorum canonum praescripta, ubi primum fieri poterit, tot adsignentur bona

stabilia, quot pro ipsis dotationibus et rebus necessaria fore videbuntur. Interim vero habita peculiarium circumstantiarum ratione, ex causis animum Nostrum moventibus, volumus atque decernimus, praedictarum decimarum fructus destinentur atque erogentur in singulas superius memoratas dotationes, eo scilicet modo, quem inferius subiungemus. Quatenus autem ipsi decimales reditus et reliqui proventus vel minores reipsa reperiantur, vel decursu temporis fiant, tum quidem fideliter, quemadmodum inferius dicetur, erunt quotannis supplendi usque ad praesignatam duodecim millium scutorum summam.

Itaque, ut futuri pro tempore antistites cathedralis ecclesiae de Vera Cruce possint, eo quo par esset decore, dignitatem episcopalem tueri, totque impendiis pro certo eiusdem dioeceseos regimine et administratione necessariis satisfacere, utque consultum sit quoad melius nunc fieri datum est congruere substentationi canonicorum, cappellanorum seu mansionariorum et clericorum, sicuti supra dictum est, in ea cathedrali constituendorum, praeterea ut tam ipsius cathedralis fabricae manutenendae, quam sacrario ad ecclesiasticas expensas inibi continuo exequendas praesto iugiter sit dos opportuna, ac denique, ut seminarium dioecesanum, uti supra itidem dictum est, instituendum, habeat certos annuos redditus, quibus valeat sustentari, volumus atque decernimus, ut ex praenunciata duodecim millium scutorum romanorum summa adsignentur, penitusque adiudicentur, annua quatuor millia scutata romana pro illa mensa episcopali, alia tria millia scutata pro mensa capitulari inter quatuor praesignatos eius capituli canonicos dividenda, et singillatim cuique eorum impertienda prudenti arbitrio executoris praenominatarum literarum apostolicarum deputandi, alia autem octingenta scutata pro congruis praebendis, quae conferendae sunt totidem cappellanis sive mansionariis et clericis ibidem instituendis, ad eum usque numerum, qui pro rerum, locorum ac personarum circumstantiis accommodatus visus fuerit ipsi literarum apostolicarum exequutori; facta, scilicet, eidem potestate, ut ipse prudenti suo arbitrio queat octingenta illa scutata dividere prout convenientius censuerit, atque, ubi ea fuerint divisa, in congruas uniuscuiusque illorum praebendas constituere; alia dein scutata millia pro quotidianis distributionibus faciendis inter eos qui choralibus functionibus interfuerint; alia insuper scutata millia et biscentum pro dotatione illius fabricae et sacrarii; reliqua demum scutata bis millia pro seminarii dioecesani convenienti dotatione.

Quod si quandocumque compertum fuerit annuos praedictarum decimarum redditus qualibet de causa non assurgere ad perhibitam duodecim millium scutorum romanorum summam, erogandam, uti praefertur, constituendamque pro praebendis et singulis dotationibus supramemoratis, praecipimus et declaramus quod illico ipso sufficienti supplemento augeantur ex aere publico illius civilis gubernii de Vera Cruce, quemadmodum in praehabitis eius sponsionibus prostat. Quas inter illae quoque numerantur, quibus Mexicanum gubernium se curaturum adpromisit, ut ad augendum canonicorum numerum aliae eo in capitulo cathedrali canonicales praebendae qua primum fieri poterit instituantur, utque sacrae supellectilis nitor ac decus ad maiorem divini cultus splendorem tum in capitularibus functionibus, tum in pontificalibus peragendis augeatur. Quas quidem gubernio promissiones, quemadmodum ratas habemus, ita quoque optatum exitum easdem habituras esse non dubitamus.

Quod si fortasse vel propter nimiam sacerdotum iis in regionibus inopiam, sive propter alias iustas causas et rationabiles, nequeat illico omni ex parte exequutioni mandari praestituta erectio dicti capituli novae cathedralis de Vera Cruce, ut supra perficienda, cum cappellanis seu mansionariis et clericis adsciscendis instituendisque, vel si in praesentiarum fieri non possit, quin illic differatur institutio seminarii dioecesani superius decreta, futuro episcopo de Vera Cruce committimus, ut nihilominus ipse priori in casu exigat singulos annuos redditus, qui pro iis sive canonicis sive cappellanis aut mansionariis et clericis, nec non pro quotidianis distributionibus sunt destinati, et curet, ut quiquid nummorum fuerit inde cumulatum, in tot bona stabilia vel census, quatenus fieri poterit, convertatur, adiecta lege, ut ipsa bona vel census aut eadem nummorum summa, si in bonis stabilibus vel censibus convertire nequiverit, penitus erogentur ad augendum earum praebendarum cathedralium numerum aut dotationem, sive ad alium usum pro ipsa cathedrali ecclesia, quemadmodum magis in Domino expedire iudicaverit: in altero autem exigat proventus, ut praefertur, adsignandos pro dote illius seminarii, eosque cum obventuris novis fructibus ipsi seminario penitus attributos esse decernat, ac sive illi ab eodem antistite in bona stabilia vel census converti potuerint, sive in pecunia relinqui contigerit, eidem tamen episcopo licitum sit singulas istiusmodi pecunias et redditus dotationis antedictae in eiusdem seminarii utilitatem vel commoditatem adhibere atque impendere, quemadmodum ei magis in Domino expedire visum fuerit.

Si praedictum capitulum cathedralis de Vera Cruce propter iustas causas nullatenus queat nunc e vestigio institui, sique interim acciderit vacatio eius episcopatus, hoc in casu peculiari, habita eorum locorum et aliarum circumstantiarum ratione, ut porro absque iactura expeditius maiorique commoditate illius dioeceseos

procuratio queat aliquo modo continuari, statuimus legitimum eiusdem dioeceseos administratorem cum facultatibus competentibus de iure vel de legitima consuetudine protinus, donec novus pastor ipsi episcopatui rite praefectus fuerit, futurum esse illum qui in munere atque exercitio vicarii generalis episcopi de Vera Cruce extiterit eo tempore quo ipsius episcopatus acciderit vacatio; si vero nullus eo temporis momento ibi adfuerit vicarius generalis, tunc quidem recursum haberi volumus ad archiepiscopum pro tempore Mexicanum, cuius metropoliticae iurisdictioni, sicuti inferius edicetur, subiecta erit haec nova ecclesia de Vera Cruce, seu ad hoc ipsum negocium iuxta circumstantias forsan aliquando extituras recte planeque serventur ea, quae in id praescripta inveniuntur.

Quandoquidem profecto aequum et dignum censetur, ut ex una parte administratori eiusmodi congruum honorarium pro muniis oneribusque ab eo exantlandis in praefata eiusdem episcopatus seu dioecesis administratione procuranda tribuatur ex redditibus illius mensae episcopalis, ex altera autem parte aequum videatur, ut ipsius mensae redditus tempore vacationis episcopo dein successuro reserventur, quibus facilius occurrere idem possit impensis in receptione ac statu dignitatis episcopalis substinendis, praecipimus atque statuimus, ut tempore vacationis eiusdem episcopatus, medietas omnium quorumlibet illius mensae reddituum pro rata temporis vacationis attribuatur atque adiudicetur, praeindicato vicario seu administratori; altera vero medietas fideliter adservetur episcopo de Vera Cruce subinde praeficiendo.

Quibus praestitutis, volumus etiam, ut episcopalis ecclesia de Vera Cruce metropolitico iuri archiepiscopi pro tempore Mexicani subiecta sit, ideoque ipsa fruatur iis omnibus facultatibus, exemptionibus, praerogativis et iuribus quae ad caeteras suffraganeas Mexicani archiepiscopi, sicuti moris et iuris est, legitime pertinent vel pertinere contigerit.

Fructus vero eiusdem novae ecclesiae de Vera Cruce de more taxari florenos auri de Camera triginta tres cum tertia ipsius floreni parte, atque huiusmodi taxam in libris Camerae Apostolicae et s. Collegii describi iubemus.

Ut vero cuncta a Nobis disposita in supra exaratis articulis ad suum perducantur effectum, ven. fratri Francisco Paulo Vasquez hodierno episcopo ecclesiae Ilascalensis, quem harum literarum Nostrarum vi exequutorem eligimus ac deputamus, necessarias omnes et opportunas ad praemissorum effectum plenarie consequendum tribuimus facultates, ut per se vel per aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, ab eo subdelegandam, omnia statuere ac decernere valeat, ac etiam cum facultate eidem exequutori sive eius subdelegato definitive, libere ac licite pronuntiandi super quacumque oppositione in actu exequutionis quomodolibet forsan oritura; iniuncta ipsi obligatione diligenter in decreto exequutoriali describendi fines novae dioecesis de Vera Cruce ac mittendi ad Apostolicam Sedem intra sex menses ab expleta literarum apostolicarum executione, exemplar, authentica forma exaratum, decretorum omnium, quae in harum literarum exequutionem emittet, ut in tabulario congregationis Rebus Consistorialibus praepositae de more asservetur.

Praesentes vero literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes vocati et auditi non fuerint ac promissis non consenserint, eorum consensui, quatenus opus sit, de apostolicae potestatis plenitudine supplentes, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae vel aliquo etiam substantiali defectu notari, impugnari aut in controversiam vocari posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere volumus atque decernimus.

Non obstantibus *de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes,* vocatis quorum interest, aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regulis ac in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum dispositionibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus praeterea ut harum literarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum dismembrationis, seiunctionis, separationis, erectionis, institutionis, assignationis, attributionis, subiectionis, concessionis, indulti, commissionis, deputationis, mandati, decreti, derogationis et voluntatis, infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud s. Petrum anno incarcationis dominicae, millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, nonis ianuarii, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCLVI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Episcopo Iuliae Caesareae eiusque successoribus tribuitur in perpetuum facultas crucem ante se elevandi in dicta civitate eiusque dioecesi tantum, ad instar archiepiscoporum [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontifices praecipuis honoribus et privilegiis eas potissimum ecclesias decorare consueverunt, quae insignibus catholicae religionis monumentis praestant. Neminem certe latet inter plures insignes Africae regiones Iuliam Caesaream merito recenseri, quae vel ab ipsis christianae religionis exordiis evangelii luce illustrata ac plurium martyrum sanguine decorata, ipsum Augustinum, fulgidissimum Ecclesiae lumen, catholicae doctrinae praeconem habuisse gloriatur. Itaque summa animi Nostri laetitia, ea in urbe episcopalem sedem restituendam censuimus, ut Christi fides iterum in illis regionibus vigeret atque floresceret.

Quum vero probe noscamus, miserantis Dei beneficio ac singulari ven. fratris Antonii Adulphi Dupuch Iuliae Caesareae episcopi cura et studio, catholicam religionem maiora in dies incrementa suscipere, tum novum Nostrae benevolentiae testimonium eidem ecclesiae ac illius antistiti tribuendum censuimus.

Quare ipsum venerabilem fratrem a quibusvis excommunicationis et interdicti ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, Motu Proprio ac certa scientia, et matura deliberatione Nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum literarum vi eidem Antonio Adulpho episcopo, eiusque in Iuliae Caesareae episcopatu successoribus in perpetuum facultatem facimus et indulgemus, ut ipse atque eius successores in Iuliae Caesareae civitate et dioecesi dumtaxat crucem in quibusvis publicis privatisque functionibus ante se elevari et gestare facere libere possint et valeant.

Haec concedimus et elargimur, volumus, et mandamus decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et eidem Antonio Adulpho episcopo eiusque successoribus plenissime suffragari, ac ab omnibus respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quoties opus fuerit Benedicti XIV praedecessoris Nostri, *super divisione materiarum*, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non eiusdem Iuliae Caesareae ecclesiae etiam iuramento atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die nona ianuarii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCLVII.

EPISTOLA

Ad Episcopum Bellunensem scribens ei gratulatur quod patrium seminarium in dies florescat [2].

Venerabili fratri
Antonio episcopo Bellunensi et Feltrensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Periucundae Nobis tuae fuerunt litterae decimo kalendas huius mensis datae omnique erga Nos pietatis, amoris ac venerationis sensu scriptae, et gratissimi tui animi significationem officiosissimis verbis testatam exhibentes. Non mediocri enim solatione ex illis cognovimus, dilectissimae patriae nostrae seminarium Deo bene iuvante tum alumnorum numero, tum aliis rebus ita in dies florescere et progredi, ut non solum illud pro viribus ampliandum cogites, verum etiam cum tua maxima laetitia exploratam spem habeas fore, ut adolescentes clerici inibi ad omnem virtutem, pietatem ac severiores disciplinas praesertim sacras rite instituti, valeant in tempore excolere vineam Domini, ac Bellunensi ecclesiae magno usui et ornamento esse possint.

---

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

[2] Ex Arch. Brev. ad Princ.; v. regesta Epist. Latinar.

Te autem, ven. fr., vehementer in Domino commendamus, quod probe noscens nihil potius episcopo esse debere clericorum seminario, in quo tota est spes gregis, omnes tuas curas cogitationesque in id potissimum conferas, ut maiori ipsius seminarii bono et prosperitati consulatur. Nec minori quidem gaudio ex iisdem tuis litteris accepimus Bellunenses atque Feltrienses iis te benevolentiae officiis prosequi, ut tuae voci faciles aures praebeant tuisque votis et postulatis perlibenter annuant, atque ea perficienda curent, quae ad maiorem Dei gloriam et ipsorum salutem magis magisque conducere existimas. Nihil certe hoc iucundius, nihil optatius animarum pastori contingere potest. Iamvero quod attinet ad vota fervidasque preces, quibus laetissimo divini Nostri Redemptoris natali redeunte, v. gr. una cum dilectis filiis canonicis, universo clero et reliquo grege istius utriusque ecclesiae pro Nostra incolumitate et felici rerum Nostrarum cursu Deum O. M. orare et obtestari studuisti, gratum Nostrum animum profitemur, ac toto cordis affectu mutuam rependentes vicem in omni oratione, obsecratione cum gratiarum actione a Misericordiarum Patre suppliciter poscimus, ut fausta quoque et salutaria tibi tuisque ovibus propitius largiri velit. Atque huius superni praesidii auspicem et certissimum Nostrae in te studiosissimae caritatis pignus, apostolicam benedictionem ex imo corde depromptam cum omni verae prosperitatis voto coniunctam tibi, ven. frater, atque illis peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum die decima ianuarii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCLVIII.

BULLA

Qua fit exemptio ecclesiarum Sancti Thomae atque Angolen. in Africa a iure metropolitico sedis archiepiscopalis Ssmi Salvatoris in Brasilia, earumque subiectio iurisdictioni patriarchali Lisbonen. [1].

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.

Quae olim a Summis Pontificibus praedecessoribus Nostris sapientissime constituta sunt, immutatis rerum ac temporum circumstantiis interdum expedit, ut ad maiorem catholicae Ecclesiae ac fidelium utilitatem in novum ordinem redigantur. Iam vero eas inter ecclesias, quae suffragantur vacanti metropolitanae Sanctissimi Salvatoris positae in America meridionali seu in Brasilia, nunc recensentur et illae in Africa extantes episcopales ecclesiae a S. Thoma et de Angola nuncupatae, quae antea in suffraganeas patriarchali ecclesiae Lisbonensi fuerant attributae. Antea porro quum eos inter populos pateretur venalium mancipiorum commercium, continuae inde oriebantur occasiones, quibus aditus reditusque ab episcopalibus S. Thomae et de Angola ad eam metropolitanam Sanctissimi Salvatoris, et vicissim ab hac ad illas contingebant. At vero Nostris hisce temporibus, quum reprobandum eiusmodi mancipiorum commercium, providentissima legum dispositione vetitum omnino atque abolitum fuerit, nec eadem locorum rerumque conditio permanserit, Nobis expositum fuit rariorem in praesentiarum difficilioremque ab Africa in Americam communicationem evasisse inter ipsam metropolitanam Sanctissimi Salvatoris ecclesiam et suffraganeas ecclesias quas memoravimus. Quapropter non levia profecto incommoda ac spiritualium utilitatum iacturas illos fideles pati perhibentur, qui in amplissimis eorum episcopatuum territoriis degunt; quandoquidem minus nunc valent metropolitanum antistitem vel adire, vel res ecclesiasticas ad eiusdem iurisdictionem auctoritatemque pertinentes illuc transmittere, ut ipsae, quemadmodum par esset, expediantur. Idcirco valde opportunum in praesentiarum fore ratum est, si eaedem episcopales ecclesiae S. Thomae atque Angolen. in posterum alterius potius antistitis iurisdictioni metropoliticae subiicerentur. Quapropter carissima in Christo filia Nostra Maria Secunda fidelissima Portugalliae et Algarbiorum regina impensissimas nuper preces per suum apud Apostolicam hanc Sedem legatum plenipotentiarium dilectum filium Ioannem Petrum commendatarium Migueis de Carvalho de Brito Nobis offerre curavit, ut memoratas ecclesias Sancti Thomae atque Angolen. a metropolitico iure praefati archiepiscopatus Ssmi Salvatoris modo vacantis penitus eximere, easdemque patriarchali Lisbonensi ecclesiae in suffraganeas assignare ac subiicere apostolica auctoritate vellemus, ut eosdem inter ac metropolitanum antistitem facilior communicatio ac nexus haberetur. Qua occasione memoratum est, huiusmodi vota et supplicationes ad ipsam hanc Sanctam Sedem sub anno millesimo octingentesimo vigesimo octavo porrexisse, qui tunc Lisbonensem patriarchatum obtinebat, S. R. E. cardinalis De Silva; ast eiusmodi negocium ob subortas rerum vicissitudines infectum permansisse.

Cunctis itaque superius expositis matura deliberatione perpensis, eo libentius praelaudatae

---

[1] Ex Iure Pontificio de Propaganda Fide.

Portugalliae et Algarbiorum reginae fidelissimae postulationibus obsecundare constituimus, quod plane viderimus id quidem in maiorem illorum christifidelium commoditatem utilitatemque cessurum ; proindeque derogantes ac supplentes, quatenus opus sit, consensui quorumcumque interesse habentium, cathedralem ecclesiam Sancti Thomae insimulque alteram Angolensem a iurisdictione metropolitica archiepiscopatus Sanctissimi Salvatoris in Brasilia perpetuo penitusque exemptas declaramus, easque sic liberas atque exemptas metropolitico iuri metropolitanae ecclesiae patriarchalis Lisbonensis perpetuo pariter subiicimus, ac in eius suffraganeas designamus, ita ut patriarchalis ecclesia metropolitana Lisbonensis ac eius pro tempore antistites omnibus et singulis iuribus, privilegiis, honoribus et facultatibus in ipsas ecclesias Sancti Thomae atque Angolen. omnino ac inviolabiliter polleant, quae nempe cunctis metropolitis ex sacrorum canonum apostolicarumque constitutionum praescripto, in suffraganeas ecclesias inesse dignoscuntur, contrariis quibuscumque speciali etiam mentione dignis non obstantibus.

In praemissorum autem omnium exequutorem deputamus venerabilem fratrem Camillum De Petro archiepiscopum Berytensem Nostrum apud fidelissimam Portugalliae et Algarbiorum reginam Mariam Secundam internuntium extraordinarium et delegatum apostolicum, cum omnibus facultatibus in id negocii necessariis et opportunis, facta quoque ipsi venia subdelegandi aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam et decernendi super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura, remota qualibet appellatione, adiecta tamen lege, ut decretorum omnium, quae in hac exequutione emittet, exemplar authentica forma exaratum diligenter transmittat ad hanc sacram congregationem Consistorialibus Rebus praepositam, ut in eiusdem archivio de more asservetur.

Praesentes autem literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes, vocati et auditi non fuerint vel praemissis non consenserint, eorum consensui, quatenus opus sit, de apostolicae potestatis plenitudine supplentes, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis Nostrae vel aliquo alio etiam substantiali defectu notari, impugnari aut in controversiam vocari posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere volumus atque decernimus.

Non obstantibus *de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes,* vocatis quorum interest, aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regulis ac in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum dispositionibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus praeterea ut harum literarum Nostrarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrarum dismembrationis, seiunctionis, separationis, subiectionis, mandati, decreti, derogationis, deputationis, concessionis, indulti, commissionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, idibus ianuarii, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCLIX.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE VIGESIMA SECUNDA IANUARII
MILLESIMO OCTINGENTESIMO QUADRAG. QUARTO.

Paschalem Gizzi archiepiscopum Thebanum, Antonium Mariani Cagiano de Azevedo, et Nicolaum Paracciani Clarelli presbyteros cardinales creat atque declarat; alium autem praestantissimum virum in pectore reservat [1].

Venerabiles fratres

Admonet Nos officii Nostri ratio, ut vestrum amplissimum ordinem, pluribus nuper pro humana conditione funeribus imminutum, novo delectu praestantium virorum supplere annitamur, qui vestram eximiam pietatem ac zelum aemulantes, humilitati Nostrae Sanctaeque huic Sedi perutilem consilio et laboribus suis operam navent ; Romanaeque Ecclesiae decus ipso suarum vitutum exemplo tueantur. Hunc igitur in finem implorata suppliciter ope Spiritus

---

1 Ex Archivio Brevium ad Principes.

Sancti, tres viros elegimus in ministerio Sedis Apostolicae multo tempore nec mediocri seu probitate seu diligentia versatos, quos altiori gradu plane dignos vobis etiam, venerabiles fratres, visum iri non dubitamus.

Horum primus est venerabilis frater Paschalis Gizzi Thebarum archiepiscopus; quem diversis officiis praesertim in comitatu pontificiarum legationum ad exteros, ac subinde praecipuo ipso munere sive internuntii sive nuntii apostolici, tum apud Belgas, tum in Helvetia naviter sapienterque perfunctum, destinavimus iam ad sublimiorem hunc locum et in pectore reservavimus in consistorio habito quarto idus iulias anno Domini millesimo octingentesimo quadragesimo primo. Optabamus interim uti diutius eius opera in ministeriis, quae Urbanis praesulibus sive archiepiscopis eversarum per infidelium sedium, seu ut aiunt, in partibus, deferri solita sunt, atque hinc misimus illum Augustam Taurinorum, ut apud carissimum in Christo filium Nostrum Carolum Albertum Sardiniae regem illustrem Nostri Sanctaeque huius Sedis ordinarii nuntii munus obiret. Id ipse quidem ea, qua semper usus erat, fide ac sollertia praestare orsus fuit; verum non multo post tantis valetudinis incommodis in Subalpina illa regione conflictari coepit, ut demum necesse fuerit hominem inde revocare, in aliis porro eiusdem ordinis officiis aliquo insuper temporis intervallo non longe a Nobis destinandum. Novissime tamen, re plenius considerata, visum Nobis est, ipsam illam, quam in ministerio contraxerat, corporis infirmitatem, quodam modo exposcere, ut absque ulteriori mora praesulem tanta iam virtute ac meritis commendatum in decreta sibi sede collegii vestri collocaremus.

Bini autem spectatissimi viri, quorum dignitatem in hodierno consessu amplificare pariter consilium est, stipendia meruerunt in Nostra hac alma Urbe, seu in locis haud longe dissitis; atque hinc utriusque virtus adeo nota vobis est, venerabiles fratres, ut supervacaneum foret illorum laudes fusiori sermone recensere. Eorum primus est dilectus filius Antonius Maria Cagiano de Azevedo, adscitus iamdiu in numerum advocatorum aulae Nostrae concistorialis, ac postmodum inter antistites domus pontificalis, qui plures Nostrae ditionis provincias sive delegati apostolici sive pro-legati titulo in magna etiam temporum difficultate administravit: deinde vero revocatus a Nobis in Urbem, et rectoris archigymnasii Romani officio auctus, collegioque adscriptus canonicorum patriarchalis basilicae Liberianae, nec non secretarius factus Nostrae congregationis Consultae, ac postremo ad auditoris camerae dignitatem translatus, in tanta hac tantorum munerum diversitate ita iugiter se gessit, ut suam pietatem, integritatem, prudentiam, sedulitatem summis iuxta atque infimis commendaret.

Alter vero est dilectus filius Nicolaus Paracciani Clarelli, qui inde a tempore Pii VII immortalis mem. praecessoris Nostri adlectus inter canonicos patriarchalis basilicae Vaticanae, ac subinde inter antistites domus pontificalis, tum in capitularibus gerendis officiis, tum in delato sibi postea munere curatoris operum templi Vaticani et secretarii Nostrae congregationis ab eiusdem Fabrica nuncupatae, multos annos beneque admodum de sacrosancta illa aede collegioque suo meritus est. Idem post urbana alia munia in ordinem adscitus duodecim virorum camerae Nostrae et publicorum tabulariorum tuitioni praepositus, ac tandem ad gradum provectus secretarii Nostrae congregationis Consultae, in horum quoque munerum functione nihil a se desiderari passus est quod ad seduli, pii atque integerrimi praesulis partes pertineat. Ipsum igitur adiungendum duximus binis praedictis egregiis viris, de quorum cooptatione in sacrum senatum seu declaranda seu decernenda vestram hodie, venerabiles fratres, sententiam rogamus.

Praeter hos vero et alium vobis dare collegam constituimus virum praeclarae item virtutis laude praestantem, quem tamen in pectore reservamus arbitrio Nostro deinceps quandocumque declarandum.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostol. Petri et Pauli ac Nostra creamus S. R. E. cardinales presbyteros.

Paschalem Gizzi archiepiscopum Thebanum, Antonium Mariam Cagiano de Azevedo, Nicolaum Paracciani Clarelli.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis.

In nomine Patris † et Filii † et Spiritus † Sancti. Amen.

CCLX.

LITTERAE APOSTOLICAE

Religiosis virginibus Filiis S. Cordis datur facultas, ut universae eiusdem instituti domus a parochiali iurisdictione exemptae sint et Ordinariis immediate subiectae [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Sodalitates quae instituti, cui addictae sunt, observantia, ac puellis ad pietatem bonasque

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

artes informandis sacram ac civilem rempublicam iuvant ornantque, eas singularibus ornare privilegiis Romanorum indulgentia Pontificum consuevit. Iamvero exponendum Nobis curavit dilectissima in Christo filia Theresia Eustochio Verzeri, praeposita generalis sacrarum virginum quae Filiae Sacri Cordis nuncupantur, in maximam cedere commoditatem pietatisque augmentum tum sororum ipsarum, tum vero etiam puellarum quas instituunt, si in omnibus eiusdem instituti domibus sive extructis sive extruendis, et qualibet in dioecesi positis, oratorium privatum erigi possit, ubi in sororum ac puellarum praesentia, una vel plures missae singulis diebus celebrentur, ac Ssma Eucharistia perpetuo asservetur, cum facultate, ut praedictae sorores puellaeque infra sacrificii actionem, divinissimo Christi Corpore refici possint, ac praeterea praedicto instituto valde utile futurum, si universae illius domus, tum extructae, tum extruendae, a parochorum iurisdictione eximantur, atque immediate subdantur respectivis Ordinariis.

Nos igitur omnes et singulas quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, auctoritate Nostra apostolica, hisce literis, eam facultatem perpetuo valituram impertimur, ut in quibusvis praedicti instituti domibus sive extructis sive extruendis, oratorium privatum erigi valeat. Ad hoc decenter muro extructum et ornatum, ab Ordinario antea visitandum et adprobandum, ibique per quemcumque sacerdotem approbatum saecularem sive regularem singulis anni diebus duae missae, solemnioribus vero tres celebrari possint, in ecclesiastici praecepti implementum valiturae, tum praedicti instituti sororibus ceterisque ancillis eidem addictis, tum puellis instituendis. Praeterea facultatem concedimus, ut in iisdem oratoriis, dummodo sacra supellectili ad hoc praesertim necessaria instructa sint, Ssmum Eucharistiae sacramentum asservari possit, dummodo diu noctuque ante tabernaculum lampas exardescat, eiusque tabernaculi clavis penes cappellanum seu confessarium diligenter custodiatur.

Insuper facultatem impertimur, ut dictae sacrae virgines, nec non puellae quae in monasterio degunt, sacramento Poenitentiae rite expiatae Ssmum Eucharistiae sacramentum de manu sacerdotis celebrantis infra sacrificii actionem libere sumere, quae vero puellae extra monasterium degunt, excepto paschate, possint et valeant.

Denique auctoritate Nostra apostolica concedimus, ut singulae memorati instituti domus sive extructae sive extruendae de Ordinariorum consensu a parochiali iurisdictione exemptae sint, ac respectivis Ordinariis immediate subiectae.

Haec concedimus et indulgemus, decernentes has literas validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima tertia ianuarii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCLXI.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE VIGESIMA QUINTA IANUARII
AN. MILLESIMO OCTINGENTESIMO QUADRAG. QUARTO.

Electionem seu postulationem Michaelis Der-Asdnazadrian archiepiscopi Caesareensis in patriarcham Ciliciae Armenorum, ab episcopis Armeni ritus factam, confirmat et approbat [1].

Venerabiles fratres

Successione patriarcharum non interrupta, perstat patriarchatus catholicus Ciliciensis iam inde, uti notum est, a pontificatu s. m. Benedicti quartidecimi, a quo in consistorio habito die vigesima sexta novembris anno millesimo septingentesimo quadragesimo secundo Abrahamus Petrus, primus sedis illius patriarcha renunciatus est. Sex post illum patriarchae numerantur, omnes munere dignitatis suae cum laude perfuncti, quorum postremus Holas, nominatus Petrus septimus biennio, ab electione nondum absoluto, morte interceptus est in sede sua Montis Libani, die sexto februarii anni millesimi octingentesimi quadragesimi tertii. Supremis defuncto persolutis, cum facultas fuisset absentibus episcopis in Montem Libanum con-

[1] Ex opere cui titulus *Annali delle scienze cattoliche*, auctore A. De Luca vol. 18.

veniendi, tandem actum est de successore illi substituendo die septimo iulii in mansione ipsa patriarchali Bsommarensi. Aderant simul Michael Der–Asdnazadrian archiepiscopus Caesareensis item vicarius patriarchalis Tokatensis, Stephanus Holas episcopus Adanae, Ignatius Kalepscian episcopus Amasiensis et Petrus Abelian episcopus Marasensis.

Praescriptis caeremoniis ante peractis, ordine accuratissime servato, electus est patriarcha Michael Der–Asdnazadrian archiepiscopus Caesareensis. Alienum se primo praebuit ab honore accipiendo, sed tamen instantibus qui aderant episcopis, et ipsi per literas suffragantibus etiam episcopis Aleppensi et Mardiensi, qui convenire ad electionem nequiverant, cessit voluntati eorum. Solemnis de more confectus est actus, consuetae praestitae sunt caeremoniae, nomenque sibi electus assumpsit Gregorium Petrum octavum.

Omnia autem ad normam legum rituumque sacrorum in eo eligendo fuisse peracta, testimonio suo confirmat delegatus apostolicus Montis Libani Franciscus Villardell archiepiscopus Philippensis, idemque eum declarat morum vitaeque spectabilem, Ecclesiae catholicae Sanctaeque Sedi apprime deditum ac devotum, fidei vero catholicae propagandae studio incensum singulari. Talem scilicet assidue se praebuit dum catholicae Tokati praefuit Ecclesiae, adeo ut sperandum iure sit eius provectionem nationi Armenorum universae esse valde profuturam.

Iam vero tum electus ipse patriarcha, tum qui eum elegerunt episcopi, nulla interposita mora, obsequentissimas ad Nos dederunt literas, quibus de peracta electione ad Nos referunt, petuntque, ut eam, auctoritate Nostra, confirmemus.

At cum electus longum iter difficile nequeat suscipere, ut, quod vehementer optaret, in almam Urbem se conferat, item per literas Nos orat, ut honorem sibi sacri pallii deferamus; iamque emissae a se ad normam formulae ab Urbano VIII praescriptae, fidei catholicae professionis solemnis authenticum ad Nos misit documentum.

Quae cum ita sint s. congregatio Propagandae Fidei, re considerata et sedulo perpensa, preces Nobis exhibendas decrevit, ut auctoritate Nostra, Michaelem Der–Asdnazadrian archiepiscopum Caesareae, cui nomine de more assumpto Gregorius Petrus Octavus placuit nuncupari, in patriarcham confirmemus Armenorum Ciliciae, et sacri pallii ornamento decoremus. Nos igitur iudicavimus eiusdem congregationis precibus annuere.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, confirmamus et approbamus electionem seu postulationem in patriarcham Ciliciae Armenorum rite factam de persona praedicti archiepiscopi Michaelis Der–Asdnazadrian, nunc Gregorii Petri, quem absolvimus a vinculo, quo tenebatur ecclesiae archiepiscopalis Caesareensis, et transferimus ad patriarchalem praefatam ecclesiam, praeficientes eum in patriarcham et pastorem eius nationis, prout in decreto et schedula consistoriali exprimetur.

In nomine Patris † et Filii † et Spiritus † Sancti. Amen.

CCLXII.

EPISTOLA

Imperatori Brasiliae respondet nuntianti matrimonium suum [1].

Carissimo in Christo filio Nostro
Petro II
Brasiliae imperatori

GREGORIUS PP. XVI.

Carissime in Christo fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Quod de itinere carissimae in Christo filiae Nostrae Theresiae Christinae Mariae regis Utriusque Siciliae regni sororis, ac de nuptiis cum ea imperialis maiestatis tuae vehementer optabamus, id feliciter evenisse ex literis officiosissimis ad Nos tuis, datis die quinto septembris anni proximi, nuper intelleximus. Facis enim Nos certiores egregiam sponsam prospero cursu dierum duorum et sexaginta istuc pervenisse, ac nuptias cum ipsa nationi universae probatissimas sacro ac solemni ritu fuisse celebratas. Quo animo in te ac res tuas simus compertum habens, existimare facile potes quam laetum gratumque Nobis acciderit nuntium huiusmodi, quaeque coniugio isti ominemur. Sane quidem, pro praecipua, qua te carissime in Christo fili Noster, caritate complectimur, ac pro summo, quo afficimur, studio quietis et tranquillitatis subiectae tibi gentis, quantum contendere supplicando possumus Deum O. M. obsecramus, ut te ac thalami consortem uberrima donorum suorum copia cumulatos sospites servet et incolumes, detque filios filiorum videre omni digna catholico principe virtute florentes, plenamque vestram imperiique totius felicitatem.

Sic ipse benignissimus Dominus annuere dignetur votis Nostris dum eius praesidii auspi-

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

cem, pignus vere paternae caritatis apostolicam benedictionem imperiali maiestati vestrae atque, uti pie postulas, nationi Brasilianae universae amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die prima februarii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

CCLXIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Carolum Pooten administratorem apostolicum archidioecesis Antibarensis nominat [1].

Dilecto filio presbytero
Carolo Pooten,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Quum ad componenda ecclesiastica negotia in archidioecesi Antibarensi necesse prorsus visum fuerit, administratorem apostolicum statuere, suspenso interim ac remoto ven. fratre Vincentio Battucci archiepiscopo ab exercitio episcopalis iurisdictionis, Nos de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te, de cuius pietate, doctrina, prudentia ac fidei catholicae promovendae studio praeclara accepta sunt testimonia, in huiusmodi administratorem eligere statuimus. Te igitur, quem episcopum Maronien. in partibus infidelium per similes apostolicas literas, hoc ipso die datas, renuntiavimus, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, administratorem apostolicum archidioecesis Antibarensis, suspenso interim ac remoto ab exercitio iurisdictionis episcopalis ven. fratre Vincentio Battucci archiepiscopo, cum omnibus et singulis facultatibus quibus ipse Vincentius potiebatur, auctoritate Nostra apostolica, hisce literis, eligimus, constituimus et deputamus. Mandamus propterea omnibus et singulis, ad quos spectat, ut te in administratorem apostolicum huiusmodi recipiant et admittant, tibique faveant, pareant ac praesto sint, tuaque mandata efficaciter adimpleant, secus sententiam, seu poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus ac faciemus, auctorante Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima tertia februarii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXIV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Carolo Pooten administratori archidioecesis Antibarensis titulum ecclesiae Maronien. sub arch. Traianopolitan. confert [2].

Dilecto filio presbytero
Carolo Pooten

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem ecclesiarum omnium nunc vacantium, quaeque in posterum vacaturae, ordinationi ac provisioni Nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum atque inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Postmodum vero episcopali ecclesia Maronien. sub archiepiscopo Traianopolitan. in partibus infidelium, solatio pastoris destituta, Nos ad eiusdem ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni Nos fecerunt certiores, provisionem celerem atque felicem, in qua nemo praeter Nos se potest seu potuit intromittere, reservatione ac decreto obsistentibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem et fructuosam cum

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

[2] Ex eodem Iure.

venn. fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus negociis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, ad te qui ex legitimo matrimonio procreatus existis et in aetate etiam legitima constitutus, quique pietate, doctrina, prudentia atque evangelicis laboribus et catholicae fidei propagandae studio summopere praestas, oculos mentis Nostrae direximus.

Quibus omnibus mature perpensis, te, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, eamdem episcopalem ecclesiam Maronien. de persona tua, Nobis et memoratis cardinalibus accepta, ob tuorum exigentiam meritorum, de eorumdem fratrum consilio, auctoritate apostolica, tenore praesentium providemus, teque illi in episcopum praeficimus atque pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod, dirigente Domino actus tuos, praefata ecclesia per tuae circumspectionis industriam et studium, utiliter et prospere dirigatur, et in spiritualibus ac temporalibus orthodoxa religio incrementa suscipiat.

Iugum igitur Domini, tuis impositum humeris, ita studeas fideliter gerere, ut ecclesia praefata gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, ac tu, praeter aeternae retributionis praemium, Nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Tibi praeterea, ut ad ecclesiam praefatam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud illam personaliter residere minime tenearis, auctoritate Nostra apostolica, concedimus et indulgemus. Tibi insuper a quocumque malueris catholico antistite S. huius Sedis gratiam et communionem habente, adcitis illique adsistentibus duobus aliis episcopis, vel, si commode reperiri nequeant, duobus eorum loco presbyteris secularibus vel cuiuscumque ordinis, congregationis et instituti regularibus, similem S. huius Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere possis, atque eidem antistiti, ut, receptis a te prius catholicae fidei professione, iuxta articulos ab hac S. Sede propositos et Nostro et Romanae Ecclesiae fidelitatis debitae iuramento, dictum munus tibi, auctoritate Nostra, impendere licite valeat, plenam ac liberam tribuimus facultatem. Volumus tamen ac praecipimus ut, nisi receptis a te iuramento ac professione fidei huiusmodi, dictus antistes consecrationis munus tibi impendere, tuque illud recipere praesumpseritis, idem antistes a pontificalis officii exercitio, ac tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

Non obstantibus apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima tertia februarii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXV.

INDULTUM

Quo fit concessio indumentorum insignium favore canonicorum collegialis ecclesiae S. Angeli Custodis, dioecesis Anagninae [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Honoris insignia ecclesiasticis viris libenter tribuimus, ut illi externis dignitatis ornamentis virtutum apparatum adiungant, quo fiat, ut veluti lucerna super candelabrum sita, omnibus, qui in domo Dei sunt, bonorum operum exemplo praefulgeant. Itaque quum capitulum et canonici collegiati templi S. Angeli Custodis Anagninae civitatis, Nobis exponendum curaverint, se impense cupere, ut eos aliquo honoris ornamento decoremus, Nos eorum votis adnuendum censuimus.

Nos igitur omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, eam facultatem in perpetuum tribuimus, ut canonici omnes memorati templi S. Angeli Custodis, Anagninae civitatis, quotquot modo sunt et in posterum futuri, fasciam nigri coloris ad latus gestare, et floccum nigri item coloris ad galerum adhibere libere ac licite possint et valeant.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Ceterum certa spe ducimur, eos hoc novo honoris ornamento auctos, omnem daturos operam, ut sui officii partibus in ecclesiae utilitatem recte fungantur.

---

[1] Ex Cancellaria Episcopali Anagninae Civitatis.

Datum Romae apud sanctum Petrum snb annulo piscatoris die vigesima septima februarii anno millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXVI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Vicario apostol. Guineae titulum episc. ecclesiae Eucarpien. confert, relicto titulo Constantinen. [1]

Venerabili fratri
Eduardo Barron
episcopo Eucarpiensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Per similes Nostras apostolicas literas die tertia octobris anno millesimo octingentesimo quadragesimo secundo datas, te vicarium apostolicum in superiori atque inferiori Guinea atque in tota illa regione quae « Sierra Leone » appellatur, electum ad episcopalem dignitatem evexímus, atque episcopum Constantinensem, vulgo *di Constantina,* renuntiavimus. Cum autem eadem ipsa Constantinensis ecclesia in Iuliocaesariensi seu Algeriana ditione existat, et in praesentia venerabilis fratris episcopi Algeriani iurisdictioni sit subiecta, ac idcirco vacare omnino debeat, tum ad aliam episcopalem ecclesiam te, venerabilis frater, transferendum esse iudicavimus.

Itaque peculiari te beneficientia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce literis, Motu-Proprio, certa scientia, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, te ab ecclesia Constantinensi omnino solvimus, atque ad episcopalem ecclesiam Eucarpiensem quae in Phrygia Asiae Minoris sub archiepiscopo Synaadensi in partibus infidelium existit, transferimus, ita ut, iam nunc dimisso titulo episcopali Constantinensi, in posterum Eucarpiensis episcopus appellari et haberi debeas. Quamobrem te in eiusdem Eucarpiensis ecclesiae episcopum praeficimus ac pastorem, curam, regimen, administrationem illius tibi in spiritualibus ac temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod dirigente Domino actus tuos, praefata ecclesia per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter ac prospere dirigatur, et in spiritualibus ac temporalibus orthodoxa religio incrementa suscipiat. Iugum igitur Domini, tuis impositum humeris, ita studeas fideliter gerere, ut ecclesia praefata gaudeat se provido gubernatori et fructoso administratori esse commissam, ac tu praeter aeternae retributionis praemium, Nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Tibi praeterea, ut ad ecclesiam praefatam, quandiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud illam personaliter residere minime tenearis, auctoritate Nostra apostolica concedimus et indulgemus. Tibi insuper a quocumque malueris catholico antistite S. huius Sedis gratiam et communionem habente, adcitis illique adsistentibus duobus aliis episcopis, vel si commode reperiri nequeant, duobus eorum loco presbyteris saecularibus, vel cuiuscumqne ordinis, congregationis et instituti regularibus, similem S. huius Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere possis, atque eidem antistiti, ut, receptis a te prius catholicae fidei professione, iuxta articulos ab hac S. Sede propositos et Nostro et Romanae Ecclesiae fidelitatis debitae iuramento, dictum munus tibi auctoritate Nostra impendere licite valeat, plenam ac liberam tribuimus facultatem. Volumus tamen ac praecipimus ut, nisi receptis a te iuramento ac professione fidei huiusmodi, dictus antistes consecrationis munus tibi impendere, tuque illud recipere praesumpseritis, idem antistes a pontificalis officii exercitio ac tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

Non obstantibus apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die secunda martii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXVII.

INDULTUM

Quo fit concessio indumentorum insignium favore collegialis ecclesiae canonicorum S. Mariae in civitate Valmontonis [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Peculiaribus honoris insignibus ecclesiasticos viros libenter quidem decoramus, qui sacra in

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

[2] Ex Archivio Secretariae Brevium.

templis obeunt officia, ac Deo laudes canunt, ut illi, externis dignitatis ornamentis aucti, virtutum sibi longe illustriorum apparatum comparare studeant, christianaeque plebi praeclaris exemplis eniteant. Quum itaque capitulum et canonici collegialis templi S. Mariae Maioris in civitate Valmontonis a Nobis enixe petierint, ut eos dignitatis aliquo ornamento decoremus, Nos illorum postulationibus libenti animo adnuimus.

Nos igitur omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari honore prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia, absolventes et absolutos fore censentes, auctoritate Nostra apostolica, hisce literis, eam facultatem perpetuo valituram concedimus, ut omnes et singuli memorati collegialis templi canonici, quot in praesens sunt, quotquot in posterum futuri, in sacris obeundis officiis, palliolum, seu mozzettam violacei coloris, laneam in hyeme, sericam vero eiusdem coloris aestivo tempore, gestare libere possint et valeant, utque archipresbyter ad suae dignitatis indicium ac discrimen eamdem mozzettam paris coloris violacei, cum fimbria tamen seu filamentis in extremis oris rubri coloris, gestare libere possit et valeat.

Haec concedimus et indulgemus non obstantibus apostolicis constitutionibus ac ordinationibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non eiusdem collegiatae etiam iuramento atque confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die secunda martii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXVIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Confirmatur decretum ministri generalis ordinis S. Francisci, quo conventus Belgici a provincia Germanica inferiori separantur et in formalem provinciam eriguntur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Quum dilectus filius minister generalis universi ordinis Minorum S. Francisci Assisiensis, apostolica facultate a Nobis obtenta, decretum ediderit sub die decima secunda maii anno millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, quo decreto conventus Turdonopolensis, omnesque alii in Belgica ditione existentes atque in posterum extituri, a provincia Germaniae inferioris strictioris observantiae Recollectorum dicta in perpetuum separantur atque in novam provinciam suo proprio regimine et sub nomine S. Iosephi Belgii evehuntur, licet iidem conventus, qui nunc sunt, ad numerum non pertingant requisitum ad hoc, ut provinciae nomine ac iuribus decorari possint, ea super re a pontificiis constitutionibus atque ordinis statutis, facta per Nos, apostolica auctoritate, dispensatione, cumque dilectus filius Lambertus Birix provincialis Recollectorum S. Francisci Assisien. in Belgio supplicaverit, ut apostolicis Nostris literis in forma brevis praedictum decretum a ministro generali sui ordinis editum, apostolica Nostra auctoritate roboremus, Nos eiusdem votis libenti animo obsecundamus.

Nos igitur omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficientia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte iucurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, praedictum decretum, auctoritate Nostra apostolica, in omnibus ac singulis partibus, de consilio venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. negociis Episcoporum et Regularium praepositorum confirmantes atque approbantes, declaramus conventum Turdonopolensem, ceterosque in Belgica ditione existentes atque in posterum extituros, a provincia supradicta Germanicae inferioris segregatos in perpetuum esse habendos, eosque in veram ac formalem provinciam sub appellatione provinciae strictioris observantiae sive Recollectorum S. Iosephi Belgii cum omnibus iuribus, praerogativis ac privilegiis unicuique ordinis provinciae competentibus erectos habendos esse atque appellandos, licet conventus, qui nunc existunt non pertingant ad numerum, ut iuxta praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum sanctiones atque ordinis statuta, provinciae nomine ac privilegiis decorari possint, qua super re apostolica Nostra auctoritate dispensatum volumus ac declaramus.

Haec concedimus et statuimus, non obstantibus apostolicis nec non dicti ordinis Minorum S. Francisci etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die octava martii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

---

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

CCLXIX.

LITTERAE APOSTOLICAE

Impartitur episcopo Bellinensi, vic. ap. regni Coreae, facultas eligendi et consecrandi suum coadiutorem [1].

Venerabili fratri
episcopo Bellinensi
vic. apost. regni Coreae

GREGORIUS PP. XVI

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Quum ob interitum bon. me. Laurentii Mariae Imbert, episcopi Capsensis, vicarii apostolici istius regni, qui ethnicorum gladio pro christiana fide invicte cecidit, eiusdem vicariatus regimen coadiutoris iure susceperis, Nobis exponendum curasti, in maximis quibus versaris persecutionis angustiis, valde expedire, ut facultatem obtineas coadiutorem episcopum seligendi titulo defuncti eximii praesulis Capsensis, inter operarios alumnos seminarii Missionum ad Exteros, quem ad id muneris magis in Domino idoneum et charactere episcopali dignum existimaveris, ne iterum interempto a persecutoribus vicario apostolico, christifideles omni pastoris praesidio destituantur. Nos igitur, incolumitati ac saluti istius gregis pastorali studio prospicientes, tuisque votis libenter adnuentes, de consilio venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, auctoritate Nostra apostolica, tibi, ven. frater, facultatem impertimur, ut inter praedictos operarios coadiutorem cum futura successione eligere possis, quem ad hoc munus aptiorem et charactere episcopali digniorem existimaveris. Illi proinde a te in coadiutorem electo, episcopalem ecclesiam Capsensem quandiu in partibus infidelium detinebitur, non accedendi facultatem impertimur; ac praeterea concedimus, ut a quocumque catholico antistite Sanctae huius Sedis gratiam et communionem habente adscitis et illi adsistentibus duobus aliis episcopis, vel, si hi commode reperiri nequeant, duobus presbyteris saecularibus vel cuiusvis ordinis aut instituti regularibus similem dictae sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere ac licite valeat.

Volumus tamen, ut prius catholicae fidei professionem iuxta articulos ab hac S. Sede propositos, et Nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae iuramentum, in manu dicti antistitis emittat; secus idem antistes a pontificalis officii exercitio ac tam ipse quam dictus coadiutor in episcopum electus, a regimine et administratione ecclesiarum suarum eo ipso suspensi censeantur.

Verum si ob rerum adiuncta dicta facultate uti nequeas, tibi concedimus, ut electionem coadiutoris committere valeas alteri vicario apostolico illarum regionum quae ipsius seminarii Missionum ad Exteros presbyteris creditae sunt.

Haec concedimus et indulgemus non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda martii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXX.

INDULTUM

Quo beneficiariis cathedralis templi Signinae civitatis conceduntur nonnulla insignia [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad futuram rei memoriam.

Iucundum sane Nobis est peculiaria honoris ornamenta ecclesiasticis deferre viris, ut ii scilicet templo Dei assidentes sacrosque ritus obeuntes, eam adhibeant attentionem, modestiam, gravitatem, ut ceteri quotquot adstant fideles, ad pietatem ac religionis cultum mirifice inflammentur.

Iam vero quum Nobis compertum fuerit beneficiarios templi cathedralis Signini impensius optare, ut aliquo dignitatis insigne decorentur, Nos pro illorum in sui muneris partibus explendis diligentia, nec non pro explorata et cognita erga Nos atque hanc Apostolicam Sedem observantia, hisce votis libenter censuimus adnuendum.

Quamobrem omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari honore afficere volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, auctoritate Nostra apostolica, hisce literis, eam facultatem perpetuo valituram concedimus, ut omnes et singuli beneficiarii cathedralis templi Signini, quot in praesens existunt, quotque in posterum futuri, in sacris of-

---

[1] Ex Collectanea constitutionum, decretorum etc. S. Sedis ad usum operariorum Apostolicorum Societatis Missionum ad exteros sub num. 11 pag. 10.

[1] Ex Cancellaria Episcopali Signinae dioecesis.

ficiis peragendis fasciam nigri coloris ad latus gestare libere ac licite possint et valeant.

Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus nec non eiusdem cathedralis templi et capituli etiam iuramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda martii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCLXXI.

EPISTOLA

Queritur cum episcopo Neo-Aurelianensi de conatibus aedituorum contra potestatem episcopalem; eos improbat, illosque monitos vult ut resipiscant, ne poenis ecclesiasticis plectantur [1].

Venerabili fratri
Antonio
episcopo Neo-Aurelianensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ecclesiae universae procurationem meritis quamvis imparibus divino providentiae consilio gerentes, nihil sane habemus antiquius, quam ut episcoporum potestas ac iura sarta tecta serventur, quique illa pessumdare ausu improbo velint, ipsorum audaciam, auctoritate Nostra apostolica, retundamus.

Gravem sane dolorem inusserunt Nobis literae tuae, ven. frater, quibus illud significasti, paroeciae istius Neo-Aurelianensis aedituos plura miscere ac conari ad episcopalis tuae potestatis iura proterenda, gravesque ea de re turbas fuisse istic concitatas. Profecto iam inde ab anno millesimo octingentesimo vigesimo octavo fel. rec. Leo XII praedecessor Noster per similes apostolicas literas datas administratori apostolico istius ecclesiae aedituorum audaciam improbavit, curavitque coercendam, eosque ad bonam frugem revocare contendit. Nunc vero, quoniam obliti eiusdem praedecessoris Nostri paterna monita, ac pristinum facinus renovantes, episcopalem tuam auctoritatem dignitatemque proculcare non dubitant, non possumus, ven. frater, quin tuis votis obsecundantes, ad improbos illorum conatus comprimendos apostolicam Nostram auctoritatem exeramus. Quamobrem, hisce literis, malos istorum aedituorum ausus contra episcopalem tuam potestatem improbamus, atque improbandos ab omnibus esse decernimus, eosque monitos volumus, secum ut reputent, quanto se scelere obstringant, qui catholicae Ecclesiae disciplinam funditus convellere adnitantur. Quare, ven. frater, hos Nostros animi sensus aedituis Neo-Aurelianensibus manifestes, illudque significes, nisi resipuerint, dignos plane videri in quos ecclesiasticis poenis districte animadvertatur. Confidimus autem, eos paternis Nostris vocibus audientes futuros, ac facti poenitentes, ad bonam frugem redituros, sic ut quanto Nos iam moerore affecerint episcopalis tuae potestatis iura proterentes, tantam allaturi laetitiam sint pastoris sui potestati, uti par est, sese omnino in posterum submittentes. Ceterum, ven. frater, perge, ut facis, seduli pastoris partes explere, et a malorum insidiis, quae ubique latent, gregem servare tuae curae concreditum. Totam vero paternae Nostrae sollicitudinis ac studii apostolicam benedictionem tibi gregique tuo peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima sexta martii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXXII.

EPISTOLA

Ad Philippum Felicianum Episcopum Chelmensem scribens, cum eo dolet de vaferrinis schismaticorum contra Catholicam Ecclesiam consiliis, quum non pauci homines ad schisma emigraverint. Episcopum enixe commendat ut industriam atque opes omnes quae in eius potestate sunt, conferat, ad eius dioecesis pericula deprecanda; et praecipue illum monet ne desinat pro viribus gregem suum hortari, ut in catholica fide, sine qua nulla est salus, immotus permaneat [2].

Venerabili fratri
Philippo Feliciano
episcopo Chelmensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi summo quotidie afflictemur moerore, ob gravissima Catholicae Ecclesiae vulnera, quae per istas praesertim regiones vaferrimis furentium schismaticorum consiliis violentisque molitionibus acerbiora in dies reddi cognoscimus;

---

1 Ex Iure Pontificio de P. F.

2 Ex Archivio Brevium ad Principes.

tamen maiorem in modum animi nostri dolor est auctus, cum nuper, ven. fr., tuas tristissimas atque amantissimas accepimus literas die vigesima secunda mensis septembris superiori anno ad Nos datas. Ipsis enim iure quereris, non paucos tuae quoque dioecesis homines, nefariis insidiis falsisque sollicitationibus misere deceptos, a catholica fide iam defecisse, atque ad schismaticorum sectam demigrasse. Ac vehementer doles et angeris cum videas optimos quosque tuae ecclesiae sacerdotes, de re catholica bene sentientes, atque ecclesiasticis muniis obeundis sanisque doctrinis publice tradendis idoneos, ad defectionem tentari, a cathedris expelli, minis terreri, contumeliis calumniis modisque omnibus vexari, exagitari, tuisque clericis purae doctrinae et rectae educationis fontes intercludi, atque ecclesiasticas leges violari, tuam iurisdictionem turbari, et episcopalis muneris officia impediri. Nos quidem tecum una, ven. fr.,intimo corde ingemiscimus, ac tantis Catholicae Ecclesiae damnis atque huius S. Sedis detrimentis districti ac pene obruti, dies noctesque coram Deo in lacrymas effusi, ipsum, qui pacis et consolationis est auctor, humillimis precibus orare obsecrare numquam omittimus, ut tot Ecclesiae suae sanctae vulneribus mederi, ac tantas calamitates, aerumnas secundum suam misericordiam avertere velit. Interim vero Nostram infirmitatem sustentat, lenitque incredibilem dolorem eximia ac spectata tua virtus, ven. fr., qui in tanta rerum vicissitudine, ac tam aspera temporum procella nihil tibi, sed divino auxilio omnino fretus, immobili fide huic Petri Cathedrae centro catholicae unitatis adhaerere laetaris, atque indutus loricam iustitiae impavidus adversus Ecclesiae Christi osores et huius Apostolicae Sedis hostes factus tamquam murus aeneus, et columna ferrea quantum in te est, episcopali robore omnibus illorum conatibus obsistere, tela retundere, fallacias detegere, impetus frangere non reformidas, ad omnia subeunda pericula paratissimus, quo tuum ministerium implere ovesque tibi commissas tueri, atque a venenatis pascuis arcere ad salutaria propellere possis. Neque leviori etiam solatio affecti fuimus, cum ex iisdem tuis litteris noverimus, singulari miserantis Dei beneficio, maximam tui gregis partem mortiferis insidiantium vocibus aures haud praebere, atque adhuc in apostolico fundamento persistere. Itaque in tanto discrimine ne abiicias animum, ven. fr., sed confortare in Domino et in potentia virtutis eius, atque assumens in omnibus scutum inexpugnabile aequitatis et fidei, et sumens gladium spiritus, Deo semper auctore, perge certare bonum certamen ac praeclara tuae constantiae et fortitudinis documenta exhibere, neque umquam desinas pro viribus tuum gregem hortari monere, ut in catholica fide, sine qua nulla est salus, immotus permaneat, et numquam ab officio deflectat. Probe enim noscis te ita non solum de Catholica Ecclesia, de hac Apostolica Sede, de Nobis vel maxime meriturum, verum etiam magis magisque eius oculis placiturum, qui Nos in congressione nominis sui constitutos desuper spectans, volentes comprobat, adiuvat dimicantes, vincentes coronat [1]. Meritis autem laudibus te prosequimur, ven. fr., quod nulla interposita mora, nonnullorum rituum immutationem a te propositam, omni cura et studio revocandam curaveris, vix dum intellexisti illam ex schismaticorum potissimum fraudibus in tui gregis damnum cedere, a qua quidem immutatione fraternitatem tuam Nostris litteris die vigesima tertia maii anno millesimo octingentesimo quadragesimo latis, abstineri monuimus. Hisce vero diebus ad Nos pervenerunt acta episcopalis consecrationis, ven. frat., Ioannis Teraszkienvicz, quem tibi suffraganeum episcopum a Nobis datum esse gaudes, quemque egregiae tuae pietatis, religionis, constantiae imitatorem esse vehementer desideramus, atque iccirco ipsissimis tuis sensibus a te, ven. fr., illum animari maxime exoptamus. Cum autem Nobis nihil optabilius esse possit, quam fraternitatis tuae litteras accipere, tum futurum sane confidimus ut tu, ven. fr., quacumque occasione uti volueris, quo tuae ad Nos litterae perveniant. Denique, ven fr., pro certo habe Nos fraternitatem tuam omnesque tuos clericos laicosque fideles potissima in Christo caritate complecti, et in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione Deo et Verbo gratiae ipsius humiliter commendare, ac paratissimos esse ad opem tibi ferendam quibusque in rebus, divina iuvante providentia, poterimus. Atque huius studiosissimae Nostrae voluntatis et praecipuae benevolentiae pignus, apostolicam benedictionem tibi, ven. fr., tuisque commemoratis ovibus toto cordis affectu peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die vigesima septima martii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

---

1 S. Cypriani epist. 77 ad Nemesianum et ceteros Martyres.

CCLXXIII.

EPISTOLA

Cum Aloysio Antonio Archiepiscopo Pragensi dolet de fraudibus nefariisque machinationibus impiorum hominum contra Christi ovile, et praecipue de bello contra Catholicam Ecclesiam ac Apostolicam Sedem in Bohemia. Illum monet, ut maiori studio et contentione christianam plebem adversus Hussitas tueatur; hinc acriter esse pugnandum, ne aliud fundamentum ponatur praeter id quod a Christo Iesu statutum est. Ut autem his periculis occurrere possit, Archiepiscopum monet, ut curas cogitationesque in eius dioecesis Seminarium conferre nunquam desinat, quo adolescentes clerici inibi morantes, ad omnen virtutem atque pietatem mature fingantur [1].

Venerabili fratri
Aloisio Antonio
archiepiscopo Pragensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum maxima damna atque pericula catholicae religioni et Christi ovili, subdolis impiorum hominum fraudibus nefariisque machinationibus, in hac tanta temporum asperitate, undique comparari vehementissime dolemus et angimur, tum pro apostolica Nostra sollicitudine, cui universi dominici gregis pascendi regendique cura divinitus est commissa, venenerabilium fratrum vigilantiam vel maxime excitare non intermittimus, ut inimicorum conatus elidere ac dilectarum ovium saluti pro viribus prospicere studeant. Acerbissimo quidem animi Nostri moerore, ven. frater, ex variis nunciis accepimus, nunc in Bohemia teterrimum ac formidolosissimum bellum contra Catholicam Ecclesiam atque hanc S. Apostolicam Sedem, schismaticis, protestantibus reliquisque Hussitis conflari, qui etiamsi monstrosis opinionum commentis ac pestifera errorum varietate inter se dissentiant, in id tamen potissimum omnes unanimi consensione ac nefaria coniuratione conspirant, ut tenebricosissimis insidiis, ac turbolentissimis motibus catholicam religionem, si fieri unquam posset, labefactent immo funditus evertant, et Christi oves mactent ac perdant. Quo vero callidissimi isti fraudum artifices et fabricatores mendacii improvidos praecipue atque imperitos in errorem inducant atque a catholica fide abripiant, rudium et simplicium animos omnibus insidiis et dolis appetere, fallaciis fabulisque subruere commoliuntur. Schismatici enim turpissimo mendacio gloriam sibi vindicant, Slavos populos ab ipsis christianam accepisse religionem, cum vetustissima aeque ac verissima monumenta clare aperteque testentur atque demonstrent, Slavos ipsos tum Romanae tum Constantinopolitanae Ecclesiae opera ab errorum tenebris ad evangelii lucem fuisse vocatos et christianae legis praeceptionibus imbutos antequam infandum et lacrymabile schisma a Michaele Cerulario praesertim instauraretur. Atque etiam si verum esset quod schismatici de eorum antiquitate ad fideles decipiendos comminiscuntur et praedicant, hoc quoque in casu illorum secta omnino foret reiicienda, cum vetustas esset erroris, quae impedire non potest, quominus veritas praevaleat et vincat. Hussitae vero sedentes in insidiis et clam e pharetra iacula educentes, quibus in occulto fideles sagittent, non reformidant religionis et nationalis gloriae instauratorem appellare illum scelestissimum virum, qui ob pestiferos errores non solum a Romanis Pontificibus decessoribus Nostris, verum etiam a generali Constantiensi concilio fuit damnatus, ac propter gravissimas seditiones, quibus civilem societatem exagitare moliebatur, a laica potestate morte mulctatus. Atque eo sceleris et impudentiae deveniunt, ut illum tanquam verae fidei martyrem colere, eiusque imagini venerationem tribuere non erubescant. Protestantes autem, qui Ioannem Hus veluti unum e propriis patribus agnoscunt, quique ab origine foedus cum graecis schismaticis irrito conatu ineundum curaverant, nunc exultant, ac prope triumphant, quod tempus tandem advenisse arbitrantur, quo Ioannis Hus nomen atque iactata ritus graeci schismatici rationalitas, ad eorum sectam Romanae Ecclesiae filios perducere, et cum ipsis coniungere possit. Quis non gravissimo conficiatur dolore, ven. fr., cum videat hos infensissimos catholicae religionis hostes tam execrabili perversitate atque effrenata audacia vineam Domini invadere atque in hanc Petri Cathedram, cui tanquam firmissimo fundamento tota Christi Domini religionis moles innixa recumbit, eo sane consilio irruere, ut liberius Ecclesiae membra discerpant? Itaque, ven. fr., quamvis probe noscamus quae et quanta tua sit pietas, religio, zelus, summamque in pastorali tua sollicitudine fiduciam habeamus, tamen non possumus in tanto istorum fidelium discrimine, quin singularem tuam vigilantiam magis magisque excitemus, tibique addamus animos, ut maiori usque studio et contentione christianam plebem adversus sacrilegae persuasionis auctores tuearis atque defendas. Optime quidem cognoscis acriter esse pugnandum, quantum res ista postulat, ac pro

[2] Ex Archivio Brevium ad Principes.

viribus providendum, ne fundamentum aliud ponatur praeter id, quod a Christo Iesu positum est, et ne fideles circumferantur nequitia et astutia insidiantium hominum ad circumventionem erroris. Tuum quidem erit, ven. fr., nihil diligentiae, nihil curae, nihil laboris praetermittere, ut sanctissimum fidei depositum integrum inviolatumque custodiens, inimicorum hominum fallacias praestigiasque detegas, impia eorum consilia praevertas, conatibus obsistas ac fideles modis omnibus continenter moneas, ut in catholica professione immobiles permaneant, et nunquam impiorum hominum fraudibus atque insidiis se decipi ac serpentinis illorum venenis infici patiantur. Et quoniam peritissimi perversionis architecti ad fidelium interitum pessimos ac perniciosissimos libros de industria compositos et artificii plenos quotidie in vulgus prodere et disseminare non desinunt, iccirco pro eximia tua episcopali sollicitudine nihil intentatum relinque, ut gregem tibi commissum a letiferis hisce pascuis et venenatis fontibus arceas ac tantam pestem avertas. Ut autem, ven. fr., tot impendentibus periculis maximis maiorem in modum occurrere posses, curas omnes cogitationesque in tuum istud episcopale seminarium conferre nunquam desinas, quo adolescentes clerici inibi ad omnem virtutem atque pietatem mature fingantur, ac literis et severioribus disciplinis praesertim theologicis, sacraeque historiae cognitione, ad germanam catholicae doctrinae indolem et normam rite imbuantur. Ita enim rebus optimis instituti, vitae morumque integritate praediti, sanisque doctrinis exculti, poterunt in tempore, Deo bene iuvante, in aciem prodire, ac fidelium mentes et animos sanctissimis fidei praeceptis recte erudire, ab erroribus defendere, contradicentes revincere, et praeliari praelia Domini. Atque hic, ven. fr., debitas laudes tribuimus dilecto filio Rost, quem eiusdem seminarii rectorem, tibique addictissimum suo munere diligenter religioseque perfungi accepimus in meliori ipsius seminarii disciplina et studiorum ratione procuranda. Non dubitamus profecto, ven. fr., quin pro spectato tuo zelo in orthodoxae fidei tuique gregis defensione tanquam in propria statione strenue persistes omnibus studiis atque consiliis, oves tibi concreditas a rapacium luporum insidiis atque conatibus eripere, easque incolumes tutari coneris. Nos certe in humilitate cordis Nostri ferventiores ad Deum preces effundere non omittemus, ut amplissimis suae gratiae donis tibi, ven. fr., semper adesse velit, ad declinandam catholicae religionis hostium calliditatem, tuique muneris partes cumulate implendas. Denique praecipuam Nostram erga fraternitatem tuam caritatem hisce litteris iterum testamur et confirmamus ac coelestium omnium munerum auspicem apostolicam benedictionem ex intimo corde depromptam tibi ven. frater et gregi tuae curae commisso, peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die trigesima prima martii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXXIV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Regiones ad Sinum Hudsonium et Iacobinianum (vulgo Baje d'Hudson et de James) *ab archiepiscopatu Quebecensi separat, et in vicariatum apostolicum constituit, cuius fines determinat* [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii, suprema Dei providentia, humeris Nostris impositi, grave sane onus ferentes, totiusque gregis dominici curam gerentes, illis praesertim ovibus, quae regiones ab hac Apostolica Sede longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu pastoris aeterni repertae intra verum ovile, ad pascua coelestia feliciter perducantur.

Hinc, quum ven. frater Iosephus Signay archiepiscopus Quebecensis Nobis exposuerit, religioni catholicae plurimum utile futurum, si vicariatus apostolicus erigatur, qui illum terrarum tractum complectatur, qui irrigatur per amnes ad Sinum Hudsonium (gallice *la Baje d'Hudson*) et ad sinum Iacobinianum (gallice *la Baje de James*) currentes, terminaturque ad austrum per 49 gradum latitudinis septemtrionalis, ad occasum per catenam montium lapideorum (gallice *les Montagnes des Roches*), ad orientem per provinciam unitam Canadae, ad septemtrionem per mare glaciale; cumque idem archiepiscopus omnem iurisdictionem suam in ea loca idcirco dimiserit; Nos de consilio venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, praedicti archiepiscopi Quebecensis petitioni censuimus adnuendum.

Motu igitur proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione deque apostolicae potestatis plenitudine, harum literarum vi, in praedictis regionibus ad Sinum Hudsonium seu *la Baja d'Hudson*, et ad Sinum Iacobinianum, vulgo la *Baja de James*, positis, vicariatum

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

apostolicum erigimus ac constituimus, qui per vicarium apostolicum a Nobis atque ab hac Apostolica Sede nominandum in posterum regatur.

Decernentes hasce literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima sexta aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXXV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Novo vicariatui apost., in regionibus ad Sinum Hudsonium et Sinum Iacobinianum erecto, ep. Iuliopolitanum praeficit [1].

Venerabili fratri
Francisco Norberto Provencher
episcopo Iuliopolitano

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Pastorale officium Nobis ex alto commissum postulat, ut quibusque rebus omnibusque modis spirituali christifidelium bono continenter vehementerque consulamus. Quum itaque ad religionis bonum et fidelium utilitatem novum vicariatum apostolicum constituimus, qui regiones ad Sinum Hudsonium et Sinum Iacobinianum positas complectatur, quae antea ad dioecesim Quebecensem pertinebant, cumque ven. frater archiepiscopus Quebecensis omnem in eas regiones iurisdictionem dimiserit, Nos eiusdem vicariatus apostolici regimen, vicario apostolico charactere episcopali insignito, committendum duximus. Quare de tua doctrina, fide, integritate, prudentia et catholicae religionis zelo quamplurimum in Domino confisi, quod ea, quae tibi committenda duxerimus, cumulate sis expleturus, de consilio venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, in iisdem regionibus ad Sinum Hudsonium et Sinum Iacobinianum sitis, vicarium apostolicum ad Nostrum et Apostolicae Sedis beneplacitum cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis tenore praesentium eligimus, constituimus ac renuntiamus. Mandamus proinde omnibus et singulis ad quos spectat, ut te in vicarium apostolicum huiusmodi recipiant et admittant, tibique faveant, pareant ac praesto sint, tuaque mandata efficaciter adimpleant, secus sententiam seu poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, ac faciemus, auctorante Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima sexta aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXXVI.

EPISTOLA

Cum Archiepiscopo Florentino dolet de decreto nuper edito in ducatu Etruriae, quo typographis severissime prohibetur quaecumque sacrorum antistitum scripta typis edere, nisi prius illa magistratus subiiciantur examini. Illo enim libertati Ecclesiae vulnus imponitur; hinc praesules hortatur, ut mere passive se habeant quoad vincula a gubernio iniecta [2].

Venerabili fratri
Ferdinando
archiepiscopo Florentino

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Maximis angustiis, quae hac tanta temporum asperitate gravius efficiunt apostolicae servitutis officium, infirmitati Nostrae divina dispositione commissum, illa sane acerbissima accessit, quae ex recenti istius magni Etruriae ducatus decreto derivat. Cognovimus enim ab ipso magni ducatus gubernio antiquatam quamdam legem iterum nunc renovatam fuisse, qua omnibus illius ducatus typographis severissime prohibetur quaecumque sacrorum antistitum scripta typis edere, nisi prius illa laici magistratus subiiciantur examini. Nullis quidem verbis, ven. fr., exprimere possumus quam acris et intimus fuerit animi Nostri dolor, ubi primum hanc legem denuo indictam esse accepimus, qua gravissimum Ecclesiae libertati, et episcoporum honori, auctoritati, iurisdictioni vulnus imponitur, cum ipsi in iis quae ad religionem et animarum salutem pertinent, a laici magi-

[1] Ex Iure Pontificio de Propaganda Fide.

[2] Ex Archivio Brevium ad Principes.

stratus voluntate et nutu pendere cogantur. Etsi vero in praesentia haud opportunum esse existimavimus Nostra reclamatione contra hanc legem conqueri, serio considerantes praeter ipsam legem tot alia eiusdem gubernii praescripta vigere, quae ecclesiasticae item libertati sacrisque iuribus omnino adversantur, ac memoria repetentes, quae praeterito tempore similis legis causa acta fuerant; tamen non solum tanti momenti negotium et alia prae oculis semper habebimus, verum etiam, divino freti auxilio, pro supremi Nostri pontificatus munere, nihil certe unquam intentatum relinquemus, quod ad huius Apostolicae Sedis et episcoporum iura tuenda magis idoneum noverimus in religiosis magni Etruriae ducatus rebus. Interim autem, ven. fr., quod attinet ad irretitam facultatem typis mandandi varia episcopalia acta de qua nunc agitur, tibi aliisque magni Etruriae ducatus Ordinariis ea ipsa consilia et monita praebere ducimus, quae illis rec. mem. Pius VII decessor Noster in suis litteris ad tuum praedecessorem Petrum Franciscum Morali die decima octobris anno millesimo octingentesimo decimo octavo scriptis danda esse existimavit. Itaque etiamsi summopere commendamus agendi rationem a fraternitate tua aliisque, quoad Nobis notum est, praesulibus nuperrime initam, evulgandi nempe acta, manu exarata, ac vehementer optamus, ut omnes sacrorum antistites, quantum fieri potest, eandem rationem adhibere pergant; tamen Nostram mentem esse declaramus tolerare ipsos Ordinarios etiam typis uti, si id in urgentibus casibus existiment, ita tamen ut *mere passive* se habeant quoad vincula a gubernio iniecta. Atque eiusdem Pii VII praedecessoris Nostri vestigiis inhaerentes, Ordinarios ipsos summopere exhortamur, ut memores ministerii, quod acceperunt in Domino, nunquam intermittant huius quoque Apostolicae Sedis nomine Ecclesiae potestatem eiusque sanctissima iura atque immunitatem pro viribus tueri et defendere, adhibitis quoque opportuno tempore expostulationibus, eo quo par est obsequio, ad magnum Etruriae ducem. Optime noscimus ipsorum hac de re querelas postulationesque anteactis temporibus optatum exitum habere minime potuisse, verumtamen nunquam abiiciendus est animus, cum praesertim Pii VII aetate huiusmodi negotium maioribus difficultatibus esset obnoxium. Etenim clarissimus ille praedecessor Noster nihil proficere potuerat suis sapientissimis atque amantissimis litteris ad Ferdinandum tunc magnum Etruriae ducem, et spes conceptae ob quandam explicationem, quae ab Etruriae gubernio data videbatur posteriori suae epistolae circulatim missae die vigesimatertia ianuarii anno millesimo octingentesimo decimo octavo, inanes porro evaserant propter aliam epistolam a praeside boni regiminis ad omnes provinciarum gubernatores scriptam die decima septima iulii eiusdem anni. Et nihilominus Etruriae episcopi commemoratis Pii VII literis excitati atque animati eorum prudenti constantia effecerunt, ut ipsi libere deinde typis excuderent omnia episcopalia acta absque ullo examinis vinculo, exceptis tantum solemnibus pastoralibus litteris, quas illi raro in lucem emittere solebant. Equidem ven. fr. in hisce aliisque sacri ministerii negotiis, ecclesiae pastores noscere minime possunt, quo modo et tempore dives in misericordia Deus eorum curas atque labores felici exitu coronare velit, sed ipsi, ut probe noscis, gravissimam in se admitterent culpam, si iccirco desinerent divinis respondere auxiliis, quae sacris pastoribus non desunt ad proprii muneris partes implendas. Nos certe gravissima omnium ecclesiarum sollicitudine laborantes, nunquam omittemus confirmare, venerabiles fratres, omnemque illi opem ferre prout in Domino potuerimus. Atque in sacris Etruriae rebus ea spe sustentamur fore, ut miserationum et totius consolationis Deus, in cuius manu est cor regis, Nos consolari velit atque efficere, ut dilectissimus in Christo filius Noster magnus Etruriae dux, pro sua religione et pietate, falsas contra iura Ecclesiae eiusque antistitum opiniones, quibus aliorum opera est imbutus, omnino reiiciat, atque ita Ecclesia in istis dioecesibus sua libertate fruatur. Hac sane de causa in humilitate cordis Nostri assiduas fervidasque preces ad Misericordiarum Patrem fundere nunquam omittimus, ac pro certo habemus, te quoque, ven. fr., ceterosque omnes magni Etruriae ducatus sacrorum antistites id a Deo O. M. in omni oratione et obsecratione suppliciter poscere; tuum vero erit, ven. fr., has Nostras litteras cunctas istius ecclesiasticae provinciae Ordinariis communicare. Denique singularem, qua te prosequimur, benevolentiam iterum testamur et confirmamus, atque apostolicam benedictionem ex imo corde depromptam tibi, ven. fr., et gregi tuae curae commisso, peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die vigesima septima aprilis anno millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXXVII.

EPISTOLA ENCYCLICA

De societatis biblicae conatibus contra verbum Scripturarum scribit; calumniasque de prohibita Scripturarum lectione refutat; contra molimina sociorum Foederis Christiani *antistites et populos edocet etc.* [1].

Venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Inter praecipuas machinationes, quibus Nostra hac aetate acatholici diversorum nominum insidiari cultoribus catholicae veritatis, eorumque animos a sanctitate fidei avertere connituntur, haud ultimum tenent locum societates biblicae, quas in Anglia primum institutas ac longe hinc lateque diffusas, facto veluti agmine, in id conspirare conspicimus, ut divinarum Scripturarum libros, vulgaribus quibusque linguis interpretatos, permagno edant exemplarium numero, eosque inter christianos iuxta atque infideles nullo delectu disseminent, et horum quemlibet ad illos nullo duce legendos, alliciant. Ita igitur, quod suo iam tempore lamentabatur Hieronymus [2], et *garrulae anui* et *deliro seni* et *sophistae verboso* et *universis,* si modo legere norint, cuiusque conditionis hominibus communem faciunt artem Scripturarum sine magistro intelligendarum: immo, quod longe absurdissimum, peneque inauditum est, ne ipsas quidem infidelium plebes ab eiusmodi intelligentiae communione excludunt.

Sed vos quidem minime latet, venn. fratres, quorsum haec societatum earumdem molimina pertineant. Probe enim Nostis consignatum in sacris ipsis literis monitum Petri apostolorum principis, qui post laudatas Pauli epistolas, esse ait in illis *quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem:* statimque adiicit: *vos igitur, fratres, praescientes custodite; ne insipientium errore traducti, excidatis a propria firmitate* [3]. Hinc et perspectum vobis est vel a prima christiani nominis aetate, hanc fuisse propriam haereticorum artem, ut, repudiato verbo Dei tradito, et Ecclesiae catholicae auctoritate reiecta, Scripturas aut *manu* interpolarent, aut *sensus expositione* interverterent [4]. Nec denique ignoratis, quanta vel diligentia vel sapientia opus sit ad transferenda fideliter in aliam linguam eloquia Domini; ut nihil proinde facilius contingat, quam, ut in eorumdem versionibus per societates biblicas multiplicatis gravissimi ex tot interpretum vel imprudentia vel fraude inserantur errores; quos ipsa porro illarum multitudo et varietas diu occultat in perniciem multorum. Ipsarum tamen societatum parum aut nihil omnino interest, si homines Biblia illa vulgaribus sermonibus interpretata lecturi, in alios potius quam alios errores dilabantur; dummodo assuescant paullatim ad liberum de Scripturarum sensu iudicium sibimetipsis vindicandum, atque ad contemnendas traditiones divinas ex Patrum doctrina in Ecclesia catholica custoditas, ipsumque Ecclesiae magisterium repudiandum.

Hunc in finem biblici iidem socii Ecclesiam Sanctamque hanc Petri Sedem calumniari non cessant, quasi a pluribus iam saeculis fidelem populum a sacrarum Scripturarum cognitione arcere conetur; quum tamen plurima extent eademque luculentissima documenta singularis studii, quo recentioribus ipsis temporibus Summi Pontifices, ceterique illorum ductu catholici antistites usi sunt, ut catholicorum gentes ad Dei eloquia scripta et tradita impensius erudirentur. Quo imprimis pertinent decreta Tridentinae synodi, quibus nedum episcopis mandatum est, ut *sacras Scripturas divinamque legem* frequentius per dioecesim annuntiandam curarent [5], sed, ampliata insuper Lateranensis concilii [6] institutione, provisum, ut in singulis ecclesiis seu cathedralibus seu collegiatis urbium insigniorumque oppidorum, non deesset theologalis praebenda, eademque conferretur omnino personis idoneis sacrae Scripturae exponendae et interpretandae [7]. De ipsa postmodum theologali praebenda ad Tridentinae illius sanctionis normam constituenda, et de lectionibus a canonico theologo ad clerum atque etiam ad populum publice habendis, actum est in plurimis synodis provincialibus [8], nec non in Romano concilio [9] anni millesimi septingentesimi vigesimi quinti, in quod Benedictus XIII fel. rec. praecessor Noster nedum sacros antistites Romanae provinciae, sed plures etiam ex archiepiscopis, episcopis, ceterisque locorum Ordinariis Sanctae huic Sedi nullo modo subditis con-

---

1 Ex Iure Pontificio de P. F.

2 Epist. ad Paulinum § VII, quae est Epistola LIII, tom. I. Op. S. Hieron. edit. Vallarsii.

3 2 Petri III, 16, 17.

4 Tertullianus lib. *de Praescriptionibus* adversus haereticos cap. 37, 38.

5 Sess. 24, c. 4 de Ref.

6 Concil. Lateran. anni MCCXV sub Innocentio III, cap. XI, quod in corpus iuris relatum est cap. 4 *de Magistris.*

7 Trid. sess. 5, c. 1 de Ref.

8 In Concil. Mediol. I. an. MDLXV. par. I, tit. 5 *de Praeb. Theol.*, Mediol. V. an. MDLXXIX. par. III, tit. 5 *quae ad Beneficior. collat. attin.*, Aquensi an. MDLXXXV. tit. *de Canonicis,* et aliis plurib.

9 Tit. I, cap. 6 seqq.

vocaverat [1]. Idem praeterea Summus Pontifex eumdem in finem nonnulla constituit in apostolicis literis, quas pro Italia nominatim insulisque adiacentibus dedit [2]. Vobis denique, venerabiles fratres, qui de conditione sacrarum rerum in cuiusque dioecesi ad Sedem Apostolicam statis temporibus referre [3] consuevistis, ex responsis per Nostram congregationem Concilii ad decessores vestros aut ad vos ipsos iterum iterumque datis, perspectum est, quemadmodum Sancta eadem Sedes et gratulari episcopis soleat, si praebendatos theologos habeant in publicis sacrarum litterarum lectionibus munere suo bene fungentes, et numquam intermittat excitare atque adiuvare pastorales illorum curas, si alicubi res adhuc ex sententia non successerit.

Ceterum ad translata in vulgares linguas Biblia quod attinet, multis iam abhinc saeculis contigerat, ut diversis in locis sacri antistites maiore interdum vigilantia uti debuerint, ubi versiones huiusmodi aut in occultis lectitari conventiculis, aut per haereticos impensius diffundi animadverterent. Atque huc spectant monita et cautiones adhibitae ab Innocentio III glor. mem. decessore Nostro circa laicorum mulierumque coetus sub pietatis obtentu et legendarum Scripturarum causa secreto habitos in Metensi dioecesi [4]: nec non et peculiares vulgarium bibliorum interdictiones, quas sive in Galliis paulo post [5], sive in Hispaniis ante saeculum decimum sextum [6] latas invenimus. Sed ampliore postmodum providentia opus fuit, cum luterani calvinianique acatholici, incommutabilem fidei doctrinam incredibili prope errorum varietate oppugnare ausi, nihil intentatum relinquebant, ut fidelium mentes deciperent perversis explicationibus sacrarum literarum, editisque per suos asseclas novis illarum in popularem sermonem interpretationibus; quarum quidem exemplis multiplicandis et citissime divulgandis inventae nuper typographicae artis praesidio iuvabantur. Itaque iis in regulis, quae a patribus, a Tridentina synodo delectis, conscriptae et a Pio IV fel. mem. praedecessore Nostro [7] approbatae, Indicique librorum prohibitorum praemissae sunt, generali sanctione statutum legitur, ut Biblia, vulgari sermone edita, non aliis permitterentur, nisi quibus illorum lectio ad *fidei atque pietatis augmentum* profutura iudicaretur [8]. Huic eidem regulae, nova subinde propter perseverantes haereticorum fraudes cautione constrictae, ea demum auctoritate Benedicti XIV adiecta declaratio est, ut permissa porro habeatur lectio vulgarium versionum, quae *ab Apostolica Sede approbatae,* aut *cum annotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae patribus vel ex doctis catholicisque viris* editae fuerint [9].

Non defuere interim novi ex Iansenii schola sectarii, qui hanc Ecclesiae Sedisque Apostolicae prudentissimam oeconomiam mutuato a luteranis calvinianisque stilo reprehendere non sunt veriti, quasi Scripturarum lectio unicuique fidelium generi omni tempore atque ubique locorum utilis et necessaria esset, atque ideo nemini posset auctoritate ulla interdici. Hanc vero Iansenianorum audaciam graviori censura reprehensam habemus in sollemnibus iudiciis, quae toto plaudente catholico orbe, contra illorum doctrinas tulerunt bini rec. mem. summi Pontifices, nimirum Clemens XI in constitutione *Unigenitus* anni millesimi septingentesimi decimi tertii [10], et Pius VI in constitutione *Auctorem Fidei* anni millesimi septingentesimi nonagesimi quarti [11].

Ita igitur, antequam instituerentur societates biblicae, iamdudum in commemoratis Ecclesiae decretis fideles praemuniti fuerant adversus haereticorum fraudem in specioso illo divinas litteras ad communem usum diffundendi studio latentem. Pius autem VII glor. rec. praecessor Noster, qui societates ipsas, suo tempore ortas, magnis invalescere auctibus comperit, haud sane abstinuit opponere se illarum conatibus tum per apostolicos suos nuntios, tum per epistolas et per decreta a diversis cardinalium S. R. E. congregationibus edita [12], tum suis duabus pontificiis litteris, quas ad Gnesnensem [13] atque ad Mohiloviensem [14] archiepiscopos dedit.

---

[1] In litteris indictionis Concilii XXIV. decembris MDCCXXIV.

[2] Constit. *Pastoralis officii* XIV. kal. iunii anno MDCCXXV.

[3] Ex Constit. Sixti V. *Romanus Pontifex* XIII. kal. ian. an. MDLXXXV. et Const. Bened. XIV. *Quod Sancta Sardicensis Synodus* IX. kal. dec. MDCCXL. tom. I. Bullar. eiusdem Pontif., et ex Instructione, quae extat in Append. ad dict. tom. I.

[4] In tribus litteris datis ad Metenses, atque ad illorum Episcopum et capitul., nec non ad Abbates Cisterciensem, Morimundensem, et de Crista, quae sunt Epist. CXLI. CXLII. lib. II, et Espit. CCXXXV. libri III. in edition. Balutii.

[5] In Concil. Tolosano anni MCCXXIX. can. 14.

[6] Ex testimonio Cardinalis Pacecco in Concilio Tridentino (apud Pallavicinum, Storia del Concil. di Trento, lib. 6, cap. 12.)

[7] In Constitut. *Dominici gregis* XXIV. martii MDLXIV.

[8] In Regulis Indicis III. et IV.

[9] In Addition. ad dict. Regul. IV. ex Decreto Congregationis Indicis XVII. iunii MDCCLVII.

[10] In proscriptione propositionum Quesnelli a num. 79 ad 85.

[11] In damnatione proposit. Pseudo-Synodi Pistoriensis num. 67.

[12] Imprimis per Epistolam Congregationis Propegandae Fidei ad Vicarios Apostolicos Persiae, Armaniae aliarumque Orientis regionum datam 3 augusti MDCCCXVI. et per Decretum de omnibus huiusmodi versionibus editum a Cong. Indicis 23 iunii MDCCCXVII.

[13] Die I. iunii MDCCCXVI.

[14] Die IV. septembris MDCCCXVI.

Subinde Leo XII fel. mem. decessor Noster ipsa illa biblicorum sociorum molimina persecutus est in encyclicis literis ad omnes catholici orbis antistites datis die quinta maii anni millesimi octingentesimi vigesimi quarti, idque ipsum denuo fecit novissimus fel. item record. praecessor Noster Pius VIII in encyclica epistola edita die vigesima quarta maii anni millesimi octingentesimi vigesimi noni. Nos tandem, qui meritis longe imparibus in huius locum successimus, haud sane praetermisimus eumdem in finem apostolicam sollicitudinem Nostram impendere, atque inter alia curavimus, ut sancitae olim de vulgaribus Scripturarum translationibus regulae, in fidelium memoriam revocarentur [1].

Est autem cur vobis summopere gratulemur, venerabiles fratres, quod, excitati pietate prudentiaque vestra, et supradictis decessorum Nostrorum literis confirmati, haudquaquam negexistis commonere, ubi opus fuit, catholicas oves, ut ab insidiis caverent, quae sibi a biblicis sociis struebantur. Ex hisce autem episcoporum studiis cum supremae huius Petri Sedis sollicitudine conspirantibus, benedicente Domino, factum est, ut incauti quidam catholici homines, qui biblicis societatibus imprudenter favebant, perspecta subinde fraude, ab eisdem recesserint, et reliquus fidelium populus immunis ferme a contagione permanserit, quae inde illi imminebat.

Ea interim spe tenebantur sectarii biblici, ut magnam se consequuturos laudem non ambigerent ex infidelibus ad christiani nominis professionem utcumque inducendis, per lectionem sacrorum codicum vulgari ipsorum lingua editorum, quos ingenti plane exemplarium copia missionariis seu excursoribus a se destinatis, per illorum regiones distribui ac vel nolentibus obtrudi curabant. Sed hominibus, christianum nomen praeter regulas a Christo ipso institutas propagare conantibus, nihil pene ex sententia contigit, nisi quod potuere interdum nova creare impedimenta catholicis sacerdotibus, qui ad gentes ipsas ex Sanctae huius Sedis missione pergentes, nullis parcebant laboribus, ut praedicatione verbi Dei, sacramentorumque administratione novos Ecclesiae filios parerent, parati etiam pro illorum salute atque in testimonium fidei sanguinem suum inter exquisita quaeque tormenta profundere.

Iam vero inter sectarios illos sua ita expectatione frustratos, et perdolenti recogitantes animo ingentem pecuniae vim hactenus erogatam suis Bibliis edendis nulloque fructu divulgandis, inventi nuper aliqui sunt, qui machinationes suas novo quodam ordine disposuerunt ad Italorum potissimum Nostraeque ipsius Urbis civium animos prima velati aggressione appetendos. Scilicet ex acceptis modo nuntiis documentisque compertum habemus, plures homines diversarum sectarum Neo-Eboraci in America proximo anno convenisse, pridieque idus iunias inivisse novam societatem *Foederis Christiani* nomine nuncupatam, et aliis porro atque aliis ex omni gente sodalibus, seu constitutis in eiusdem auxilium sodalitiis amplificandam; quorum commune cum ipsis consilium sit, ut religiosam libertatem, seu potius vesanum indifferentiae super religione studium, Romanis Italisque ceteris infundant. Fatentur enimvero a pluribus retro saeculis tantum ubique ponderis habuisse Romanae Italaeque gentis instituta, ut nil magnum in orbe processerit, quin factum fuerit ab alma hac Urbe principium; quod quidem non ex constituta heic, disponente Domino, suprema Petri Sede, sed ex quibusdam antiquae Romanorum dominationis reliquiis, in usurpata, ut dictitant, a decessoribus Nostris potestate permanentibus, derivatum volunt. Quare cum statutum illis sit, populos universos conscientiae seu potius erroris libertate donare, ex qua, veluti a suo fonte, politica etiam libertas cum publicae ad ipsorum sensum prosperitatis incremento dimanet; nihil tamen sibi posse videntur, nisi primum apud Italos Romanosque cives aliquid profecerint, eorum deinceps auctoritate atque studiis penes reliquas gentes magnopere usuri. Atque id facile se assecuturos confidunt, cum tot ubique terrarum Itali sint diversis in locis degentes, indeque in patriam haud levi numero remeantes; quorum non paucos vel novarum rerum studio sua iam sponte incensos, vel corruptos moribus, aut inopia afflictos nullo fere negotio ad nomen societati dandum vel saltem ad suam operam pretio illi vendendam alliciant. Eo igitur curas suas converterunt, ut horum manibus undique conquisitis vulgaria corruptaque Biblia huc advehantur et in manus fidelium clanculum ingerantur: itemque ut distribuantur una simul pessimi alii libri libellique, ad mentem legentium ab Ecclesiae Sanctaeque huius Sedis obsequio abalienandam, Italorum eorumdem ope compositi, aut in patrium sermonem translati ex aliis auctoribus; inter quos *Historiam reformationis* a Merle d'Aubigné conscriptam et *Memorabilia super reformatione apud Italos* Ioannis Cric praecipue designant. Ceterum de toto hoc librorum genere, quale futurum sit, vel ex eo intelligi potest, quod societatis statuto praescriptum fertur circa peculiares sodalium quorumdam coetus librorum delectui destinatos, videlicet ut numquam in hos ne duo quidem unius eiusdem religiosae sectae viri conveniant.

Haec ut primum relata ad Nos sunt, non potuimus equidem non contristari graviter in consideratione periculi, quod nedum per remota

[1] In Monito adiecto ad Decretum Congregationis Indicis VII. ianuarii MDCCCXXXVI.

ab Urbe loca, sed prope ipsum catholicae unitatis centrum, incolumitati religionis sanctissimae a sectariis parari cognovimus. Quamvis enim timendum minime sit, ne deficiat umquam Petri Sedes, in qua inexpugnabile Ecclesiae suae fundamentum a Christo Domino positum est, non ideo tamen cessare Nos licet ab illius auctoritate tuenda ; et ipso insuper supremi apostolatus officio admonemur severissimae rationis, quam reposcet a Nobis divinus pastorum Princeps ob succrescentia in dominico agro zizania, si quae ab inimico homine Nobis dormientibus superseminata fuerint, atque ob creditarum ovium sanguinem quae Nostra hinc culpa perierint.

Itaque nonnullis S. R. E. cardinalibus in consilium adhibitis, ac tota rei causa graviter matureque perpensa, ex eorum quoque sententia deliberavimus, hanc ad vos omnes dare epistolam, venn. fratres, qua et cunctas supradictas societates biblicas dudum a Nostris decessoribus reprobatas, apostolica rursus auctoritate condemnamus, et Nostri pariter supremi apostolatus iudicio reprobamus nominatim et condemnamus memoratam novam societatem *Christiani Foederis,* superiore anno Neo-Eboraci constitutam et alia eiusdem generis sodalitia, si quae iam ei accesserint aut in posterum accedent. Hinc notum omnibus sit, gravissimi coram Deo et Ecclesia criminis reos fore illos omnes, qui alicui earumdem societatum dare nomen, aut operam suam commodare seu quomodocumque favere praesumpserint. Confirmamus insuper et innovamus auctoritate apostolica super memoratas praescriptiones iamdiu editas super editione, divulgatione, lectione et retentione librorum sacrae Scripturae in vulgares linguas translatorum : de aliis vero cuiusque scriptoris operibus in communem notitiam revocatum volumus, standum esse generalibus regulis et decessorum Nostrorum decretis, quae Indici prohibitorum librorum praeposita habentur ; atque adeo non ab iis tantum libris cavendum esse qui nominatim in eumdem Indicem relati sunt, sed ab aliis etiam, de quibus in commemoratis generalibus praescriptionibus agitur.

Vobis autem, venn. fratres, utpote in Nostrae sollicitudinis partem vocatis, commendamus in Domino vehementer, ut apostolicum iudicium et mandata haec Nostra concreditis pastorali procurationi vestrae populis annuntietis et explicetis pro loco et tempore, fidelesque oves a praedicta societate *Foederis Christiani,* ceterisque eidem auxiliantibus, nec non ab aliis biblicis societatibus, atque ab omni cum illis communicatione avertere connitamini. Iuxta haec vestrum quoque erit tum Biblia in vulgarem linguam conversa, quae contra supradictas Romanorum Pontificum sanctiones edita fuerint, tum alios quoscumque proscriptos damnososve libros e fidelium manibus evellere, atque adeo providere, ut fideles ipsi monitis et auctoritate vestra *edoceantur quod pabuli genus sibi salutare, quod noxium ac mortiferum ducere debeant* [1]. Interim instate quotidie magis, venn. fratres, praedicationi verbi Dei tum per vos ipsos, tum per singulos in cuiusque dioecesi animarum curatores, aliosque viros ecclesiasticos ei muneri idoneos ; atque advigilate impensius super illos praesertim, qui destinati sunt lectionibus sacrae Scripturae publice habendis, ut officio suo ad audientium captum diligenter fungantur et sub nullo umquam obtentu divinas ipsas literas contra Patrum traditionem aut praeter Ecclesiae catholicae sensum interpretari et explicare audeant. Denique sicut boni pastoris proprium est non modo tueri atque enutrire adhaerentes sibi oves, sed eas etiam, quae in longinqua recesserint, quaerere ac revocare ad ovile ; ita et vestri Nostrique muneris erit, omnes pastoralis studii nervos eo item intendere, ut quicumque ab huiusmodi sectariis, noxiorumque librorum propagatoribus seduci se passi sint, gravitatem peccati sui per Dei gratiam agnoscant, et salutaris poenitentiae remediis expiare satagant : nec vero abiiciendi sunt ab eodem sacerdotalis sollicitudinis studio seductores illorum, praecipuique ipsi impietatis magistri ; quorum etsi maior iniquitas sit, non tamen abstinere debemus ab eorum salute, quibus poterimus viis et modis, impensius procuranda.

Ceterum, venn. fratres, contra insidias et molimina sociorum *Foederis Christiani* peculiarem et acriorem imprimis vigilantiam exposcimus ab iis ex vestro ordine, qui ecclesias regunt in Italia sitas aut aliis in locis, ubi Itali saepius versantur, maxime autem in Italiae confiniis, aut ubicumque emporia portusque extant, unde frequentior in Italiam commeatus est. Cum enim sectariis ipsis propositum sit inibi ad effectum adducere consilia sua, hinc et episcopos potissimum eorumdem locorum alacri constantique studio Nobiscum allaborare oportet illorum machinationibus, adiuvante Domino, dissipandis.

Has autem Nostras vestrasque curas adiutum iri non dubitamus praesidio civilium potestatum, imprimis potentissimorum Italiae principum tum pro singulari suo studio religionis catholicae conservandae, tum quod ipsorum prudentiam minime fugit publicae etiam rei interesse plurimum, ut supradicta sectariorum molimina in irritum cadant. Constat enim, diuturnoque superiorum temporum experimento comprobatum est, populis a fidelitate atque obedientia erga suos principes retrahendis non

[1] Ex mandato Leonis XII.

aliam esse planiorem viam, quam indifferentiam in religionis negotio a sectariis sub religiosae libertatis nomine propagatam. Atque id ne dissimulant quidem novi illi sodales *Foederis Christiani:* qui licet sese alienos profiteantur a civilibus seditionibus concitandis; ex vindicato tamen unicuique de plebe Bibliorum interpretandorum arbitrio, diffusaque ita in Italorum gentem omnimoda quam vocant libertate conscientiae, politicam pariter Italiae libertatem sua veluti sponte consequuturam fatentur.

Quod vero primum et maximum est, levemus una simul manus Nostras ad Deum, venn. fratres, eique Nostram, totiusque gregis et Ecclesiae suae causam omni, qua possumus, fervidarum precum humilitate, commendemus; invocata etiam deprecatione piissima Petri apostolorum principis, aliorumque Sanctorum ac praesertim beatissimae Virginis Mariae, cui datum est cunctas haereses interimere in universo mundo.

Ad extremum Nostrae pignus ardentissimae caritatis, apostolicam benedictionem vobis omnibus, venn. fratres, et concreditis curae vestrae clericis, laicisque fidelibus effuso cordis affectu peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum postridie nonas maii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXXVIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus Ceccanum civitatis honore decoratur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontifices nihil unquam iucundius nihilque antiquius habuere, quam ut splendidissimis honorum titulis augerent, ac benevolentiae testimoniis eas praesertim propriae ditionis regiones decorarent, quae non modo locorum situ et habitantium multitudine, sed et religionis pietatisque laude, ac immobili fide et observantia erga Petri Cathedram, spectata, lectissimos tum probitate, tum doctrina, tum consilio catholicae et civili societati viros dedere. Equidem pervetustum Campaniae municipium, amoeno in loco positum, vulgo *Ceccano,* quod in spiritualibus Ferentinensium antistiti, in civilibus vero Frusinonensis provinciae praesidi paret, coeli temperie, agrorum ubertate, incolarum frequentia, honestissimis locupletissimisque familiis inter frequentiora eiusdem Campaniae loca excellit. Quod sane municipium vel a primis christianae reipublicae temporibus errorum dispulsa caligine, Christi fidem amplexum, plures integritate, ingenio, doctrina, prudentia, consilio praestantes edidit viros, qui rei civili et christianae ornamento fuerunt, quorum aliqui ob eximias virtutes sacra purpura donati sunt. Inter ceteros vero, qui in praesentia propter morum gravitatem, religionis studium, omnigenae eruditionis laudem, et rerum gerendarum dexteritatem eiusdem municipii decus amplificant, refulget profecto dilectus filius Noster Paschalis Gizzi Thebarum archiepiscopus, quem egregiis tum animi, tum ingenii dotibus praeditum, plurimis aeque ac gravissimis honorificentissimisque muneribus summa cum omnium laude perfunctum, et de Nobis, deque hac Apostolica Sede tot sane nominibus optime meritum, in sacrum S. R. E. cardinalium collegium nuper, quam libentissime cooptavimus.

Peculiari ergo beneficentia idem municipium prosequi et perenne propensissimae Nostrae erga illud voluntatis testimonium exhibere volentes, omnesque, quibus hae Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes ac absolutos fore censentes, Motu-Proprio, ac certa scientia, plenaque auctoritate Nostra apostolica, municipium, vulgo *Ceccano,* in dioecesi Ferentinensi et delegatione Frusinonensi positum, hisce literis, in civitatem eligimus et constituimus, eique omnes et singulos honores delatos volumus, itemque iura et insignia, quae ceteris pontificiae Nostrae ditionis civitatibus tributa sunt, vel in posterum tribuentur. Concedimus etiam et indulgemus, ut Ceccani incolae civium nomine honestentur, ita tamen, ut episcopus in tempore Ferentinensis inibi consistere minime teneatur, sed ecclesiae Ferentinensi, ut antea, sint subditi.

Haec concedimus et elargimur, volumus ac mandamus decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et eorum causa, quae expressa sunt hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non peculiaribus quo-

[1] Ex Archivio Cancellariae Episcopalis Ferentinae civitatis.

rumcumque locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima septima maii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXXIX.

BULLA

Qua erigitur ecclesia episcopalis Netensis (Noto) *in Sicilia* [1].

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam.

Gravissimum sane munus humeris Nostris divinitus impositum, agnos non modo, verum etiam oves vicaria Christi potestate pascendi, illud quoque a Nobis exigit, ut eam sacris pastoribus dominici gregis partem regendam adsignemus, cuius procurationi, eo quo decet modo eorum quisque vacare pro variis locorum rerumque circumstantiis valeat, neve ita laborum gravitate aut negotiorum multitudine obruatur, ut singulis pastoralis officii partibus rite adimplendis impar evadat. Quamobrem felicis recordationis Pius VII praedecessor Noster, cum ad vigentem Sicularum dioecesium ultra Pharum extantium, amplitudinem, animum convertisset, quaeque exinde necessario iis episcopis obveniebat plus aequo laboriosam curarum molem perpendisset, nedum opportunum verum etiam necessarium esse duxit, arctiores iisdem ecclesiis limites imponere, quo et levamen aliquod pastoribus afferretur atque utiliori illorum christifidelium regimini consultum foret. Et si vero interlabentibus annis millesimo septingentesimo decimo quinto et millesimo octingentesimo decimo septimo, tantum veteres dioecesium fines coarctaverit, quantum per ea tempora fieri poterat, novosque exinde episcopatus Calatayeronensem videlicet Nicosiensem et Platiensem apostolica auctoritate providentissime instituerit, cum tamen persuasum haberet ad spiritualem fidelium utilitatem cumulatius assequendam, alias subinde dioecesium circumscriptiones fieri oportere, in articulo tertio conventionis quae inita est anno millesimo octingentesimo decimo octavo inter ipsummet Summum Pontificem et Ferdinandum I Utriusque Siciliae regem cautum fuit, ut ea in insula ecclesiarum numerus opportuniori tempore augeretur. Quandoquidem vero cum saluberrimum istiusmodi consilium felici exitu in praesens expleri posse animadverterimus, hodiernam Syracusanae ecclesiae conditionem apostolica sollicitudine inspicientes, compertum plane atque exploratum habuimus intra vastum eiusdem dioeceseos ambitum triginta quinque loca concludi, quae bis centum et triginta ferme incolarum millibus frequentantur. Tam longo insuper intervallo invicem haec loca seiunguntur, ac talis plerumque esse solet itinerum distantia viarumque difficultas, ut vix ac ne vix quidem pastor queat adeo dispertito gregi ac numeroso, uti convenit advigilare, ipsius necessitatibus mederi statisque ab Ecclesia temporibus singulas oves suae fidei traditas praesens invisere easdemque monitis, exemplo, consiliis contra errorum licentiam vitiorumque illecebras peropportune communire. Porro hisce incommodis sane gravissimis deinceps praecavendis, quae in magnam fidelium perniciem vertunt, necessarium omnino visum est, ut contractis Syracusanae ecclesiae finibus, mox novus per ea loca episcopatus constitueretur. Quapropter carissimus in Christo filius Noster Ferdinandus II Utriusque Siciliae rex illustris, cui nihil antiquius est, quam religionis pietatisque amorem in subditorum suorum animis augere, a Nobis impense postulavit, ut exoptatam Syracusanae ecclesiae dismembrationem, atque adeo alterius episcopalis sedis erectionem in oppido Neti quod vulgo nuncupatur *Noto,* apostolica Nostra auctoritate decerneremus. Netum scilicet supra collem alte consurgens, feraci atque amoenae valli dominatur omniumque locorum, ex quibus civicus districtus Netensis constat, princeps est. Privatis ac publicis aedificiis conspicuum, athenaeo quoque et hospitio egenis recipiendis celebratur. Nec minus annonae commercio, ubertate soli ac viarum commoditate praestat, quo fit ut advenae illuc frequentes affluant praeter decem et quingenta ferme hominum millia quae solent inter ipsa Neti moenia recenseri. Illud vero peculiari memoratu dignum est, quod ibidem exstet collegiata ecclesia Deo in honorem sancti Nicolai episcopi dicata, in qua canonicorum coetus sacra officia persolvit. Hisce aliisque sane nominibus oppidum Neti dignum profecto visum est, cui prae caeteris circumstantibus oppidis civitatis episcopalis titulus et ecclesiae cathedralis dignitas conferretur. Quo-

---

[1] Ex Archivio Episcopali Netensi (Noto in Sicilia).

niam vero huic operi maximi sane momenti rite explendo tot praesto esse debent bona stabilia, totque annui redditus, quot singulis dotationibus in perpetuum stabiliendis requiruntur, initis idcirco consiliis cum laudato Utriusque Siciliae rege, vacantem modo abbatiam vulgo dictam *dell'Arco di Noto,* in quam idem serenissimus rex iure patronatus gaudet vel ex fundatione, vel ex dotatione aut privilegio apostolico cui hactenus non fuit derogatum, quaeque, uti fertur, fundata est anno millesimo biscentesimo duodecimo a Simbardo Maregia tunc Neti dominatore, ac primum Cistercensium ordini a quibus iamdiu derelicta est, dein vero in commendam attributa fuit supprimendam, quemadmodum infra constituimus, ut eiusdem census, qui singulis annis ad summam trium millium septingentorum ac sexaginta trium scutatorum quibuscumque deductis oneribus assurgere dicuntur, in memoratas perpetuas dotationes congrua ratione impendantur. Quibus omnibus aliisque quae inspicienda erant matura deliberatione perpensis, in maiorem illorum fidelium utilitatem carissimi in Christo filii Nostri Utriusque Siciliae regis postulationibus ac votis obsecundantes, contrariis quibuscumque speciali mentione dignis minime obstantibus, et supplentes, quatenus opus sit, consensui omnium quomodocumque interesse habentium, Motu etiam Proprio, certa scientia, et apostolicae potestatis plenitudine, ab ecclesiae Syracusanae territorio dismembramus ac prorsus dividimus ea quindecim oppida singula seu paroecias quas videlicet vulgo dicunt: Noto, Avola, Pachino, Portopolo, Rosolini, Buccheri, Buscemi, Cassaro, Ferla, Palazzuolo, Modica, Scicli, Giarratana, Pozzallo et Spaccaforno; ipsarumque insimul territoria et cunctas quae inibi extant ecclesias sive succursales, sive simplices, monasteria, conventus, ecclesiastica quaeque instituta nec non saecularia et quorumvis ordinum regularia beneficia quae in praefatis oppidis sive paroeciis atque territoriis comperiuntur aeque ac singulas utriusque sexus personas, incolas atque advenas tam laicos quam clericos, presbyteros, beneficiatos, religiosos cuiuscumque gradus, status, ordinis et conditionis ab ordinaria iurisdictione, potestate, superioritate antistitis ecclesiae Syracusanae perpetuum in modum eximimus atque penitus liberamus. Praeterea matricis ecclesiae modo collegiatae ac parochialis quae, uti dictum est, Neti extat sub invocatione s. Nicolai, archiepiscopi Myrensis, pristinum titulum collegialitatis, itemque ipsius capitulum collegiale, pristina tamen servata cum adnexis omnibus oneribus parochialitate, eodem modo supprimimus penitusque abolemus, cum omnibus huc usque impetratis vel quaesitis adhibitisque favoribus, gratiis, praerogativis et privilegiis quibuscumque. Quibus praehabitis atque decretis, oppidum Neti, opportunis rerum adiunctis prae ceteris commendatum, erigimus atque instituimus in civitatem episcopalem omnibus et singulis fruituram honoribus, iuribus, privilegiis ac praerogativis, quibus aliae in Siciliae regno ultra Pharum civiates, episcopali titulo insignitae, earumque cives utuntur et gaudent.

Templum autem quod in modo dicta civitate Neti extat, dicatum s. Nicolao archiepiscopo Myrensi, erigimus perpetuoque constituimus in novam cathedralem ecclesiam, eamque retento pristino titulo s. Nicolai archiepiscopi Myrensis adservataque, ut antea, parochiali animarum cura, Netensem in posterum nuncupari mandamus, ac protinus sedem, cathedram dignitatemque episcopalem inibi pro uno deinceps episcopo Netensi, similiter nuncupando, qui eidem ecclesiae, civitati et dioecesi Netensi inferius assignandae praesit, synodum dioecesanam convocet, nec non omnia et singula iura, officia et munia episcopalia potiatur, adhibeat exerceatque cum suo capitulo infra constituendo, itidemque cum arca, sigillo, mensa et curia episcopali ceterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, iuribus ac iurisdictionibus, praeeminentiis, praerogativis, privilegiis et indultis realibus et personalibus ac mixtis, quibus aliae cathedrales ecclesiae praefati Siciliae regni ultra Pharum earumque praesules gaudent, dummodo ex peculiari privilegio non sint eis attributa, perpetuo pariter erigimus atque instituimus, atque ideo ecclesiam ipsam supellectili sacra etiam ad pontificalia exercenda instrui mandamus, sicuti adpromissum est ex serenissimi Siciliarum regis pietate et cura cathedrali ecclesiae Netensi hoc modo erectae, ut propria deinceps tribuatur dioecesis praenominatam Neti civitatem et cetera cuncta loca, oppida seu paroecias singillatim superius recensitas et ab episcopatu Syracusano eiusque Ordinarii iurisdictione exemptas atque avulsas, itidemque respective inibi consistentes et consistentia beneficia quaeque, ecclesias, monasteria, pia instituta, nec non utriusque sexus seculares et regulares personas non tamen exemptas tam clericos quam presbyteros et beneficiatos quoscumque illic inhabitantes novae antedictae ecclesiae episcopali Netensi, illiusque pro tempore futuro praesuli, pro suis civitate, dioecesi, clero et populo, perpetuo assignamus, eiusque ordinariae iurisdictioni, potestati ac superioritati subiicimus atque supponimus. In praefata autem ecclesia sancti Nicolai ad cathedralis fastigium et decus evecta, ut cultus divinus in hymnis et canticis ceterisque sacris functionibus, quo par est splendore, sedulo procurari concinneque possit expleri, condecens mox erigi atque constabiliri capitulum, illudque componi volumus ex eisdem qui iam existebant in statu collegialitatis canonicatibus, perpetuoque superaddi octo secundarias praebendas sive beneficia residentialia cum omnibus quidem respective iuribus, honoribus et oneribus istiusmodi capitulis

et personis per sacros canones concessis atque attributis; proindeque mandamus, ut praepositura et sexdecim ipsaemet praebendae quae pro totidem ipsius collegiatae canonicis extare comperiuntur, protinus praepositurae et canonicatuum cathedralium titulo honestentur; ita tamen ut absque nova bullarum expeditione pro hac vice tantum retineantur ab hodiernis earumdem respective possessoribus cum iisdem prorsus oneribus primitus adnexis; declaramus vero ut dehinc illa praeposituralis praebenda cum animarum cura aeque ac antea ab eius rectore rite exercenda, perpetuo praeseferat istius capituli dignitatem, quae una dumtaxat erit post pontificalem. Cum vero minime constet num ulli ex praesignatis praebendis canonicalibus adnexa sint officia et obligationes a duobus canonicis in cathedralibus expleri solitis, tum quoad rerum theologalium explicationem et publicam in iis instructionem, tum etiam quoad peculiare munus sacramentales fidelium confessiones excipiendi; idcirco quam maxime commendamus atque iniungimus, ut quam primum fieri poterit, alteri ex praedictis canonicatibus, iis tamen exceptis qui privato iurispatronatui obnoxii sunt, officium et obligationes canonici poenitentiarii distincte iugiterque iniungantur; proindeque uterque istiusmodi canonicatus iuxta sacrorum canonum praescripta deinceps praevio concursu conferatur. Quoniam vero ex redditibus praedictae abbatiae regii patronatus, ut supra commemorati, certa pecuniae vis inferius designanda cessura sit in supplementum praebendarum canonicalium cathedralis Netensis ecclesiae; idcirco declaramus ac statuimus ut reservata per modum regulae Apostolicae huic Sedi primae dignitatis collatione itemque liberis permanentibus prout de iure collationibus praebendarum canonicalium theologalis, poenitentialis et curatae, eidem serenissimo regi ius sit nominandi ad illum praebendarum numerum quae aut reipsa habeant aut considerari poterunt, perinde ac si haberent integram dotationem in ea reddituum abbatialium parte, quae eidem capitulo assignanda veniet. Cum autem per sacros canones provisum fuit, ut ad promovendum divinum cultum ecclesiasticumque servitium accuratius exercendum in collegiatis et cathedralibus ecclesiis quotidianae distributiones haberentur, decernimus ac demandamus, ut hae si hactenus in praedicto capitulo ecclesiae sancti Nicolai neutiquam extent, rite instituantur ex tertia singularum praebendarum parte reddituum aut tantumdem in hunc usum aliunde praestabiliatur. Ut autem capituli cathedralis Netensis dignitas, dum illud divinis officiis operabitur, splendidioribus ordinis insigniis effulgeat, potestatem facimus, ut praepositus caeterique omnes canonici et secundarii seu beneficiati eadem indumenta atque insignia quibus allarum cathedralium in Sicilia ultra Pharum extantium canonici et secundarii, non tamen ex peculiari gratia et privilegio obtenta respective utuntur, deferre gestare illisque uti libere licite ac perpetuo possint et valeant tam in dicta cathedrali Netensi tam extra illam quotiescumque ipsi sive ad supplicationes publicas sive ad sacra solemnia, sive ad alios ecclesiasticos actus capitulariter convenerint. Eidem insuper capitulo sic erecto atque ordinato facultatem facimus de novo etiam condendi capitularia statuta, ordinationes, decreta, sacris tamen canonibus, apostolicis constitutionibus et concilii Tridentini decretis consentanea ab ordinario quidem episcopo expendenda atque adprobanda pro eorum robore ac plenario effectu, praetereaque ipsi capitulo benigne impertimur ius gaudendi omnibus et singulis gratiis, honoribus et privilegiis quibus fruuntur cetera ecclesiarum cathedralium in Sicilia ultra Pharum capitula, dummodo in usu sint nec fuerint peculiari indulto vel titulo oneroso acquisita. Quoniam vero plurimi interest, ut adolescentes clerici pietati ac bonis artibus probe instituantur, ut in vinea Domini tanquam arbusculae recte succrescant, uberes aliquando fructus allaturae, idcirco volumus ac mandamus, ut iuxta praelaudati serenissimi regis sponsionem, seminarium dioecesanum ad Tridentinorum canonum formam atque praescripta opportunis rebus instructum quam primum instituatur. Ceterum cum in praesentiarum nihil aptius aliud haberi queat ad eas omnes, quae huic negotio rite explendo necessariae sunt, dotationes constituendas pro episcopali mensa Netensi, pro seminario dioecesano, pro supplemento praebendarum canonicalium, pro adfuturis secundariis aut beneficiariis mansionariis cathedralis Netensis, pro eius fabrica et sacrario, ad expensas tum pro ecclesiastica supellectili, tum pro divini cultus exercitio iugiter sustinendo, protinus abbatiam supra memoratam *dell'Arco di Noto,* quae ceu perhibitum est, quibusque deductis oneribus atque expensis, annuos praebet census usque ad trium millium septingentorum ac sexaginta trium scutatorum Romanorum summam, cum omnibus primaevis quibuscumque iuribus, honoribus, praerogativis, favoribus et gratiis quomodolibet huc usque attributis ac etiam quaesitis supprimimus funditusque in perpetuum abolemus, eo scilicet intuitu, ut eiusdem redditus in varias mox decernendas Netensis huiusce dioeceseos necessarias dotationes distribuantur, ea mensura quae serenissimi regis patroni desideriis ac postulationibus respondeat.

Quamobrem, ut futuri pro tempore antistites Netensis ecclesiae, quo par est decore, valeant episcopalem tueri dignitatem simulque sustinere tot expensas necessarias pro recto eiusdem ecclesiae Netensis regimine et administratione; idcirco eidem Netensi episcopatui perpetuo assignamus, constituimus et adiudicamus mensam

ex bonis ac redditibus praedictae abbatiae a Sancta Maria *dell' Arco di Noto* nuncupatae, ad annuas usque uncias reddituum mille, idest romana bismillia et quatuor centum scutata. Item cum ipse quoque serenissimus Siciliarum rex probe inspexerit praefatas canonicales praebendas redditus minores habere quam qui cathedralis ecclesiae canonicatibus convenire videntur, eas idcirco congruo supplemento augendas esse statuimus ex praefatae abbatiae bonis ac redditibus usque ad annuas uncias centum, sive scutata romana biscentum et quadraginta, eo etiam intuitu, ut novae cathedralis Netensis canonici, sua impensius exerceant officia ac decentius propriam dignitatem tueri valeant. Insuper ex ipsius abbatiae bonis et redditibus eam pecuniae summam desumendam esse iubemus quae annuis unciis centum et sexaginta octo sive romanis scutatis quatuor centum ac trium super obulis viginti respondeat, eamdemque in octo aequales partes dividi volumus, ex quibus totidem perpetuae praebendae pro secundariis seu beneficiatis superius designatis constituantur. Ad sustinendas autem expensas necessarias et opportunas pro manutentione atque incolumitate fabricae cathedralis Netensis, pro servanda et comparanda ecclesiastica et sacra rerum supellectili, ac etiam pro divino cultu rite inibi exercendo, ex antedictae abbatiae bonis ac redditibus perpetuo modo assignamus atque constituimus annuam summam unciarum centum, sive scutata biscentum quadraginta pro dotatione eius fabricae et sacrarii; praetereaque declaramus, ut sarta tectaque maneant omnia et singula bona et quicumque census si vel antea fortasse in hunc usum iidem extiterint; acceptum denique ratumque haberi volumus promissum, quo serenissimus Siciliarum rex asseruit factum iri, ut eadem cathedralis ecclesia hac prima vice instruatur necessaria supellectili ad pontificalia decenter obeunda.

Porro in dotationem pro antedicti seminarii substentatione assignamus, perpetuumque in modum constituimus annuam biscentum unciarum, idest quatuor centum et octoginta scutatorum summam ex memoratae abbatiae, *dell'Arco di Noto,* bonis et reditibus desumendam. Verumtamen cum in praesens haud satis innotescat, num futurum sit utilius, ut tot dispertiantur bona et redditus praefatae abbatiae quot oporteant ad unamquamque ex recensitis dotationibus constituendam, an potius universa bona et redditus eiusdem abbatiae tribuantur penitusque adiudicentur mensae episcopali Netensi, adiecto siquidem onere atque obligatione, ut hoc in casu quotannis ac singillatim ex eadem mensa praestentur omnes antedictae dotationes, hanc ob rem demandamus, ut infrascriptus harum literarum exequutor in id negotii inferius deputandus, alterutrum ceu commodius atque utilius pro rerum adiunctis visum fuerit consilium, queat seligere, illudque ita in decretis perpetuo mandare, ut super universis istiusmodi abbatialibus bonis vel super eorum parte libera et pacifica possessio protinus iniri valeat ad quemcumque id iuxta alterutram ex antedictis extituram rationem pertinuerit. Istiusmodi rebus positis et constitutis; dein pro decenti ac propria antistitis ecclesiae Netensis habitatione eiusque curiae episcopalis residentia perpetuo assignamus palatium quod cathedrali ecclesiae magis quam fieri potuerit proximum serenissimus Siciliarum rex pollicitus est in promptu illico fore, cum primum eadem ecclesia de pastore fuerit provisa; itemque perpetuo modo destinamus et assignamus aedificium satis amplum pro seminario dioecesano ex praescripto sacrorum canonum instituendo, quemadmodum ipsemet serenissimus rex se curaturum atque effecturum spopondit. Ut vero nihil desit eorum quae ad rectam dioeceseos Netensis procurationem necessaria esse videantur, futuro illius episcopo eiusque successoribus veniam tribuimus, ut per se vel per alias personas pro rerum et locorum opportunitate libere nulloque sumptu in archivio Syracusanae curiae omnes et singulos inibi extantes libros, scripta et instrumenta quomodocumque respicientia oppida, paroecias, cuiuscumque generis pias institutiones, iura et personas episcopatui Netensi dehinc subiectas perquirere, extrahere aut saltem copias inde exscribere authentico etiam si opus fuerit sigillo item muniendas possit et valeat. Hisce omnibus sic constitutis atque decretis, ex plenaria Nostra potestate hodierno utriusque Siciliae regi eiusque successoribus veniam ac ius impertimur nominandi intra tempus a iure praefinitum personam idoneam, per Nos et successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes in episcopum Netensem praeficiendam (quae siquidem in Urbem ad obtinendam apostolicam provisionem de more accedere teneatur); subindeque declaramus quod praefatum ius exercere quidem possit tam hac prima vice quam in futuris Netensis episcopatus vacationibus quomodolibet dehinc eventuris. Deinde illud etiam volumus, ut episcopalis ecclesia Netensis nunc pro tunc cum primum scilicet altera ecclesia Syracusana fuerit ad archiepiscopatus apicem evecta (quod apostolica Nostra auctoritate quam primum efficiemus) metropolitico iuri archiepiscopi pro tempore Syracusani censeatur et sit perpetuo subiecta, iisque omnibus propterea fruatur facultatibus, exemptionibus, praerogativis et iuribus quae ad ceteras suffraganeas Syracusani archiepiscopi uti moris est legitime contigerit pertinere. Ne vero ecclesia Netensis noviter sic erecta, dein administratore prorsus careat, concedimus atque tribuimus, ut eius capitulum cathedrale infra octo dies a praesentium literarum executione inferius designanda capitularia inire valeat comitia, ad vicarii capi-

tularis electionem rite conficiendam. Sicuti autem in more positum est praecipimus, ut fructus praefatae ecclesiae Netensis in futura illius provisione taxentur ad florenos auri de camera, biscentum quinquaginta tres cum una ex tribus eiusdem floreni parte, atque adeo istiusmodi taxa in libris camerae apostolicae et sacri collegii describatur. Porro ut omnia denique et singula quae a Nobis ut supra disposita sunt, ad suum rite perducantur effectum, venerabilem fratrem Coelestinum Cocle, ecclesiae Patracensis in partibus infidelium archiepiscopum, eligimus et deputamus cum facultatibus necessariis et opportunis, ut ipse per se vel per aliam personam idoneam in ecclesiastica dignitate constitutam, ab ipsomet subdelegandam, omnia statuere ac decernere valeat, ut cuncta superius constituta ad felicem exitum perducantur, atque etiam cum facultate eidem executori vel eius subdelegato definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praedicta quomodolibet oritura, iniuncta ipsi obligatione diligenter in decreto executoriali distincte describendi fines totius dioecesis Netensis, ut supra constitutae, nec non mittendi ad hanc Sanctam Sedem infra sex menses ab expleta literarum apostolicarum executione exemplar, authentica forma exaratum, omnium decretorum quae in praedicta literarum executione emittet, ad hoc, ut in tabulario sacrae congregationis Consistorialis de more asserventur.

Praesentes vero literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes, vel habere praetendentes auditi non fuerint ac praemissis non consenserint etiamsi expressa specifica et individua mentione digni sint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae vel quolibet alio licet substantiali et excogitato defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari, sed eas tanquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus atque decernimus.

Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regulis, nec non supradictarum ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus privilegiis quoque indultis et concessionibus quamvis individua mentione dignis omnibusque et singulis apostolicis ac in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, quibus omnibus et singulis eorumque totis tenoribus ac formis etiamsi specialis mentio seu quaevis expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda foret ipsorum tenores praesentibus pro expressis habentes ad praemissorum omnium et singulorum effectum latissime et plenissime ac specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praeterea etiam volumus, ut harum literarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, dismembrationis, erectionis, aggregationis, unionis, applicationis, circumscriptionis, concessionis, assignationis, subiectionis, attributionis, statuti, indulti, declarationis, deputationis, commissionis, mandati, decreti, derogationis ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, idibus maii, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXXX.

BULLA

Qua fit dismembratio dioeceseos Agrigentinae, Cephaludensis, Nicosiensis et Herbitensis, ac inde erectio novae sedis episcopalis in oppido Calatanisettae [1].

GREGORIUS EPISCOPUS
servus servorum Dei
salutem et apostolicam benedictionem.

Ecclesiae universalis regimen, Nobis licet immerentibus, demandatum, etiam exquirit, ut si dioeceses aliquae amplioribus, quam par sit, finibus contineantur, easque opportune coarctandas novasque dioeceses instituendas curemus, ut aucto pastorum numero, christiani gregis incolumitati ac bono faciliori queat ratione subveniri. Iamvero fel. rec. Pius VII praedecessor Noster, pro sua in Ecclesiam apostolica sollicitudine ac vigilantia probe intellexit, dioe-

---

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

cesium in insula ultra Pharum extantium territoria circumscribenda esse, novasque exinde dioeceses erigendas: idque praestabilitum videre est in conventione, quam anno millesimo octingentesimo decimo octavo cum clarae memoriae Ferdinando I Siciliarum rege, inivit sancivitque. Porro cum per Trinacriae regiones plurimum adauctum esse acceperimus incolarum numerum, tanti momenti rem maturandam censuimus. Quamobrem per similes apostolicas literas datas idibus maii ac decimo tertio kalendas iunii currentis anni, dioeceses in insula ultra Pharum circumscripsimus, et Syracusana ecclesia ad archiepiscopatus dignitatem evecta, Netensem dioecesim instituimus. At vero carissimus in Christo filius Noster Ferdinandus II utriusque Siciliae rex illustris, religioni pietatique in subditorum suorum animis fovendae augendaeque studiosissimus, id a Nobis impense postulavit, ut alia quatuordecim oppida a dioecesi Agrigentina, duo a Nicosiensi atque Herbitensi, duo denique a Cephaludensi seiungeremus, eaque novo episcopatui in oppido Calatanisettae adiiceremus, quo profecto fieret, ut sacri antistites, qui prae commissae gentis multitudine nimio labore destinentur, levamen haberent, novisque pastoribus additis, ea dominici gregis pars ad pascua aeterna facilius ac securius perduceretur. Ut vero in oppido Calatanisettae novam episcopalem sedem erigamus, plures, quibus excellet, laudes Nos induxerant. Illud enim vetustate praestans, utpote a Doricis, uti ferunt, conditum, iam inde ab Ecclesiae primordiis christianae fidei lumine irradiatum est. Huc accedit quod in amoenissimo iugo situm, atque in ipso fere Siciliae ultra Pharum centro, rectis plerumque latisque distinguitur viis plateisque; ac praeter insignia vetustatis et christianae religionis monumenta, elegantia quoque continet aedificia, templa, monasteria, nec non instituta pleraque religioni ac doctrinae excolendae, arcemque praefert munitissimam. Nec vero illa praetereunda est peculiaris laus, quod turbolentis temporibus illius incolae certa atque illustria devotionis ac fidei erga legitimam potestatem argumenta praebuerint. Ad haec agros habet fertilissimos, ac decemseptem ferme hominum millia comprehendit, ex quibus non paucos generis vetustate ac nobilitate praeclaros atque ingenii laude insignes. Illic praeterea duo sunt tribunalia, alterum civilibus controversiis expediendis, alterum criminalibus iudicandis, ac praeter duas ecclesias parochiales, quae filiales dicuntur, princeps ac vetustum extat parochiale templum Deo in honorem Deiparae Virginis dicatum, iam inde ab anno reparatae salutis millesimo octingentesimo vigesimo auctum, novis operibus ornatum sacraque supellectili abunde instructum, atque adeo sub anno millesimo septingentesimo quadragesimo quinto collegialitatis titulo decoratum, cuius templi collegiale capitulum constat ex parocho, decano, cantore, thesaurario, aliisque quatuordecim canonicis, atque undecim secundariis. Ex quibus omnibus perspicuum est plane convenire, ut Calatanisetta prae ceteris circumstantibus oppidis, titulo episcopalis civitatis decoretur, atque in illa episcopalis sedes constituatur, ac collegiale illius templum ad ecclesiae cathedralis honorem evehatur. Atque ut nova haec episcopalis sedes congruis ac necessariis redditibus augeatur, id proponente carissimo in Christo filio Nostro Ferdinando II utriusque Siciliae rege illustri, opportunum visum est, ut nunc pro tunc cum primum scilicet vacaverit, abbatiam a Sancto Spiritu nuncupatam, in quam idem serenissimus rex iurepatronatus gaudet vel ex fundatione vel ex dotatione vel ex privilegio apostolico, cui hactenus non fuit derogatum, supprimamus, quae Calatanisettae a comite Rogerio et comitissa Adelaria olim fundata fertur pro regularibus Canonicis Augustinianis, cunctisque subductis expensis suppeditare quotannis dicitur uncias 1421 sive romana scutata 3410 et obolos quadraginta, quae quidem pecuniae vis ad novam hanc ecclesiam, congrua dotatione instruendam, sufficiens videtur.

Quamobrem gravissimis quas memoravimus causis adducti, piisque votis obsecundantes, praelaudati utriusque Siciliae regis illustris, omnibus hac super re mature perpensis, consensui omnium quomodocumque interesse habentium quatenus opus sit supplentes, Motu-Proprio, certa scientia, et apostolicae potestatis plenitudine, ab Agrigentina in primis dioecesi haec alia duodecim oppida seu paroecias quae vulgo dicuntur Caltanisetta, Mussomeli, S. Cataldo, Santa Catarina, Serradifalco, Sommatino, Delia, Sutera, Campofranco, Acquaviva, Montedoro, Buonpensiero, Naduri et Villalba; a Cephaludensi autem dioecesi alterum oppidum seu paroeciam quam dicunt Vallelunga; demum a Nicosiensi seu Herbitensi dioecesi haec alia duo oppida seu paroecias, quae vulgatim compellantur, Marianopoli, Resuttana, perpetuo abscindimus, dismembramus ac prorsus dividimus; proindeque ipsarum insimul territoria, et cunctas quae inibi extant ecclesias sive parochiales, sive succursales, sive simplices, oratoria, monasteria, conventus, ecclesiastica quaeque instituta nec non saecularia et quorumvis ordinum regularia beneficia quae in praefatis oppidis seu paroeciis atque territoriis comperiuntur, aeque ac singulas utriusque sexus personas, incolas atque advenas, tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos, religiosos cuiuscumque gradus, status, ordinis et conditionis, ab ordinaria iurisdictione, potestate ac superioritate antistitum praedictarum dioecesium respective ac perpetuum in modum eximimus omnino atque subtrahimus. Verum quum

ex Agrigentinae cathedralis ecclesiae praebendis aliquot ex integro, aliquot vero ex parte, quemadmodum fertur, congruam dotationem mutuentur a decimis exigendis in quibusdam ex oppidis quae ceu praefertur dismembranda sunt ab eadem Agrigentina dioecesi, ut novo Calatanisiadiensi episcopatui attribuantur: idcirco ne supradictae canonicales praebendae quidquam de suis redditibus detrimenti capiant, statuimus atque decernimus, ut earum pro tempore possessores perpetuo possint quanti cuiusque interierit, eodem quo antea iure a regia quoque potestate et cura quemadmodum pollicitum est tuendo, eas ipsas omnes decimas in iisdem oppidis libere ac licite exigere, percipere ac frui. Iamvero cum matrix parochialis et collegiata ecclesia Calatanisettae a sancta Maria (la Nuova) mancipata, mox ad ampliorem dignitatem evehenda sit, eidem idcirco ecclesiae reservata ut antea parochialitate cum singulis adnexis honoribus atque oneribus exercenda, auferimus atque extinguimus titulum collegialitatis, illumque una cum eius capitulo collegiali supprimimus funditusque abolemus.

Et quoniam praedictum oppidum Calatanisettae ex causis superius memoratis dignum prae ceteris apparet, quod splendidiori honore ac nomine decoretur, illud quidem in civitatem episcopalem omnibus ac singulis deinceps fruituram honoribus, iuribus, privilegiis et praerogativis quibus aliae in Siciliae ultra Pharum regno civitates episcopales earumque cives gaudent atque fruuntur, apostolica Nostra auctoritate, evehimus ac constituimus. Praeterea templum ipsum quod in civitate Calatanisettae Deo dicatum est in honorem Virginis Deiparae, in novam cathedralem ecclesiam perpetuo erigimus atque instituimus, simulque mandamus, ut praedicta ecclesia, retento pristino titulo sanctae Mariae (la Nuova), adservataque, ut antea, parochiali animarum cura, in posterum cathedralis Calatanisiadensis nuncupetur, ibique sedes seu cathedra episcopalis in perpetuum erigatur pro uno deinceps episcopo Calatanisiadensi nuncupando, qui eidem ecclesiae, civitati et dioecesi Calatanisiadensi inferius designandae praesit, synodum dioecesanam convocet, necnon omnia et singula iura, officia episcopalia potiatur, adhibeat, exerceatque cum suo capitulo infra constituendo, itidemque cum arca, sigillo, mensa et curia episcopali, ceterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, iuribus ac iurisdictionibus, praeeminentiis, praerogativis, privilegiis et indultis realibus et personalibus ac mixtis, quibus aliae cathedrales ecclesiae in praefato Siciliae regno extantes earumque praesules gaudent, dummodo ex peculiari privilegio non sint iis attributa; atque idcirco statuimus, ut eadem cathedralis sacra supellectili etiam ad pontificalia exercenda instruatur quemadmodum adpromissum est pietate et cura serenissimi Siciliarum regis. Ut vero ecclesia Calatanisiadensis sic in cathedralem evecta, propriam habeat dioecesim, praedictam civitatem Calatanisettae et caetera cuncta loca, oppida seu paroecias superius singillatim recensitas, et ab Agrigentino, a Cephaludensi, a Nicosiensi Herbitensi episcopatibus avulsas, ac ab eorum Ordinariorum iurisdictione respective exemptas, insimul ibi consistentes, et consistentia beneficia quaeque, ecclesias, monasteria, pia instituta nec non utriusque sexus saeculares et regulares personas non tamen exemptas tam clericos quam presbyteros et beneficiatos quoscumque illic inhabitantes novae praedictae Ecclesiae episcopali Calatanisiadensi illiusque pro tempore Ordinario pro suis civitate dioecesi, clero et populo perpetuo assignamus eiusque ordinariae iurisdictioni, potestati ac superioritati subiicimus atque attribuimus. In eadem ecclesia Sanctae Mariae (la Nuova) ad cathedralis dignitatem evecta, ut divina officia aliaeque sacrae functiones, qua par est, ecclesiasticorum frequentia et decore peragi et celebrari queant, statuimus atque praecipimus, ut decens cathedrale capitulum inibi protinus erigatur, illudque componi volumus ex iisdemque canonicatibus et praebendis secundariis quibus antea collegiale capitulum constabat, cum omnibus respective iuribus, honoribus et oneribus istiusmodi capitulis et personis per sacros canones concessis atque attributis: mandamus proinde, ut curionatus seu archipresbyteratus, decanatus, cantoratus, thesaurariatus et aliae quatuordecim praebendae canonicales, quae pro totidem in ipsa collegiata canonicis fundatae comperiuntur, protinus honestentur praeclaro et praestantiore curionatus seu archipresbyteratus, decanatus, cantoratus, thesaurariatus et canonicatuum cathedralium titulo. Declaramus vero ac statuimus, ut curionatus seu archipresbyteratus primam post pontificalem, decanatus secundam, cantoratus tertiam, thesaurariatus quartam eius capituli dignitatem et praeeminentiam praeseferant; eique curionatui seu archipresbiteratui adhaereat sane, ut antea, animarum cura, ab eius rectore rite ac indesinenter exercenda. Volumus insuper, ut secundariae undecim praebendae quae ex eadem collegiata supersunt, titulo beneficiorum cathedralium in perpetuum decorentur. Indulgemus praeterea ut eiusmodi suppressione et erectione haud obstantibus, singulae dignitariae canonicales ac beneficiales praebendae, pro hac vice tantum, absque ulla bullarum apostolicarum expeditione ab unoquoque ex hodiernis eorum possessoribus retineantur. Quum nulli ex iisdem praebendis canonicalibus theologale vel poenitentiale officium iunctum sit, volumus ac praecipimus, ut uni ex iisdem canonicalibus praebendis (iis exceptis, quae forsan iurispatronatui fuerint obnoxiae), officium et obligationes canonici theologalis, alteri officium et obligationes

canonici poenitentiarii perpetuo adiiciantur, simulque mandamus, ut in posterum uterque istiusmodi canonicatus eis rite conferatur, qui facto doctrinae periculo, digniores iudicati fuerint, quemadmodum Tridentina synodus statuit. Quoniam vero ex redditibus praedictae abbatiae regii patronatus, ut supra commemorati, certa pecuniae vis, inferius designanda, cessura sit in supplementum praebendarum canonicalium cathedralis Calatanisiadensis ecclesiae, idcirco declaramus ac statuimus, ut reservata per modum regulae Apostolicae huic Sedi primae dignitatis collatione, itemque liberis permanentibus prout de iure collationibus praebendarum theologalis, poenitentialis et curatae, eidem serenissimo regi ius sit nominandi ad illum praebendarum numerum, quae aut reipsa habeant aut considerari poterunt perinde ac si haberent integram dotationem in ea reddituum abbatialium parte quae eidem capitulo assignanda veniet. Quandoquidem ad rerum divinarum decentiorem cultum et diligentiorem capitularium munerum observantiam promovendam, id quoque ex sacris canonibus fuerit praescriptum, ut quotidianae distributiones instituantur atque adhibeantur in cathedralium et collegiatarum quibuscumque capitulis, volumus ac mandamus, ut nisi apud praedictum capitulum constitutae fuerint, quamprimum constituantur ex tertia singularum praebendarum capitularium parte, vel aliunde tantundem eum in finem constituatur. Porro ad augendum divini cultus splendorem ac dignitatem, veniam impertimur, ut curio seu archipresbyter, decanus, cantor et thesaurarius, caeterique omnes canonici itemque beneficiati eadem utique indumenta atque insignia quibus respective utuntur aliorum capitulorum cathedralium in Sicilia ultra Pharum extantium canonici et beneficiati, non tamen ea quae ex speciali gratia et privilegio obtenta fuerint, deferre, gestare, illisque uti licite libereque ac perpetuo possint et valeant tam in dicta cathedrali Calatanisiadensi quam extra ipsam, quoties nempe capitulariter sive ad supplicationes publicas, sive ad sacra solemnia, sive ad alios ecclesiasticos actus convenerint. Eidem praeterea capitulo Calatanisiadensi sic erecto veniam etiam impertimur ac potestatem ex integro quoque conficiendi statuta capitularia, ordinationes ac decreta sacris canonibus, apostolicis constitutionibus et oecumenicae synodi Tridentinae decretis penitus consentanea, quae tamen ab ordinario quidem antistite perpendenda adprobandaque sint, ut robur atque efficacem sanctionem habeant, eidemque capitulo ius attribuimus gaudendi omnibus et singulis gratiis, honoribus, praerogativis, privilegiis atque indultis quibuscumque, quibus fruuntur capitula ecclesiarum cathedralium in eadem ultra Pharum insula, dummodo legitime in usu sint, nec fuerint ex peculiari concessione vel titulo oneroso data et quaesita. Cum vero necesse sit ut ex bonis stabilibus congruae dotationes percipiantur pro episcopali mensa Calatanisiadensi, pro seminario dioecesano, pro supplemento praebendis capitularibus cathedralis ecclesiae adiiciendo, pro tuendo eiusdem templi aedificio, pro sacrario ad sacram supellectilem divino cultui necessariam comparandam, idcirco abbatiam a S. Spiritu nuncupatam, in praesens a dilecto filio Guillelmo Moncada possessam, quae deductis oneribus atque expensis, solet quotannis praebere redditus usque ad uncias 1421 sive 3410 scutata romana super obolos 40, eam idcirco ubi primum vacaverit, imo nunc pro tunc cum omnibus quidem primaevis quibuscumque iuribus, honoribus, praerogativis, favoribus et gratiis quomodolibet hucusque attributis ac etiam quaesitis, supprimimus, funditusque ac perpetuum in modum abolemus eo nempe consilio, ut eiusdem abbatiae redditus dotationibus episcopalis ecclesiae iuxta modum infra designandum attribuantur ex mensura, quae serenissimi regis patroni desideriis ac postulationibus respondeat. Itaque, ut Calatanisiadensis ecclesiae antistites pro tempore existentes, eo quo par est decore, propriam dignitatem tueri possint, atque impensas sustinere ad dioeceseos regimen necessarias, ex redditibus praedictae abbatiae s. Spiritus annuas uncias 1000 sive annua romana scutata 2400 mensae episcopali Calatanisiadensi in perpetuum assignamus, constituimus atque adiudicamus. Porro cum illud compertum sit atque ipse serenissimus Siciliarum rex probe inspexerit, praebendas canonicales s. Mariae (la Nuova) minores fructus exhibere quam necesse est, ut canonici eiusdem cathedralis ecclesiae sui muneris dignitatem tueri valeant, idcirco ex praedictae abbatiae redditibus annuas uncias 100, sive romana scutata 240 pro congruo supplemento earumdem praebendarum canonicalium perpetuo attribuimus. Praeterea, ut occurri possit necessariis expensis, tam pro tuenda cathedralis fabricae Calatanisiadensis incolumitate, quam pro comparanda sacra supellectili, ex dictae abbatiae fructibus annuas uncias 121 seu romana scutata 290 supra obolos 40 in perpetuum ad id assignamus. Quoniam vero plurimi interest ut adolescentes clerici pietati ac bonis artibus probe instituantur, ut in vinea Domini tanquam arbusculae recte succrescant, uberes aliquando fructus allaturae, idcirco volumus ac mandamus, ut iuxta praelaudati serenissimi regis sponsionem, seminarium dioecesanum ad Tridentinorum canonum formam atque praescripta, opportunis rebus instructum, quamprimum instituatur. Uti vero praedictum seminarium necessario censu instruatur, ex eiusdem abbatiae s. Spiritus redditibus annuas uncias biscentum sive romana scutata 480 eidem in perpetuum assignamus atque instituimus. At vero cum adolescentes

nonnulli ex oppidis ab Agrigentina dioecesi dismembrandis in eius seminario gratis ali solerent; sic ne ipsis adolescentibus detrimenti causa inferatur, volumus ac statuimus, ut iuxta pientissimi utriusque Siciliae regis promissionem, quin Agrigentini seminarii annui census imminuantur, tot redditus attribuantur seminario Calatanisiadensi quot necessarii sint ad alendos eodem numero adolescentes, qui in oppidis praedictis ab Agrigentina dioecesi seiungendis ortum duxerint. Quumque pariter, uti allatum est, in more institutoque positum sit, ut omnes convictores qui in Agrigentino seminario theologicae facultati student, quotannis subiiciantur experimento super peculiaribus theologicis tractationibus, intra cuiusque scholastici anni curriculum peractis, quique caeteris doctrinae atque ingenii laude praeiverint academicis gradibus insigniantur, emensoque theologalium studiorum triennio, qui iuvenes in praefatis annuis experimentis honorificentiores gradus obtinuerint in Agrigentinum collegium a ss. Augustino et Thoma nuncupatum, ac peculiaribus ad hoc redditibus instructum sex annorum spatio alendi docendique pro vacantium locorum numero admittantur; idcirco cum ecclesiastici iuvenes ex iis oppidis ab Agrigentina dioecesi dismembrandis oriundi, nequirent profecto illi interesse experimento, quod etiam in posterum, ut moris est, ab Agrigentini seminarii alumnis faciendum erit, propterea ne praefato commodo priventur iuvenes modo commemorati, volumus atque praecipimus, ut pro ecclesiasticis eisdem iuvenibus oriundis ex oppidis ab Agrigentina dioecesi dismembrandis, ac dioecesi Calatanisiadensi attribuendis, unum aut plura loca reserventur in eodem ss. Augustini et Thomae collegio, quae instituta aequa proportione respective ad praedicta oppida seu paroecias pertinere dignoscentur, adiecta tamen lege, ut eadem loca per concursum iis ex praedictis iuvenibus conferantur, qui ab Ordinario pro tempore Calatanisiadensi ad id electi fuerint, idemque concursus Agrigenti cura illius antistitis habeatur. Ne vero desit quinque unciarum praemium, quo donari consueverant ex memoratis oppidis adolescentuli, qui in perdiscendis ac memoriae retinendis christianae doctrinae rudimentis aequalibus suis diligentiores ac alacriores sese prodidissent, ex pia serenissimi regis liberalitate futurum gratulamur, ut idem praemium aeque in posterum memoratis adolescentulis quotannis persolvatur. Cum illud in praesens haud satis constet, utrum praestet antedictae abbatiae redditus dispartiri eosque singulis Calatanisiadensis ecclesiae dotationibus singillatim adsignare, vel potius eosdem redditus universim episcopali mensae addicere atque attribuere, ea tamen lege, ut ex eadem mensa quotannis impendatur ea pecuniae vis quae pro singulis dotationibus superius designata est; ideo volumus et mandamus, ut ubi primum vacaverit dicta abbatia s. Spiritus, exequutor Nostrarum apostolicarum literarum id consilii capiat atque decernat, quod pro rerum circumstantiis accommodatius atque utilius satis in Domino videatur, ita tamen, ut sive universa istiusmodi abbatiae bona, mensae episcopali cum lege superius indicta adiudicentur, sive in singulas dotationes iuxta praestabilitam rationem dispartiri contigerit, libera ac pacifica possessio iniri possit ab iis quibus in alterutro casu pertinere decretum fuerit. Verumtamen cum eadem s. Spiritus abbatia legitimum in praesens, ceu supradictum est, possessorem habeat, ut interim praesto haberi queat tanta certae pecuniae vis, quanta opus est, ut in praestabilitas dotationes pendatur, declaramus atque iniungimus, ut quemadmodum a pientissimo Siciliarum rege propositum fuit, et ratum dein habitum usque dum abbatia ipsa vacaverit, ex arca, ut inquiunt, spoliorum sediumque vacantium solvantur tertio quoque anni mense, quadruplici sane aequaliter adhibita partitione, pro episcopali mensa Calatanisiadensi annuae unciae 1000 sive scutata romana 2400; pro antedicto supplemento praebendarum cathedralium annuae unciae 100 sive scutata romana 240; pro fabrica et sacrario Calatanisiadensis cathedralis annuae unciae 121 sive scutata romana 290 supra obolos 40; pro seminario dioecesano annuae unciae 200 sive scutata romana 480. Ut vero ecclesiae Calatanisiadensis antistes proprias habeat aedes, easque dignitati suae convenientes pro decenti illius habitatione, eiusque curiae episcopalis residentia, perpetuo assignamus palatium, quod cathedralis ecclesiae magis fieri poterit proximum in promptu illico futurum erit, quum primum episcopatus Calatanisiadensis de pastore fuerit provisus; itemque perpetuo modo destinamus et assignamus aedificium satis amplum pro seminario dioecesano ex praescripto sacrorum canonum instituendo, quemadmodum ipsemet serenissimus rex se diligenter curaturum atque effecturum spopondit. Ex plenaria utique Nostra potestate ac peculiari dignitate hodierno Siciliarum serenissimo regi eiusque successoribus impertimur veniam seu ius nominandi intra tempus a iure praefinitum personam idoneam, per Nos vel successores Nostros Romanos Pontifices in episcopum Calatanisiadensem praeficiendam, (quae siquidem in Urbem ad obtinendam apostolicam provisionem de more accedere teneatur), subindeque declaramus, quod praefatum ius exercere possit tam hac prima vice, quam in futuris Calatanisiadensis episcopatus vacationibus quomodolibet dehinc eventuris. Illud insuper edicimus quod episcopalis ecclesia Calatanisiadensis metropolitico iuri archiepiscopi pro tempore Montis Regalis censeatur et sit perpetuo subiecta, iisque omnibus propterea fruatur facultatibus, exemptionibus, praerogativis et iuribus, quae

ad caeteras suffraganeas ecclesias archiepiscopi Montis Regalis legitime pertinent. Ne vero ecclesia Calatanisiadensis sic erecta dein administratore prorsus careat quousque de pastore non fuerit in consistorio provisa, concedimus et indulgemus, ut eius capitulum cathedrale intra octo dies ab exequutione praesentium literarum inferius designanda, capitularia inire valeat comitia ad vicarii capitularis electionem rite conficiendam. Praecipimus quoque atque iniungimus, ut fructus praefatae ecclesiae Calatanisiadensis in futura illius provisione taxentur ad florenos auri de camera 253 cum una ex tribus eiusdem floreni parte, atque adeo istiusmodi taxa in libris camerae apostolicae et sacri collegii describatur. Denique ut annua et singula quae a Nobis ut supra sancita sunt ad suum perducantur effectum, venerabilem fratrem Coelestinum Cocle, ecclesiae Patracensis in partibus infidelium archiepiscopum eligimus et deputamus cum facultatibus necessariis et opportunis, ut ipse per se vel per aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam ab eo subdelegandam omnia statuere et decernere valeat, ut cuncta superius constituta ad felicem exitum rite perducantur, atque etiam cum facultate eidem exequutori vel eius subdelegato definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praedicta quomodolibet oritura, iniuncta ipsi obligatione diligenter in decreto exequutoriali ac distincte describendi fines totius dioecesis Calatanisiadensis, ut supra constitutae, nec non mittendi ad hanc Sanctam Sedem intra sex menses ab expleta literarum apostolicarum exequutione exemplar authentica forma exaratum omnium decretorum quae in praedicta literarum executione emittet, ad hoc ut in tabulario sacrae congregationis Consistorialis de more asservetur.

Praesentes vero litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes, auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, etiam si expressa, specifica et individua mentione digni sint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio licet substantiali et excogitato defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas tanquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore, volumus atque decernimus.

Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regulis, nec non in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum dispositionibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus praeterea, ut harum literarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum suppressionis, dismembrationis, seiunctionis, separationis, erectionis, institutionis, assignationis, attributionis, subiectionis, concessionis, indulti, commissionis, deputationis, mandati, decreti, derogationis ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, octavo kalendas iunii, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXXXI.

BULLA

Dismembratio ac inde erectio novae sedis episcopalis in oppido Drepani [1].

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.

Ut animarum pastores dominici gregis partem, eorum fidei traditam, ea qua par est vigilantia tueri, atque ad aeternae salutis pascua perducere possint, illud in primis cavendum est, ne concreditarum ovium numerus cuiusque licet solliciti pastoris operam ac vires exsuperet. Cui sane incommodo cum fel. rec. Pius VII praedecessor Noster obnoxias perspexerit dioeceses, Sicana in insula ultra Pharum constitutas, eas denuo circumscribendas esse, novasque ibidem constituendas episcopales ecclesias praestituit in conventione, quam anno millesimo octingentesimo decimo octavo cum Ferdinando I cl. mem. Siciliarum rege iniit sancivitque. Quan-

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

doquidem igitur eiusmodi consilii saluberrimi ad exitum perducendi opportunum tempus adventasse noverimus, accedentibus quoque votis ac postulationibus carissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi II utriusque Siciliae regis illustris per similes apostolicas literas datas idibus maii, decimo tertio kalendas iunii, et octavo kalendas iunii currentis anni, praedictas dioeceses circumscripsimus et Syracusana ecclesia ad archiepiscopatus apicem evecta, Netensem et Calatanisiadensem episcopales ecclesias, apostolica auctoritate, ereximus ac constituimus. Nihilominus ad tanti momenti rem penitus componendam idem serenissimus rex a Nobis impense postulavit, ut a praegrandi Mazzariensi dioecesi nedum ea novem oppida seiungeremus, quae archiepiscopatus Montis Regalis ecclesiae memoratis superius apostolicis literis attribuimus, sed aliis insuper sex oppidis seu paroeciis ab ipsa Mazzariensi ecclesia divulsis, ea quidem ad spiritualem illorum fidelium utilitatem novo episcopatui, ut infra erigendo, adiudicaremus. Tanta siquidem est Mazzariensis dioecesis amplitudo, ac gregis copia per vastam ipsius territorii diffusa, tamque longo ac plerumque incommodo intervallo quaedam ex iis oppidis ab episcopali sede distant, ut fideles ibi degentes, nec facile pastorem adire, nec intra praefinitum a sacris canonibus tempus eius praesentia ac monitis recreari possint, atque ideo illorum nonnulli ipso Confirmationis sacramento diutius careant. Quamobrem, ut hisce incommodis occurramus, novum episcopatum erigendum eiusque sedem Drepani constituendam censuimus. Drepanum enim, quod olim Phoenices, Teucros, Graios et Carthaginenses imperio tenuisse fertur, in extrema Trinacriae parte ad Mediterranei littus positum, caeteris Drepanensis provinciae oppidis praecellit. Multa siquidem eademque elegantia aedificia continet nec non publica instituta sive ad literas doctrinasque excolendas, sive ad egenos et infirmos recipiendos curandosque. Praeterea multorum militum praesidio munitum ac moenibus circumscriptum, tribunalia habet, tum civilibus controversiis dirimendis, tum criminibus iudicandis. Ad haec fertilissimo solo gaudet, et portu auctum, commercio in primis floret ac tria super viginti fere hominum millia comprehendit, ex quibus plerique generis nobilitate, maiorum gloria atque ingeniorum cultu commendantur. Aliquot etiam ibi extant monasteria ac plures sacrae aedes; quas inter eminet parochialis et collegiata ecclesia Deo dicata in honorem sancti Laurentii, quae Nobis amplitudine et elegantia illustris, collegio canonicorum aucta ac multorum martyrum reliquiis celebrata, digna prorsus videtur, ut ad cathedralis ecclesiae dignitatem evehatur. Iam vero cum ad novam hanc episcopalem sedem dotandam necesse sit, ut ex stabilibus bonis necessarii fructus percipiantur, idcirco collatis cum serenissimo rege consiliis, supprimendam decrevimus abbatiam sive prioratum a SSma Trinitate De Delia nuncupatum, in quem idem serenissimus rex iure patronatus gaudet vel ex fundatione, vel ex dotatione, aut privilegio apostolico, cui hactenus non fuit derogatum, cuius redditus, quibusque subductis oneribus, quotannis pertingunt ad uncias mille supra quingentas, sive ad romana scutata tria millia septingenta et quadraginta quatuor, quae quidem pecuniae vis ad praedictam ecclesiam necessario censu instruendam satis esse videtur.

Hisce aliisque sane gravissimis rerum momentis adducti, piisque clarissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi II utriusque Siciliae regis postulationibus ac votis libentissime obsecundantes, contrariis quibuscumque, tametsi speciali mentione dignis minime obstantibus, et supplentes, quatenus opus sit, consensui omnium quomodocumque interesse habentium, Motu-Proprio, certa scientia et apostolicae potestatis plenitudine, praeter ea novem oppida, quae a Mazzariensi dioecesi dismembrata archiepiscopatui Montis Regalis adiudicavimus, alia insuper sex ex iis oppidis quae supersunt quaeque continere dicuntur centum et octoginta circiter incolarum millia, ab eadem Mazzariensi dioecesi dismembramus ac prorsus separamus, haec scilicet quae vulgo dicuntur: Trapani, Monte S. Giuliano, Paceco, Città Favignana, Isola, Pantelleria Isola: ipsarumque insimul territoria et cunctas quae inibi extant ecclesias, sive parochiales, sive succursales, sive simplices, monasteria, conventus, ecclesiastica quaeque instituta nec non saecularia, et quorumvis ordinum regularia beneficia quae in praefatis oppidis sive paroeciis atque territoriis reperiuntur, aeque ac singulas utriusque sexus personas, incolas atque advenas tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos, religiosos cuiuscumque gradus, ordinis et conditionis ab ordinaria iurisdictione, potestate et superioritate antistitis ecclesiae Mazzariensis perpetuum in modum eximimus penitusque subtrahimus. Iam vero cum compertum sit praeter decimas quae ab episcopo Mazzariensi erogari dicuntur ad augendam aliquot parochorum congruam, alias insuper decimas in praedicto oppido, vulgo nuncupato Monte s. Giuliano, ut praefertur, dismembrando, novique episcopatus dioecesi inferius adiudicando, reperiri ab antiquo institutas pro congrua dotatione quinque canonicatuum cathedralis Mazzariensis, idcirco ut qui gaudent istiusmodi decimis, nihil in posterum detrimenti capiant, volumus ac decernimus, ut ipsaemet decimae in praefatum usum destinatae, perpetuo exigi ac percipi queant ab unoquoque cui titulus adfuerit, eodem profecto, quo antea, iure a regia etiam potestate et cura, quemadmodum pollicitum est, tuendo.

Deinde cum ex causis superius adductis omnino praestet memoratam s. Laurentii ecclesiam collegiatam, ad cathedralis honorem attollere, cumque ad hoc necesse sit, ut collegialis titulus antea supprimatur, idcirco eidem templo s. Laurentii nec non ipsius capitulo collegialem titulum adimimus, atque in perpetuum abolemus cum omnibus siquidem favoribus, gratiis, praerogativis et privilegiis quibuscumque hucusque impetratis vel legitime quaesitis adhibitisque. Relinquimus tamen, eique, ut antea, adservamus parochialitatem cum iisdem priscis iuribus atque privilegiis et oneribus.

Praeterea cum Drepani oppidum dignum prae caeteris eius provinciae sit, quod splendidiori titulo decoretur, idem erigimus atque constituimus in civitatem episcopalem omnibus et singulis fruituram honoribus, iuribus, privilegiis atque praerogativis, quibus aliae in Siciliae regno ultra Pharum civitates episcopali titulo decoratae earumque cives utuntur et gaudent.

Mox vero templum ipsum, retento pristino s. Laurentii titulo, adservataque illi animarum cura, erigimus ac perpetuo constituimus in novam cathedralem ecclesiam Drepanensem in posterum nuncupandam, ibique erigi volumus sedem sive cathedram episcopalem, pro uno deinceps episcopo, Drepanensi similiter nuncupando, qui eidem ecclesiae, civitati et dioecesi Drepanensi, inferius assignandae, praesit, synodum dioecesanam convocet, nec non omnia et singula iura, officia et munia episcopalia, possideat exerceatque, cum capitulo cathedrali posterius constituendo, itidemque, cum arca, sigillo, mensa et curia episcopali, caeterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, iuribus ac iurisdictionibus, praeeminentiis, praerogativis, privilegiis et indultis realibus, personalibus et mixtis, quibus aliae cathedrales ecclesiae in praefato utriusque Siciliae regno ultra Pharum exstantes earumque praesules gaudent, dummodo ex peculiari privilegio non sint eis attributa. Proindeque mandamus, ut eadem ecclesia sacra etiam supellectili ad pontificalia exercenda instruatur, sicuti adpromissum est ex serenissimi Siciliarum regis pietate et cura.

Ut autem ecclesia Drepanensis in cathedralem evecta propriam habeat dioecesim, praedictam Drepani civitatem et cetera cuncta loca, oppida seu paroecias superius singillatim recensitas, et ab episcopatu Mazzariensi eiusque ordinaria iurisdictione exemptas atque avulsas, itidemque, respective inibi consistentes et consistentia beneficia quaeque, ecclesias, monasteria, pia instituta, nec non utriusque sexus personas, non tamen exemptas, tam clericos quam presbyteros et beneficiatos quoscumque, illic inhabitantes, novae antedictae ecclesiae episcopali Drepanensi illiusque pro tempore futuro praesuli pro suis civitate, dioecesi, clero et populo perpetuo assignamus, eiusque ordinariae iurisdictioni, potestati ac superioritati subiicimus atque adiudicamus.

Deinceps, ut in memorata s. Laurentii ecclesia insigni cathedralis honore aucta divinus cultus, ea qua par est celebritate ac splendore, exerceatur, volumus ac mandamus, ut inibi cathedrale capitulum erigatur cum omnibus iuribus, honoribus atque oneribus istiusmodi cathedralibus capitulis et personis, per sacros canones concessis atque attributis; illudque interim constare praecipimus iisdem quibus antea in collegialitatis statu gaudebat dignitatibus ac canonicalibus praebendis. Mandamus proinde, ut nedum illae canonicales praebendae quae pro praecentore sive Ciantro et pro decano comparatae sunt, sed etiam caeterae octodecim praebendae quae pro totidem canonicis fundatae reperiuntur, protinus donentur praestantiore titulo canonicatuum cathedralium. Declaramus vero ac statuimus, ut praebenda quae pro praecentore sive Ciantro adsignata est, primum post pontificalem, altera autem quae adsignata est pro decano secundam eius capituli dignitatem et praeeminentiam secum perpetuo ferant, ut quae ipsi eidem praebendae cui antea in statu collegialitatis, item in posterum inhaereat animarum cura cum iisdem ut antea iuribus ac oneribus, ab eius pro tempore rectore substinenda atque exercenda. Praeterea concedimus atque indulgemus, ut ipsaemet viginti canonicales praebendae absque bullarum expeditione pro hac vice tantum retineantur ac possideantur ab hodiernis respective rectoribus cum iisdem prorsus oneribus primitus annexis.

Volumus item ac mandamus uti quamprimum alteri ex memoratis canonicatibus, iis tamen exceptis, qui privato iuri patronatus obnoxii fortasse fuerint, officium et obligationes canonici theologalis, alteri autem officium et obligationes canonici poenitentiarii in perpetuum iniungantur, utque in posterum, iuxta sacrorum canonum praescriptum, nonnisi praevio concursu, conferantur.

Quoniam vero ex redditibus praedictae abbatiae regii patronatus ut supra commemorati, certa pecuniae vis inferius designanda cessura sit in supplementum praebendarum canonicalium cathedralis Netensis ecclesiae, idcirco declaramus ac statuimus, ut reservata per modum regulae Apostolicae huic Sedi primae dignitatis collatione, itemque liberis permanentibus, prout de iure, collationibus praebendarum theologalis, poenitentialis et curatae, eidem serenissimo regi ius sit nominandi ad illum praebendarum numerum, quae aut reipsa habeant, aut considerari poterunt perinde ac si haberent integram dotationem in ea reddituum parte, quae eidem capitulo assignanda veniet. Insuper quum hactenus nulla beneficia choralia fundata reperiantur in eo S. Laurentii capitulo, quum-

que in hoc praesertim novo rerum ordine opus sit residentialibus beneficiis, qui inferiora munia ecclesiastica exercere teneantur, praecipimus ac iubemus ut ex praefatis eiusdem capituli canonicatibus (illis tamen exceptis qui pro praecentore, sive Ciantro, pro decano, pro parocho, pro canonico theologali et poenitentiario, illis tamen exceptis qui forsan sint patronatus iure affecti) sex canonicales praebendae illico, sive nunc pro tunc quum primum vacaverint supprimantur, hac porro adiecta lege, ut inde sex constituantur beneficia residentialia pro ipsa cathedrali, atque istiusmodi beneficiales praebendae, habita nempe ratione inferioris gradus, minorumque officiorum ab unoquoque ipsorum rectore dein exercendorum congruam quidem pristinae dotationis partem ad instar caeterorum beneficiorum cathedralium obtineant, at quidquid bonorum ac reddituum inde forsan supererit, id omne bonis ac redditibus pro eiusdem cathedralis ecclesiae fabrica et sacrario in perpetuum assignetur atque accrescat.

Uti vero divina officia et ecclesiastica quaeque munia diligentius expleantur, volumus ac mandamus, ut nisi apud praedictum capitulum quotidianae distributiones in usu fuerint, quamprimum instituantur ex tertia praebendarum parte, aut aliunde tantumdem constituatur in hunc usum; atque adeo ut eiusmodi distributiones ex ecclesiasticae legis praescripto a praesentibus percipiantur.

Ut divini cultus splendor et dignitas augeatur, utque eminentiori cathedralitatis titulo, quo s. Laurentii ecclesiam insignivimus splendidiora quaeque insignia atque choralia indumenta respondeant, facultatem impertimur, ut duo illi dignitarii ac caeteri omnes canonici, itemque beneficiati (simul ac praefertur instituti fuerint) eadem utique choralia indumenta atque insignia quibus aliorum capitulorum cathedralium in Sicilia ultra Pharum extantium canonici et beneficiati, non tamen ex peculiari gratia et privilegio obtenta, respective utuntur, deferre, gestare illisque uti licite, libere ac perpetuo possint et valeant, tam in dicta cathedrali Drepanensi, quam extra illam, quoties ipsi sive ad supplicationes publicas, sive ad sacra solemnia, sive ad alios ecclesiasticos actus capitulariter convenerint.

Item eiusmodi capitulo, prouti supra erecto atque ordinato, impertimur facultatem ex integro etiam condendi capitularia statuta, ordinationes et decreta, sacris tamen canonibus, apostolicis constitutionibus et concilii Tridentini decretis consentanea, ab ordinario scilicet antistite expendenda atque adprobanda, ut robur plenamque vim legis habere queant, idemque capitulum frui volumus omnibus et singulis gratiis, honoribus et privilegiis quibus fruuntur caetera ecclesiarum cathedralium in Sicilia ultra Pharum extantium capitula, dummodo in usu sint, nec fuerint peculiari indulto vel titulo oneroso adquisita.

Quoniam vero maxime Nobis cordi est, ut adolescentes clerici in religione ac literis probe instituantur, et procul a mundi illecebris ecclesiasticae militiae prope sanctuarium, cui inservire debent, a primis annis assuescant, volumus ac mandamus, ut ad concilii Tridentini praescriptum dioecesanum seminarium in aede satis ampla atque opportunis rebus instructum quamprimum erigatur. Hisce rebus omnibus praeordinatis atque decretis, cum oporteat omnino, ut congruae dotationes assignentur pro mensa novi episcopatus Drepanensis, pro seminario dioecesano, pro supplemento praebendis capitularibus cathedralis templi adiiciendo, pro ipsius aedificio incolumi servando, pro sacrario, ad supellectilem divino cultui necessariam comparandam; cumque in praesens ad haec nihil aliud, vel facilius, vel accommodatius adhibere fas sit, propterea ipsam, de qua superius mentio facta est, vacantem abbatiam, sive prioratum sub titulo SS̃mae Trinitatis de Delia, quae abbatia, uti supra dictum est, quibuscumque deductis oneribus, quotannis praebere solet uncias mille supra quingentas et sexaginta, sive scutata romana tria millia septingenta et quadraginta quatuor, cum omnibus primaevis quibuslibet iuribus, honoribus, praerogativis, favoribus et gratiis quoquo modo hucusque attributis ac etiam quaesitis, omnino supprimimus, funditusque in perpetuum abolemus, eo scilicet intuitu, ut eiusdem redditus in varias mox decernendas novae Mazzariensis dioeceseos necessarias dotationes impendantur, ea mensura, quae serenissimi eiusdem regis patroni desideriis ac postulationibus respondeat. Atque in primis mensae Drepanensis episcopatui consulturi, ut eiusdem antistites propriam dignitatem tueri atque impensas sustinere possint ad dioecesis regimen necessarias, eamdem mensam perpetua adsignatione constituimus atque adiudicamus ex bonis ac redditibus abbatiae praedictae sub titulo SS̃mae Trinitatis in annuo censu non minore unciis millibus, sive romanis bismillibus et quatuorcentum scutatis. Insuper iniungimus, ut ea bonorum donatio quam aiunt a bo. mem. canonico Ciantro De Luca Drepanensi pro episcopatu Drepani erigendo, quondam factam fuisse, in id porro vindicetur atque adhibeatur.

Porro cum praefatae canonicales praebendae, ut ipse etiam serenissimus Siciliarum rex probe inspexit, redditus aliquatenus minores suppeditare censeantur iis qui novo eorum titulo, adnexorumque munerum rationi convenire videantur, idcirco demandamus, ut pro supplemento cathedralium harum praebendarum impendatur ac redditibus praefatae abbatiae summa non minor annuis unciis centum sive scutatis romanis biscentum et quadraginta, quo eorum-

dem possessores propriam dignitatem sustinere decentius valeant, et ad choralis officii partes diligenter explendas vehementius excitetur.

Eo insuper consilio, ut occurri possit necessariis impensis sive ad fabricae cathedralis incolumitatem servandam, sive ad sacram supellectilem comparandam, praeter eos redditus qui forsan aliquando supererint post erectionem beneficialium praebendarum de quibus superius mentio facta est, insuper ex antedictae abbatiae bonis ac redditibus perpetuo modo adsignamus atque constituimus annuam summam non minorem centum unciis, sive scutatis romanis biscentum quadraginta pro dotatione eius cathedralis, fabricae et sacrarii, praetereaque declaramus, ut sarta tectaque maneant omnia et singula bona et quicumque census, si qui antea fortasse in hunc usum inibi extiterint, acceptum denique ratumque habemus promissum, quo serenissimus rex asseruit factum iri, ut eadem cathedralis ecclesia hac prima vice instruatur necessaria supellectili ad pontificalia decenter obeunda.

Item pro ecclesiastici seminarii, uti superius dictum est, quamprimum instituendi, dotatione, assignari atque in perpetuum constitui volumus pecuniae summam non minorem annuis biscentum unciis sive quatuorcentum et octoginta scutatis romanis, ex praefatae abbatiae Ssmae Trinitatis de Delia bonis ac redditibus desumendam. Cum illud in praesens haud satis constet, utrum praestet antedictae abbatiae a Ssma Trinitate nuncupatae redditus dispartiri, easque singulis recensitis dotationibus singillatim adsignare, vel potius universa bona et redditus eiusdem abbatiae tribuantur penitusque adiudicentur mensae episcopali Drepanensi, adiecto siquidem onere atque obligatione, ut quotannis ex eadem mensa pendatur ea pecuniae vis, quae pro singulis dotationibus superius designata est, demandamus ideo, ut exequutor bullae, in id negotii inferius deputandi, alterutrum, ceu commodius atque utilius pro rerum adiunctis visum fuerit, consilium queat seligere, ita tamen, ut super universis istiusmodi abbatialibus bonis, vel super eorum parte protinus libera et pacifica possessio iniri valeat ad quemcumque id, iuxta alterutram ex ante dictis exituram rationem pertinuerit. Quandoquidem vero ex annuis memoratae abbatiae Ssmae Trinitatis de Delia redditibus pars quaedam absumitur in ecclesiasticis quibusdam pensionibus persolvendis, firmum ratumque habemus serenissimi regis propositum, ut dum usque ipsae pensiones perduraverint pecuniae vis ex arca spoliorum sediumque in Trinacria vacantium desumatur eademque in praedictas pensiones impendatur. Ut autem ecclesiae Drepanensis pro tempore episcopus proprias habeat aedes easque dignitati suae convenientes, pro eiusdem habitatione eiusque curiae episcopalis residentia, perpetuo assignamus palatium quod cathedrali ecclesiae magis quam fieri potuerit proximum serenissimus Siciliarum rex pollicitus est in promptu illico futurum simul ac eadem ecclesia de pastore fuerit provisa; itidemque perpetuo modo destinamus assignamusque aedificium satis amplum pro seminario dioecesano ex praescripto sacrorum canonum instituendo, quemadmodum ipsemet serenissimus rex se diligenter id effecturum spopondit.

Ne vero quidquam illorum desit quod ad rectam dioecesis Drepanensis procurationem requiruntur, mandamus ac praecipimus, ut omnes et singulae scripturae, instrumenta, beneficiorum ac legatorum fundationes, testamenta aliaque cuncta documenta et tabulae quae ad res et personas oppidorum seu paroeciarum et locorum ut superius dismembrandorum, pertinent vel respiciunt, quam primum disquirantur, secernantur, et extrahantur a pristina cancellaria episcopali, protinusque inserantur et adserventur in cancellaria Drepanensis episcopatus, cuius ordinariae iurisdictioni, regimini et potestati eadem singillatim oppida cum territoriis et caeteris adnexis in posterum ex praestabilita dismembratione subiecta esse contigerit.

Tum ex plenaria Nostra potestate hodierno utriusque Siciliae regi eiusque successoribus veniam seu ius impertimur nominandi intra tempus a iure praefinitum personam idoneam per Nos vel successores Nostros Romanos Pontifices in episcopum Drepanensem praeficiendam (quae siquidem in Urbem ad obtinendam apostolicam provisionem de more accedere teneatur), subindeque declaramus quod praefatum ius exerceri quidem possit tam hac prima vice quam in futuris Drepanensis episcopatus vacationibus, quomodolibet dehinc eventuris.

Edicimus vero ac decernimus, ut episcopalis ecclesia Drepanensis metropolitico iuri archiepiscopi pro tempore Panormitani censeatur et sit perpetuo subiecta, iisque omnibus propterea fruatur facultatibus, exemptionibus, praerogativis et iuribus quae ad caeteras suffraganeas Panormitani archiepiscopatus ecclesias legitime pertinent.

Ne vero Drepanensis ecclesia episcopalis idoneo administratore careat, quoadusque de suo pastore fuerit in consistorio provisa, concedimus atque demandamus, ut eius capitulum cathedrale intra octo dies ab exequutione bullae inferius praecipienda, valeat capitularia inire comitia ad vicarii capitularis electionem rite conficiendam.

Praeterea praecipimus, ut fructus praefatae ecclesiae Drepanensis in futura illius provisione taxentur ad florenos auri de camera biscentum quinquaginta tria cum una ex tribus eiusdem floreni parte, atque adeo istiusmodi taxa in libris camerae apostolicae et sacri collegii describatur.

Postremo in earum rerum omnium, quae superius a Nobis sancita sunt, executorem deputamus Coelestinum Cocle ecclesiae Patracensis in partibus infidelium archiepiscopum, cum facultatibus necessariis et opportunis, ut ipse per se vel per aliam personam idoneam, in ecclesiastica dignitate constitutam, ab ipsomet subdelegandam omnia statuere ac decernere valeat, ut cuncta superius ordinata et cuncta constituta ad felicem exitum rite probeque perducantur; atque etiam cum facultate eidem exequutori sive eius subdelegato definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praedicta quomodolibet oritura; iniuncta quidem ipsi obligatione diligenter in decreto executoriali distincte describendi fines totius dioeceseos Drepanensis, ut supra constitutae, ac mittendi huc intra sex menses ab expleta literarum apostolicarum executione, exemplar authentica forma exaratum, decretorum omnium, quae in praedicta literarum executione emittet, ut in tabulario sacrae congregationis Consistorialis ex more asserventur.

Praesentes vero literas et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint etiamsi expressa specifica et individua, mentione digni sint nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae vel quolibet alio licet substantiali et excogitato defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari, sed eas tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari debere, etsi secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum prorsus et inane esse et fore volumus atque decernimus.

Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regulis nec non supradictarum ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia roboratis statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus privilegiis quoque indultis et concessionibus, quavis individua mentione dignis, omnibusque et singulis apostolicis et in synodalibus, provincialibus, universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus. Quibus omnibus et singulis eorumque totis tenoribus ac formis etiamsi specialis mentio, seu quaevis expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda foret ipsorum tenores praesentibus pro expressis habentes, ad praemissorum omnium et singulorum effectum latissime et plenissime ac specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praeterea etiam volumus, ut harum literarum transumptis etiam impressis manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, dismembrationis, erectionis, annullationis, distinctionis, separationis, applicationis, circumscriptionis, concessionis, assignationis, subiectionis, attributionis, statuti, indulti, declarationis, deputationis, commissionis, mandati, decreti, derogationis ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pridie kalendas iunii, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXXXII.

BULLA

Qua fit Siciliana circumscriptio ac Syracusana ecclesia cathedralis in ecclesiam archiepiscopalem et metropolitanam erigitur [1].

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam.

In suprema militantis Ecclesiae specula, divinae providentiae consilio licet immerentes, collocati, eo quoque debemus apostolica cura intendere, ut dioecesum quae nimis amplae videantur, territoria circumscribamus finesque contrahamus, prout fidelium necessitas et salus exquirat. Iam vero ecclesiarum, Sicana in insula ultra Pharum extantium, territoria circumscribenda esse, novasque constituendas dioeceses, ut christifideles ibi degentes accuratius atque expeditius regantur, id quidem iamdiu perspectum est, ac notatum reperitur inter ea quae felicis recordationis Pius VII, praedecessor Noster, in conventione cum Ferdinando I, clarae memoriae, Siciliarum rege, inita, provide sapien-

---

[1] Ex libro Bullarum Apostolicarum existente in Cancellaria Syracusanae Archidioecesis.

terque sancivit. Porro carissimus in Christo filius Noster Ferdinandus II, eiusdem regni haeres pientissimus praepositae dioecesum circumscriptionis perficiendae nedum utilitatem verum etiam necessitatem probe animadvertit. Enimvero adeo per Siciliam auctum esse constat populorum numerum, ut ibi in praesens decies atque octingenta centena fere incolarum millia recenseantur, ac licet ea in insula tredecim dioeceses numerentur, adeo tamen vasta sunt illarum territoria, ut gregis copiae pastorum numerus impar omnino videatur. Sane ex iis populis plerique longis atque asperrimis itineribus ab episcopali sede distant; ex quo fit ut raro admodum pastoris praesentia ac voce recreari ac moneri opportune possint, raro etiam in iis regionibus ipsum Confirmationis sacramentum ministretur, denique ut remissius ibi electum Christi frumentum succrescat. Idcirco praelaudatus Ferdinandus II, utriusque Siciliae rex illustris, avitae religionis studio incensus, a Nobis impense postulavit uti quamprimum tot ac tantis spiritualibus fidelium incommodis, apostolicae Nostrae auctoritatis ope mederemur. Quoniam vero episcopatuum, qui modo existunt, finibus contrahendis necesse omnino est, ut aliae sedes episcopales constituantur, ita de nova metropolitana sede erigenda etiam pro ecclesiarum suffraganearum commoditate cogitatum est. Ad hoc autem rite praestandum peropportune se offert Syracusana civitas, quae quidem, uti ferunt, septingentesimo ac trigesimo anno ante Salvatoris adventum a Corinthiorum duce Archia illuc appulsa colonia fundata est, atque opum affluentia, doctrinarum bonarumque artium studio, nec non armorum peritia mirifice inclaruit. Postmodum vero licet sub Romanorum imperio, ac praesertim teterrima Saracenorum incursione labefactata, de pristino honore deciderit, elegantibus tamen usque adhuc aedificiis aucta, in uberrimam atque amoenissimam sese explicat oram ad maris littus; praeterea multa habet ornata templa ac publica instituta, tum quae ad religionem, tum quae ad scientiarum atque honestarum literarum cultum spectant, nec non pleraque hospitia infirmis atque egenis suscipiendis curandisque. Insuper portu instructa, multorum militum praesidio munita, incolarum atque advenarum multitudine prae viarum commoditate frequens, familiarum nobilitate ac splendore conspicua, rerum commercio ditata usque adeo floret, ut nobiliores inter Trinacriae urbes merito adnumeretur. In ea vero, praeter sex parochiales aliasque minores ecclesias, extat cathedrale templum affabre structum ornatumque, Natali Virginis Deiparae dicatum, et ab eximio canonicorum collegio celebratum in divinis peragendis officiis. Illud vero praeclarum sane ac gloriosum, quod eius ecclesiae episcopatus primo aerae christianae saeculo apostolica institutione insignis, subinde a sancto Martiano, Apostolorum Principis discipulo, susceptus est, cuius immortalis antistitis opera ac labore tam altis ibi est christiana fides defixa radicibus, ut bacchante ethnicorum furore, fortissimorum martirum sanguine Syracusana ecclesia perfusa coruscaret; quibus sane felicibus auspiciis praeclara illa Christi seges coli coepta, adeo feliciter progerminavit, ut ea dividenda in posterum, novisque operariis committenda esse videretur. Quapropter, circumscriptis Syracusanae ecclesiae finibus per similes apostolicas literas pridie idus septembris anno millesimo octingentesimo decimo sexto a Pio VII, praedecessore Nostro, Calatayeronensis episcopalis sedes erecta est, quae tercentum sex ferme incolarum millia complecteretur; itemque Nos, per apostolicas literas nuper datas apud s. Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, idibus maii, Netensem episcopatum constituimus, qui biscentum ac triginta fere hominum millia comprehenderet. Quo profecto salutari consilio id perfectum est, ut Syracusani antistitis labor et cura minueretur, et plurimarum animarum necessitatibus satius in posterum consultum foret. At quemadmodum Syracusana ecclesia foecunda extitit aliarum ecclesiarum parens, ita decet omnino, ut inter eas dignitate atque auctoritate praecellat. Id etiam convenire intelligens carissimus in Christo filius Noster Ferdinandus II, utriusque Siciliae rex, a Nobis petiit, ut ecclesiam Syracusanam praecellenti archiepiscopalis metropolitanae titulo, dignitate ac iurisdictione, auctoaitate Nostra apostolica, augeremus. Iam vero gravibus, quae attulimus, rationum momentis adducti, piis eiusdem regis votis obsecundandum duximus, tum quoad priscas ultra Pharum dioeceses circumscribendas novasque erigendas episcopales ecclesias, tum quoad canonicam Syracusani archiepiscopatus institutionem. Quocirca matura deliberatione perpensis omnibus, quae hac super re animadvertenda erant, ad omnipotentis Dei gloriam, ad catholicae religionis incrementum et splendorem, nec non ad maiorem eorum Christi fidelium utilitatem, Nos, Motu Proprio, certa scientia et apostolicae potestatis plenitudine, consensui etiam omnium et singulorum quomodocumque interesse habentium supplentes, et, quatenus opus sit, derogantes, ea oppida seu paroecias et loca, quae vulgari nomine hic modo describuntur, ab hodiernis eorum respective dioecesibus prorsus distrahimus, dividimus, dismembramus ac segregamus, nempe a dioecesi Cephaludensi: Castelluccio, Mistretta, Motta d'Affermo, Pessineo, Reitano, S. Stefano di Camastra, Tusa, Cerdavillaura; a dioecesi Platiensi: Asaro, Leonforte, Nissoria, S. Filippo d'Argirò, Mirabella; a dioecesi Mazzariensi: Balestrate, Borgetto, Capaci, Carini, Cinisi, Partenico, Terrasini,

Torretta, Valguarnera, Regali; a dioecesi Agrigentina: Castronuovo, Chiusa, Contessa, Giuliana, Palazzo Adriano, Prizzi, S. Carlo; a dioecesi Nicosiensi Herbitensi: Alimena, Buonpietro, Castelbuono, Gangi, Geraci, Petralia Soprana, Petralia Sottana, S. Mauro, Bronte, Maletta, Capizzi, Cesarò, S. Teodoro; a dioecesi Cataniensi: Caracci, Centorbi, Catenanuova, Regalbuto, Ramacca; denique a dioecesi Calatayeronensi: Butera, Mazzarino, S. Maria Niscemi, Riesi, Terranova; proindeque omnes porro insimul quae inibi consistunt, parochiales, collegiatas, succursales, cunctasque alias ecclesias, oratoria, conventus et monasteria, itemque praepositurus si quae exstant, et saecularia quaeque ac quorumvis ordinum regularia beneficia, nec non utriusque sexus personas, habitatores et incolas tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos et religiosos cuiuscumque gradus, status, ordinis et conditionis a pristina eorum respective antistitum ordinaria iurisdictione, potestate ac superioritate perpetuum pariter in modum eximimus omnino atque liberamus. Istiusmodi dismembratione, divisione ac exemptione peracta ex oppidis seu paroeciis et locis modo recensitis cum omnibus quidem ac singulis consistentibus parochialibus, collegiatis, succursalibus, ceterisque cunctis ecclesiis et oratoriis, conventibus, monasteriis, una cum praepositurus, si quae extent; et saecularibus quibuscumque ac quorumvis ordinum regularibus beneficiis, cumque habitatoribus et incolis tam laicis, quam clericis, presbyteris, beneficiatis et religiosis cuiuscumque gradus, status, ordinis et conditionis, non tamen exemptis, perpetuo modo unimus, coniungimus, penitusque singillatim incorporamus archidioecesi Panormitanae illa quae nuncupantur: Castronuovo, Cerdavillaura; alterum ab Agrigentina, alterum vero a Cephaludensi dioecesi, ut praefertur, dismembrandum: archiepiscopali dioecesi Montis Regalis illa quae dicuntur: Capaci, Torretta, Cinisi, Carini, Balestrate, Borgetto, Partenico, Valguarnera, Regali, Terrasini, Prizzi, Chiusa, Palazzo Adriano, Giuliana, Contessa, S. Carlo; quorum sane oppidorum priora novem a Mazzariensi, postrema vero sex ab Agrigentina dioecesi, uti supra statutum est, seiungenda sunt: dioecesi Cephaludensi illa quae vocantur: Alimena, Buonpietro, Castelbuono, Gangi, Geraci, Petralia Soprana, S. Mauro, Petralia Sottana, quaeque a Nicosiensi Herbitensi dioecesi, quemadmodum superius sancitum est, dividenda sunt: dioecesi Platiensi illa quae vocantur: Mazzarino, Terranuova, S. Maria Niscemi, Riesi, Butera, quaeque sunt a dioecesi Calatayeronensi, ceu supra institutum est, secernenda: dioecesi Nicosiensi Herbitensi illa, quae appellantur: Asaro, Leonforte, Nissoria, S. Filippo d'Argirò, Centorbi, Caracci, Regalbuto, Catenanuova, quorum priora quatuor a Platiensi, reliqua autem a Cataniensi dioecesi, sicut praedictum est, segreganda sunt: dioecesi Cataniensi illa, quae veniunt sub nomine: Bronte, Maletto, quaeque ex decreto, superius enunciato, a Nicosiensi Herbitensi dioecesi abstrahenda sunt: dioecesi Pactensi illa, quae nominantur: Mistretta, Tusa, S. Stefano di Camastra, Motta d'Affermo, Castelluccio, Pettineo, Reitano, Capizzi, Cesarò, S. Teodoro; quorum priora septem a Cephaludensi, posteriora autem a Nicosiensi Herbitensi dioecesi sunt detrahenda, quomodo est supra demandatum: denique dioecesi Calatayeronensi illa quae utuntur cognomine: Mirabella, Rammacca, quorum alterum a Platiensi, alterum autem a Cataniensi dioecesi auferendum, sicuti singillatim de omnibus superius indictum est; ac proinde declaramus eadem cuncta oppida sive paroecias et loca cum omnibus antedictis singulisque annexis atque accessoriis, quemadmodum supra dispertita sunt, sic unita, coniuncta, incorporata censeri deberi, ut posthac iugiter cuiusque pro tempore antistitis, cui sunt assignata et attributa, ordinariae iurisdictioni, potestati atque regimini respective subsint atque obediant. Quum autem ubi nova istiusmodi antedesignatorum locorum, rerum et personarum destinatio inducta et constabilita fuerit, id etiam necessarium fore videatur, ut pro recta eorumdem oppidorum procuratione accessoria quaeque, principalia sequantur, idcirco demandamus ac praecipimus, ut omnes et singulae scripturae, instrumenta beneficiorum ac legatorum fundationes, testamenta aliaque cuncta documenta et tabulae quae ad res et personas oppidorum seu paroeciarum et locorum, uti superius dismembrandorum, pertinent et respiciunt, quam primum disquirantur, secernantur et extrahantur a pristinis respective cancellariis episcopalibus, protinusque respective inserantur et adserventur in cancellariis archiepiscopatuum atque episcopatuum, quorum ordinariae iurisdictioni, regimini et potestati eadem singillatim oppida cum territoriis et ceteris adnexis in posterum ex praestabilita circumscriptione subiecta esse contigerit. Praeterea cum inter ea, quae speciali intuitu ac providentia iure meritoque digna iudicantur, illud quoque recenseatur, quod altera scilicet e canonicalibus Agrigentinae cathedralis praebendis antiquitus instituta congruam habeat dotationem ex decimis exigendis in praenunciato oppido Castronuovo, Panormitanae Archidioecesi dein adiungendo; idcirco, ut eiusmodi canonicatus praebenda perpetuo servetur incolumis, statuimus atque decernimus, ut eiusdem pro tempore possessor nihilominus valeat eodem, quo antea, iure a regia etiam potestate et cura, quemadmodum pollicitum est, indesinenter tuendo, eas ipsas omnino decimas in memorato oppido Castronuovo libere exigere, percipere et frui. Quoniam vero aliquot adolescentes ex iis oppidis

ab Agrigentina dioecesi dismembrandis in eiusdem seminarium, uti fertur, recipi, ibique gratis educari consueverant, quique ex eorum adolescentium numero ceteris in studiorum curriculo praestitissent, ad maiorem in doctrinis progressum habendum, in collegio a ss. Augustino et Thoma nuncupato, sex annorum spatio reditibus ad id destinatis gratuito alebantur; idcirco ne quidquam detrimenti capiat eorumdem institutio, declaramus atque statuimus, ut integris manentibus seminarii Agrigentini redditibus, tot insuper census tribuantur seminariis earum dioecesum, quibus memorata oppida seu paroeciae Agrigentinae adiungendae sunt, quot necessarii erunt alendis eodem numero, ac gratis instituendis, velut antea, adolescentibus in sacris illis ecclesiasticae militiae tyrociniis, qui ex Agrigentinis oppidis seu paroeciis modo dismembrandis, in Agrigentinae dioecesis seminario gratis hucusque educari consueverant, quemadmodum ex serenissimi utriusque Siciliae regis pietate et munificentia promissum est. Cumque pariter, ut adlatum est, in more institutoque positum sit, ut omnes convictores, qui in Agrigentino seminario theologicae facultati student, quotannis subiiciantur experimento super peculiaribus theologicis tractationibus intra cuiusque scholastici anni curriculum peractis, quique ceteris doctrinae atque ingenii laude praeiverint academicis gradibus insigniantur, emensoque theologalium studiorum triennio, qui iuvenes in praefatis annuis experimentis honorificentiores gradus obtinuerint, in Agrigentinum collegium a ss. Augustino et Thoma nuncupatum, ac peculiaribus ad hoc redditibus instructum, sex annorum spatio alendi docendique pro vacantium locorum numero admittantur; idcirco quum ecclesiastici iuvenes, ex iis oppidis ab Agrigentina dioecesi dismembrandis oriundi, nequirent profecto illi interesse experimento, quod etiam in posterum, ut moris est, ab Agrigentini seminarii alumnis faciendum erit; propterea ne praefato commodo priventur iuvenes modo commemorati, volumus atque praecipimus, ut pro ecclesiasticis eisdem iuvenibus oriundis ex oppidis ab Agrigentina dioecesi dismembrandis, et partim Panormitanae, partim Montis Regalis dioecesi attribuendis, unum aut plura loca reserventur in eodem ss. Augustini et Thomae collegio, quae instituta aequa proportione, respective ad praefatas paroecias pertinere dignoscentur, adiecta tamen lege ut eadem loca per concursum conferantur iis ex praedictis iuvenibus, qui a suis respective Ordinariis ad id electi fuerint, idemque concursus Agrigenti cura illius antistitis habeatur. Hoc autem in loco illud etiam impense commendamus, ut quo praemio quinque unciarum donari ex legato solebant illi Agrigentinae dioecesis adolescentuli, qui in addiscendis ac memoria retinendis christianae doctrinae rudimentis caeteros superassent, eodem quoque in posterum, ex pia serenissimi regis liberalitate donentur. Cum praeterea ex dismembratione ditiorum quorumdam oppidorum a Calatayeronensi dioecesi gravis metus irrepserit, ne ad eiusdem seminarii, exiguo censu praediti, substentationem necessarii proventus deficiant, eo quod adolescentes, quorum annuis stipendiis maxime vigebat, ex iisdem oppidis haud amplius in praedictum seminarium, ast alio postmodum diversuri sint, acceptissimam idcirco ac ratam habemus serenissimi regis sponsionem, qua cautum est, ut habita de istiusmodi reddituum decremento aequa ratione, tantum perpetuo modo ex regia ipsius munificentia sufficiatur, quantum eiusdem Calatayeronensis seminarii incolumitas, atque adeo illius incrementum exquiret. Quum dein futurum sit, ut iuxta praefatam circumscriptionem a dioecesi Nicosiensi Herbetensi dismembretur oppidum Bronte, ubi dioecesanum extat seminarium, illudque dioecesi Cataniensi adiungatur, id declaramus, itidem ex eiusdem serenissimi regis condicto, quod nihilo secius in eo oppido servetur sicuti antea in omnibus extiturum seminarium; verum in civitate Nicosiensi novum quamprimum instituatur seminarium pro ecclesiasticis huius dioecesis alumnis satis commodum, congrua ac perpetua insimul dotatione muniendum; quum autem dioecesis Platiensis, et altera Liparensis in praesentiarum careant ecclesiastico seminario, quo, iuxta sacri concilii Tridentini praescriptum, unaquaeque dioecesis praedita esse debet, ut ibi adolescentes in religione, literis ac scientiis probe erudiantur, indeque egressi sal terrae, lux mundi, et Christi bonus odor dici merito queant; idcirco commendamus quoque et iniungimus, ut in utraque antedicta dioecesi quamprimum seminarium instituatur, quemadmodum serenissimus idem rex edixit quamprimum factum iri. Quod modo spectat ad novum archiepiscopatum in insula ultra Pharum erigendum, Nos primum apostolica Nostra auctoritate episcopales ecclesias nempe Syracusanam, Calatayeronensem et Platiensem hactenus suffraganeas archiepiscopatui Montis Regalis; itidem Agrigentinam quae in praesentiarum suffragatur archiepiscopatui Panormitano, Cephaludensem denique ecclesiam hucusque suffraganeam Messanensi archiepiscopatui protinus ac singillatim a metropolitano iure, cui respective usque adhuc subiectae permanserunt, perpetuo subtrahimus ac prorsus eximimus, ita ut ipsae omnes antedictae ecclesiae suffraganeae simulque earumdem respective civitates, territoria et cunctae quae per ea loca comperiuntur ecclesiae sive parochiales, sive succursales, sive simplices, monasteria, conventus, ecclesiastica quaeque instituta, nec non saecularia et quorumvis ordinum regularia beneficia, quae in earum ecclesiarum oppidis

sive paroeciis atque territoriis extant, aeque et singulae utriusque sexus personae, incolae atque advenae tam laici quam clerici, presbyteri, beneficiati, religiosi cuiuscumque gradus, ordinis et conditionis, dehinc perpetuum in modum a pristina cui antehac respective suberant, metropolitica iurisdictione, itidem sint respective exempta ac penitus avulsa. Quibus omnibus praeordinatis atque institutis eamdem Syracusarum ecclesiam tot nominibus commendatam sic cum aliis modo recensitis ecclesiis suffraganeis a prisco metropolitico iure exemptam pleneque liberam redditam, erigimus atque instituimus in archiepiscopalem et metropolitanam ecclesiam Syracusanam, ita ut in ea Syracusarum civitate sedes archiepiscopalis et metropolitana constituatur pro uno Syracusano archiepiscopo et metropolitano praesule, qui de aliorum archiepiscoporum more usum habeat pallii atque crucis cum suis item capitulo, sigillo, arca, mensa, omnibusque archiepiscopalibus insigniis, privilegiis, honoribus, iuribus, quibus aliae archiepiscopales metropolitanae ecclesiae earumque antistites in Siciliae ultra Pharum regno, iis tamen exceptis, quae titulo oneroso vel ex speciali indulto aut privilegio obtenta sunt, utuntur et gaudent. Propterea Syracusarum proxime futurum antistitem eiusque omnes successores perpetuo donamus nomine, titulo, dignitate ac iurisdictione archiepiscopali et metropolitica; proindeque ipsum eiusque successores similiter decernimus perpetuo uti et frui cunctis ac singulis, quae archiepiscoporum et metropolitanorum propria sunt, iuribus, gratiis, privilegiis, praerogativis atque praeeminentiis, excepto usu pallii usque dum de more apud S. Sedem fuerit postulatum efflagitatumque. Ut autem futurus pro tempore archiepiscopus Syracusanus suam possit decenter tueri dignitatem et oneribus archiepiscopatui metropolitano inhaerentibus, sicuti par est, satisfacere, itidemque pro archiepiscopali mensa Syracusanae ecclesiae metropolitanae confirmamus perpetuoque adservamus eadem universa bona, iura et redditus, quae et qui ad ipsam episcopalem antehac mensam Syracusanam canonica adsignatione iugique possessione pertinebant. Dein vero capitulum ipsum quod modo reperitur in antedicta ecclesia Syracusana constitutum, primaevo destituimus capituli cathedralis titulo, ac vestigio insignimus potiore capituli archiepiscopalis et metropolitani titulo, ita siquidem ut omnes ipsius praebendae in eodem penitus adserventur statu etiam quoad singularum dignitatem, titulum, praeeminentiam, officia et iura, pariterque ab hodiernis legitime possessoribus absque nova bullarum expeditione retineri indulgemus, iis utique quibuscumque superadditis honoribus, iuribus et oneribus quae in Siciliae ultra Pharum regno propria esse solent, istiusmodi capitulorum atque praebendarum. Porro servari etiam volumus pro decenti et commoda Syracusani archiepiscopi habitatione priscum inibi extans episcopale palatium, archiepiscopium posthac nuncupandum, itemque curiam et cum omnibus bonis, redditibus ac iuribus dioecesanum seminarium. Ut vero Syracusanae ecclesiae ad archiepiscopalis et metropolitanae fastigium, ceu dictum est, extollendae subsint de more suffraganeae episcopales ecclesiae, idcirco perpetuum in modum statuimus, ut superius memoratae ecclesiae Platiensis et Calatayeronensis nec non altera episcopalis ecclesia Netensis, quam per similes apostolicas literas, datas idibus maii, sicuti iam praefatum est, ad id honoris ereximus, subiiciantur metropoliticae iurisdictioni archiepiscopatus Syracusani atque in eius suffraganeas ecclesias iugiter destinentur; proindeque eidem pro tempore antistiti metropolitano in praenunciatas ecclesias Platiensem, Calatayeronensem ac Netensem iura, privilegia, honores, facultates, iurisdictionem atque auctoritatem, quibus metropolitani archiepiscopi ex sacrorum canonum et apostolicarum constitutionum praescripto in suffraganeas pollent ecclesias, perpetuo similiter et vicissim concedimus et attribuimus. Quoad reliquas autem suffraganeas ecclesias, de quibus actum est superius, declaramus atque decernimus, ut perpetuum in modum ecclesia Cephaludensis metropolitanae iurisdictioni archiepiscopi Panormitani, et ecclesia Agrigentina metropoliticae iurisdictioni archiepiscopi Montis Regalis subiiciantur et respective in horum suffraganeas destinentur, ideoque utrique eorumdem archiepiscopatuum antistiti pro tempore existenti in illas item respective ecclesias iura, privilegia, honores, facultates, iurisdictionem atque auctoritatem quibus metropolitani archiepiscopi ex sacrorum canonum et apostolicarum constitutionum praescripto in suffraganeas ecclesias gaudent in ea insula Sicana, perpetuo similiter et respective concedimus atque attribuimus. Denique in earum rerum omnium gravissimi sane momenti quae superius sancita a Nobis sunt, exequutorem deputamus atque constituimus venerabilem fratrem Coelestinum Cocle, ecclesiae Patracensis in partibus infidelium archiepiscopum, cum omnibus siquidem facultatibus necessariis et opportunis, ut ipsemet, vel per se, vel per aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, ab eodem antedesignato executore subdelegandam, ea cuncta statuere et decernere licite valideque possit, ex quibus ad optatum effectum superiora singula decreta cumulate queant adduci, addita proinde ipsi executori sive illius subdelegato facultate definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet suboritura, iniuncta autem ipsi obligatione diligenter mittendi ad sacram Concistorialem congregationem intra sex menses ab expleta earum-

dem literarum apostolicarum executione, authentica quidem forma exaratum exemplar decretorum omnium, quae in praedictarum literarum exequutionem emiserit, ut in hoc eiusdem sacrae congregationis tabulario rite ad opportunitatem custodiatur.

Praesentes autem literas et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint etiamsi expressa, specifica et individua mentione digni sint, nullo unquam tempore de subreptionis et obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio licet substantiali, et excogitato defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari sed eas tanquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus atque decernimus.

Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes vocatis, quorum interest, aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regulis, nec non supradictarum ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus privilegiis quoque, indultis et concessionibus quamvis individua mentione dignis, omnibusque et singulis apostolicis et in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus. Quibus omnibus et singulis eorumque totis tenoribus ac formis, etiamsi specialis mentio seu quaevis expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, ipsorum tenores praesentibus pro expressis habentes ad praemissorum omnium et singulorum effectum latissime et plenissime ac specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praeterea etiam volumus, ut harum literarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, dismembrationis, erectionis, annullationis, disiunctionis, separationis, aggregationis, unionis, applicationis, circumscriptionis, concessionis, assignationis, subiectionis, attributionis, statuti, indulti, declarationis, deputationis, commissionis, mandati, decreti, derogationis ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, decimo tertio kalendas iunii, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXXXIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Numerum dierum festorum coercet pro locis dominio subiectis serenissimae Lusitaniae et Algarbiorum reginae [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Quum ex apostolici Nostri ministerii officio curare debemus, ut festorum dierum celebritas a christifidelibus religiose colatur, tum illud etiam ex paterno in omnes studio praestandum Nobis est, ut si eorumdem festorum dierum numerus temporalibus christifidelium necessitatibus officere possit, eum pro locorum ac temporum ratione apostolica venia coerceamus. Itaque, quum carissima in Christo filia Nostra serenissima Lusitaniae et Algarbiorum regina fidelissima per dilectum filium Ioannem Petrum commendatorem de Migueis de Carvalho de Brito, suum apud Nos atque hanc Sanctam Sedem oratorem Nobis supplicaverit, ut, attentis gravissimis circumstantiis, quae florentes olim illas regiones perturbarunt, festorum dierum numerum ad certos limites cohibeamus, ut populi praesertim laboribus addicti summae angustiae consulatur, sicut fel. rec. Urbanus VIII, Benedictus XIV et Clemens XIV praedecessores Nostri benigne elargiti sunt, Nos eius votis libenter duximus adnuendum. Quamobrem de consilio venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium sacris Ritibus praepositorum, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, decernimus ac statuimus, ut in omnibus ac singulis regionibus carissimae in Christo filiae Nostrae Lusitaniae et Algarbiorum reginae fidelissimae dominio subiectis, praeter omnes dominicos dies, sub utroque praecepto in posterum serventur tantum festa Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, Corporis Domini et Natalis Domini Nostri

[1] Ex Iure Pontificio de Propaganda Fide.

Iesu Christi et Sacri Cordis Iesu, insuper festa Purificationis, Annunciationis, Assumptionis et Immaculatae Conceptionis beatae Mariae Virginis, nec non festum servetur a meridie feriae V in coena Domini ad meridiem usque feriae VI in Parasceve, denique die vigesima secunda ianuarii festum s. Vincentii martyris pro patriarchatu Ulyssiponensi et regno Algarbiorum, die decima tertia iunii pro patriarchatu tantum praedicto festum sancti Antonii Patavini, ubique vero festum Nativitatis s. Ioannis Baptistae die vegesima quarta iunii et sanctorum apostolorum Petri et Pauli die vigesima nona iunii, et festum omnium Sanctorum die prima novembris. Caetera vero festa, quae hactenus de praecepto servari solita sunt, auctoritate Nostra apostolica penitus abolemus quoad praeceptum adstandi sacro et vacandi ab operibus servilibus, praeter tamen ecclesiasticas functiones, quae respectivis in ecclesiis sicut antea a clero peragi volumus, ac si revera de praecepto perdurarent. Praeterea festa sanctorum Patronorum, qui solum in civitatibus ac locis dominio serenissimae Lusitaniae et Algarbiorum reginae fidelissimae subiectis praecipui sunt, quoad extrinseca transferri volumus in dominicam sequentem cum missa solemni tantum de iisdem, firmis tamen remanentibus officio et missa diebus iam adsignatis, servatisque in omnibus rubricis. Haec concedimus et mandamus, non obstantibus apostolicis constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quarta iunii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXXXIV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus liber gallice conscriptus Paroles d'un Croyant, *quo populi corrumpuntur ad ordinem socialem dissolvendum, damnatur* [1].

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres,

salutem et apostolicam benedictionem.

Singulari Nos affecerant gaudio illustria fidei, obedientiae ac religionis testimonia, quae de exceptis ubique alacriter encyclicis Nostris literis, datis die decima quinta augusti anni millesimi octingentesimi trigesimi secundi, perferebantur, quibus sanam, et quam sequi unice fas sit, doctrinam de propositis ibidem capitibus pro Nostri officii munere, catholico gregi universo denunciavimus. Nostrum hoc gaudium auxerunt editae in eam rem declarationes a nonnullis ex iis, qui consilia illa opinionumque commenta, de quibus querebamur, probaverant, et eorum fautores defensoresque incaute se gesserant. Agnoscebamus quidem, nondum sublatum malum illud, quod adversus rem et sacram et civilem adhuc conflari impudentissimi libelli in vulgus dispersi et tenebricosae quaedam machinationes manifesto portendebant, quas idcirco, missis mense octobri ad ven. fratrem episcopum Rhedonensem literis, graviter improbavimus. At anxiis Nobis maximeque ea de re sollicitis pergratum sane ac iucundum extitit, illum ipsum, a quo praecipue id Nobis moeroris inferebatur, missa ad Nos declaratione die decima prima decembris anni superioris, diserte confirmasse se doctrinam Nostris encyclicis literis traditam *unice et absolute* sequi, nihilque ab illa alienum aut scripturum se esse, aut probaturum. Dilatavimus illico viscera paternae caritatis ad filium, quem Nostris monitis permotum luculentiora in dies documenta daturum fore confidere debueramus, quibus certius constaret, Nostro ipsum iudicio et voce et re paruisse.

Verum, quod vix credibile videbatur, quem tantae benignitatis affectu exceperamus, immemor ipse Nostrae indulgentiae cito e proposito defecit, bonaque illa spes, quae *de praeceptionis Nostrae fructu* Nos tenuerat, in irritum cessit, ubi primum, celato quidem nomine, sed publicis patefacto monumentis, nuper traditum ab eodem typis, atque ubique pervulgatum novimus libellum gallico idiomate, mole quidem exiguum, pravitate tamen ingentem, cui titulus *Paroles d'un Croyant.*

Horruimus sane, venerabiles fratres, vel ex primo oculorum obtutu, auctorisque caecitatem miserati intelleximus, quonam scientia prorumpat, quae non secundum Deum sit, sed secundum mundi elementa. Enimvero contra fidem sua illa declaratione solemniter datam, captiosissimis ipse ut plurimum verborum fictionumque involucris oppugnandam evertendamque suscepit catholicam doctrinam, quam memoratis Nostris literis, tum de debita erga potestates subiectione, tum de arcenda a populis exitiosa *indifferentismi* contagione, deque frenis iniiciendis evaganti opinionum sermonumque licentiae, tum demum de damnanda omnimoda conscientiae libertate, teterrimaque societatum, vel ex cuiuscumque falsae religionis cultoribus, in sacrae et publicae rei perniciem conflatarum conspiratione, pro auctoritate humilitati Nostrae tradita definivimus.

Refugit sane animus ea perlegere, quibus ibidem auctor vinculum quodlibet fidelitatis sub-

---

1 Ex Iure Pontificio de Propaganda Fide.

iectionisque erga principes disrumpere conatur, face undequaque perduellionis immissa, qua publici ordinis clades, magistratuum contemptus, legum infractio grassetur, omniaque et sacrae et civilis potestatis elementa convellantur. Hinc novo et iniquo commento potestatem principum, veluti divinae legi infestam, imo *opus peccati et Satanae potestatem* in calumniae portentum traducit, praesidibusque sacrorum easdem ac imperantibus turpitudinis notas inurit ob criminum molitionumque foedus, quo eos somniat inter se adversus populorum iura coniunctos. Neque tanto hoc ausu contentus, omnigenam insuper opinionum, sermonum, conscientiaeque libertatem obtrudit, militibusque ad eam *a tyrannide,* ut ait, liberandam dimicaturis fausta omnia ac felicia comprecatur, coetus ac consociationes furiali aestu ex universo qua patet orbe advocat, et in tam nefaria consilia urgens atque instans compellit, ut eo etiam ex capite monita praescriptaque Nostra proculcata ab ipso sentiamus.

Piget cuncta hic recensere, quae pessimo hoc impietatis et audaciae foetu ad divina humanaque omnia perturbanda congeruntur. Sed illud praesertim indignationem excitat, religionique plane intolerandum est, divinas praescriptiones tantis erroribus adserendis ab auctore afferri et incautis venditari, eumque ad populos lege obedientiae solvendos, perinde ac si a Deo missus et inspiratus esset, postquam in sacratissimo Trinitatis augustae nomine praefatus est, sacr. Scripturas ubique obtendere, ipsarumque verba, quae verba Dei sunt, ad prava huiuscemodi deliramenta inculcanda callide audacterque detorquere, quo fidentius, uti inquiebat s. Bernardus, *pro luce tenebras offundit, et pro melle, vel potius in melle, venenum propinet, novum cudens populis evangelium, aliudque ponens fundamentum praeter id, quod positum est.*

Verum tantam hanc sanae doctrinae illatam perniciem silentio dissimulare ab eo vetamur, qui speculatores Nos posuit in Israel, ut de errore illos moneamus, quos auctor et consummator fidei Iesus Nostrae curae concredidit.

Quare auditis nonnullis ex venn. fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus, Motu Proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, memoratum librum, cui titulus *Paroles d'un Croyant,* quo per impium verbi Dei abusum populi corrumpuntur ad omnis ordinis publici vincula dissolvenda, ad utramque auctoritatem labefactandam, ad seditiones in imperiis, tumultus rebellionesque excitandas, fovendas, roborandas, librum ideo propositiones respective falsas, calumniosas, temerarias, inducentes in anarchiam, contrarias verbo Dei, impias, scandalosas, erroneas, iam ab Ecclesia praesertim in Valdensibus, Wiclefitis, Hussitis, aliisque id generis haereticis damnatas continentem, reprobamus, damnamus ac pro reprobato et damnato in perpetuum haberi volumus atque decernimus.

Vestrum nunc erit, venn. fratres, Nostris hisce mandatis, quae rei et sacrae et civilis salus et incolumitas necessario efflagitat, omni contentione obsecundare, ne scriptum istiusmodi e latebris ad exitium emissum eo fiat perniciosius, quo magis vesanae novitatis libidini velificatur et quo latius ut cancer serpit in populis. Muneris vestri sit, urgere sanam de tanto hoc negotio doctrinam, vafritiemque novatorum patefacere, acriusque pro christiani gregis custodia vigilare, ut studium religionis, pietas actionum, pax publica floreant et augeantur feliciter. Id sane a vestra fide et ab impensa vestra pro communi bono instantia fidenter opperimur, ut eo iuvante, qui pater est luminum, gratulemur (dicimus cum S. Cypriano) *fuisse intellectum errorem et retusum et ideo prostratum, quia agnitum atque detectum.*

Ceterum, lugendum valde est, quonam prolabantur humanae rationis deliramenta, ubi quis novis rebus studeat, atque contra Apostoli monitum nitatur *plus sapere, quam oporteat sapere,* sibique nimium praefidens veritatem quaerendam autumet extra catholicam Ecclesiam, in qua absque vel levissimo erroris coeno ipsa invenitur, quaeque idcirco *columna ac firmamentum veritatis* appellatur et est. Probe autem intelligitis, venerabiles fratres, Nos hic loqui etiam de fallaci illo haud ita pridem invecto philosophiae systemate plane improbando, quo ex proiecta et effrenata novitatum cupiditate, veritas, ubi certo consistit, non quaeritur, sanctisque et apostolicis traditionibus posthabitis, doctrinae aliae inanes, futiles incertaeque, nec ab Ecclesia probatae adsciscuntur, quibus veritatem ipsam fulciri ac sustineri vanissimi homines perperam arbitrantur.

Dum vero pro delata divinitus Nobis sanae doctrinae cognoscendae, decernendae custodiendaeque cura ac sollicitudine haec scribimus, peracerbum ex filii errore vulnus cordi Nostro inflictum ingemiscimus, neque in summo, quo inde conficimur, moerore, spes ulla est consolationis, nisi idem in vias revocetur iustitiae. Levemus idcirco simul oculos et manus ad eum, qui *sapientiae dux est et emendator sapientium.* Ipsumque multa prece rogemus, ut, dato illi corde docili et animo magno, quo vocem audiat patris amantissimi et moerentissimi, laeta ab ipso Ecclesiae, laeta Ordini vestro, laeta Sanctae huic Sedi, laeta humilitati Nostrae properentur. Nos certe faustum ac felicem illum ducemus diem, quo filium hunc, in se reversum, paterno sinu complecti Nobis contingat, cuius exemplo magna in spe sumus, fore ut resipiscant ceteri, qui eo auctore in errorem induci potuerunt, adeo ut una apud omnes sit pro

publicae et sacrae rei incolumitate consensio doctrinarum, una consiliorum ratio, una actionum studiorumque concordia. Quod tantum bonum ut supplicibus votis Nobiscum a Domino exoretis, abs vestra pastorali sollicitudine requirimus et expectamus. In id autem operis divinum praesidium adprecantes, auspicem ipsius apostolicam benedictionem vobis gregibusque vestris peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum septimo kalendas iulias anno millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXXXV.

BULLA

Erectio fit novi episcopatus in oppido Iacii in Sicilia [1].

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Quodcumque ad catholicae religionis incrementum ac spiritualem fidelium salutem conferre quoquo modo videatur, illud quidem pro Nostri apostolici muneris ratione libentissime exequimur, nec manum ab opere dimovendam censemus, nisi re, quantum in Nobis est, penitus perfecta atque absoluta. Idcirco etsi ad uberiorem christiani gregis utilitatem, utque pientissima plurimorum vota et studiosissimae carissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi Secundi utriusque Siciliae regis efflagitationes salubriter obsecundarentur ecclesiarum ferme omnium ultra pharum extantium canonicam circumscriptionem decreverimus, et quemadmodum in Domino magis expediri Nobis visum est, novam exinde trium episcopatuum Netensis, Calatanisiadensis et Drepanensis erectionem effecerimus; nihilo tamen secius praelaudatus serenissimus rex uberius tantae operae protinus accessurum iudicavit, si alter episcopatus designaretur ex nova rursus circumscriptione Messanensis et Cataniensis dioecesium, quarum altera hodie continet biscentum supra triginta quatuor animarum millia, altera vero centum ac circiter septuaginta capitum millia recenset. Itaque serenissimus idem rex proposuit, ut nunc pro tunc quum primum vacaverint, ecclesiae Messanensis et Cataniensis denuo circumscriberentur, itemque nunc pro tunc quum utriusque modo dictae ecclesiae circumscriptio contigerit, sedes alterius novi episcopatus in oppido Iacii, quod vulgo dicitur – Acireale – apostolica Nostra auctoritate erigeretur, quandoquidem pro circumstantibus oppidis idoneum et magis dignum istiusmodi honore esse videatur. Nam Iacium amoeno in loco apud mare situm extat, fruiturque feracissimo territorio rerumque copia et affluenti commercio auctum, continet decentes domos, maiora etiam aedificia et templa; praesto habet aliqua pia opera vel instituta, inter quae patet quoque seminarium iam pridem per literas apostolicas, uti ferunt, commendatum religiosae Philippiadum patrum congregationi, arce militumque praesidio munitum usque adeo incolarum numero frequentatur, ut intra eius moenia adnumerentur plusquam viginti capitum millia, optime excultis civibus, ac familiis generis nobilitate praestantibus gaudet, quodque maxime ad rem facit, inibi exurgit sub invocatione Sanctae Mariae ab Angelo Annuntiatae, matrix ecclesia parochialis et collegiata, per canonicos et mansionarios celebrata, bene constructa, satis ampla, exornata et sacra supellectili praedita, dignaque idcirco quae ad cathedralitatis dignitatem extollatur. Quod vero pertinet ad dotationes necessarias, propositum ac postulatum est ut in id praevia canonica suppressione adhibeantur bona et redditus abbatiae a Sancta Maria (vulgo Roccamadore) nuncupatae, quae anno Domini millesimo centesimo nonagesimo quinto pro patribus Cisterciensibus fundata ex Bartholomaei de Luvy quondam comitis Panormitani et eius uxoris Desideriae pietate extat in pago idest (nel casale di Tremestieri) insimulque adhibeantur bona et redditus abbatiae a Sancta Maria vulgatim denominata (La Novara), quae pro praefatis item patribus Cisterciensibus fundata a Rogerio Normanno rege superest in loco dicto (Valdemone). Ambae siquidem abbatiae quas ferunt iamdiu ab iisdem Cisterciensibus relictas, et regio iurispatronatui subiectas fuisse nunc vacant, et singulis subductis oneribus atque impendiis, redditus suppeditare dicuntur huic negotio rite comparando necessarios. Ante dictam vero novae dioecesis Iaciensis in Sicilia ultra pharum erectionem eo etiam nomine opportunissimam fore iudicavimus, quod ex una parte archiepiscopus pro tempore Messanensis, et Cataniensis episcopus curarum quibus gravantur mole aliquatenus expediti pastoralis muneris officia in superstitem respective dioeceseos partem implere facilius poterunt, ex altera vero parte christifideles eorum fidei commissi ex impleto eiusmodi consilio, quod in conventione habita inter hanc Sanctam Sedem et regiam Siciliarum monarchiam sub anno millesimo octingentesimo decimo octavo initum est, maiorem profecto in spiritualibus commoditatem

---

1 Ex Archivio Cancellariae Episcopalis Iacii.

utilitatemque praesentient. Hisce rebus omnibus matura deliberatione perpensis, contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis minime obstantibus, atque adeo supplentes, quatenus opus sit, consensui omnium quomodocumque interesse habentium, Motu Proprio, certa scientia et apostolicae potestatis plenitudine, ad maiorem Dei gloriam et christianae rei utilitatem, universa et singula quae sequuntur iubemus atque decernimus. Verumtamen cum in praesentiarum antedictae ecclesiae Messanensis et Cataniensis non sint vacantes, pari ratione praestabilimus atque iniungimus, ut eaedem praescriptiones nullum omnino sortiantur effectum, antequam prima ipsarum ecclesiarum vacatio contingat. Quocirca nunc pro tunc a Cataniensi dioecesi, ubi adhuc centum et quadraginta millia circiter inhabitantium comperiri dicuntur, perpetuo dismembramus, prorsusque abscindimus et segregamus haec alia quinque oppida seu paroecias, quae vulgatim nuncupantur: Aci–Reale, Aci–S. Antonio, Aci–Bonaccorso, Aci–Castello, Aci–S. Filippo Catena; a Messanensis autem archiepiscopatus dioecesi, quam perhibent hodie continere biscentum supra triginta quatuor incolarum millia, haec perpetuum similiter in modum dismembramus penitusque abscindimus et segregamus oppida seu paroecias octo, quae vulgo appellantur: Calatabiano, Castiglione, Fiumefreddo, Giarre, Mascali, Piedimonte, Randazzo, Linguaglossa; proindeque ipsorum omnium oppidorum seu paroeciarum insimul territoria et cunctas quae inibi extant ecclesias sive parochiales, sive succursales, sive simplices, oratoria, monasteria, conventus, ecclesiastica quaeque instituta, nec non saecularia et quorumvis ordinum regularia beneficia, quae in praefatis oppidis seu paroeciis atque territoriis reperiuntur aeque ac singulas utriusque sexus personas incolas atque advenas tam laicos quam presbyteros beneficiatos religiosos cuiuscumque gradus, status, ordinis et conditionis ab ordinaria iurisdictione, potestate, superioritate antistitum ecclesiarum sive dioecesium antedictarum respective pariterque perpetuum in modum eximimus ac liberamus. Memoratum insuper Iacii oppidum quippe quod perhibetur posse inibi propter rerum opportunitatem accommodatius ac decentius quam in ceteris finitimis oppidis institui haberique sedem pro episcopo honestamus civitatis episcopalis titulo, illudque in posterum frui volumus omnibus et singulis honoribus, iuribus, privilegiis et praerogativis, quibus aliae in Sicilia ultra pharum civitates episcopales earumque cives gaudent atque utuntur.

Contra vero cum praestet ut mox novum dignioremque statum adquirat ea matrix ecclesia parochialis et collegiata Iacensis, quae sub invocatione Beatae Mariae Virginis ab Angelo Annunciatae ceteris in eo oppido supereminet ab eadem ecclesia (reservata nempe parochialitate prouti antea cum singulis adnexis honoribus atque oneribus indesinenter exercenda) auferimus atque extinguimus pristinum collegialitatis titulum, ita quidem ut is una cum eo capitulo collegiali suppressus intelligatur et sit cum omnibus hactenus impetratis vel quaesitis adhibitisque favoribus, gratiis, praerogativis et privilegiis quibuscumque. Praeterea Iacii templum superius laudatum erigimus perpetuoque constituimus in novam cathedralem ecclesiam adeo ut eadem, retento utique primaevo titulo Beatissimae Virginis Mariae ab Angelo Annunciatae, conservataque veluti antea parochiali animarum cura, cathedralis Iaciensis deinceps denominetur ac e vestigio in ipsa perpetuo pariter modo erigimus atque constabilimus sedem, cathedram et dignitatem episcopalem pro uno deinceps episcopo Iaciensi nuncupando, qui eidem ecclesiae, civitati et dioecesi Iaciensi inferius assignandae praesit, synodum dioecesanam convocet, nec non omnia et singula quaeque iura, officia et munia episcopalia habeat exerceatque cum suo capitulo cathedrali mox constituendo, ibidemque cum arca, sigillo, mensa et curia episcopali ceterisque cathedralibus insigniis, iuribus ac iurisdictionibus, praeeminentiis, praerogativis ac privilegiis indultisque realibus, personalibus atque mixtis, quibus aliae cathedrales ecclesiae in Siciliae regno ultra pharum consistentes earumque praesules gaudent, dummodo ex peculiari privilegio non sint eis attributa. Proinde mandamus, ut cathedralis istiusmodi ecclesia protinus instruatur sacra supellectili etiam ad pontificalia exercenda, quemadmodum ex serenissimi Siciliarum regis pietate et cura pollicitum est. Ut vero cathedralis ecclesia Iaciensis proprium habeat territorium eiusque pro tempore antistites episcopalem iurisdictionem exercere intra eius ambitum valeant, memoratam Iaciensem civitatem et cetera cuncta loca, oppida seu paroecias supra assignatas, singillatim recensitas a Cataniensis episcopatus ac etiam Messanensis archiepiscopatus dioecesibus avulsas, et ab eorum Ordinariorum respective iurisdictione exemptas, insimulque ibi consistentes, et consistentia beneficia quaeque, ecclesias, monasteria, pia instituta, nec non utriusque sexus et regulares personas, non tamen exemptas, tam clericos, quam presbyteros et beneficiatos quoscumque illic degentes novae praedictae ecclesiae episcopali Iaciensi illiusque pro tempore futuro praesuli pro suis civitate, dioecesi, clero et populo perpetuo assignamus eiusque ordinariae iurisdictioni, potestati ac superioritati subiicimus. Insuper, ut ea in ecclesia Beatae Virginis Mariae ab Angelo Annunciatae divina officia cateraeque sacrae functiones a praebendato ecclesiasticorum coetu, rite ac perenniter expleri possint ibidem erigi-

mus et constabilimus condecens capitulum cathedrale, illudque componi volumus ex eisdem, quae reperiri dicuntur in hodierno collegialitatis statu dignitatibus et canonicatibus, atque ex eisdem item mansionariis seu beneficiatis quibuscumque cum omnibus profecto iuribus, honoribus et oneribus istiusmodi capitulis et personis per sacros canones concessis atque attributis, proindeque decernimus ut tres illae dignitates et aliae duodecim praebendae canonicales quae pro totidem in ipsa collegiata canonicis fundatae inveniuntur, respective praeclaro et praestantiore dignitatum et canonicatuum cathedralium titulo, itidemque titulo mansionariatuum seu beneficiorum cathedralium donentur reliquae illae duodecim praebendae, quarum sex pro totidem mansionariis animarum cura fungentibus, quatuor vero aliae pro totidem mansionariis choralibus, binae demum aliae pro duobus caeremoniarum magistris ibidem constitutae sunt; nihilominus declaramus, quod sex illis mansionariis praebendis omnino ut ante adhaereat animarum cura ab eorum rectoribus pristino more indesinenter exercenda. Concedimus vero ut tam tres illae post pontificalem dignitates in eo cathedrali capitulo praeeminentiam secum allaturae quam ceterae antedictae praebendae canonicales, atque etiam mansionariae seu beneficiales prima vice retineantur absque ulla bullarum expeditione, ab illis respective rectoribus, qui eas tunc temporis possidebant. Quandoquidem vero nulli ex canonicalibus praebendis modo memoratis iniuncta sint officia obligationesque theologalis nullique officium et obligationes poenitentiariae, idcirco enixe commendamus, imo etiam iniungimus, ut alteri ex iisdem canonicalibus praebendis (iis verumtamen exceptis, quae forsan iurispatronatui fuerint obnoxiae) officium et obligationes canonici theologalis, alteri officium et obligationes canonici poenitentiarii distincte stabiliterque adiiciantur, ac propterea demandamus ut utriusque istiusmodi canonicatus collatio in posterum rite fiat praevio candidatorum experimento, iuxta sacrorum canonum et sacri concilii Tridentini praescriptum. Et quoniam ex redditibus praedictarum abbatiarum regii patronatus ut supra commemorati certa pecuniae vis inferius designanda cessura sit in supplementum praebendarum canonicalium cathedralis Iaciensis ecclesiae, declaramus ac statuimus, ut per modum regulae reservata Sanctae Sedi Apostolicae collatione primae post pontificalem dignitatis capitularis, itemque liberis permanentibus prout de iure collationibus praebendarum theologalis, poenitentiariae et curatae serenissimo eidem regi ius sit nominandi ad illum numerum praebendarum capitularium, quae ut reapse habent aut considerari poterunt, perinde ac si haberent integram dotationem in ea reddituum abbatialium parte, quae eidem capitulo assignanda veniet. Nisi vero quotidianae distributiones in antedicta collegiata ecclesia praestiterint, volumus ac mandamus, ut ad diligentiorem capitularium munerum observantiam promovendam eaedem ex praescripto sacrorum canonum penes ipsius capitulum cathedralitatis uti supra titulo ac dignitate honestandum constabilientur ex tertia parte reddituum singularum praebendarum capitularium aut tantundem in hunc usum aliunde constituatur. Ut autem novae cathedralis capituli dignitati maior item splendor ac honos in ecclesiasticis functionibus peragendis accedat, facultatem impertimur, ut tam tres illi dignitarii, quam ceteri omnes canonici et praefati mansionarii seu beneficiati deinceps perpetuo possint eadem utique indumenta et insignia choralia, quibus respective utuntur aliorum capitulorum cathedralium in Sicilia ultra pharum extantium canonici et beneficiati (iis tamen exceptis, quae speciali gratia et privilegio obtenta fuerint) deferre, gestare illisque uti libere ac licite valeant tam in dicta cathedrali Iaciensi, tam etiam extra illam, quoties nempe capitulariter sive ad publicas supplicationes, sive ad sacra solemnia, sive ad alios ecclesiasticos actus convenerint. Pro recto insuper capituli eiusdem regimine, accurataque rerum administratione veniam quoque et potestatem facimus conficiendi etiam ex integro statuta capitularia, ordinationes atque decreta sacris nempe canonibus, apostolicis constitutionibus et oecumenicae synodo Tridentinae decretis penitus consentanea, quae tamen ab ordinario antistite perpendenda et approbanda sint, ut robur et efficaciam legis queant obtinere; proptereaque eidem capitulo cathedrali ius attribuimus gaudendi omnibus et singulis gratiis, honoribus et praerogativis, privilegiis atque indultis quibuscumque, queis fruuntur cetera ecclesiarum cathedralium capitula in praedicta ultra pharum insula, dummodo legitime in usu sint, nec fuerint ex peculiari concessione vel titulo oneroso data et quaesita. Quibus rebus omnibus sic praeordinatis maximi quoque interest, ut constitutioni tot bonorum stabilium prospiciatur, quot necessaria sunt pro quibusque dotationibus constabiliendis, videlicet pro mensa episcopatus Iaciensis, pro dioecesano seminario, ut infra instituendo, pro supplemento inferendo praebendis capitularibus, pro illius denique cathedralis fabrica et sacrario ad sustinendas expensas continuo superventuras, ut ipsius ecclesiae aedificium incolume ornatumque servari valeant, utque sacra supellex ac cetera ad divinum cultum decenter exercendum vel necessaria vel opportuna iugiter queant comparari. At enim cum hodie videatur ad singulas huiusmodi dotationes nihil aliud in bonis stabilibus vel facilius vel accommodatius praesto esse posse, quam bona stabilia ac redditus earum abbatiarum vacantium, quarum altera nun-

cupata a Sancta Maria, vulgo di Roccamadore, dicitur (deductis oneribus deductaque tertia parte reddituum impendenda ex more in pensionem ecclesiasticam) suppeditare quotannis uncias nongentas et septuaginta, sive scutata romana bismillia super octo et viginti. Altera autem a Sancta Maria, vulgo La Novara nuncupata, (quae deductis oneribus deductaque tertia parte reddituum erogandorum in usum ecclesiasticum modo memoratum) praebere dicitur quolibet anno uncias quatuorcentum et octoginta octo, sive scutata romana millia et centum septuaginta unum supra obolos viginti, idcirco utrasque abbatias modo indicatas omnino supprimimus ac perpetuo abolemus cum omnibus primaevis quibuscumque iuribus, honoribus, praerogativis, favoribus et gratiis quoquomodo hucusque attributis, ac etiam quaesitis, eo scilicet intuitu, ut earumdem supprimendarum abbatiarum bona et redditus in varias mox decernendas novae Iaciensis dioeceseos necessarias dotationes impendantur, et perpetuum in modum constituantur ea scilicet mensura inferius designanda, quae serenissimi regis patroni desideriis et postulationibus respondeat. Quamobrem ut futuri pro tempore antistites ecclesiae Iaciensis, quemadmodum par est, valeant decenter episcopalem dignitatem tueri, atque impensis occurrere ad rectum eiusdem dioeceseos regimen necessariis, mensam illius episcopatus perpetua assignatione constituimus ex bonis ac redditibus praedictarum abbatiarum Sanctae Mariae di Roccamadore et Sanctae Mariae La Novara, usque ad annuas reddituum uncias mille, quae bismillibus et quadringentis scutatis romanis aequiparantur.

Quum vero ex eiusdem etiam serenissimi regis sententia aequum videatur, ut hodiernae in collegiata superius memorata extantes canonicales praebendae aliquo censu augeantur statim ac praestantior, ceu praefertur, cathedralitatis honor officiorumque augmentum iisdem accesserit, eisdem idcirco nunc pro tunc stabiliter assignamus ex bonis atque redditibus earum, ut supra dictum est, supprimendarum abbatiarum congruum supplementum usque ad annuas uncias biscentum, sive scutata romana quatuorcentum et octoginta.

Ad sustinendas autem expensas necessarias et opportunas pro manutentione atque incolumitate fabricae cathedralis Iaciensis, atque adeo pro divini cultus splendore inibi servando ex abbatiarum antedictarum bonis ac redditibus perpetuo assignamus atque constituimus annuam summam unciarum quinquaginta octo, idest summam scutatorum romanorum centum et triginta novem super obolos viginti. Quoniam vero necessarium inprimis est ut adolescentes clerici pietate ac bonis artibus probe instituantur, ut in vinea Domini tamquam arbusculae recte succrescant uberes aliquando fructus allaturae, idcirco volumus ac mandamus, ut iuxta praelaudati serenissimi regis sponsionem seminarium dioecesanum ad Tridentinorum canonum formam atque praescripta opportunis rebus instructum quamprimum instituatur. Itaque in eiusmodi seminarii dotationem assignamus annuas uncias biscentum, sive romana scutata quatuorcentum atque octoginta ex earumdem abbatiarum vacantium Sanctae Mariae de Roccamadore et Sanctae Mariae La Novara redditibus desumendam. Verumtamen, cum in praesens haud satis innotescat num futurum sit utilius ut tot dispertiantur bona ac redditus praefatarum abbatiarum quot oporteant ad unamquamque ex recensitis dotationibus constituendam, an potius universa bona ac redditus praefatarum abbatiarum tribuantur penitusque adiudicentur mensae episcopali Iaciensi, adiecto siquidem onere atque obligatione, ut hoc in casu quotannis ac singillatim ex eadem mensa praestentur omnes antedictae dotationes, hanc ob rem demandamus ut infrascriptus harum literarum exequutor in id negocii inferius deputandus alterutrum ceu commodius atque utilius pro rerum circumstantiis visum fuerit consilium queat seligere, illudque ita in decretis perpetuo mandare, ut super universis istiusmodi abbatialibus bonis vel super eorum parte libera et pacifica possessio protinus inire valeat ad quemcumque id iuxta alterutram ex antedictis extituram rationem pertinuerit. Istiusmodi rebus positis et constitutis dein pro decenti et propria antistitis ecclesiae Iaciensis habitatione eiusque curiae episcopalis residentia perpetuo assignamus palatium, quod cathedrali ecclesiae magis quam fieri potest proximum, serenissimus Siciliarum rex pollicitus est in promptu illico fore quum primum eadem ecclesia de pastore fuerit provisa, itemque perpetuo modo destinamus et assignamus aedificium satis amplum pro seminario dioecesano ex praescripto sacrorum canonum instituendo, quemadmodum ipsemet serenissimus rex se curaturum atque effecturum spopondit. Ut vero nihil desit eorum quae ad rectam dioecesis Iaciensis procurationem necessaria esse videantur, futuro illius episcopo eiusque successoribus veniam tribuimus, ut ipse per se vel per alias personas pro rerum et pro locorum opportunitate libere nulloque sumptu in archiviis archiepiscopatus Messanensis et episcopatus Cataniensis omnes et singulos inibi extantes libros, scripta et instrumenta quomodocumque respicientia oppida, paroecias, cuiuscumque generis pias institutiones, iura et personas, quae episcopatui Iaciensi subiecta esse contigerit, perquirere, extrahere, aut saltem copias inde inscribere, authentico etiamsi opus fuerit sigillo item muniendas eademque inserere et adservare in cancellaria novi episcopatus Iaciensis possit et valeat. Simul ac opus huiusmodi rite ad exitum perductum fuerit, hodierno

utriusque Siciliae regi eiusque successoribus apostolica Nostra auctoritate veniam seu ius impertimur nominandi tam prima vice, quam in subsequentibus Iaciensis episcopatus vacationibus, intra tempus a iure praefinitum personam idoneam per Nos et successores Nostros Romanos Pontifices existentes, in episcopum Iaciensem praeficiendam, quae siquidem in Urbem ad obtinendam apostolicam provisionem de more accedere teneatur. Declaramus tamen, atque omnino cautum esse volumus, ut omnia et singula, quae superius disposita et mandata sunt nequeant quidquam roboris obtinere nullumque realem vel actu formalem effectum sortiri queant nisi quum primum evenerit tam Messanensis, quam Cataniensis ecclesiae vacatio. Ceterum ubi primum alterutra ex antedictis ecclesiis vacare contigerit, praecipimus ac mandamus, ut omnia protinus et singula ipsius oppida seu paroeciae, inde ceu supra inditum est dismembrandae ad novam Iaciensis episcopatus dioecesim componendam attribuantur, et obnoxiae per se sint episcopali administrationi alterutrius sive Messanensis sive Cataniensis ecclesia dein primum vacaverit. Tunc enim omnia et singula superius decreta plenarium illico robur atque effectum assequentur; praeterea quum aequum sit, ut qui aliquod sentit icommodum is sentiat quoque commodum, idcirco praecipimus, ut favore praefati administratoris aliqua pars reddituum episcopalis mensae Iaciensis arbitrio et prudentia executoris literarum apostolicarum inferius deputandi pro rata temporis administrationis praestabiliatur, eaque suo tempore eidem administratori fideliter tribuatur. Ne vero Iaciensis ecclesia vacationis tempore administratore prorsus careat quandoque de novo pastore fuerit in consistorio provisa, cathedrali eiusdem capitulo veniam impertimur, ut eius capitulum cathedrale intra octo dies ab executione praesentium literarum inferius designanda comitia capitularia inire valeat ad electionem vicarii capitularis iuxta sacrorum canonum praescripta conficiendam. Sicuti autem in more positum est, praecipimus ut fructus praefatae ecclesiae Iaciensis in futura illius provisione taxentur ad florenos auri de camera biscentum quinquaginta tres cum una ex tribus eiusdem floreni parte, atque adeo istiusmodi taxa in libris camerae apostolicae et sacri collegii describatur. Porro ut omnia denique et singula, quae a Nobis ut supra disposita sunt ad suum rite perducantur effectum, venerabilem fratrem Coelestinum Cocle ecclesiae Patracen. in partibus infidelium archiepiscopum eligimus et deputamus cum facultatibus necessariis et opportunis, ut ipse per se vel per aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam ab ipsomet subdelegandam omnia statuere ac decernere valeat, ut cuncta superius constituta ad felicem exitum rite perducantur, atque etiam cum facultate eidem exequutori vel eius subdelegato definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praedicta quomodolibet oritura, iniuncta ipsi obligatione diligenter in decreto executoriali districte describendi fines totius dioecesis Iaciensis ut supra constituta, nec non mittendi ad hanc Sanctam Sedem intra sex menses ab expleta literarum apostolicarum exequutione exemplar authentica forma exaratum omnium decretorum, quae in praedicta literarum exequutione emittet ad hoc ut in tabulario sacrae congregationis Concistorialis de more asserventur.

Praesentes vero literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes auditi non fuerint ac praemissis non consenserint, etiamsi expressa, specifica atque individua mentione digni sunt, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae vel quolibet alio licet substantiali et excogitato defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas, tanquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus atque decernimus.

Non obstantibus *de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes,* vocatis quorum interest, aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regulis, necnon in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum dispositionibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus praeterea ut harum literarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum suppressionis, dismembrationis, seiunctionis, separationis, erectionis, institutionis, assignationis, attributionis, subiectionis, concessionis, indulti, commissionis, deputationis, mandati, decreti, derogationis ac voluntatis, infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud s. Petrum anno incarcationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, quinto kal. iul., pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXXXVI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Fr. Fidelis Sutter a Ferrara vic. ap. Tunetanae missionis eligitur episcopus ecclesiae Rosaliensis [1].

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium, meritis licet impari-bus, Nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum, sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisionem ecclesiarum omnium nunc vacantium, quaeque in posterum vacaturae, ordinationi ac provisioni Nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Postmodum vero, episcopali ecclesia Rosaliensi sub patriarcha Constantinopolitano in partibus infidelium, solatio pastoris destituta, Nos ad eiusdem ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni Nos fecerunt certiores, provisionem celerem atque felicem, in qua nullus praeter Nos se potuit seu potest intromittere, reservatione ac decreto obsistentibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac fructuosam cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, denique ad te, qui ex legitimo matrimonio procreatus et in aetate etiam legitima constitutus existis, quique in Tunetana missione vicarii apostolici munere cum laude fungeris, cuius apud Nos de morum integritate, doctrina, prudentia et pietate, ac christianae religionis et catholicae fidei zelo, et spiritualium providentia et temporalium circumspectione fide digna perhibentur testimonia, oculos mentis Nostrae direximus.

Quibus omnibus mature perpensis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, eamdem episcopalem ecclesiam Rosaliensem de persona tua, Nobis ac memoratis cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorundem fratrum consilio, auctoritate apostolica, tenore praesentium providemus, teque illi in episcopum praeficimus atque pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus ac temporalibus plenarie committendo in illo, qui dat gratiam et largitur dona, confisi, quod dirigente Domino actus tuos praedicta ecclesia per tuae circumspectionis industriam ac studium utiliter ac prospere dirigatur, et in spiritualibus ac temporalibus orthodoxa religio incrementa suscipiat. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione animi amplectens, curam et administrationem praedictas sic studeas fideliter exercere, ut ecclesia praedicta gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, ac tu praeter aeternae retributionis praemium Nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Praeterea tibi, ut ad ecclesiam praedictam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis, dicta auctoritate concedimus et indulgemus.

Ceterum ad ea, quae in tuae cedere possunt commoditatis augmentum, favorabiliter respicientes, tibi, ut a quocumque malueris catholico antistite S. Nostrae Sedis gratiam et communionem habente, adscitis et in hoc ei adsistentibus duobus aliis episcopis, vel quatenus hi commode reperiri nequeant, duobus eorum loco presbyteris saecularibus vel cuiuscumque ordinis, congregationis et instituti regularibus, similem praedictae huius Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere ac licite possis et valeas, atque eidem antistiti, ut, receptis a te prius catholicae fidei professione, iuxta articulos pridem a S. Sede propositos, ac Nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento, praedictum munus tibi, auctoritate Nostra, impendere licite valeat, eadem auctoritate, plenam et liberam harum serie tribuimus facultatem.

Volumus tamen, eademque auctoritate praecipimus, ut, nisi receptis a te prius per dictum antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi, ipse antistes consecrationis munus tibi impendere tuque illud recipere praesumpseritis, idem antistes a pontificalis officii exercitio, ac tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

Non obstantibus apostolicis atque in univer-

[1] Ex Iure Pontificio de Propaganda Fide.

salibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die quinta iulii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXXXVII.

EPISTOLA

Ad Franciscum Nicolaum Archiepiscopum Turonensem scribens, miserrimum statum Venetensis dioecesis deflet; hinc illi committit, ut ad illius ecclesiae episcopum pergat, eumque Pontificis nomine moneat et hortetur, ut mentis suae oculos aperiat ac serio cogitet atque consideret in quanto aeternae damnationis periculo ipse versetur, quantisque damnis propria vexetur dioecesis [1].

Venerabili fratri
Francisco Nicolao
archiepiscopo Turonensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Gravissimis curis et angustiis quas pro supremi Nostri pontificatus officio in tanta christianae reipublicae perturbatione asperrimis hisce temporibus sustinere cogimur, acerbissimus sane dolor accepit ex luctuosissimo ac funestissimo Venetensis dioecesis statu. Equidem, ven. fr., ex quo tristissima ac vehementer deploranda eiusdem dioecesis conditio Nobis fuit renunciata, uberes prae incredibili moerore lacrimas cum plurimis ad Deum precibus effundere non intermisimus. Noscimus enim dilectas illius gregis oves, earum quodam modo dormitante pastore, miserandum in modum fieri in rapinam et in devorationem bestiarum. Siquidem accepimus iniquitatis filios execrabilis Ianseniane haeresis asseclas toties ab hac Apostolica Sede damnatos et fractos, tutam in ea dioecesi invenisse stationem, ibique perversae doctrinae semina libere spargere, Sanctaeque Ecclesiae sobolem veneno suae pravitatis inficere. Atque ipse, ven. fr., Carolus Ioannes eiusdem dioecesis antistes, qui pestiferos huius perniciosissimae sectae cultores quam longissime a sua Ecclesia arcere atque exterminare debuisset, etiamsi illorum erroribus minime infectus esse videatur, tamen, proh dolor! ita tenebricosissimis eorum chororum est circumventus insidiis, ita captiosissimis fraudibus dolisque illaqueatus atque irretitus, ut omnia ex eorum desideriis agat, quin maxima sui gregis damna sentiat atque cognoscat. Ex quo evenit, ut nihil apud ipsum, ven. frater, gravissima defuncti tui praedecessoris archiepiscopi Turonensis monita valuerint, qui suis literis saepe illum fuerat hortatus, ut tantam a se et dioecesi ruinam propulsaret. Quae quidem monita etiam a venerabilibus fratribus episcopis tum Cenomanensi, tum Nannetensi eidem absque ullo salutari effectu data fuisse accepimus. Hinc saevissimi et callidissimi illi animarum et cuiusque sacrae et civilis potestatis hostes, qui mentita pietatis specie et simulatae virtutis ostentatione veniunt in vestimentis ovium, cum intrinsecus sint lupi rapaces, atque humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt, eam in Venetensi dioecesi adepti sunt potentiam, ut omnia ac praesertim iuvenilis institutionis munera illis tantum conferantur, qui ad exitialem hanc pertinent sectam. In tanta igitur illius dioecesis pernicie, in tanto catholicae religionis et fidelium discrimine, cum Nos licet indigni, ad totius Ecclesiae regimen erecti, in illius simus Cathedra collocati, cui Aeternus Pastorum Princeps commisit confirmare fratres, ac pascere oves et agnos, pro apostolici Nostri muneris debito, ad fidei integritatem custodiendam atque animas tuendas pretiosissimo Christi Iesu sanguine redemptas, pro viribus prospicere debemus, ut tam dirae contagia pestis a dominico grege eliminentur ac summa diligentia providere, ne per huiusmodi nequissimos homines extincta dudum scandala suscitentur. Nostris certe in votis fuisset, nulla interposita mora ad ipsum ven. fr. Carolum Ioannem scribere, eumque apostolica Nostra voce ab hoc mortali sopore excitare ac paternis exhortationibus commovere, ut tantis suae dioecesis vulneribus, omni cura et studio festinaret mederi. Cum autem non sine gravi ratione vereamur, ne pravis insidiantium hominum machinationibus quibus tam misere est devinctus atque obstrictus, Nostrae ad illum literae minime perveniant, tum aliquem, ven. fr., eligendum censuimus, qui Nostras querelas atque expostulationem ad ipsum non scripto sed voce deferat. Hoc vero gravissimum munus tibi, ven. fr., qui illius provinciae metropolita existis, merito atque optimo iure concredere existimavimus, minime dubitantes, quin pro tua spectata religione, pietate, prudentia, doctrina, munere ipso egregie fungaris, Nostrisque votis cumulatissime respondeas. Itaque, ven. fr., hac Nostra familiari epistola tibi committimus, ut maiore qua poteris celeritate ad ipsum ven. fratrem Carolum Ioannem Venetensem episcopum pergas eumque Nostris hisce

---

1 Ex Archivio Brevium ad Principes.

literis certiorem facias, ac Nostro nomine, per viscera Iesu Christi moneas, horteris, obsecres, ut tandem aliquando mentis suae oculos aperiat ac serio cogitet atque consideret in quanto aeternae damnationis periculo ipse versetur quantisque damnis propria vexetur dioecesis. In illius mentem revoca qua singulari vigilantia et sollicitudine Romani Pontifices decessores Nostri ac potissimum Innoc. X, Alexander VII, Clemens XI, Pius VI sapientissimis suis constitutionibus Ianseniánam haeresim condemnaverint, eamque exterminare studuerint, ex qua in catholicam Ecclesiam et in civilem societatem maxima semper damna, dissidia, scandala, perturbationes redundarunt. Neque minori contentione illum mone, ut suae dignitatis ministerii memor, omnes praecipue ecclesiasticos viros hac lue corruptos, a suo latere statim avellat eosque a publicis muneribus, a scholis atque ab omni officio amovendos curet, in illos sedulo inquirat, ipsorum fallacias detegat, tela retundat, atque in primis eo quo debet pastorali zelo, oves sibi commissas modis omnibus admoneat, ut ab istis veteratoribus longissime fugiant tamquam a facie colubri. In eam autem spem erigimur fore, ut Deo bene iuvante idem ven. fr. Nostris tuisque vocibus et monitis faciles praebeat aures utque gravi ac salutari metu commotus, nullis in posterum curis, vigiliis, laboribus parcat, quo detestabilis ista pestis in sua dioecesi comprimatur, extinguatur, atque ita omni industria et opera praeteritae suae desidiae damna sarcire, ac severissimum divinae ultionis iudicium effugere conetur. « Ut enim, veluti sapientissime monet s. Leo decessor Noster, habebit a Deo dignae remunerationis praemium, qui diligentius quod ad salutem commissae sibi plebis proficiat fuerit exequutus, ita ante tribunal Domini de reatu negligentiae se non poterit excusare, quicumque plebem suam contra sacrilegae persuasionis auctores noluerit custodire » [1]. Nos quidem in humilitate cordis Nostri assiduis ac ferventissimis precibus divitem in misericordia Deum orare obsecrare non omittemus, ut per unigeniti filii sui Domini Nostri Iesu Christi merita, caelesti sua ope fraternitatem tuam in hoc obeundo munere adiuvare et claritatis suae lumine venerabilis fratris Caroli Ioannis mentem animumque illustrare, tantam calamitatem a Venetensi dioecesi atque ab universa sua sancta Ecclesia penitus avertere dignetur. Denique dum exoptatum a fraternitate tua responsum expectamus studiosissimae Nostrae erga te caritatis testem et caelestium omnium munerum auspicem, apostolicam benedictionem ex intimo corde depromptam, tibi ipsi, ven. fr., et gregi tuae curae concredito peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem die decima prima iulii anno millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXXXVIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus iura metropolitica sedi Quebecensi tribuit, tres sedes episcopales ei suffraganeas assignat, Marianopolitanam, Kingstoniensem et Torontinam, et episcopis Carolinopolis, Novae Brunopolis et Halifax praecipit, ut concilio provinciali Quebecensi, cum celebratur, intersint [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum per similes apostolicas literas die decima secunda ianuarii anno millesimo octingentesimo decimo nono datas, episcopalis sedes Quebecensis ad archiepiscopalem gradum evecta fuerit, ita tamen, ut proprie dicta metropolitica iura archiepiscopo Quebecensi tributa non fuerint, neque vera metropolitica provincia in Canada erecta sit; cumque sublatae iam fuerint difficultates, quibus metropoliticae istius provinciae erectio impediretur; Nos habita ratione Canadensium praesulum petitionum, ac perpendentes ad religionis bonum splendoremque amplificandum ac ad ecclesiasticae disciplinae observationem impensius fovendam in ea regione, plurimum esse profuturam memoratae provinciae erectionem, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, eàmdem metropoliticam provinciam definitive erigere constituimus.

Motu igitur Proprio, ac matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, hisce literis, metropoliticam provinciam Quebecensem erigimus ac constituimus, quae complecti tantum debeat regionem Canadensem stricte sumptam, quaeque constare debeat ex ecclesia Quebecensi tamquam metropolitana, et ecclesiis sive dioecesibus Marianopolitana in inferiori Canada, Kingstoniensi in superiori, ac Torontina in occidentali superioris Canadae regione, tamquam suffraganeis. Quod vero spectat ad episcopos Carolinopolitanum, Novae Brunopolis seu Neo-Brunswikiensem, et Halifaxensem in Nova Scotia, illi, quando concilium provinciale Quebecense celebrari contingat, iuxta concilii Tridentini praescriptionem, ad illud accedent.

Haec decernimus ac constituimus, non obstantibus apostolicis constitutionibus et ordina-

---

[1] S. Leo epist. 7 al. 8 ad Episcopos per Italiam.

[2] Ex Iure Pontificio de Propaganda Fide.

tionibus, nec non dictae ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima secunda iulii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCLXXXIX.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus capitulo ecclesiae cathedralis Macarskae datur facultas utendi cruce ante pectus, rochetto et mozzetta [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Honorum insignia et pontificiae benevolentiae testimonia in eos praecipue ecclesiasticos viros conferimus, qui splendidis in templis laudes Deo persolventes, religionis amore flagrant et omnium virtutum ornatu praefulgent et suscepti ministerii partes caste integreque obire magnopere student. Itaque dilecti filii dignitates et canonici concathedralis templi Macarskae Nobis exponendum curavere, suis in votis esse ad eiusdem concathedralis templi splendorem amplificandum, cruce, rochetto, palliolo seu mozzetta uti posse, et almutia, qua ipsi dignitates et canonici exornantur, vicarios chorales donari.

Itaque omnes et singulos, quibus hae Nostrae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, auctoritate Nostra apostolica harum literarum vi, decernimus, ut dignitates, nempe praepositus et decanus, ac quatuor canonici quibus constat capitulum concathedralis templi Macarskae tum qui sunt, tum qui in posterum erunt, in publicis privatisque sacris functionibus cruce ante pectus, quae omnino ab episcopali differat, et in medio vel sancti Titularis eiusdem templi concathedralis, vel sanctorum Petri et Pauli apostolorum imaginem referat, ac rochetto et palliolo seu mozzetta perpetuo uti libere ac licite posse. Insuper eadem auctoritate Nostra, facultatem item perpetuo facimus, ut vicarii chorales eiusdem templi capitulo addicti, in sacris caeremoniis peragendis, almutiam induere queant. In eam autem spem erigimur fore ut ipsi huiusmodi privilegio donati, ac Nostrae beneficentiae testimonio acriori quodam stimulo impulsi, commemorati templi cultum pietate, religione et assidua in sacris rebus obeundis diligentia magis magisque augendum curent.

Haec concedimus et indulgemus, decernentes hasce literas perpetuo firmas, validas et efficaces esse ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, dictisque, ut praefertur, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam S. R. E. cardinales iudicari debere, irritumque et inane quidquid secus super his scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, fel. rec. Benedicti XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum*, aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, et quoties opus fuerit dicti concathedralis templi, et canonicorum collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima sexta iulii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCXC.

INDULTUM

Quo fit concessio indumentorum insignium favore parochi et cleri ecclesiae s. Mariae in oppido Scopati, Nolanae dioecesis [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Dignitatis insignibus libenter honestamus ecclesiae ministerio addictos viros, qui templo Dei assidentes canunt sacrosque ritus graviter ac religiose celebrantes, fidelium animas ad pietatis studium mirifice inflammant. Quamobrem, quum parochus ac reliquus clerus templi parochialis s. Mariae Virginum nuncupati, in oppido cui nomen Scopati in dioecesi Nolana, Nobis exponendum curaverint, sibi esse in votis, ut ad maiorem divini cultus splendorem, aliquo dignitatis insigne ornemus, Nos eorumdem votis aequo animo duximus adnuendum.

Quamobrem omnes et singulos quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis

---

1 Ex Archivio Cathedralis Ecclesiae Macharskae.

2 Ex Archivio Secretariae Brevium.

censuris, sententiis et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, parocho ceterisque sacerdotibus, memorato templo s. Mariae Virginum in oppido Scafati dioecesis Nolanae inservientibus, facultatem perpetuo valituram impertimur, ut iidem quotquot in praesens sunt, quotque in posterum futuri in sacris ritibus obeundis almutiam rubri coloris cum fimbria mustelae alpinae vulgo *armellino* albi coloris, libere ac licite induere possint et valeant.

Haec concedimus et indulgemus non obstantibus constitutionibus apostolicis et ordinationibus, nec non dictae ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima sexta iulii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCXCI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Melanesiae et Micronesiae vicariatus apostolicos erigit, separans eas regiones a vicariatu Oceaniae occidentalis, definit utriusque limites novi vicariatus ambos interim per unum tantum vic. apostolicum regendum statuit, et curam utriusque tradit societati Lugdunensi beatae M. Virginis [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii nihil potius habere debemus, quam ut ea curemus perficienda, quae ad tuendam proferendamque catholicam fidem opportuna videantur.

Iam vero postquam anno millesimo octingentesimo quadragesimo secundo in occidentali Oceaniae parte vicariatum centralem constituimus, ad rei catholicae bonum quam maxime expedire intelleximus, ut, imminuta nimia missionum quarumdam per divisionem amplitudine, auctoque cum evangelicis operariis episcoporum numero, novas distinctasque missiones instituamus. Itaque quum in ampla nimis adhuc occidentali missione novae perficiendae divisioni locum esse cognoverimus, praevia dismembratione locorum, ut infra, ex vicariatu occidentali, duos distinctos vicariatus instituendos censuimus, quorum alter Melanesiam, alter vero Micronesiam complectatur.

Quamobrem de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, Motu Proprio ac matura deliberatione Nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, infrascripta loca atque insulas ab occidentali vicariatu omnino dividimus ac dismembramus, novumque vicariatum apostolicum in Melanesia erigimus ac constituimus, quae quidem ab oriente circumscripta est inter gradus CXXV et CLX longitudinis, ubi centralis missio ortum habet, et ad meridiem inter lineam aequinoctialem et gradum XII latitudinis, ad eamque, praeter alias minoris momenti pertinere decernimus insulas nuncupatas Nova Guinea, Tobia, William, Shouten, Waigion, duo Vesset, Timollant, Arriou, Amirante, Novae Hannovera, Hibernia ac Britannia, Luixianda, Bourgainville, Choiseul, Isabella, Guadakanar, Christovald. Ad Micronesiam vero in qua alterum vicariatum apostolicum erigimus et constituimus cuiusque limites erunt ad orientem gradus CXXV ad occidentem CLXXX longitudinis, ad septentrionem gradus XIII latitudinis, et ad meridiem aequinoctialis circulus, pertinere volumus ac decernimus, praeter alias inferioris ordinis insulas, integros archipelagos Carolinarum, Marshali ac Gilberti.

Praeterea volumus ac decernimus, ut utraque missio seu vicariatus pro nunc ab uno eodemque vicario apostolico gubernetur usquedum opportunitas aderit alium pro altero vicariatu antistitem seligendi.

Curam porro duplicis huiusce coniuncti, pro nunc, vicariatus, quousque pro alterutro eorum aliter statuatur, commendandam volumus benemeritae societati presbyterorum B. M. V., cui iam centralis et occidentalis missiones creditae fuerunt, ex iisdemque presbyteris vicarium apostolicum eligendum esse volumus ac statuimus.

Decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere etc.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima nona iulii millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

---

1 Ex Iure Pontificio de Propaganda Fide.

CCXCII.

EPISTOLA

Ad Ferdinandum Austriae Imperatorem scribens vehementer dolet de funestissimo bello quo vexatur in Graecia Religio Catholica; hinc ipsum rogat ut invicto animi robore Dei causam suscipiat atque defendat [1].

Carissimo in Christo filio Nostro
Ferdinando
Austriae imperatori
Hungariae regi apostolico
et Bohemiae regi illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Carissime in Christo fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Maiestati tuae cognitum planeque exploratum est, quo funestissimo bello nunc in Graeciae regno catholica vexetur Ecclesia, quibusque acerbissimis aerumnis atque angustiis illi afflictentur fideles. Etenim gravissimis poenis inductis, illicitum recentissimae eiusdem regni constitutioni iuramentum praestare coguntur, quod ab ipsis sine conscientiae piaculo emitti nunquam potest, cum illa constitutio tot sane nominibus catholicae fidei, eiusque doctrinae iuribus et libertati omnino adversetur. Quamobrem cum probe noscamus, carissime in Christo fili Noster, quo eximio catholicae religionis tuendae studio flagres, qua egregia pietate fulgeas, in tanto rei christianae periculo in tristissima ac deploranda illorum fidelium conditione, pro pastoralis officii Nostri munere maiestatem tuam, hisce literis, maiorem in modum oramus atque obtestamur, ut invicto quo soles animi robore, hanc causam, quae Dei est, suscipias, defendas, atque ad tantam calamitatem avertendam pro viribus statim accurras.

Tuum certe erit, carissime in Christo fili Noster veluti apostolicum principem omnino decet, nulla interposita mora, pro pientissimi tui animi magnitudine ac singulari catholicae religionis asserendae zelo ea suscipere consilia, ea praebere auxilia, quibus maxima ab illis fidelibus damna propulsare valeas, ac simul efficere, ut in Graeciae regno catholica religio eiusque cultus omni libertate fruatur. Quae quidem in tanti momenti negotio omnibus tuis studiis atque officiis te praestiturum esse confidimus, ut de catholica Ecclesia, cuius advocatum agis, hoc etiam insigni facto praeclare merearis, ac maximis tuis aliis laudibus hoc quoque splendidissimum decus adiungas et Nos incredibili quo angimur dolore eximas, divinamque opem tibi tuisque rebus magis magisque concilies. Hac certissima spe freti, potissimi Nostri erga maiestatem tuam affectus testem apostolicam benedictionem ex imo corde depromptam et cum omnis verae felicitatis voto coniunctam tibi ipsi, carissime in Christo fili Noster, atque imperiali regiaeque tuae familiae amantissime impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem die vigesima quarta iulii anno millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCXCIII.

INDULTUM

Quo fit concessio indumentorum magis insignium favore canonicorum collegiatae oppidi Argentae, dioecesis Ravennatensis [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ecclesiae ministerio addictos viros qui templo Dei assidentes eius laudes canunt ac reliquis sacris ritibus religiose funguntur, peculiaribus honoris insignibus libenter honestamus. Iamvero quum capitulum collegiati templi S. Nicolai oppidi Argentae, Ravennaten. dioecesis, exponendum Nobis curavit, sibi esse in votis, ut ad augendum divini cultus splendorem rocchetum et cappam induere possint ad instar beneficiariorum metropolitanae ecclesiae Ravennatensis, archipresbyter vero rocchetum et palliolum seu mantellettam sericam nigri coloris, ipse vero archipresbyter atque omnes canonici fasciolam violacei coloris ad galerum gestare valeant, Nos eiusdem capituli votis libenter annuendum existimavimus.

Quamobrem omnes et singulos quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, auctoritate Nostra apostolica, eam facultatem perpetuo valituram impertimur, ut archipresbyter memorati collegiati templi oppidi Argentae in finibus dioecesis Ravennatensis rocchetum ac palliolum seu mantellettam sericam nigri coloris; canonici vero rocchetum et cappam quemadmodum beneficiarii ecclesiae metropolitanae Ravennatensis induere possint, tam vero archipresbyter, quam canonici fasciam seu taeniam violacei coloris ad galerum libere ac li-

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

[2] Ex Archivio Secretariae Brevium.

cite gestare possint et valeant. Confidimus eos novo huiusmodi honoris insigne auctos, maiori etiam cura ac diligentia sacri ministerii partes obituros.

Haec concedimus et indulgemus non obstantibus apostolicis constitutionibus et ordinationibus etc. necnon legis fundationis memorati collegialis templi etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die sexta augusti millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCXCIV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Ab orientali Oceaniae missione Sandwichianum Archipelagum dividit, et ex eo vicariatum apostolicum constituit, concreditum societati ssm̃orum Cordium Iesu et Mariae [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Pastorale officium superna Dei providentia humeris Nostris impositum illud exquirit, ut illis praecipue ovibus, quae ab hoc unitatis catholicae centro dissitae sunt, maiori, qua possimus, cura ac sedulitate, consulamus.

Hinc, quum Nobis innotuerit, ad rem catholicam in orientalibus Oceaniae regionibus magis magisque promovendam perutile omnino esse, ut in eadem amplissima missione presbyteris societatis ssm̃orum Cordium Iesu et Mariae concredita, praevia in plures divisione, una cum operariis evangelicis pastores episcopi augeantur, Sandwichianum pro nunc Archipelagum in distinctum vicariatum erigere constituimus.

Quamobrem de consilio venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum, Motu Proprio, certa scientia ac matura Nostra deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, Sandwichianum pro nunc Archipelagum ab orientali missione seiungimus ac dismembramus, eumque in distinctum vicariatum apostolicum erigimus ac constituimus, ab iisdem presbyteris societatis praedictae curandum sub dependentia peculiaris vicarii apostolici ad illius regimen deputandi.

Decernimus autem has literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat et in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo*, aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, caeterisque etiam speciali mentione ac derogatione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima tertia augusti anno millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCXCV.

INDULTUM

Canonicis collegialis templi Cryptalearum Tarentinae dioecesis (Grottaglie) *datur facultas utendi primo ordini cappa magna et flocco violaceo; secundo ordini roccheto et mozzetta violacei coloris* [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Quum Nobis nihil aliud magis cordi sit quam ecclesiarum splendor, ac divini cultus incrementum, hinc quam libentissime annuere solemus eorum votis, qui ecclesiarum decus augendum, ac divinum cultum amplificandum curant. Itaque exponendum Nobis curavit collegium canonicorum Cryptalearum, Tarentinae dioecesis, quod constat duodecim canonicis, (quorum primi quatuor dignitate exornati) quindecim participantibus mediis, mansionariis dictis, et quindecim tertii subsellii minoribus participantibus, impense optare, ut primi ordinis canonici sacra trabea, seu cappa magna, mustelae alpinae pellibus subsuta, flocco in pileo violacei coloris, eiusdemque coloris collari, et tibialibus; qui secundo loco sedent, roccheto et palliolo serico seu mozzetta item violacei coloris; minores vero participantes lineo amiculo, seu superpel-

[1] Ex Iure Pontificio de Propaganda Fide.

[2] Ex Cancellaria Archiep. Tarentin. Dioecesis.

liceo, et mozzetta serica etiam violacei coloris uti possint. Nos gravissimo venerabilis fratris Tarentini archiepiscopi accepto testimonio, ex quo cognovimus collegialis templi Cryptalearum canonicos integritate vitae, gravitate morum, ac religionis studio flagrare, eorum precibus obsecundandum censuimus.

Peculiari igitur omnes ac singulos, quibus hae literae favent, beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, perpetuum in modum concedimus et indulgemus, ut qui sunt, quique in posterum erunt commemorati templi primi ordinis canonici, cappam magnam mustelae alpinae pellibus subsutam, floccisque nigri coloris interiectam, secundi ordinis vero, nempe mansionarii, rocchetum et mozzettam sericam violacei coloris, minores demum participantes superpelliceum, itemque mozzettam sericam eiusdem violacei coloris in choro, in conventibus seu capitulis, in solemnibus supplicationibus, publicisque functionibus libere ac licite gestare possint et valeant. Insuper eadem auctoritate Nostra perpetuo concedimus, ut commemorati templi canonici primi ordinis tantum violacei coloris flocco in pileo eiusdemque coloris collari et tibialibus intra limites Tarentinae dioecesis uti queant.

Haec concedimus et indulgemus, decernentes has praesentes literas, firmas, validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales iudicari ac definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et sanctionibus, nec non praedicti collegialis templi et canonicorum collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die vigesima augusti millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCXCVI.

INDULTUM

Quo fit concessio indumentorum insignium favore canonicorum oppidi Monte Prandone Ripanae dioecesis [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Gratum sane Nobis et iucundum est ecclesiasticos viros ratione vitae, doctrinae laude commendatos, in vinea Domini omni studio adlaborantes pro viribus in sempiternam animarum procurandam salutem, ac in Dei cultum fovendum et amplificandum incumbentes, aliquo beneficii genere honestare quod propensae in eos voluntatis Nostrae illustre sit ac perenne monumentum. Itaque quum ex gravissimo venerabilis fratris Ripani antistitis testimonio acceperimus, canonicos collegialis et parochialis templi oppidi vulgo Monte Prandone, Ripanae dioecesis, egregiis virtutibus ornatos, divini cultus zelo fervere, Nos, et apostolicam Petri Cathedram singulari fide et obsequio prosequi, iccirco aliquam erga eos beneficentiae Nostrae significationem alacri libentique animo tribuendam censuimus.

Peculiari ergo honore omnes et singulos, quibus hae literae favent, prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes ac absolutos fore censentes, auctoritate Nostra apostolica, harum literarum vi, perpetuum in modum concedimus et indulgemus, ut qui modo sunt, quique in posterum erunt canonici commemorati collegialis et parochialis templi oppidi vulgo Monte Brandone, a die festo SS̃mae Trinitatis usque ad festum omnium Sanctorum superpelliceum supra rocchetum, a festo vero omnium Sanctorum usque ad solemnitatem Paschatis Resurrectionis laneum palliolum, vulgo mozzetta, violacei coloris, et a Paschate Resurrectionis usque ad festum SS̃mae Trinitatis sericum palliolum item violacei coloris in choro, in conventibus seu capitulis, in solemnibus supplicationibus publicisque functionibus libere ac licite gestare possint et valeant.

Haec concedimus et elargimur decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios

1 Ex Archivio Ecclesiae oppidi Monte Prandone Ripanae dioecesis.

et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales iudicari ac definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et sanctionibus, nec non praedicti collegialis et parochialis templi, et canonicorum collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die vigesima augusti millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCXCVII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Indulgentiae conceduntur sororibus congregationis Filiarum Charitatis, nuncupat. di Lovere, Brixien. dioecesis [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia caritate intenti; omnibus et singulis sororibus congregationis Filiarum Caritatis, nuncupat. *di Lovere,* Brixien. dioecesis, canonice, ut asseritur, erectae, vere poenitentibus et confessis ac s. communione refectis, quae propriam seu aliam ecclesiam in vigintiquatuor anni diebus per ordinarium designandis, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus christifidelium, quae Deo caritate coniunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die vigesima octava augusti millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCXCVIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Episcopatum Halifaxiensem in Nova Scotia in duos dividit, et unicuique suos fines assignat [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem, cui universi dominici gregis cura concredita est, dioecesium limites immutare ac coarctare, easque in plures partiri, ut aucto pastorum numero, ovium saluti accuratius prospici possit.

Iam vero quum ad religionis catholicae bonum in Nova Scotia impensius promovendum, atque ad Ecclesiae incrementum in vastissima illa colonia procurandum graves quamplures relationes ostenderint opportunum atque utile imprimis esse, universam illam regionem, quae hactenus unam tantum dioecesim, hoc est Halifaxiam, constituit, in duas dioeceses invicem seiunctas partiri, quumque ipse ven. frater Guillelmus Fraser episcopus Halifaxiensis huic divisioni libenter assentiri se significaverit; Nos eidem divisioni perficiendae pro pastorali Nostra sollicitudine animum curamque convertimus.

Itaque de consilio venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium Propagandae Fidei praepositorum consilio, Motu Proprio ac matura Nostra deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, universam Novae Scotiae coloniam in duas dioeceses dividimus ac separamus, quarum una tres illius peninsulae comitatus orientales Sidney, Guisberugh et Pictou, atque totum Promontorium Britannicum seu Cape-Breton comprehendat; altera vero Halifaxiam, cum suo districtu, reliquosque occidentales seu meridionales comitatus complectatur, ac praeterea insulas Bermudes in sua iurisdictione contineat.

Haec volumus, ac constituimus, decernentes etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die vigesima secunda septembris millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

---

[1] Ex Archivio domus Generalis filiarum Caritatis Mediolani sitae.
[2] Ex Iure Pontificio de Propaganda Fide.

CCIC.

EPISTOLA

Ad Carolum Caietanum tituli s. Marci presbytero S. R. E. Cardinali Gaysruk archiepiscopum Mediolanensem scribens vehementer dolet de Breviario Mediolani edito in quo multa continentur quae catholico dogmati adversantur [1].

Dilecto filio Nostro
Carolo Caietano
tituli Sancti Marci
presbytero S. R. E. cardinali Gaysruk
archiepiscopo Mediolanensi

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Graviter sane ac dolenter affecti fuimus ubi Ambrosianum breviarium Mediolanensibus typis anno millesimo octingentesimo quadragesimo primo editum ad Nos pervenit. Namque hyemalem tantum huiusmodi breviarii partem huc illuc raptim Nos ipsi excurrentes, non solum ipsum permultis immutationibus a veteri illo, quo iamdiu Ambrosiana Ecclesia ex S. Caroli quoque Borromaei praescripto utebatur, diversum esse vidimus, verum etiam plura commissa fuisse cognovimus, quae omnino redarguenda, cum fidelium mentes falsis erroneisque opinionibus inficere possint. Et quidem, dilecte fili Noster, in imagine ibi aere incisa, quae SS. Virginem Mariam ab Angelo salutatam exprimit, visitur sublimi pictus Aeternus Pater, e cuius sinu divinum Verbum iam corpore ad infantuli formam indutum in beatissimam Virginem descendit. Optime noscis huiusmodi rationem exprimendi ineffabile Incarnationis mysterium praeposteram omnino esse, eamque catholico dogmati plane adversari, cum et Dei Verbum antequam homo fieret, mortalibus artubus praeditum exhibeat, et pravis haereticorum commentis faveat, qui in Christum ex Virgine Maria verum humanumque corpus suscepisse negarunt.

In alia vero imagine ibi aere pariter excusa, quae caelestis regni gloriam refert, conspicitur eadem Dei Genitrix Virgo, ullo absque discrimine in eodem prorsus S. Ioannis Baptistae gloriae gradu collocata, cum illam catholica Ecclesia caelitum omnium Reginam ac super omnes Angelorum choros, super Cherubim quoque ac Seraphim excellentissima quadam sublimitate exaltatam merito atque optimo iure profiteri gloriantur. Itaque pro tua religione et sapientia vides quam facile illis imaginibus ita expressis fideles praesertim rudes in gravissimos errores possint induci. Neque ignoras quam sapientissime Tridentina synodus moneat, ut *nonnullae falsi dogmatis imagines et rudibus periculosi erroris occasionem praebentes statuantur* (sess. XXV. De invocatione Sanctorum etc.). Accedit etiam, ut fidei symbolum, quod a maioribus nostris, constantique totius Ecclesiae traditione apostolorum semper appellatum, in eodem breviario fuerit conscriptum illa voce penitus eliminata *apostolorum*. Ex quo non solum primum ac pretiosissimum sanctissimae fidei nostrae monumentum illustri ac potentissima sua apostolica vota spoliatur, verum etiam illorum quodammodo reviviscit error, qui per summam impudentiam atque audaciam apostolos, symboli auctores minime habendos esse affirmare non dubitarunt. Quo certe nihil absurdius, nihil falsius cum sancti Ecclesiae Patres disertissimis verbis symbolum ab apostolis conditum esse doceant, praedicent atque declarent. Et sane omissis plurimis SS. Patrum testimoniis S. Ambrosius epistola XLII ad Siricium decessorem Nostrum, *Credatur,* inquit, *symbolo apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit et servat;* et S. Hieronymus in sua ad Pammachium epistola LXI adver. err. Ioan. Hieros., symbolum vocat ab apostolis traditum quemadmodum illud quoque vocat S. Caelestinus antecessor Noster in epistola ad Nestorium. Atque id ipsum saepe S. Leo pariter decessor Noster ac praesertim in sua ad Pulcheriam Augustam epistola in qua ita gravissime loquitur. *Siquidem ipsa apostoli symboli brevis et perfecta confessio, quae duodecim apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa sit munitione caelesti, ut omnes haereticorum opiniones solo istius possint gladio detruncari.*

Ac S. Maximus Taurinensis episcopus in homilia de traditione symboli, docet apostolos Ecclesiae Dei misterium symboli tradidisse, ut quia sub uno Christi nomine credentium futura erat diversitas, signandum fidei inter fideles perfidosque discernerent. Hinc, dilecte fili Noster, probe intelligis, quam timore graviterque peccatum sit in illo verbo apostolorum auferendo a symbolo, et quanta iccirco fidelibus offensionis praebeatur occasio. Etenim vel maxime timendum, ne ipsi in posterum debita veneratione symbolum prosequantur, illudque ab apostolis minime traditum esse existiment. Insuper oratio illa quae die festo Cathedrae Sancti Petri apostoli recitatur, quaeque, ligandi atque solvendi pontificium eidem beatissimo apostolorum Principi a Christo Domino tributum commemorat, nunc primum in ipso breviario legitur cum illo addito verbo *Animas,* quod

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

Christus in confirmanda Petro potestate nunquam expressit. Atque huic orationi ab Ecclesia probatae adiecta ita accipi potest, ut amplissimam potestatis plenitudinem quandocumque ligandi atque solvendi ipsi Petro eiusque successoribus in universae Ecclesiae regimine atque administratione a Domino et Salvatore Nostro collatam arctare videatur, adeoque exitioso ac perverso illorum sistemati ab hac Apostolica Sede damnato faveat, qui ecclesiasticam potestatem ad internum dumtaxat animarum statum pertinere comminiscuntur omnemque iurisdictionem Rom. Pontifici et Ecclesiae divinitus attributam condendi leges, ac devias contumacesque externo iudicio ac salutaribus poenis coercendi cogendique labefactare, convellere ac prorsus eliminare conantur. Quae quidem omnia, dilecte fili Noster, quantopere catholicae doctrinae adversentur satis superque cognoscis. Etsi vero gravissimis maximisque curis distenti, haud potuimus integram hyemalem illius breviarii partem singillatim evolvere aliasque attingere, tamen ex his quae animadvertimus, summopere veremur, ne in huiusmodi breviarii editionem alia quoque irrepserint quae sanae doctrinae ac fidelibus offensioni esse possint. Equidem, dilecte fili Noster, ob eiusmodi breviarii editionem magno angimur dolore, ac tum de catholicae doctrinae integritate, tum de animarum salute Nobis praecipue commissa et demandata vehementer solliciti haud possumus, quin te hac Nostra familiari epistola vel maxime in Domino moneamus hortemur, ut illas imagines amoveas, atque hanc recentem breviarii editionem supprimas, elimines ac veterem eiusdem Ambrosiani breviarii editionem in pristinum usum revoces. Non dubitamus profecto, quin pro tua virtute, religione, pietate atque in Nos et hanc Apostolicam Sedem observantia Nostris hisce paternis monitis atque consiliis ultro libenterque obtemperare velis, atque ita omnem Nobis hac super re sollicitudinem adimere studeas, ne pro supremi Nostri Pontificatus officio praedictam Ambrosiani breviarii etidionem anni 1841 Nostrarum congregationum SS. RR. et Indicis examini subiicere cogamur. Interim vero singularem Nostram erga te caritatem iterum testamur et confirmamus, atque apostolicam benedictionem tibi ipsi, dilecte fili Noster, et universo gregi tuae curae commisso, peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem die vigesima octava septembris anno millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCC.

LITTERAE APOSTOLICAE

Datur facultas designandi unum dumtaxat altare privilegiatum in perpetuum in omnibus parochialibus ecclesiis Podlachiensis dioecesis, dummodo in illis intuitu paroeciae aliud altare privilegiatum non existat [1].

Dilecto filio
Bartholomaeo Radziszewski
vicario dioecesis Podlachiensis

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exponendum Nobis curasti tuis in votis esse altaria parochialium ecclesiarum istius Podlachiensis dioecesis apostolico privilegio donari, ut fidelium defunctorum animae Domini Nostri Iesu Christi eiusque sanctorum suffragia meritorum consequi, et illis adiutae ex Purgatorii poenis ad caelestem patriam ex Dei misericordia celerius pervenire valeant. Nos igitur piis tuis desideriis annuentes, tibi hisce literis auctoritate Nostra apostolica, facultatem concedimus, atque impertimur, ut durante vicarii munere, in qualibet eiusdem civitatis et dioecesis Podlachiensis parochiali ecclesia, (dummodo in ea aliud intuitu paroeciae altare privilegiatum non existat), unum dumtaxat altare privilegio apostolico in perpetuum decoratum pro animabus christifidelium a Purgatorii poenis liberandis per te ipsum declarare valeas, cuius privilegii vi quandocumque sacerdos aliquis saecularis vel regularis missam pro anima cuiusque christifidelis, quae Deo in caritate coniuncta ex hac vita migraverit ad praedictum altare a te designatum celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut Domini Nostri Iesu Christi, ac beatissimae Virginis Mariae sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a Purgatorii poenis, si Deo placitum sic fuerit, eripiatur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, ut in expediendis literis pro designatione altaris privilegiati in quacumque ex parochialibus ecclesiis huiusmodi nemini vel minimum accipere liceat.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima nona octobris millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

CCCI.

INDULTUM

Concedit ut in omnibus institutis religiosarum mulierum Filiarum Caritatis quae vulgo della Carità di Milano *nuncupantur, privatum oratorium erigatur* [1].

Venerabili fratri
Dominico Ferrari
episcopo Brixiensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exponendum Nobis curavit dilecta in Christo filia praeposita religiosarum mulierum quae filiae Caritatis, vulgo nuncupantur, in oppido Lovere istius dioecesis, ad fovendam earumdem sororum pietatem plurimum expedire, ut in omnibus earum institutis, sive domibus privatum oratorium erigatur, in qua una vel plures missae quotidie celebrantur, cum facultate etiam SSmam Eucharistiam asservandi, eamque sumendi postquam ipsae religiosae mulieres Poenitentiae sacramento rite fuerint expiatae, eiusque rei gratia apostolicam a Nobis veniam enixe flagitat.

Nos igitur omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, tibi, venerabilis frater, per praesentes literas eas partes imponimus atque mandamus, ut auctoritate Nostra apostolica, facultatem facias ad hunc proximum septennium duraturam, cuius vi in omnibus praedictarum religiosarum mulierum sive institutis, sive domibus, oratorium privatum erigi possit, ad hoc a te prius, sive respectivis ordinariis antea visitandum atque approbandum, in quo una vel plures missae singulis diebus etiam per annum solemnioribus, per quemcumque sacerdotem approbatum, saecularem vel regularem, sine tamen quorumcumque iurium parochialium praeiudicio, celebrari possint et valeant in praedictarum religiosarum mulierum atque omnium eisdem addictarum personarum praesentia. Praeterea eadem auctoritate Nostra apostolica, facultatem ad proximum septennium impertimur, ut praedictae religiosae mulieres omnesque olim personae illis addictae in memoratis oratoriis, sacramento Poenitentiae rite expiatae, sanctissimam Eucharistiam de manu sacerdotis rem divinam facientis infra sacrificii actionem, excepto tamen Paschate, libere ac licite sumere possint et valeant. Item ad septennium proximum tantum facultatem facies, ut in publicis omnibus ecclesiis solum ad easdem religiosas mulieres pertinentibus, sanctissimum Eucharistiae sacramentum libere ac licite servari possit, modo sacra supellectili ad hoc necessaria instructae sint, eaque cum lege, ut ante tabernaculum lampas perpetuo exardescat, eiusque tabernaculi clavis penes confessarium, seu sacristam diligenter custodienda maneat. Volumus demum ut reliqui praeter supradictas personas missae in praedictis oratoriis adstantes, ad obligationem audiendi missam in ecclesia diebus festis de praecepto minime liberi censeantur.

Haec concedimus et mandamus, non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda novembris millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

CCCII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus membris Societatis s. Vincentii a Paulo, Parisiis institutae, nonnullae indulgentiae tribuuntur [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romanum decet Pontificem caelestibus Ecclesiae thesauris eas praesertim pias hominum Societates ditare quae in christianae charitatis operibus obeundis omni cura studioque versantur. Itaque cum praeses et consultores generales Societatis s. Vincentii a Paulo, Parisiis primum institutae, enixis precibus a Nobis efflagitaverint, ut nonnullas indulgentias tum plenarias tum partiales ipsi societati concedere velimus, Nos libenti animo piis eorum precibus adnuendum censuimus. Quapropter omnibus et singulis ad consilium generale Societatis eiusdem nunc Parisiis institutum pertinentibus, vel addictis consiliis particularibus Parisiorum et aliarum civitatum vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, dummodo omnibus vel tribus ex quatuor consilii coetibus in mense habitis interfuerint, plenariam peccatorum suorum indulgentiam et remissionem mi-

---

1 Ex Archivio domus generalis filiarum Caritatis Mediolani sitae.
2 Ex Archivio Secretariae Brevium.

sericorditer in Domino concedimus. Item omnibus ipsius Societatis sociis, uti dicunt, activis, nec non consultoribus et aliis de quibus habita mentio est, qui commemoratam indulgentiam ibi iam fuerint assecuti, dummodo omnibus vel tribus ex quatuor conventibus seu conferentiis in mense habitis interfuerint, ac vere poenitentes et confessi, ssmum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam similiter indulgentiam largimur. Praeterea eamdem pariter plenariam indulgentiam tribuimus omnibus qui in praedictam societatem in diversis gradibus activis membri aspirantis, membri ordinarii, consultoris particularis et consultoris generalis recepti fuerint. Insuper omnibus sociis tum activis tum honorariis commemoratae societatis, qui diebus festis immaculatae Conceptionis b. Mariae Virginis et s. Vincentii a Paulo et dominica secunda post pascha quae est anniversaria dies translationis reliquiarum eiusdem s. Vincentii aeque ac feria secunda post dominicam primam quadragesimae, vere poenitentes et confessi sacram Synaxim exceperint in missa quae praedictis diebus pro societate celebratur, atque coetui generali, qui his temporibus habetur interfuerint, plenariam pariter indulgentiam impertimur. Atque etiam sociis omnibus et societatis benefactoribus in mortis articulo constitutis, si vere poenitentes et confessi, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Iesu ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tanquam peccati stipendium de manu Domini patienti atque alacri animo susceperint, plenariam similiter indulgentiam concedimus. Ad haec, sociis omnibus activis eiusdem societatis, quotiescumque, corde saltem contrito, aliquam conferentiam, aliquam pauperem familiam, aut scholas officinasque pauperum visitaverint, vel quodcumque aliud bonum opus iuxta mentem dictae Societatis praestiterint, septem annos, ac totidem quadragenas de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quam quidem partialem indulgentiam singuli socii activi memoratae Societatis lucrari poterunt, quotiescumque corde contrito sacro missae sacrificio pro anima alicuius socii celebrando adstiterint, et quoties corpora pauperum ad ecclesiasticam sepulturam fuerint prosequuti. Quas omnes, et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, etiam animabus christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac vita migraverint per modum suffragii applicari posse indulgemus. Denique omnibus aliis sive consiliis sive conferentiis eiusdem Societatis, quae approbante consilio generali instituuntur, sive ab eodem, sive a consiliis particularibus civitatum aut provinciarum ab ipso iam institutis, item sociis qui degunt in locis, in quibus nondum viget conferentia, omnes et singulas commemoratas indulgentias si in locis eisdem praestiterint, veluti poterunt, consueta opera aliasque praescriptas conditiones impleverint, eadem auctoritate Nostra apostolica concedimus, atque elargimur. Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu personae in ecclesiastica dignitate constitutae subscriptis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima ianuarii millesimo octingentesimo quadragesimo quinto.

CCCIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Pia Instituta a comite Gaspare Spontini erecta in oppido Maiolati adprobantur et confirmantur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

In supremo apostolatus fastigio, Deo sic volente, collocati, deque universo christiano grege curam gerentes, Nostri pastoralis officii esse arbitramur ut pia instituta, quae a spectatis fide et charitate viris in proximorum levamen erigantur, ea apostolicae Nostrae auctoritatis robore confirmemus. Iamvero exponendum Nobis curavit dilectus filius comes Gaspar Spontini, domo oppido Maiolati, in finibus Aesinae dioecesis, se iam inde a die quarta mensis februarii anni millesimi octingentesimi quadragesimi tertii per acta tabellionis Antonii Meoli solemni donationis actu, quae inter vivos atque irrevocabilis dicitur, quaeque tamen effectum sortiri debeat post sui atque uxoris Caelestis Evard usufructuariae relictae obitum, largitum esse municipio, seu communitati oppidi Maiolati sua omnia bona tum urbana, tum rustica, quae in censualibus tabulis Aesinae civitatis descripta reperiuntur, cum omni armento et grege aliisque rebus, itemque bona quaecumque, quae post ipsum perpetuae donationis actum comparaverit, in iisdem censualibus Aesinis tabulis notata; servata tamen sibi vigesima bonorum parte testamenti condendi causa, quam quidem partem si intestatus decesserit, bonis donatis accedere voluit.

---

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

Ad augendam vero dictam donationem codicillis conditis die vigesima sexta mensis aprilis memorati anni millesimi octingentesimi quadragesimi tertii tanquam integralem ac substantialem donatae haereditatis partem esse habenda declaravit, sua cuiusque generis bona, ac nominatim numeratam pecuniam, syngraphas nominum in exteris regnis trapezitas Mendelsohnn, atque Ezechel Berolinenses, ac domum Evard Parisiensem, itemque quidquid auri, argenti, gemmarum, rerum mobilium sibi sit Berolini ac Parisiis, praeterea bibliothecam, musices opera, hermas, pictas tabulas, vestes ac reliqua cuiuscumque generis bona, quae omnia in praedictis Urbibus, Berolini scilicet ac Parisiis, ipse in praesens habet, ac quidquid ibidem extans reperiatur post suum, atque uxoris usufructuariae obitum, quod ipse neutiquam testamento legaverit. Voluit porro, ut donatae huius haereditatis fructus ac reditus municipium Maiolatense erogare debeat:

1. In alendam magistram puellis erudiendis quam quidem iam inde a mense iunio anni millesimi octingentesimi quadragesimi tertii ipse constituit.

2. In excitandum hospitium charitatis pauperibus senibus utriusque sexus chronicis invalidis excipiendis, sive ex oppido Maiolati, sive ex illius territorio, quique eum numerum pertingant, quem haereditatis vires ferant.

3. In celebrationem centum missarum quotannis praeter unam cum cantu ad expiandas animas defunctorum ex familia oratoris, itemque in annuas septem missas honori b. Mariae Virginis perdolentis.

4. In solvendam annuam pensionem, vel duas eiusdem pensionis partes seminario Aesino, pro uno vel duobus adolescentibus instituendis.

5. In solvendam annuam pensionem, vel duas eiusdem partes pro una vel duabus puellis erudiendis in monasterio vel Aesino vel Massaccii.

6. In alimentis subministrandis Rosae Colini pro illius conditione ac quoad illa vixerit, utpote quae per annos plures defunctis oratoris fratribus sedulo ministraverit.

7. In erigendam scholam pro iuvenibus sub disciplina duorum magistrorum ex religiosa familia, quae vulgo dicitur dell'Ignorantelli. Porro quod attinet ad institutionem ac regimen scholarum, atque hospitii charitatis, ipse orator disciplinae leges scripsit sarvandas pro magistris piis, utpote quae iam constitutae sunt. Pro schola vero, quae haberi debet a fratribus, vulgo l'Ignorantelli, totam vel partem suae domus adsignavit, quaeque ipsis etiam magistris excipiendis inserviat. Quod pertinet vero ad hospitium charitatis perscripsit orator, ut idem erigatur in ecclesia sancti Ioannis a se comparata, ex rescripto sacrae congregationis super negotiis Episcoporum et Regularium sub die vigesima septima novembris anno millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, inque duabus domibus, quas a fratribus Guglielmi, atque ab Apollonia Piccioni coemit; servari praeterea in eodem hospitio voluit regimen, quod organicum dixit a se ipso confectum, posteaquam consuluisset bo. me. cardinalem Silvestrum Belli, tunc temporis Aesinum episcopum, magistratum, parochum oppidi Maiolati, canonicum Grigi, et Iacobum Fioretti, quod quidem regimen organicum tanquam integralem ac substantialem partem esse voluit memoratae perpetuae donationis. Praeterea exposuit orator magistratum Maiolatensem huiusce pii instituti administrationem gratuito gerendam suscepisse, per consilium huic administrationi praepositum, ea tamen ratione, quae in regimine organico praescripta est, addito etiam superiori pro tempore eiusdem religiosae familiae vulgo dell'Ignorantelli, iuxta codicillos, ut supra conditos, die vigesima sexta aprilis anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio. Si vero iidem religiosi fratres, vulgo Ignorantelli, delatum munus nequaquam exciperent vel renuntiarent, tunc orator, eiusque post obitum superstes uxor, in eorum locos alios sufficiendos curaverint. Id vero si post oratoris, uxorisque obitum fiat, tunc cardinalis pii instituti patronus una cum consilio administrationi praeposito religiosam alteram familiam deligent, quae iuvenibus recte instituendis utilior videatur. Porro si pium institutum cardinali patrono orbum fuerit, idem consilium Nobis nostrisque successoribus supplicabit, ut eiusdem pii instituti patrocinium alteri S. R. E. card. deferamus, quod quidem ex nostro rescripto diei decimae quintae martii anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio delatum ultro excepit ven. frater noster Petrus Ostini S. R. E. card. episcopus Albanensis. Ne quid vero dubitationi locus unquam esse possit, orator declaravit, scholam erigendam pro iuventute masculina instituenda, nullimodo officere neque derogare substitutioni patrum Silvestrinorum, iuxta donationis tabulas conditas die quarta februarii anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, in iis casibus in quibus municipium Maiolatense vel assumptis officiis haud satisfaciens, vel oratoris suaeque coniugis voluntati obsistens, a donata haereditate deiiciatur, quippe id orator voluit, ut in iisdem casibus substitutioni locus omnino sit favore patrum Silvestrinorum, ita ut duae religiosae familiae praedictae eodem tempore in oppido Maiolati consistant unaquaeque suis addicta muneribus, quae in donationis tabulis, in codicillis, inque regimine organico eisdem orator demandavit. Praeterea facultatem sibi orator reservatam voluit, addendi, perficiendi, immutandi, imminuendi quidquid ipse perscripserit, quod pertineat ad administrationem pii

instituti. Iamvero quum neque consilii Maiolatensis assensus praecesserit, neque praesuli delegati Nostri apostolici, ac consultorum provinciae regundae sanctio intervenerit tum in excipienda a municipio Maiolatensi delata per donationem haereditate, tum in officiis atque oneribus sibi assumendis, ad lites ac dissidia quaeque praecavenda, id a Nobis orator postulat, ut auctoritate Nostra apostolica quidquid ex iure vel facto perperam gestum omissumque fuerit, benigne sanare ac remittere, ac pias omnes institutiones superius memoratas approbare ac confirmare velimus.

Nos igitur omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, de consilio VV. FF. NN. S. R. E. cardinalium Negociis Episcoporum et Regularium praepositorum, auctoritate Nostra apostolica, tenore praesentium, praevia sanatione cuiuscumque super praemissis iuris et facti defectus, enunciatas pias institutiones approbamus ac confirmamus; verum salvam semper ratamque esse volumus auctoritatem Ordinarii ad formam sacrorum canonum ac praesertim concilii Tridentini, decernentes hasce literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat atque in futurum spectabit, plenissime suffragari et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, caeterisque etiam speciali mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima quarta ianuarii millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCIV.

BULLA

Provisio patriarchalis ecclesiae Antiochen. Syro-Maronitarum pro archiepiscopo ab episcopis et clero nationis Syro-Maronitarum electo et postulato, cum approbatione electionis et postulationis, sanatione defectuum ac decreto emittendi fidei professionem ac iuramentum fidelitatis praestandi [1].

Venerabili fratri
Iosepho Gazeno archiepiscopo Damascen.
in patriarcham Antiochenum
Syro-Maronitarum electo.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei

salutem et apostolicam benedictionem.

Onerosa pastoralis officii cura, dispositione summi pastoris qui pro suis ovibus animam posuit, nobis licet immerito commissa, sollicita Nos pulsat instantia, ut inter cetera quae undique confluunt negocia quibusque noster animus redditur multiplici varietate distractus, ad provisionem ecclesiarum quarumlibet, praesertim patriarchalium, quae vacationis incommoda deplorare noscuntur, solerter intendamus, earumque incommodis mediante celeri novorum provisione pastorum, per quos ecclesiae ipsae in spiritualibus et temporalibus continua suscipere possint incrementa, salubriter succurramus.

Sane, patriarchali ecclesia Antiochen. Syro-Maronitarum, cui bo. me. Ioseph Petrus Habaisci ultimus illius Patriarcha dum viveret praesidebat, per obitum ipsius Ioseph Petri Patriarchae, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta ad provisionem huius patriarchalis ecclesiae celerem et felicem, ne ipsa longae vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eidem patriarchali ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus habuimus diligentem, demum ad te nuper archiepiscopum Damascenum, quem venerabiles etiam fratres episcopi catholici et dilecti filii clerus nationis Syro-Maronitarum ad praefatam patriarchalem ecclesiam pro eorum patriarcha elegerunt seu postularunt, consideratis grandium virtutum meritis quibus personam tuam illarum largitor altissimus mul-

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

tipliciter insignivit, et attendentes quod tu, qui a tuo patriarcha consecrationis munere suscepto, archidioecesim tibi creditam sedulo visitasti, pontificalia solemniter celebrasti, ordinationes habuisti, sacramenta, praesertim confirmationis, administrasti, ceteraque omnia pastoralia munia tam laudabiliter obivisti, ut patriarchali ecclesiae praedictae praefici dignus censearis, ipsam patriarchalem ecclesiam Antiochen. scies voles et poteris, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostrae mentis. Intendentes igitur tam praefatae patriarchali ecclesiae Antiochen. Syro–Maronitarum quam illius gregi dominico salubriter providere et a quibusvis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ut translatio, provisio et praefectio per nos ut infra faciendae praesentesque nostrae litterae suum sortiantur effectum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ipsamque electionem seu postulationem, de fratrum eorumdem consilio, apostolica auctoritate confirmantes et approbantes, omnesque et singulos et substantiales defectus, si qui in electione seu postulatione huiusmodi quomodolibet intervenerint, eadem apostolica auctoritate supplentes et sanantes, iuxta decretum in congregatione eorumdem fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum emanatum et per Nos adprobatum, te, licet absentem, a vinculo quo ecclesiae Damascen., cui hactenus praefuisti, tenebaris, de fratrum eorumdem consilio ac apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ad memoratam patriarchalem ecclesiam Antiochen. nationis Syro–Maronitarum, de consilio ac apostolicae potestatis plenitudine, similibus transferimus, teque illi in patriarcham praeficimus et pastorem, curam, regimen et administrationem huius patriarchalis ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi ad dictam patriarchalem ecclesiam transeundi licentiam tribuendo, in illo qui dat gratias et largitur praemia, confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, ipsa patriarchalis ecclesia sub tuo felici gubernio regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa.

Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus ad eamdem patriarchalem ecclesiam cum gratia nostrae benedictionis accedens, curam et administrationem praefatas sic exercere studeas sollicite, fideliter ac prudenter, quod exinde sperati fructus proveniant ac tuae bonae famae odor ex tuis laudabilibus actis latius diffundatur atque ipsa patriarchalis ecclesia gubernatori provido ac fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque praeter aeternae retributionis praemium nostram et dictae sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis.

Nec non venn. fratribus Nostris episcopis suffraganeis orthodoxis ac dilectis etiam filiis vassallis ipsius patriarchalis ecclesiae atque clero et populo eidem patriarchali ecclesiae subiectis, per apostolica scripta mandamus, ut suffraganei tibi tamquam membra capiti obsequentes exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas ac devotas ita, quod mutua inter te et ipsos gratia gratos sortiatur effectus et nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare. Clerus autem te pro Nostra et eiusdem sedis reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent. Populus vero te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant ita, quod tu in eis devotionis filios et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vassalli tandem praefati te debito honore prosequentes tibi fidelitatem solitam ac consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam tu rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Volumus autem quod tu antequam regimini et administrationi huius patriarchalis ecclesiae te in aliquo immisceas, in manibus duorum venn. pariter fratrum Nostrorum archiepiscoporum vel episcoporum gratiam et communionem sedis praefatae habentium et in istis partibus degentium, seu in manibus alterius eorum fidelitatis debitae solitum praestes iuramentum, iuxta unam ac fidei catholicae professionem a Sede Apostolica orientalibus praescriptam, iuxta alteras formas praesentibus adnotatas emittas, et sic a te praestiti iuramenti et professionis fidei a te emissae formas ad ipsam congregationem de Propaganda Fide de verbo ad verbum per tuas patentes litteras, tuo sigillo munitas, per proprium nuncium quantocitius transmittere omnino tenearis, quibus et eorum cuilibet per easdem praesentes pariter mandamus, ut ipsi vel eorum alter a te Nostro et Romanae Ecclesiae nomine iuramentum et fidei professionem huiusmodi iuxta easdem formas recipiant seu recipiat.

Forma autem iuramenti quod praestabis, talis est: « Ego Ioseph Gazeno Patriarcha Antiochen. Syro–Maronitarum ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro Apostolo sanctaeque apostolicae Romanae Ecclesiae et domino nostro domino Gregorio PP. XVI. suisque successoribus canonice intrantibus. Non

ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum seu capiantur mala captione aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur vel iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu litteras, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et regalia sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Iura, honores, privilegia et auctoritatem Sanctae Romanae Ecclesiae, domini nostri Papae et successorum praefatorum conservare, defendere, augere et promovere curabo. Non ero in consilio, facto vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel praeiudicialia personae, iuris, honoris, status et potestatis eorum machinentur, et si talia a quibuscumque procurari novero vel tractari, impediam hoc pro posse, et quantocitius commode potero, significabo eidem Domino nostro vel alteri per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, reservationes, dispositiones, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari. Haereticos, schismaticos et rebelles Domino nostro ac successoribus praefatis proposse persequar et impugnabo. Vocatus ad synodum, veniam nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis quinquenniis personaliter et per me ipsum visitabo ac Domino nostro successoribusque praefatis de toto meo pastorali officio, deque rebus omnibus ad patriarchalis ecclesiae meae statum ac cleri et populi disciplinam, ad animarum denique quae meae fidei creditae sunt salutem, quoquomodo pertinentibus, rationem reddam, et vicissim mandata apostolica humiliter recipiam et quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo dioecesanum sacerdotem ac hoc speciale mandatum habentem de clero meo, et, clero deficiente omnino, per aliquem alium presbyterum saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis de supradictis omnibus plene instructum. De huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad S. R. E. cardinalem proponentem in s. congregatione Concilii per supradictum nuncium transmittendas. Possessiones vero ad mensam mei patriarchatus pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo etiam cum consensu cleri patriarchalis ecclesiae huiusmodi, inconsulto Romano Pontifice. Et constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo, et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia ».

Forma vero professionis fidei quam emittes, haec est: « Ego Ioseph Gazeno Patriarcha Antiochen. Syro-Maronitarum, firma fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur in Symbolo Fidei quo Sancta Romana Ecclesia utitur, scilicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium; et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei Unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis; et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est: crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est; et resurrexit tertia die secundum scripturas; et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris; et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur; qui loquutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum; et exspecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen. Veneror etiam et suscipio universales synodos prout sequitur, videlicet: Nicaenam primam, et profiteor quod in ea contra Arium damnatae memoriae definitum est, Dominum Iesum Christum esse Filium Dei ex Patre natum Unigenitum, idest ex substantia Patris natum, non factum, consubstantialem Patri, atque impias illas voces recte in eadem synodo damnatas esse *quod aliquando non fuerit* aut *quod factus sit ex iis quae non sunt* aut *ex alia substantia vel essentia* aut *quod sit mutabilis vel convertibilis Filius Dei.* – Constantinopolitanam primam (secundam in ordine), et profiteor quod in ea contra Macedonium damnatae memoriae definitum est, Spiritum Sanctum non esse servum, sed Dominum; non creaturam, sed Deum; ac unam habentem cum Patre et Filio deitatem. – Ephesinam primam (tertiam in ordine), et profiteor quod in ea contra Nestorium damnatae memoriae definitum est, divinitatem et humanitatem ineffabili et incomprehensibili unione in una persona Filii Dei, unum nobis Iesum Christum constituisse, eaque de causa beatissimam Virginem vere esse Dei Genitricem. – Chalcedonensem (quartam in ordine), et profiteor quod in ea contra Eutychem et Dioscorum ambos

damnatae memoriae definitum est: Unum eumdemque Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum perfectum esse in deitate et perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum ex anima rationali et corpore consubstantialem Patri secundum deitatem, eumdem consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato, ante saecula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eumdem propter nos et propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei Genitrice secundum humanitatem unum eumdemque Christum Filium Dei Unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem magisque salva proprietate utriusque naturae et in unam personam atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eumdemque Filium et Unigenitum Deum, verum Dominum Iesum Christum. – Item eiusdem Domini nostri Iesu Christi divinitatem, secundum quam consubstantialis est Patri et Spiritui Sancto, impassibilem esse et immortalem; eumdem autem crucifixum et mortuum tantummodo secundum carnem, ut pariter definitum est in dicta synodo et in epistola sancti Leonis Romani Pontificis, cuius ore beatum Petrum loquutum esse patres in eadem synodo acclamaverunt. Per quam definitionem damnatur impia haeresis illorum qui Trisagio ab Angelis tradito et in praefata Chalcedonensi synodo decantato *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis* addebant: *Qui crucifixus est pro nobis;* atque adeo divinam naturam trium personarum passibilem asserebant et mortalem. Constantinopolitanam secundam (quintam in ordine), in qua praefatae Chalcedonensis synodi definitio renovata est. Constantinopolitanam tertiam (sextam in ordine), et profiteor quod in ea contra Monothelitas definitum est: In uno eodemque Domino nostro Iesu Christo duas esse naturales voluntates et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, et humanam eius voluntatem non contrariam sed subiectam divinae eius atque omnipotenti voluntati. Nicaenam secundam (septimam in ordine), et profiteor quod in ea contra Iconoclastas definitum est: Imagines Christi ac Deiparae Virginis nec non aliorum sanctorum habendas et retinendas esse atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Constantinopolitanam quartam (octavam in ordine), et profiteor in ea Photium merito fuisse damnatum et sanctum Ignatium patriarcham restitutum. – Veneror etiam et suscipio omnes alias universales synodos auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas et confirmatas, et praesertim, Florentinam synodum, et profiteor quae in ea definita sunt, videlicet: Quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio et ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit: idem dictionem illam *Filioque* veritatem declarandi gratia et imminente necessitate licite et rationabiliter symbolo fuisse appositam: item in azymo sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae ecclesiae sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem: item si vere poenitentes in Dei caritate decesserint antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatorii post mortem purgari, et ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta: illorumque animas, qui post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quae post contractam peccati maculam vel in suis corporibus vel eisdem exutae sunt purgatae, in coelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum Trinum et Unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius; illorum autem animas qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas. – Item sanctam, Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri Principis Apostolorum et verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium christianorum patrem ac doctorem existere: et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam eadem Florentina synodus asserit et in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur. – Item legalia veteris testamenti seu mosaicae legis caeremonias, sacra, sacrificia et sacramenta, Domino nostro Iesu Christo adveniente, cessasse et post promulgatum evangelium sine peccato observari non posse. Eiusdem etiam legis veteris ciborum mundorum et immundorum differentiam ad caeremonialia pertinere, quae surgente evangelio transierunt. Illam etiam apostolorum prohibitionem ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato illi tempori congruisse, ut inter iudaeos et gentiles dissentionis materia tolleretur: cuius apostolicae prohibitionis causa cessante, etiam cessavit effectus. – Pariter veneror et suscipio Tridentinam synodum, et pro-

fiteor quae in ea definita et declarata sunt, et praesertim offerri Deo in missa verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo eucharistiae sacramento (iuxta fidem quae semper in Ecclesia Dei fuit) contineri vere realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia aptissime *transubstantiationem* appellat, et sub unaquaque specie et singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri. Item septem esse novae legis sacramenta a Christo Domino nostro instituta ad salutem humani generis, quamvis non omnia singulis necessaria, videlicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his baptismum, confirmationem et ordinem iterari non posse. – Item baptismum esse necessarium ad salutem, ac proinde, si mortis periculum immineat, mox sine ulla dilatione conferendum esse, et a quocumque et quandocumque sub debita materia forma et intentione collatum, esse validum. – Item sacramenti matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium, haeresim aut alias causas possit inter coniuges thori et cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse. – Item apostolicas et ecclesiasticas traditiones suscipiendas esse et venerandas. – Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse. – Pariter, quae de peccato originali, de iustificatione, de sacrorum librorum tam veteris quam novi testamenti indice et interpretatione in praedicta Tridentina synodo definita sunt, suscipio et profiteor. – Caetera item omnia suscipio et profiteor quae recipit et profitetur sancta Romana Ecclesia, simulque contraria omnia et schismata et haereses ab eadem Ecclesia damnatas reiectas et anathematizatas ego pariter damno reiicio et anathematizo. – Insuper Romano Pontifici beati Petri principis apostolorum successori ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro. – Hanc fidem catholicae Ecclesiae, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in meo munere spectabit, teneri doceri et praedicari, quantum in me erit, me curaturum. Haec ego Ioseph Gazeno patriarcha Antiochenus Syro-Maronitarum spondeo, voveo et iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia ».

Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, decimo quarto kalendas febr., pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCV.

EPISTOLA

Pallium pro patriarcha Antiochen. Syro-Maronitarum Iosepho Gazeno, ex ecclesia archiepiscopali in ipsam patriarchalem translato, concedit [1].

Ven. fratri Iosepho Gazeno
nuper archiepiscopo Damascen.
in patriarcham Antiochen.
Syro-Maronit. electo.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei

salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nos electionem seu postulationem de tua persona ad patriarchalem ecclesiam Antiochen. Syro-Maronitarum per venn. fratres Nostros episcopos catholicos nationis Syro-Maronitarum factam, de venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, apostolica auctoritate approbantes et confirmantes, ac te a vinculo quo archiepiscopali ecclesiae Damascen. cui praeeras tenebaris, de simili consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, te ad hanc patriarchalem ecclesiam, certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutam, iuxta decretum in congregatione eorumdem fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum desuper emanatum et per nos approbatum, de consilio et potestatis plenitudine similibus apostolica auctoritate hodie transtulerimus, ipsique patriarchali ecclesiae in patriarcham praefecerimus et pastorem, curam, regimen et administrationem huius patriarchalis ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur; ac postmodum pallium insigne videlicet plenitudinis pastoralis officii pro parte tua fuerit hodie a Nobis per dilectum filium Carolum Armellini Nostrae consistorialis aulae advocatum, ea qua decuit reverentia, postulatum, Nos huiusmodi postulationibus annuentes, pallium ipsum de corpore beati Petri apostoli sumptum, a quocumque quem malueris catholico antistite gra-

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

tiam et communionem Sedis Apostolicae habente, tibi assignandum per ven. fratrem Nostrum Nicolaum Murad archiepiscopum Laodicen. nuncium tuum duxerimus destinandum, ut idem antistes illud tibi sub una assignet et a te Nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub altera formis praesentibus insertis fidelitatis debitae solitum recipiat iuramentum; tu autem pallio eodem, intra patriarchalem ecclesiam tuam, illis dumtaxat diebus uteris qui expresse in huius patriarchalis ecclesiae Antiochen. Syro–Maronitarum privilegiis continentur: ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, interius serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, quatenus humilitatem et iustitiam, dante Domino, qui dat praemia et munera elargitur, observare studeas, quae suum servant et promovent servatorem ac eamdem patriarchalem ecclesiam Antiochen. Syro–Maronitarum, sponsam tuam, cures sollicite, auctore Domino, spiritualiter et temporaliter augmentare.

Quocirca eidem antistiti per apostolica scripta mandamus, quatenus ipse pallium huiusmodi iuxta subsequentem formam tibi assignet et a te Nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub reliqua forma huiusmodi fidelitatis debitae solitum recipiat iuramentum, eiusque sic a te praestiti iuramenti formam nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras, tuo sigillo munitas, per proprium nuncium quantocitius destinare procuret.

Forma autem qua praefatus antistes in assignando tibi hoc pallio utetur, haec est: « Ad honorem omnipotentis Dei et beatae Mariae virginis ac beatorum apostolorum Petri et Pauli atque domini nostri domini Gregorii Papae XVI, ac sanctae Romanae Ecclesiae, nec non patriarchalis ecclesiae Antiochen. Syro–Maronitarum tibi commissae, trado tibi pallium de corpore beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ut eo utaris intra patriarchalem ecclesiam tuam illis diebus qui exprimuntur in privilegiis ei ab Apostolica Sede concessis ». Forma vero iuramenti quod praestabis, talis est: « Ego Ioseph Gazeno patriarcha Antiochen. nationis Syro–Maronitarum ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae et domino nostro domino Gregorio Papae XVI eiusque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu litteras, ad eorum damnum, me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et regalia sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Vocatus ad synodum, veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis quinquenniis visitabo per me aut per meum nuncium, nisi apostolica absolvar licentia. Possessiones vero ad mensam mei patriarchatus pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo inconsulto Romano Pontifice. Ac constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia ».

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, quartodecimo kalendas februarii, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCVI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Archipelagum ab Amicis disiungit a vicariatu apostolico Oceaniae centralis, et unit, donec aliter statuatur, vicariatui Oceaniae occidentalis [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

In suprema apostolorum principis sede, Deo sic volente, collocati, atque universi dominici gregis curam gerentes, ex debito pastoralis officii id praestare debemus, ut, quo opportunius christiani ipsius gregis regimini atque incolumitati consultum sit, vicariatus apostolicos modo coarctemus, modo, prout rerum ac locorum ratio postulat, proferamus.

Iam vero exponendum nobis curavit ven. frater Franciscus Pompallier, episcopus Maroneae, vicarius apostolicus Oceaniae occidentalis, attentis peculiaribus memoratae missionis ac praesertim Novae Zelandiae circumstantiis, iis, quibus nunc missio eadem definita est, limitibus, nedum congruum, sed vero etiam necessarium esse ut, provisoria saltem ratione, insulae, quae archipelagum ab Amicis nuncupatum constituunt, quaeque vicariatui centrali adiudicatae fuerunt, occidentali, ut supra, missioni administrandae subiiciantur.

Nos igitur de consilio venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum, praefati episcopi Maroneae votis adnuentes, Motu Proprio,

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

certa scientia ac matura deliberatione nostra, deque apostolicae nostrae potestatis plenitudine, archipelagum, ab Amicis nuncupatum, occidentali Oceaniae missioni pro nunc ac donec aliter statuatur, iterum gubernandum adiungimus, firma tamen remanente centralis Oceaniae vicariatus circumscriptione, per similes Nostras apostolicas litteras constituta die vigesima tertia augusti anni millesimi octingentesimi quadragesimi secundi.

Decernentes has litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat atque in posterum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, iudicari debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die septima februarii millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCVII.

LITTERAE APOSTOLICAE

In Indostano novum constituit vicariatum apostolicum, Patnà nuncupandum, cuius fines describit, et cuius regiones a vicariatu Agrae seiungit [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad futuram rei memoriam.

Pastoralis officii etc. munus nobis divinitus demandatum exquirit, ut illis praesertim ovibus, quae ab hac Apostolica Sede catholicae unitatis centro distant, qua maxime fieri possit sedulitate consulamus, ut in adventu pastoris aeterni ad caelestia pascua perducantur.

Iam vero, quum nobis exponendum curaverit ven. fr. Iosephus Antonius Borghi, episcopus Betzaidae et vicarius apostolicus Indostani, ad rei catholicae latius prospiciendum in memorata amplissima missione vel maxime expedire, ut praevia divisione ac nonnullarum regionum dismembratione novus vicariatus apostolicus erigatur, qui regnum Nepal magnamque provinciam Beha ac parvam Sikim nuncupatam complectatur, ita ut ipsius limites longitudinis ab urbe Raimahal ad alteram Dinapore statuantur, latitudinis vero eosdem habeat limites, ex altera parte qui regnum Nepal, ex altera vero qui antedictam provinciam definiunt, quique superficiem longitudinis quingentorum circiter millium ac latitudinis tercentorum exhibent; cumque exposuerit, in eiusmodi vicariatu septem iam constitutas adesse ecclesias, videlicet Patnà, penes quam vicarius apostolicus residere et ab ea vicariatus apostolicus nomen sumere possit, Dinapore, Bettia, Ciourri, Baghelpore, Monghyr et Parneach, nec non plures missionis domus ac praedia quaedam; denique cum idem ven. frater episcopus Betzaidae, ad rite istam missionem erigendam, omnem operam suam collaturum, ac subsidia quaevis, praesertim operariorum, praestiturum se esse spoponderit; nos ad catholicae religionis bonum piis eiusdem votis libenter adnuimus.

Nos igitur de consilio venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, Motu Proprio, et ex certa scientia et matura deliberatione nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictas ecclesias ac loca a vicariatu apostolico Agrensi dismembrantes, novum vicariatum apostolicum Patnà, iuxta propositum exemplar, assignatisque iis locis ac limitibus, de quibus supra, erigimus ac constituimus.

Haec statuimus ac decernimus, volentes has litteras firmas, validas et efficaces esse et fore etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die septima februarii millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCVIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Episcopo Balneoregiensi facultas tribuitur uniendi in perpetuum mensae capitulari ecclesiae cathedralis et favore ipsorum canonicorum simplex beneficium iam ad idem capitulum pertinens [2].

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Exponendum Nobis curarunt venerabiles filii capitulum et canonici de massa s. Nicolai istius cathedralis templi Balneoregiensis se per similiter apostolicas litteras datas die tertia iunii anno millesimo octingentesimo trigesimo quarto facultatem a Nobis fuisse assecutos ut ad de-

---

[1] Ex Iure Pont. de Prop. Fide.

[2] Ex Archivio Secretariae Brevium.

cennii spatium fructus perciperent simplicis beneficii, quod sub titulo sancti Ioannis evangelistae in eodem cathedrali templo erectum est, quam facultatem assecuti item fuerant, a fel. rec. praedecessoribus nostris Pio VII ac Leone, XII, attentis exiguis eiusdem capituli reditibus, ac patronatus iure, quod habet memorati beneficii. Iamvero quum decennii spatium finem sit habiturum, quumque ex praeterita temporum asperitate, amissis bonis omnibus, tenuissimi in praesens sint capituli proventus, hinc dicti canonici supplices a Nobis postulant, ut memoratum simplex beneficium, cuius reditus, detractis oneribus, pertingit viginti scutatorum, capitulari mensae, auctoritate Nostra apostolica, in perpetuum adiungere velimus.

Nos igitur omnes et singulos, quibus hae litterae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, ecclesiasticis censuris et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, tuoque accepto, vener. frater, gravi testimonio de rerum expositarum veritate, tibi, per praesentes, eas partes committimus, ut auctoritate Nostra apostolica, commemoratum simplex beneficium dictae capitulari mensae in perpetuum adiungas, atque adiunctum declares, ea tamen lege, ut singula beneficii onera accurate impleantur.

Haec concedimus et mandamus, non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon legis fundationis memorati beneficii etiam iuramento, atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die decima prima februarii millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCIX.

EPISTOLA

Graviter queritur cum archiepiscopo Goae quod, contra promissa internuntio pontificio facta et commendationem ac monita Sedis Apostolicae, specie adducta bullarum propriae institutionis consueta formula conscriptarum, eiusdem sedis litteras et decreta despexerit, iurisdictionemque usurpaverit in regiones vicariis apostolicis concreditas, atque occasionem schismati praebuerit; eumque hortatur ut, memor promissorum et iuramenti quod consecrationem recipiens emisit, simul etiam obedientiae cathedrae Petri debitae, resipiscat [1].

Venerabili fratri Iosepho a Sylva Torres archiepiscopo Goano

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater

salutem et apostolicam benedictionem.

Quanta laetitia affecti fuerimus, cum primum de tua, ven. frater, ad episcopalem dignitatem designatione, deque tua simul erga nos et S. hanc Petri Sedem observantia certiores facti sumus, arbitramur, te per teipsum id plene sentire, cui nostra nota est de amplificando in istis regionibus religionis incremento sedula constansque voluntas. Ac iustam sane habuimus gratulationis nostrae rationem. Quid enim ad catholicae ecclesiae bonum consequendum non debuissemus expectare a tali viro, quem apostolicae Nostrae sollicitudinis iuvandae studiosissimum esse audiebamus, quique in suscipiendis atque obeundis episcopalis officii muneribus id se perpetuo gesturum esse pollicebatur, quod sententiae votisque nostris esset consentaneum?

Neque levibus quidem argumentis adducti, vera esse iudicabamus quae de te et de tua erga nos atque Apostolorum principis cathedram devotione ferebantur. Etenim, praeter tuas, die decima tertia martii anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio ad nos scriptas litteras, gravissimum habebamus totius rei testem dilectum filium praeclarum virum Franciscum Capaccinium, nostrum apud fidelissimam Lusitaniae reginam internuntium ac delegatum. Is enim cum Ulyssipone esset ac de te ad Goanum archiepiscopatum promovendo pertractaretur, tum plura alia de virtutum ornamentis, quibus te praestare affirmabat, tum maxime studium commendavit defixumque animo tuo propositum, nihil unquam agendi quod a singulari illa erga Sedem Apostolicam veneratione esset alienum. Id autem internuntio nostro tam perspicua animi tui significatione effusisque lacrymis eo tempore testatus es, ut is, religione tua commotus, fletum et ipse cohibere non potuerit. Quantopere nobis ista placuerint, te facile intellexisse putamus, ven. frater, cum literas nostras apostolicas die decima nona iunii anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio sub plumbo datas, non multo post accepisti, quibus continebatur, libenter nos fidelissimae reginae assensos esse et Goanae ecclesiae archiepiscopum te a nobis fuisse institutum.

---

1 Ex Iure Pontificio de P. F.

Verum valde brevis de ea re laetitia nostra et gratulatio fuit. Etenim post iter a te in Indias susceptum, vix aliqui menses elapsi sunt, cum tales de fraternitate tua nuntios accepimus, ut magnum animo nostro moerorem attulerint. Perlatum enim ad nos est, male explicatis et contra sententiam nostram intellectis nonnullis praedictarum apostolicarum litterarum verbis regiam nominationem tuam ad archiepiscopatum Goanum respicientibus, ita agere, ut constitutam a nobis in vastissimis extra praesentem Lusitanorum ditionem Indiarum orientalium provinciis regiminis ecclesiastici formam perturbare, et decreta nostra de ea re parvipendere omnino velle videreris.

Id vero primum vix credibile a nobis poterat existimari. Nam quo tempore ad te apostolicas misimus de tua ad archiepiscopatum Goanum provectione, eo etiam tempore, die octava iulii anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, alias fraternitati tuae litteras scripseramus, quibus mentem nostram de servandis decretis illis aperte significavimus, teque laudandum atque in eo proposito confirmandum esse censuimus, quod antea aperueras, scilicet te nulla alia nisi ea usurum esse auctoritate, quae tibi a nobis tributa fuisset. Praeterea erant tibi notissimae apostolicae nostrae apud omnes celebratissimae sub annulo piscatoris die vigesima quarta aprilis anno millesimo octingentesimo trigesimo octavo scriptae litterae, quarum initium est *Multa praeclare,* de vicariatuum apostolicorum in Indiis orientalibus facta institutione. Talis vero est earumdem litterarum forma, talisque contextus, ut qui bona fide ducatur, nulla ratione possit sibi in animum inducere, statutum a nobis in iis regionibus ecclesiasticum regimen licere immutari, desumpto ex iis verbis argumento, quibus nos in archiepiscopatu Goano tibi conferendo ex consueta in huiusmodi collationibus formula usi sumus. Quod autem ad alia decreta attinet, quae eisdem anno millesimo octingentesimo trigesimo octavo litteris deinde accesserunt, ipsum inibi seu in finitimis locis regimen ecclesiasticum respicientia, haec etiam, utpote multorum sermone celebrata, haud ignota tibi fuisse arbitrabamur; et nos quidem, in praedicta epistola die octava iulii millesimo octingentesimo quadragesimo tertio ad fraternitatem tuam data, expressam de ipsis decretis mentionem facere non praetermisimus.

Quid vero, quod ipse cum internuntio nostro, antequam episcopus consecrareris, sermone habito, talem normam in ista re te servaturum esse, luculenta ratione spopondisti, ut ne suspicari quidem nos posse putaremus, te quidquam inconsultis Nobis circa auctoritatem in iis regionibus exercendam acturum esse vel innovaturum? Nam testis idem internuntius est, fraternitatem tuam clare aperteque affirmavisse, te ita animo esse comparatum, ut, siquando vel a civili etiam potestate in ea postulatus fuisses, negotium totum nostro et Apostolicae Sedis iudicio definiri oportere responsurus esses, atque interea nihil novi a te agendum esse statueres, nisi primum sententia nostra tibi patefacta fuisset.

Videbantur quidem Nobis ista tam gravia, ut ab initio dubiam traxerint nostram mentem querelae illae, quae de agendi ratione tua his monumentis contraria Romam perlatae sunt. Verum deinde inviti quodammodo adducti sumus, ut dolentes intelligere debuerimus, te malis consiliis fortasse abreptum, et hominum unitatis catholicae centrum despicientium instigatione permotum, ab eo proposito deflexisse, quod tantam Nobis laetandi causam primitus attulerat.

Nam et allatae ad Nos sunt tuae litterae, quibus consilium ipsum tuum significare Nobis non es veritus, et communis facta est apud Nos bonorum omnium contestatio, qui auctoritatem opemque Nostram ad te continendum implorant. Difficile prorsus esset, tot ipsas hominum gravitate praestantium querimonias numerando percensere. Illae tamen omnes, una cum memoratis tuis ad Nos litteris, eo pertinent, ut dubitare prorsus non possimus, te Nostra Sedisque Apostolicae decreta de vicariatuum apostolicorum in Indiis orientalibus institutione despicere; vicarios apostolicos eisdemque subditos presbyteros missionarios contemptui habere; ipsam venn. fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum congregationem, quae tanto studio religioni catholicae in iis provinciis periclitanti consuluerat, aspernari; ecclesiasticos viros auctoritatis nostrae adsertores vexare; ecclesiasticae iurisdictionis rationem perturbare; Nostras apostolicas sanctiones, ac praesertim supradictum breve apostolicum *Multa praeclare,* nihili ducere; libellos iniuriarum plenos adversus ecclesiasticum regimen nunc in vicariatibus apostolicis vigens, te, sin minus volente, saltem non repugnante, in vulgus spargi; atque ea omnia perpetrari, quae acerbissimi schismatis occasionem afferre possunt. Haec vero cum ita sint, muneris nostri esse duximus, te, ven. frater, nostris hisce litteris obtestari atque hortari in Domino vehementer, ut meliora consilia ineunda esse intelligas. Scimus profecto quam grave malum in ecclesia sit schismata excitari: sentimus praeterea quid ad tantam calamitatem vitandam a nobis requirat pascendi, regendi, gubernandi universalem Ecclesiam Nobis in Petro apostolo a Christo Domino tradita potestas. Itaque tibi commendamus, ut facto tuo ostendas, illius iurisiurandi religionem te vere formidare, quod ipso die episcopalis tuae consecrationis Nobis atque Apostolicae Sedi iuravisti.

Non dubitamus, te in persona humilitatis Nostrae illum esse honoraturum, cuius dignitas in indigno haerede non deficit. Quare te daturum operam esse confidimus, ut, quae Nobis tantopere gratulantibus antea promiseras, ea in posterum accurate impleas iis praesertim obtemperando, quae in pluries recensito de vicariatibus apostolicis institutis brevi, editisque postea eumdem in finem decretis statuta sunt.

Hoc a te consolationi Nostrae in primis opportunum, et Ecclesiae bono in regionibus, de quibus locuti sumus, impense procurando, in his temporum adiunctis plurimum utile observantiae tuae testimonium expectantes, apostolicam benedictionem tibi, ven. frater, gregique tuo peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die prima martii millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCX.

INDULTUM

Capitulo civitatis Petrae Sanctae (Pisanae dioecesis) datur facultas, ut praepositus palmariam (bugia) adhibeat atque primus canonicus archipresbyteralem titulum sumat [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Honorum insignia ac titulos libenter deferimus ecclesiasticis viris, qui in templo Domini laudes eius canentes, sacrisque ritibus attente graviterque operantes, fidelium animos ad pietatem, et religionis cultum, vehementius inflammant. Iam vero exponendum Nobis curarunt dilecti filii Cosimus Tomei Albiani Carli, Antonius Bendini Stagi, atque Antonius Campana civitatis Petraesanctae, intra fines dioecesis Pisanae, in eadem civitate collegiatum templum existere s. Martini, cuius collegialis capituli praepositus ab immemorabili tempore gaudet privilegio vestem talarem, ac pallium seu mantellettam violacei coloris in sacris ritibus adhibendi, nunc vero ad maiorem eidem capitulo dignitatem adsciscendam, supplices a Nobis petunt, ut eidem praeposito eiusque successoribus aliquod dignitatis ornamentum addamus, primo autem canonico pro tempore existenti, honoris titulum deferamus. Nos igitur omnes et singulos quibus hae litterae favent, peculiari honore afficere volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes ac absolutos fore censentes, auctoritate Nostra apostolica, tenore praesentium facultatem impertimur perpetuo valituram, ut nimirum memorati collegii capituli praepositus, eiusque successores in sacris ritibus celebrandis, palmatoriam vulgo *bugia* adhibere libere ac licite possint et valeant, primo autem canonico pro tempore existenti honorificum archipresbyteri titulum deferimus, concedimus ac impertimur, sic ut eodem titulo in diplomatis quibusque libere ac licite uti possit et valeat. Porro certa spe nitimur, hoc novo honoris ornamento memorati templi capitulo per Nos adiecto, fore ut singuli illius canonici ad sacros ecclesiae ritus pie sancteque obeundos novo quodam incitamento impellantur.

Haec concedimus ac indulgemus decernentes has praesentes litteras firmas, validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque perpetuo plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales iudicari ac definiri debere, irritumque et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non memorati templi et canonicorum collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene ac sufficienter expressis deque verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die quarta mensis martii anni millesimi octingentesimi quadragesimi quinti, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

---

[1] Ex Cancellaria Archiepiscopali Pisana.

CCCXI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Approbantur Statuta communitatis sancti Ludovici Gallorum, de Urbe [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Sollicitudo omnium ecclesiarum, quae delato Nobis apostolicae servitutis officio, quotidie distinemur, prohibere nullatenus potest, quominus ad Urbem hanc nostram oculos perpetuo habeamus intentos, ut quae ad divinum cultum, sacrorum ministrorum officia, bonorum ecclesiasticorum administrationem, piorumque locorum prosperum statum, felicemque procurationem pertinere possint, firma persistant, et ab iis ad quos spectant, accuratius observentur, quaeque super iis salubriter statuta sunt, apostolica nostra auctoritate roboremus. Quum itaque quemadmodum dilectus filius Septimius comes Faij de la Tour Maubourg Franciae par, et carissimi in Christo filii Nostri Ludovici Philippi Galliarum regis christianissimi apud Nos et Apostolicam Sedem orator, Nobis exponendum curavit eiusdem regis nomine, quod in administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiae s. Ludovici de Urbe nationis Gallicae, et illi adnexarum s. Ivonis Britannorum, et SSm̃i Salvatoris, ex iis quae a Gregorio XV praedecessore Nostro per litteras apostolicas sub annulo piscatoris, die tertia decembris millesimo sexcentesimo vigesimo secundo provide sapienterque constituta fuerant, partim decursu temporum in desuetudinem abierint, partim temporum etiam iniuria fuerint intermissa, quaedam vero pro varietate circumstantiarum aliqua opus habeant mutatione, quod pariter dicendum de aliis ecclesiis s. Claudii comitatus Burgundiae, s. Nicolai Lotharingorum, s. Mariae Purificationis, deque opera pia Francorum Laureti, quae omnes ad praedictam nationem pertinent, ac propterea idem Ludovicus Philippus rex pro suo in illam studio, ad meliorem statum restitui, et de opportuno desuper remedio per nos provideri summopere desiderabat, Nos piis serenissimi Ludovici Philippi Francorum regis christianissimi votis adnuere volentes, supplicationibus eius nomine Nobis per dictum Septimium oratorem super hoc humiliter exhibitis permoti, dilectum filium Nostrum Antonium Franciscum tituli s. Mariae super Minervam presbyterum cardinalem Orioli tamquam Nostrum et Sedis Apostolicae delegatum praedictam et adnexas atque alias eiusdem nationis de Urbe ecclesias, atque demum operam piam Francorum Laureti visitandi, in utroque corrigendi, mutandi, reformandi mores, et modum vivendi communitatis s. Ludovici, aliorumque clericorum, necnon quidquid decentius atque utilius pro bona et felici administratione spiritualium ac temporalium ecclesiarum huiusmodi sibi videretur, statuendi, denique alia omnia et singula in praemissis, et circa illa necessaria et opportuna faciendi vivae vocis oraculo deputavimus. Qui quidem Antonius Franciscus cardinalis, facta prius de mandato Nostro debita visitatione pro felici prosperoque spiritualium ac temporalium ecclesiarum huiusmodi, illarumque personarum regimine infrascripta statuit decrevitque nimirum, ut futuris in posterum temporibus dicta ecclesia s. Ludovici cum annexa cappella SSm̃i Salvatoris in Thermis deserviatur a cappellanis, natione Gallis, in presbyteratus ordine constitutis in commune viventibus, et in eadem ecclesia s. Ludovici penes quam assignentur eis cubicula, victus et vestitus sive pro vestitu aequivalens pecuniae summa, residentibus ad nominationem praedicti oratoris, et ab eodem iusta interveniente causa revocabilibus, ex quibus unus sit superior cum sacrista et oeconomo, qui duo cum cappellanis praedictis praestare debebunt obedientiam superiori praedicto. Praeter cappellanos autem admittentur etiam veluti alumni, iuniores ecclesiastici ex variis regni dioecesibus causa studiorum, qui annua pensione soluta, in eadem domo victum et cubiculum habebunt, et superiori praedicto subiecti immunitatis regulas servabunt, diebus vero dominicis aliisque festis non secus ac ipsi cappellani sacris in choro adstabunt: porro cum superior auctoritate apostolica, prout per Nostras litteras in forma brevis *Ad supremum* sub die septima februarii anni millesimi octingentesimi quadragesimi datas illi concessimus iura parochialia super cappellanos aliasque personas in regia domo Ludovici residentes exerceat, semel atque a regio oratore praedicto praesentatas a cardinali Nostro in Urbe vicario in spiritualibus generali canonice fuerit institutus, ita etiam superior ipse, ubi illum vel abesse, vel aegrotare contigerit, unum ex cappellanis de administrationis deputatae consensu eligat, qui ad eius vices explendas ab eodem cardinali Nostro in Urbe vicario, durante necessitate, probetur ac deputetur. Quemadmodum vero superior a regio oratore, ita sacrista atque oeconomus a superiore de consensu administrationis deputatae eligentur; pro reliquis vero minoribus officiis ac personis superior ipse prospiciet ac providebit. Dominicis ac festis diebus missa cantabitur pulsato organo, si id rubricae

[1] Ex opere cui titulus « L'Église nationale de St. Louis des Français par Mgr. D'Armailhacq Prélat domestique de S. S. » pag. 342.

permiserint, cui adstabunt superior, sacrista, oeconomus, cappellani iuxta ordinem antianitatis, atque eodem ordine etiam alumni, idque etiam fiet in vesperis celebrandis, reliquis vero diebus missa conventualis erit lecta, cui missae omnes non sacerdotes adstare pariter teneantur. Administratio, ut agunt, sive congregatio deputata administrandis rebus ac bonis ad loca pia ecclesiastica nationis Gallicae, scilicet s. Ludovici Gallorum cum annexis SSmi Salvatoris in Thermis et s. Ivonis Britannorum atque aliarum nempe sanctorum Andreae et Claudii comitatus Burgundiae, s. Nicolai Lotharingorum, s. Mariae Purificationis, et opera pia Lauretana Francorum, spectantibus, eadem perseveret, ut hactenus factum est cum dependentia a regio oratore, qui vel ex pluribus, vel ex paucioribus viris prout magis expedire iudicaverit eam componet, ita tamen, ut inter eos nonnulli semper ecclesiastici viri recenseantur. In reliquis vero quae spectant ad cappellanos cum congrua illis assignanda ad alumnos pro pensione ab illis solvenda, modum vivendi pro utrisque, obedientiam superiori praestandam formam inserviendi dictae ecclesiae s. Ludovici aliisque etiam ecclesiis memoratis per singulos illarum respective rectores, atque denique in iis, quae pertinent ad cappellanos operae piae Lauretanae Gallorum aliisque desuper necessariis, dictus cardinalis a Nobis delegatus opportunas leges statuit, decrevit et sanxit, quae continentur binis tabulis, seu scripturis, gallica lingua exaratis, quorum uni titulus. « *Statuta disciplinaria pro ecclesia et communitate s. Ludovici Gallorum, et adnexa cappella SSmi Salvatoris in Thermis* », alteri vero « *Statuta disciplinaria pro rectoribus ecclesiarum Gallicarum Romae, et pro cappellanis operae piae Lauretanae Francorum* », quae binae scripturae dicti cardinalis visitatoris manu signata sunt die decima octava februarii anno vertente millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, et quarum exemplar asservari mandavimus in tabulariis Secretariae Brevium. Iam vero cum dilecti filii Septimii comitis Faij de la Tour Maubourg Francorum regis apud Nos et Apostolicam Sedem oratoris nomine nuper petitum fuerit, ut omnia et singula quae memoratus Antonius Franciscus cardinalis circa ecclesiam s. Ludovici, eique adnexos, ac cetera instituta pia Gallicae nationis statuit ac decrevit, auctoritatis nostrae apostolicae munimine roboremus, Nos eiusdem votis adnuentes, omnesque et singulos quibus hae litterae favent peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excomunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris, ac poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, ac absolutos fore censentes, tenore praesentium, omnia et singula quae a dicto cardinali tanquam visitatore apostolico de eadem ecclesia s. Ludovici, eique adnexis ac reliquis piis institutis nationis Gallicae decreta ac sancita sunt, nec non disciplinaria statuta, quae memoratis binis scripturis eiusdem cardinalis visitatoris manu die decima octava februarii vertentis anni signatis comprehenduntur, quarum tenores hic pro expresse extensis haberi volumus, auctoritate Nostra apostolica approbamus, confirmamus ac roboramus, eaque ab omnibus ad quos spectat atque in posterum spectabit accuratissime servari volumus ac mandamus.

Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces esse, ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis, ad quos pertinet et in futurum pertinebit plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S.R.E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari ac definiri debere, irritumque et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo*, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non legis fundationis dictae ecclesiae s. Ludovici, atque adnexarum, ac piorum omnium institutorum Gallicae nationis supradictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate aliqua roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque omnibus speciali mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die septima martii millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Abbati generali ordinis s. Antonii in Libano Armeni ritus, et ex-generalibus, concedit pontificalium usum in sacris ritibus celebrandis, annulum autem extra sacros ritus et abbati generali etiam crucem pectoralem; abbatibus vero, actu monasteria regentibus, annulum, et in sacris ritibus etiam baculum [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum monachorum ordines maximo ornamento ac praesidio perpetuo fuerint christia-

---

1 Ex Iure Pontificio de P. F.

nae rei, hinc singularibus eos privilegiis atque honoribus decorare Romani Pontifices consueverunt.

Iam vero, quum dilectus filius Arsenius Angiarakian procurator generalis monachorum Armeniorum Antonianorum Libanensium a nobis postulaverit, ut abbati generali, ex-abbatibus generalibus, ceterisque abbatibus, monasteria singula moderantibus, nonnulla pontificalis dignitatis insignia impertiri velimus; nos eiusdem votis precibusque libenter adnuimus.

Itaque omnes et singulos, quibus praesentes literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, auctoritate nostra apostolica, tenore praesentium, facultatem perpetuo valituram concedimus, ut abbas generalis pro tempore memorati ordinis monachorum mitram, baculum pastoralem, annulum et crucem pectoralem in sacris ritibus celebrandis, extra vero sacros ritus annulum tantum et crucem pectoralem adhibere possit; itemque ut singuli ex-abbates generales insignibus pontificalibus in sacris obeundis caeremoniis, citra vero sacros ritus annulo tantum uti possint; denique, ut singuli abbates sua monasteria moderantes, proprio durante munere, annulum adhibere et in sacris functionibus celebrandis gestare baculum possint, qui doctoratus Armenii proprius est. Haec concedimus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima prima martii millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXIII.

Praestantissimos viros Ludovicum Altierium archiepiscopum Ephesinum, Viennae Austriae nuntium apostolicum, Fabium Mariam Asquinium patriarcham Constantinopolitanum, Franciscum Capaccinium camerae apostolicae auditorem generalem presbyteros cardinales, et Iosephum Zacchia gubernatorem Urbis diac. cardinalem evulgat, et alios quatuor in pectore reservat [1].

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE VIGESIMA PRIMA APRILIS
MILLESIMO OCTINGENTESIMO QUADRAGESIMO QUINTO.

Venerabiles fratres,

In curam Nos incumbere, ut quam maxime fieri potest, ad plenum accedat numerum coetus praecipuorum adiutorum Nostrorum in opus commissi humilitati Nostrae gravissimi in Ecclesia ministerii, vel ex ipso frequenti conspectu vestro satis patere, valde quidem in Domino gaudemus. At illud potissimum laetamur, ac praesenti Ecclesiae suae Christo Iesu cum omni gratiarum actione referimus acceptum, quod tam multi per Nos in gradum istum honoris evecti conspiciantur, qui sanctae huius Sedis adeoque Ecclesiae universae votis et expectationi, pietate, zelo religionis, sapientia, consilio, gravitate respondeant.

Eiusdem freti Dei misericordia, quem supplices rogamus, vosque Nobis cum enixe rogare non dubitamus, item fore confidimus, ut de cooptandis in ordinem vestrum novis aliquot fratribus hodierno die cogitantibus Nobis adesse praesenti ope dignetur, quo huiusmodi illi quoque futuri sint, in quibus in eandem S. Sedem promerito digne remunerata, ipsiusque Sedis et totius catholicae Ecclesiae decori atque utilitatibus bene consultum iure videatur. Sunt igitur, venerabiles fratres, quos intendimus in collegium vestrum adsciscere, Ludovicus Altierius archiepiscopus Ephesinus, Viennae Austriae nuntius apostolicus, Leoni duodecimo ac Pio octavo praedecessoribus Nostris cubicularii secreti fungens officio acceptissimus, item et Nobis eodem assistens munere probatissimus, quem, cum se ingenio, moribus, cognitione rerum, pietate, omnisque ecclesiasticae virtutis laude maioribus rebus aptiorem in dies magis praeberet, primo congregationi Studiorum dedimus secretarium, deinde archiepiscopali auctum dignitate nuntium ad carissimum in Christo filium Nostrum Austriae imperatorem, Hungariae regem apostolicum, et Bohemiae regem illustrem, destinavimus, certo sperantes, quod reipsa, Deo iuvante, contigit, in re tanti momenti eius opera utrique parti planissime satisfactum iri. Hunc in consistorio secreto habito die decimo quarto mensis decembris anno millesimo octingentesimo quadragesimo cardinalem creavimus et in pectore reservavimus.

Fabius Maria Asquinius canonicus Vaticanus, patriarcha Constantinopolitanus, secretarius congregationis negotiis procurandis Episcoporum ac Regularium praepositae, vir spectata probitate ac fide personae Nostrae observantissimus, ac Sanctae Sedi insigni studio deditus devotae voluntatis, qua praesertim difficili tempore Ferrariae pro-legatus, Anconae delegatus, demum Neapoli nuncius apostolicus, quanto opere se probaverit, compertum habetis. Eum in consistorio secreto habito die vigesimo secundo ianuarii anni millesimi octingentesimi quadragesimi quarti item cardinalem creavimus et in pectore reservavimus.

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

Franciscus Capaccinius camerae Nostrae apostolicae auditor generalis, antea canonicus Lateranensis, qui cum S. Sedi inserviendo sub praedecessoribus Nostris Pio septimo, Leone duodecimo, et Pio octavo multum laborasset, cardinali secretario Status fuit a Nobis additus substitutus, eoque ipso retentus in munere, aliquandiu operam quoque impendit negotiis ecclesiasticis extraordinariis accurandis, factus a Nobis illius congregationis secretarius. Aliis praeterea tum Romae tum in exteris regionibus a Nobis impositis functus est muneribus, quorum postremum fuit commissa rerum Ecclesiae in Portugallia ordinandarum difficilis ac plena laboris procuratio. Quibus rebus insigni cum S. Sedis reique catholicae utilitate gestis cuiusmodi dederit acris solertisque ingenii agendi dexteritatis, et, quod caput est, integritatis, studiique religionis documenta longum esset, atque, utpote quod probe nostis, superfluum commemorare. Quem in consistorio habito die vigesimo secundo iulii anni millesimi octingentesimi quadragesimi quarti S. R. E. cardinalem creavimus et in pectore reservavimus.

Ioseph Zacchia, gubernator Urbis, iam vicarius cardinalis basilicae Liberianae archipresbyteri, quem praeclaris ornatum virtutibus, Nobis Sanctaeque Sedi fidelissime deditum, in plurium provinciarum procuratione delegata auctoritate egregie versatum, Rotae Romanae auditorem spectatissimum ob insignem solertemque vigilantiam, in primis ob integerrimam pari cum prudentia in avertendis coercendisque criminibus iustitiam, laudatissimis quibusque eius praecessoribus aequiparandum boni omnes rerum aestimatores consentiunt. Eundem in consistorio secreto habito die vigesimo secundo iulii anno millesimo octingentesimo quadragesimo quarto cardinalem creavimus et in pectore reservavimus.

Praeter autem hos quatuor memoratos cardinales ad maiorem omnipotentis Dei gloriam creamus alios quatuor cardinales quos tamen gravibus ex causis in pectore reservamus arbitrio Nostro quandocunque evulgandos.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, ss. apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, evulgamus tres S. R. E. presbyteros cardinales:

Ludovicum Altierium archiepiscopum Ephesinum

Fabium Mariam Asquinium patriarcham Constantinopolitanum

Franciscum Capaccinum auditorem generalem camerae apostolicae.

Unum vero diaconum cardinalem S. R. E. evulgamus:

Iosephum Zacchiam gubernatorem Urbis cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis.

Alios autem quatuor in pectore reservamus, arbitrio nostro quandocumque evulgandos.

In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

CCCXIV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Paroecia s. Michaelis Archangeli eiusque bona capitulo canonicorum oppidi Montis Georgii (Montegiorgio), dioecesis Firmanae, attribuuntur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater

salutem et apostolicam benedictionem.

Exponendum Nobis curarunt dilecti filii dignitates et canonici collegialis templi Montis Georgii, tuae ipsius Firmanae dioecesis, die decima secunda mensis novembris superiori anno presbyterum Aloysium Campili rectorem parochialis ecclesiae s. Michaelis Archangeli eiusdem oppidi supremum obiisse diem, atque ita illam paroeciam vacasse, cuius animarum numerus est circiter centum triginta, dictaeque paroeciae ecclesiam a commemorato collegiali templo parum distare. Cuius quidem templi collegiale capitulum, ut asseritur, duabus dignitatibus, quatuordecim canonicis et octo mansionariis constat. Cum autem capitularis mensa aere alieno sit pressa, atque, excepto canonico patronatus Passari, reliqui omnes adeo exiguis reditibus fruuntur, ut ex praebenda et distributionibus annuam scutatorum circiter triginta septem summam percipiant, tum enixis precibus a nobis efflagitarunt, ut commemoratam paroeciam s. Michaelis Archangeli extinguere et cuncta eius bona capitulari mensae attribuere velimus, ea tamen conditione, ut ipsi onera omnia praesertim missarum eidem paroeciae inhaerentia implere, ac singulas quasque sacras functiones quae in illa fieri solent peragere perpetuo teneantur. Ex tuo autem gravissimo testimonio accepimus, idem canonicorum collegium, in angustis rebus versari illius archipresbyterum libenter novum animarum onus suscipere itemque canonicum concuratum annuere, dummodo sibi suisque successoribus parochialis domus assignetur, idque ca-

1 Ex Cancellaria archiepiscopali Firmanae dioecesis.

pitulo acceptum probatumque fuisse, atque animarum saluti consuli posse, deputato alio sacerdote, qui adiutricem manum eidem archipresbytero et canonico concurato porrigat in pueris christiana doctrina erudiendis, in sacramentalibus confessionibus excipiendis, atque in morientibus omni spirituali subsidio iuvandis. Itaque cum propensam tuam voluntatem atque alia omnia, quae hac super re scire oportebat noverimus, de VV. FF. NN. S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum consilio eiusdem canonicorum collegii postulationibus annuendum censuimus.

Quamobrem omnes ac singulos quibus hae literae favent peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes ac absolutos fore censentes, hisce litteris, tibi, venerabilis frater, eas partes committimus, ut auctoritate Nostra apostolica, ex tuo tamen arbitrio et prudentia enunciatam paroeciam s. Michaelis Archangeli Montis Georgii, tuae Firmanae dioecesis, perpetuo supprimere eiusdemque bona commemoratae collegiatae ecclesiae attribuere, atque animarum curam cum archipresbyteratu ipsius collegiatae perpetuum in modum coniungere libere ac licite possis et valeas. Mandamus, vero ut ex vacantis paroeciae bonis quindecim scutata singulis annis detrahantur favore parochialis ecclesiae s. Nicolai eiusdem regionis, atque presbyter in auxilium archipresbyteri et canonici concurati, tuo ac tuorum successorum arbitrio eligatur: atque canonicorum collegium omnia et singula onera praesertim missarum suppressae paroeciae inhaerentia diligenter implere, atque sacras functiones, quae in illa fieri solebant, agere teneantur.

Haec concedimus, decernentes has praesentes litteras firmas, validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, iisque ad quos spectat et pro tempore spectabit, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales iudicari debere irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV praedecessoris Nostri, *super divisione materiarum,* nec non nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et sanctionibus, nec non eiusdem paroeciae et collegialis templi etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene ac sufficienter expressis deque verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris et praemissorum effectum, hac vice tantum specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda aprilis anno millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXV.

Ad Aloysium Iosephum archiep. Pragensem, Augustinum Bartholomaeum episc. Litomericen., Carolum Borromeo episc. Reginogradicen. et Ernestum Constantinum episc. Budvicensem scribens illorum pietatem commendat qua illi declaraverant ut Virgo Dei Genitrix absque originali labe concepta a fidelibus celebretur. Hinc significat iam permisisse, ut die eius Conceptioni sacra, tum in pontificio sacello, tum in aliis almae Urbis ecclesiis, in Missae praefatione, Beatissimae Virginis immaculata dicatur Conceptio atque in cleri Romani kalendario notetur [1].

Venerabilibus fratribus
Aloysio Iosepho archiep. Pragensi
Augustino Bartholomaeo episc. Litomericen.
Carolo Borromeo episc. Regino-gradicen.
Ernesto Constantino
episc. Budvicensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres
salutem et apostolicam benedictionem.

Summa quidem animi Nostri voluptate vestras accepimus litteras, die secunda proximi mensis februarii datas, atque intimo obsequii et reverentiae sensu conscriptas, quibus, venerabiles fratres, eximiam vestram ac totius Bohemiae regni in sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam pietatem testantes, nihil Vobis potius, nihilque optabilius esse declarastis, quam ut illa absque labe originali concepta ab omnibus colatur et celebretur. Haec pientissima vestra vota summopere in Domino commendamus, ac fraternitatibus vestris significamus, Nos pro summo erga Deiparam Virgi-

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

nem, omniumque nostrum amantissimam matrem venerationis atque amoris studio iam perlibenter permisisse, ut die eius Conceptioni sacra, tum in pontificio nostro sacello Nobis adstantibus, tum in aliis omnibus huius almae nostrae Urbis ecclesiis, in missae prefatione beatissimae Virginis, immaculata dicatur Conceptio, atque in cleri Romani kalendario notetur. Neque minori certe alacritate eorum omnium postulationibus continuo annuere solemus, qui eundem immaculatae Virginis Conceptioni cultum, vel in praefatione propriae de illius Conceptione missae vel in Marialibus Litaniis aliisque publicis precibus tribuere laetantur atque ex rescriptis Nostrae congregationis Sacrorum Rituum heic adiectis vel facile intelligitis, quam libentissime vestris desideriis obsecundavimus, quae eo potissimum spectent, ut in vestris dioecesibus haec devotio in dies augeatur atque amplificetur. Pergite porro ut facitis, venerabiles fratres, maiori usque studio fideles vestrae curae commissos ad pietatem erga sanctissimam Virginem excitare, inflammare, quam sequentes non deviant, qua rogante non desperant, qua protegente non metuunt. Nunquam autem desinite ipsam clementissimam gratiae et misericordiae matrem suppliciter exorare, ut potentissimo suo apud Filium patrocinio infirmitatem Nostram asperrimis hisce christianae reipublicae temporibus gravissima omnium ecclesiarum sollicitudine laborantem adiuvet atque sustentet. Iam vero coelestium omnium munerum auspicem, ac praecipue Nostrae in vos benevolentiae testem accipite apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde profectam, vobis ipsis, venerabiles fratres, atque universo vestro clero populoque fideli peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die vigesima tertia aprilis anno millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXVI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Confirmatur societas sub titulo s. Iosephi contra pravos libros instituta in dioec. Leodien. [1].

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Quum ex pastorali Nostro munere ad Ecclesiae universae bonum promovendum omnia Nostra consilia, curas laboresque intendamus, tum pias hominum sodalitates ad rem catholicam iuvandam ac tuendam institutas apostolicae Nostrae auctoritatis robore confirmandas ducimus, easque ex coelesti Ecclesiae thesauro spiritualibus gratiis cumulate ditamus. Itaque cum tu, venerabilis frater, Nobis exponendum curaveris, tibi in votis esse, ut ad avertendam longe lateque vagantem malorum librorum pestem, unde tantae fidei ac moribus pernicies existit, pia sodalitas, sive unio ex utriusque sexus fidelibus tua in dioecesi instituatur pro proelo catholico, quae titulo ac patrocinio gaudeat s. Iosephi sponsi beatissimae semper Virginis Mariae, eaque apostolica Nostra auctoritate confirmetur, atque adeo spiritualibus etiam gratiis atque indulgentiis per Nos cumuletur, piis huiusmodi votis aequo animo obsecundandum existimavimus.

Itaque omnes et singulos quibus hae litterae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes ac absolutos fore censentes, hisce litteris, memoratam piam societatem, pro proelo catholico, sub invocatione ac patrocinio s. Iosephi sponsi beatae Mariae Virginis tua in dioecesi instituendam auctoritate Nostra apostolica in perpetuum approbamus et confirmamus. Insuper, ut haec pia societas cum maiore animarum utilitate isthic erigatur, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui eo die quo dictae societati nomen dederint, firmiter proponant, omni opera atque auctoritate, si qua polleant, vel etiam hortatione, consilio atque aliquibus etiam pecuniae subsidiis, pro suo modulo, collatis, curare atque adniti, ut libri legitime approbati et quotidiana scripta, aliave in catholicae religionis, sanioris doctrinae bonorumque morum tutelam exarata legantur ac diffundantur, quique praeterea pro dicto opere proeli catholici in honorem sanctissimi et immaculati Cordis beatae Mariae Virginis singulis diebus Salutationem Angelicam recitaverint, adiecta tribus vicibus huiusmodi invocatione « s. Ioseph, ora pro nobis »; vel semel hac oratiuncula: « s. Ioseph, protector noster ora pro me et pro omnibus Belgii familiis, ut liberemur a lue malorum librorum et per sanam doctrinam in fide roborati, puram vitam degamus et ad patriam perveniamus caelestem, per Christum Dominum nostrum »; quique demum in singulis paroeciis ubi instituetur memorata societas, vel alibi, si fuerint impediti, singulis diebus dominicis post sacrum solemne, vel vespertinas laudes pro pii operis felici eventu, et pro conversione illorum qui

[1] Ex Cancellaria episcopali Leodiensi.

ex pravorum librorum lectione in perniciem trahuntur, decies Salutationem Angelicam cum Gloria Patri et alta voce una cum sacerdote recitaverint, addita tandem praedicta oratiuncula ad s. Iosephum, omnibus nimirum et singulis sociis qui praedicta omnia rite praestiterint vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, dummodo ante vel post sacram Synaxim decies Salutationem Angelicam cum Gloria Patri etc. et dicta invocatione s. Iosephi devote recitaverint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus per singulos sequentes dies, scilicet die, quo in societatem cooptentur, suaque proposita Deo offerant, vel die dominica sequenti, item quinque diebus festis B. M. V. cuiusque arbitrio per annum deligendis, in festis s. Iosephi societatis patroni, in festis ss. apostolorum Petri et Pauli et ss. Lamberti, Huberti, Servatii et Remacli, item semel unoquoque mense eo die quem socii delegerint, modo statutas preces singulis mensis diebus recitaverint, pariter plenariam peccatorum indulgentiam et remissionem dictis sociis in mortis articulo concedimus, modo sin minus ore, corde saltem sanctissimum Iesu nomen invocaverint, omnibus vero diebus dominicis, dummodo in ecclesia ubi societas erecta est, Salutationem Angelicam cum sacerdote decies, ut supra recitaverint, septem annos totidemque quadragenas de iniunctis eis, seu quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Denique quoties pro fine societatis assequendo bonum aliquod opus perfecerint, vel Litanias B. M. V. vel alias pias preces recitaverint, dies tercentum de iniunctis vel quomodolibet debitis poenitentiis ut supra relaxamus. Quas omnes indulgentias tum plenarias, tum partiales etiam animabus in purgatorio existentibus per modum suffragii applicari posse indulgemus.

Decernentes has litteras firmas et efficaces esse et fore, iisque ad quos spectat et spectabit quovis tempore suffragari, sicque per quoscumque iudices iudicari debere, irritumque quidquid secus contra haec contigerit attentari, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima quinta aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXVII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Novum erigit episcopatum in Australia occidentali cum sede in urbe Perth, eius territorium abstrahens ab archidioecesi Sydneyensi, cuius archiepiscopi suffraganeus sit novus episcopus Perthensis. Huic autem episcopo subiicit insuper districtus Essington et Sonde tamquam duos vicariatus apostolicos, ab ipso, donec erigantur in dioeceses, regendos [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Universo dominico gregi divinitus praepositi, id curare omni studio atque exequi debemus, quod ad tuendam vel promovendam illius incolumitatem pertinere videatur.

Iam vero, quum ad religionis catholicae bonum in Australia occidentali procurandum nobis necessarium esse compertum sit, ita in illa regione partiri ecclesiasticum regimen, ut episcopalis sollicitudinis cura Ecclesiae utilitatem ibi promoveat impensius, novam in civitate Perthensi episcopalem sedem erigere constituimus.

Itaque de consilio venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum, atque attenta etiam ratione, quod ven. frater Ioannes Polding archiepiscopus Sydneyensis iurisdictionem omnem dimittere paratus sit, quam hactenus in Australiam occidentalem exercuit, rebus omnibus mature perpensis, Motu Proprio ac certa scientia, deque apostolicae nostrae auctoritatis plenitudine, memoratam occidentalis Australiae partem, eiusque, qua late patet, territorium a Sydneyensis archiepiscopi iurisdictione subtractum in dioecesim proprie dictam erigimus, ac in civitate Perthensi episcopalem cathedram constituimus, sic ut episcopus novae dioecesis Perthensis appellari debeat, qui archiepiscopo Sydneyensi tamquam Metropolitano suffraganeus subsit.

Volumus autem et mandamus, ut districtus Essington cum toto territorio suo, ac districtus Sonde cum proprio territorio, eidem episcopo Perthensi subiecti tamquam duo vicariatus apostolici, ab eodem adhibita quoque opera provicarii, in principe uniuscuiusque districtus loco constituendi administrentur. Praecipimus denique, ut districtus isti ea ratione gubernentur, quoad iidem in duas distinctas dioeceses cum territoriis suis ab Apostolica Sede erigi potuerint, salvo semper iure praedictam novam dioe-

---

[1] Ex Iure Pont. de P. F.

cesim dismembrandi, et aliter illam circumscribendi, prout temporum ratio, ecclesiae bonum aliaque adiuncta postulaverint.

Haec volumus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die sexta maii millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXVIII.

Vincentii Odoardi archiepiscopi Viennensis, Gregorii Thomae episc. Lincensis et Antonii episc. S. Hippolyti vota maxime commendat quibus illi declaraverant ut Deipara Virgo Maria absque labe originali concepta a fidelibus suarum dioecesium colatur et celebretur [1].

Venerabilibus fratribus
Vincentio Odoardo archiepiscopo Viennensi
Gregorio Thomae episcopo Lincensi
Antonio episcopo s. Hippolyti

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres

salutem et apostolicam benedictionem.

Non mediocri quidem animi Nostri voluptate vestras accepimus litteras superiori mense datas, atque intimo obsequii et reverentiae sensu conscriptas, quibus ob singularem vestram erga SS. Dei Genitricem Virginem Mariam pietatem, nihil vobis optabilius esse declaratis, quam ut illa absque labe originali concepta ab istis fidelibus curae vestrae commissis colatur et celebretur. Haec pientissima vestra vota summopere in Domino commendamus ac fraternitatibus vestris significamus, Nos pro summo in Deiparam Virginem, omniumque nostrum amantissimam matrem venerationis atque amoris studio iam perlibenter permisisse, ut die eius Conceptioni sacro tum in pontificio Nostro sacello Nobis adstantibus, tum in aliis omnibus huius almae Nostrae Urbis ecclesiis, in missae praefatione, Beatissimae Virginis immaculata dicatur Conceptio, atque id in cleri Romani calendario notetur. Neque minori certe alacritate eorum omnium postulationibus continuo annuere solemus, qui eumdem immaculatae Virginis Conceptioni cultum, vel in praefatione propriae de illius Conceptione missae, vel in Marialibus Litaniis aliisque publicis precibus tribuere laetantur. Atque ex rescriptis Nostrae congregationis Sacrorum Rituum heic adiectis vel facile intelligetis quam libentissime vestris desideriis obsecundavimus quae eo potissimum spectant, ut in vestris dioecesibus haec devotio in dies augeatur, atque intemeratae Dei Matris honor et gloria amplificetur. Pergite porro, ut facitis, venerabiles fratres, maiori usque studio fideles vobis concreditos ad pietatem erga sanctissimam Virginem excitare, inflammare, quam sequentes non deviant, qua rogante non desperant, qua protegente non metuunt. Nunquam vero desinite ipsam clementissimam gratiae et misericordiae matrem suppliciter exorare, ut potentissimo suo apud Filium patrocinio, infirmitatem Nostram asperrimis hisce temporibus, gravissima omnium eclesiarum sollicitudine laborantem adiuvet atque sustentet. Iam vero coelestium omnium munerum auspicem, ac praecipue Nostrae in vos benevolentiae testem accipite apostolicam benedictionem, quam ex imo corde depromptam, vobis ipsis, venerabiles fratres, atque universo vestro clero populoque fideli peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die septima maii millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXIX.

INDULTUM

Fit concessio indumentorum insignium favore canonicorum collegialis ecclesiae oppidi Monte Prandone, Ripanae dioecesis [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex more institutoque Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum sacris addictos viros peculiaribus honoris insignibus decoramus, qui divina officia religiose graviterque obeuntes ad exquisitam pietatis laudem christifidelium animos incendunt.

Iam vero quum Nobis exploratum sit, quanto religionis ac pietatis sensu sacri ministerii partes expleant canonici collegiati capituli oppidi Montis Prandone, in dioecesi Ripan., et quanto fidei ac devotionis studio erga Nos atque hanc principem beati Petri Sedem inflammentur, in id consilii venimus, ut ipsos aliquo dignitatis ornamento augeamus.

Itaque omnes et singulos quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, sus-

---

1 Ex Archivio Brevium ad Principes.
2 Ex Archivio collegialis ecclesiae oppidi Monte Prandone, Ripanae dioecesis.

pensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes ac absolutos fore censentes, tenore praesentium, auctoritate Nostra apostolica, canonicis collegiati capituli eiusdem oppidi Montis Prandone, eam facultatem perpetuo valituram impertimur, ut eorum singuli, qui in praesens sunt, quique in posterum futuri, collare violacei coloris et flocco eiusdem coloris ad galerum uti libere ac licite possint et valeant. Porro persuasum Nobis est, eos hoc honoris insigne auctos, maiori studio curaturos, ut virtutibus, quae potiora animi ornamenta sunt, in Ecclesiae decus inclarescant.

Haec concedimus et indulgemus, decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, eisque ad quos spectat atque in futurum spectabit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non legis fundationis memorati capituli, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die nona maii millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXX.

EPISTOLA

Indulgentias iis concedit, qui pro viribus curant, ut pauperes concubinarii, prava ac miseranda peccandi consuetudine abiecta, legitimo matrimonii vinculo coniungantur [1].

Venerabili fratri
Francisco episcopo Brugensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Libentissime fraternitatis tuae accepimus literas, quibus significasti aliquos in ista Brugensi dioecesi homines, sub patrocinio s. Francisci Regis pium suscepisse consilium pro viribus curandi, ut pauperes concubinarii inibi degentes, prava ac miseranda peccandi consuetudine abiecta, legitimo, per matrimonii sacramentum, vinculo coniungantur. Et quoniam summopere exoptas, ut opus tam salutare magis in dies vigeat ac floreat, idcirco a Nobis efflagitasti, ut illud iisdem sacris indulgentiis ditare velimus, quas eiusmodi Mechliniensis dioecesis operi concessimus. Nos quidem, venerabilis frater, quibus nihil potius, nil gratius esse potest, quam ut errantes in viam salutis deducantur, tuis desideriis alacri libentique animo annuendum censuimus. Itaque rem ipsam tibi, qui singulari studio in tui gregis bonum procurandum incumbis, committimus ac propterea facultatem tibi delegamus, ut nomine et auctoritate Nostra eas indulgentias, quas ex tuis postulationibus hic recensemus, concedere possis, eousque duraturas, donec a te vel tuis successoribus non fuerint revocatae, in illum prorsus modum, quem magis in Domino expedire duxeris. Indulgentiae autem a te concedendae fidelibus utriusque sexus, qui praedicto operi se hactenus adscripserunt vel in posterum adscribentur, sunt quae sequuntur: Indulgentia plenaria quotannis lucranda die decima sexta mensis iunii, quo festum s. Francisci Regis eiusdem operis patroni celebratur, si rite sacramentali confessione expiati et sacra communione refecti, suppliciter Deum oraverint pro catholicae Ecclesiae necessitatibus atque ipsius pii operis incremento. Plenaria item in mortis articulo, si duobus iisdem sacramentis muniti, vel quando id facere nequiverint, saltem contritione dolentes, sanctissimum Iesu nomen ore, aut si ore non possint, corde religiose invocaverint. Indulgentia vero decem annorum singulis vicibus lucranda quoties insimul convenerint ad res pertractandas, quae ad ipsum pertinent opus, atque orationem recitaverint, quae legitur in missa propria. Alia quoque decem annorum indulgentia quoties eosdem concubinarios ad deserendam peccati viam induxerint, eosque sanctissimae Nostrae religionis praecepta docuerint, atque ad matrimonii sacramentum suscipiendum praeparaverint. Alia pariter decem annorum cum praesentes adstiterint dum coram Ecclesia matrimonium ab illis contrahitur, qui antea in concubinatu vixerint, et alia demum decem similiter annorum, si concubinarios nondum baptizatos, vel eorum infantes de sacro fonte susceperint. Quas omnes indulgentias fidelibus defunctis, qui Deo in caritate coniuncti ex hac vita migrarunt, per modum suffragii applicare posse declarabis. Denique praecipuam, qua te prosequimur, benevolentiam iterum testamur et confirmamus, atque omnium caelestium munerum

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

auspicem apostolicam benedictionem toto cordis affectu, tibi ipsi, venerabilis frater, et gregi tuae curae commisso, peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die vigesima octava maii millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXXI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Sodalitas B. M. Virginis, Neapolis instituta, in archisodalitatem erigitur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Gratum sane Nobis et iucundum est pias hominum societates beneficentiae muneribus afficere, ut magis magisque omnipotentis Dei gloria amplificari et spiritualis animarum salus procurari possit.

Itaque exponendum Nobis curarunt fratres sodalitatis Mariae Sanctae a Rosario ad Pontem Magdalenae, Neapoli, pluribus ab hinc annis institutae, suis in votis esse eamdem archisodalitatis titulo donari. Nos vero gravissimo Neapolitanae curiae accepto testimonio, ex quo Nobis innotuit sodalitatem ipsam iis omnibus rebus esse praeditam atque ornatam, quae ad Dei cultum et animarum bonum procurandum vel maxime pertinent, sodalium votis perlibenter annuendum censuimus.

Quare omnes et singulos, quibus hae Nostrae literae favent, peculiari benevolentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, ecclesiasticis censuris, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, commemoratam sodalitatem a Deipara a Rosario dictam et ad Pontem Magdalenae, Neapoli, institutam, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, dummodo alia eiusdem nominis ac instituti eadem in civitate non extet erecta, archisodalitatis titulo perpetuum in modum decoramus. Quapropter illi singula quaeque iura, privilegia, honores et indulta, quovis nomine designanda, quibus aliae archisodalitates ex usu et consuetudine utuntur, fruuntur, vel uti ac frui possunt et poterunt, concedimus et indulgemus. Insuper eius moderatoribus, eadem auctoritate Nostra, in perpetuum facultatem facimus, cuius vi alia quaecumque sodalitia eiusdem nominis et instituti extra Urbem ipsamque Neapolim ubique erecta, in commemoratam archisodalitatem, servata tamen forma constitutionis fel. rec. Clementis VIII praedecessoris Nostri, editae, adsciscere seu aggregare libere et licite possint, atque cum illis omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones atque poenitentiarum relaxationes, quibus ipsa pollet, communicare.

Haec concedimus decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus apostolicis et quoties opus fuerit eius sodalitatis, etiam iuramento atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die tertia iunii millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXXII.

LITTERAE APOSTOLICAE

De promotione episcopi titularis et vicarii apostolici in locis missionum [2].

Dilecto filio

presbytero Ioanni Baptistae Boucho

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum, sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

[2] Ex eodem Archivio.

regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisionem ecclesiarum omnium nunc vacantium quaeque in posterum vacaturae, ordinationi et provisioni Nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquo, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Postmodum vero episcopali ecclesiae Ataliensi, quae sub archiepiscopo Damasceno in partibus infidelium existit, solatio pastoris destitutae, Nos ad eiusdem ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni Nos fecerunt certiores, provisionem celerem atque felicem, in qua nullus praeter Nos se potuit seu potest intromittere, reservatione ac decreto obsistentibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac fructuosam, cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, habuimus diligentem; denique ad te, qui ex legitimo matrimonio procreatus, et in aetate etiam legitima constitutus existis, cuius apud Nos de morum integritate, doctrina, prudentia et pietate, necnon christianae religionis et catholicae fidei zelo ac spiritualium providentia et temporalium circumspectione fide digna perhibentur testimonia, oculos mentis Nostrae direximus; quibus omnibus mature perpensis, te, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, eamdem episcopalem ecclesiam Ataliensem, de persona tua, Nobis et memoratis cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorumdem fratrum consilio, auctoritate apostolica, tenore praesentium providemus, teque illi in episcopum praeficimus atque pastorem; curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus ac temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod dirigente Domino actus tuos, praedicta ecclesia per tuae circumspectionis industriam et studium, utiliter ac prospere dirigatur et in spiritualibus ac temporalibus orthodoxa religio incrementa suscipiat.

Iugum igitur Domini, tuis impositum humeris, prompta devotione animi amplectens, curam et administrationem praedictas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut ecclesia praedicta gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, ac tu, praeter aeternae retributionis praemium, Nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam.

Praeterea tibi, ut ad ecclesiam praedictam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis, concedimus atque indulgemus. Insuper tibi, ut a quocumque malueris catholico antistite Nostrae S. Sedis gratiam et communionem habente, adscitis et in hoc ei adsistentibus duobus aliis episcopis, vel quatenus hi commode reperiri nequeant, duobus illorum loco presbyteris saecularibus, vel cuiuscumque ordinis, congregationis et instituti regularibus, similem praedictae S. Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere et licite possis et valeas; atque eidem antistiti, ut, receptis a te prius catholicae fidei professione, iuxta articulos pridem a S. Sede Nostra propositos, ac Nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento, praedictum munus tibi, auctoritate Nostra, impendere licite valeat, plenam hisce literis tribuimus facultatem. Volumus tamen atque praecipimus, ut nisi receptis a te prius per dictum antistitem iuramento ac professione fidei, ipse antistes consecrationis munus tibi impendere, tuque illud statuere praesumpseritis, idem antistes a pontificalis officii exercitio, ac tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso, non obstantibus apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima iunii millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXXIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Sodalitas Ssmi Nominis Iesu Oristani, in archisodalitatem erigitur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Exponendum Nobis curavere dilecti filii Raymundus Corrias curator, et magistri sodalitatis a Ssmo Nomine Iesu, dicta, Oristani institutae, se impensius optare, ad maiorem eiusdem sodalitatis dignitatem, ut eadem archisodalitatis titulo ac privilegiis donetur, cuius rei ergo apostolicam veniam a Nobis implorant. Nos igitur eamdem sodalitatem maiori splendore augere volentes, eorumdem piorum hominum votis annuendum censuimus.

---

1 Ex Archivio archiepiscopali Arborensi (Oristano).

Quare oratores aliosque, quibus hae Nostrae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes ac absolutos fore censentes, auctoritate Nostra apostolica, harum literarum vi, commemoratam sodalitatem, Oristani institutam, archisodalitatis titulo perpetuo decoramus, eique omnia et singula iura, privilegia, praerogativas, indulta quavis voce designanda, quibus aliae archisodalitates ex usu et consuetudine utuntur, fruuntur, vel uti ac frui possunt et poterunt, concedimus et indulgemus. Insuper eiusdem societatis ad archisodalitatis honorem evectae officialibus, eadem apostolica auctoritate Nostra, perpetuum in modum facultatem facimus, ut alias quascumque sodalitates eiusdem nominis et instituti extra Urbem ubique erectas, praedictae archisodalitati, servata tamen forma constitutionis fel. rec. Clementis VIII. praedecessoris Nostri editae, aggregare seu adscribere libere ac licite possint, atque cum illis omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, quibus ipsa pollet, communicare.

Haec concedimus decernentes has Nostras literas firmas, validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales iudicari debere, irritumque et inane quidquid secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et sanctionibus, nec non eiusdem sodalitatis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima iunii anno millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXXIV.

INDULTUM

Quo fit concessio indumentorum insignium favore canonicorum ecclesiae collegiatae in oppido Corte [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex more institutoque Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum Ecclesiae ministerio addictos viros dignitatibus insignibus libenter decoramus, ut externis honoris ornamentis virtutum apparatum adiungentes, christifidelium animos ad verum et sincerum religionis cultum inflamment.

Iam vero, quum capitulum et canonici collegiati templi s. Iacobi oppidi cui nomen Corte, in dioecesi Ianuensi, Nobis supplicaverint, ut ad maiorem sacris ritibus maiestatem conciliandam, ex apostolica Nostra venia, rocchetum et palliolum, vulgo *cappino*, cum caputio nigri coloris interius serico rubro assuto, induere possint, Nos eiusmodi votis haud gravate annuendum existimavimus.

Itaque omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, ecclesiasticis censuris et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, auctoritate Nostra apostolica, eam facultatem perpetuo valituram concedimus, ut canonici omnes memorati templi collegialis, sub titulo s. Iacobi in oppido Corte nuncupato, in finibus dioecesis Ianuensis, tum qui in praesens existunt, tum qui in posterum futuri, in sacris ritibus peragendis, rocchetum induere supra talarem vestem, itemque palliolo, vulgo *cappino*, una cum caputio item nigri coloris, quibus in parte interiori sericum rubrum assutum sit, libere ac licite uti possint et valeant.

Haec concedimus et indulgemus non obstantibus apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus nec non legis fundationis dicti capituli, etiam iuramento atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima iunii millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

---

1 Ex Archivio Secretariae Brevium.

CCCXXV.

EPISTOLA

Ad archiepiscopos et episcopos Etruriae scribens, vehementer dolet quod multa adversus Ecclesiae iura sacraeque auctoritatis libertatem, cum bonorum scandalo, a saeculari potestate incessanter agantur. Maxime improbat decretum Leopoldi archiducis Austriae et Etruriae magni ducis, praedicationem Verbi Dei intra fines magni ducatus sacerdotibus exteris interdicens. Hinc praesules hortatur, ut imperialem ac regiam celsitudinem obtestentur, ut serio recogitet quam absonum alienumque sit a pietate catholici principis alligare verbum Dei in ditione sua et evangelicis praeconibus impedimenta interponere [1].

Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis per magnum Etruriae ducatum

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Inter gravissimas, quibus iam ab initio pontificatus Nostri continuo angimur, animi angustias, ob bellum quod vel palam et audacter ad perdendam, si fieri posset, catholicam religionem indictum lugemus, vel subdole eidem inferri undique moerentes conspicimus; Nos plurimum sollicitos habent, quae istic adversus Ecclesiae iura, sacraeque auctoritatis libertatem, multiplici obtentu, secularis potestatis nomine, cum bonorum scandalo, incessanter agantur. Scripsimus alias ea de re sive ad omnes vos, sive ad vestrum nonnullos, ac sperabamus equidem dilectissimum in Christo filium Nostrum Leopoldum archiducem Austriae magnum Etruriae ducem vestris, uti et Nostris aliis pluribus obtestationibus excitatum, ea porro consilia pro sua pietate suscepturum, quae consona omnino forent officio catholici principis; cuius sane est non modo nihil sibi auctoritatis assumere sacris in rebus, sed potius Ecclesiae antistites in libera earumdem ad tramites canonum procuratione tueri. Sed contra accidit, venerabiles fratres, nam praeter alia quae in detrimentum sacrae auctoritatis statuta istic recens, seu ex praecedentibus et ex parte etiam obsoletis ordinationibus repetita, iterumque inculcata comperimus, venerunt proxime in manus Nostras encyclicae literae mandato principis a secretario qui dicitur regii iuris die decima quinta martii huius anni ad vos omnes datae, quarum quidem argumentum est eiusmodi, ut vobis iam, Nobisque ipsis ab interioribus super violato Ecclesiae iure expostulationibus abstinere non liceat.

Agitur scilicet in encyclicis illis de praedicatione verbi Dei, intra fines magni ducatus, severe adeo sacerdotibus exteris interdicta, ut vobis vetitum omnino sit ad tantum et tam sacrum ministerium eos advocare. Quod, quam Ecclesiae iuribus ac libertati in evangelizandis populis repugnet, nemo non videt. Hinc enim fit, (et sane mirum!) quod dum aliis in rebus, in iis etiam quae ad fidem labefactandam, vel utcumque ad catholicam subsannandam religionem ex omni parte evulgantur, mutua nationum omnium ac societatum aucta communicatio est, ab hac interim libera communicatione in magno ducatu excludantur evangelici praecones christianaeque moralis instructores alterius cuiuscumque dominii, ac vestro proinde pastorali zelo vestraeque auctoritati nova et iniuriosa efferantur impedimenta, quominus ad vobis concreditarum ovium salutem uti eorum opera valeatis.

Verum enimvero probe nostis, ven. fratres, nec ignorant fideles, in sacris iuribus, quibus ex institutione Christi Ecclesiae antistites potiuntur, praecipuum esse munus evangelicae praedicationis [2], qua infideles, Domino cooperante, invitantur ad Christi ovile, atque ad sacramentum fidei disponantur, fideles in fide ipsa nutriuntur, utrique vero docentur Dei mandata, atque ad ea implenda excitantur. Itaque Christus Dominus nedum declaravit testimoniis pluribus plenitudinem supremamque vim totius collatae in Petrum et ceteris apostolis [3] sacrae potestatis; sed idem illud, quod in apostolica legatione praecipuum est, doctrinae ac mandatorum suorum praedicandorum ius peculiari oratione commendatum voluit. Ait enim: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos..... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* [4]. Iamvero quemadmodum magnam principi inferret iniuriam quisquis in civili re potestatem cohibere tentaret suis administris a principe tributam; ita contra divinam ipsam Christi auctoritatem facere non est dubium si

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

[2] Tridentinus sess. V, c. 2, de Ref. et sess. XXIV, cap. 4, de Ref. Vide Ep. I. ad Corinth. I. 17.

[3] Matth. XVI, 19; XVIII, 18; Luc. XXII, 32; Ioan. XX, 21–23; XXI 15, 16, 17. – Et vide quae in id notant inter alios Cyprianus L. de Unitate Ecclesiae vers. *Loquitur Dominus ad Petrum.* – Chrysostomus I. 8. opp. Maurinae Edit. Hom. 86 in Ioann. n. 3 et seqq. – Leo magnus serm. IV, cap. 2 et 3 I. I iuxta edit. Ballerin.

[4] Matth. XVIII, 18, 19, 20.

quis qualicumque in re, multo autem magis si praecipuis in iuribus, arctare velit potestatem Ecclesiae datam a Christo, qui *Dominus dominorum est et Rex regum* [1].

Quod autem nominatim ad praedicatores extraneos attinet, apostoli certe fuere tales in cunctis extra Iudaeam nationibus, et omni postmodum subsequenti tempore propagatio verae fidei facta est pariter, hodieque fit exterorum potissimum sacerdotum opera; eorumque labores inter catholicas etiam gentes perutiles fuerunt ac sunt. Una porro est vinea Domini Sabaoth, unus evangelicus campus, totam amplectens Ecclesiam, non regnorum ac nationum limitibus circumscriptus atque coarctatus, qui idcirco omnibus patere debet evangelicis operariis, quos erudiendis in fide populis, flagitiosisque hominibus ad poenitentiam revocandis idoneos noverint Ecclesiae pastores, atque ad excolendam vineam advocare et mittere in Domino iudicaverint. Neque per totum propagata esset orbem et plurimum detrimenti caperet christiana religio, si verbi Dei praecones intra limites suae quisque gentis continere se debuissent ac deberent.

Ad haec profecto non intendit animum religiosus iste magnus dux; sed vestrum est, venerabiles fratres, imperialem ac regiam celsitudinem suam, tum Nostro, tum vestro nomine, obtestari, ut serio recogitet, quam absonum sit alienumque a pietate catholici principis alligare quodammodo in ditione sua verbum Dei, et impedimenta interponere sacris pastoribus, ne auctoritate sua in animarum salutem libere fungantur.

Ceterum ne quis reclamationes ipsas vestras calumniari possit, quasi debito erga principem obsequio non consentaneas, enixe vobis commendatum volumus, ea semper cautione agere, ut celsissimus idem princeps intelligat, in rebus quidem quae civilis sunt ordinis, nihil unicuique vestrum antiquius esse, quam revereri supremam eius potestatem, christianoque gregi omni ope inculcare, ne ullo unquam obtentu sese abalienari sinat a fidelitate et obedientia, qua regiae suae celsitudini obstringitur *non solum propter iram sed etiam propter conscientiam* [2]; verum in religionis rebus vestri omnino muneris esse inhaerere maiorum vestigiis [3] et libertatem sacrae potestatis, Ecclesiaeque iura iuxta Dei ordinationem atque ad tramites sacrorum canonum sarta et intemerata servare [4].

Interea non desistamus, venerabiles fratres, omnipotenti Deo, in cuius manu corda sunt regum, supplices offerre orationes et obsecrationes, ut propitius respiciat in causam Ecclesiae suae, ac Nostra vestraque in eius defensionem studia ad optatum exitum perducat. Denique Nostrae in vos praecipuae benevolentiae testem accipite apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde depromptam, vobis, venerabiles fratres, creditisque fidei vestrae ovibus, peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die vigesima octava iunii millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXXVI.

EPISTOLA

Duos ex moderatoribus seminarii Parisiensis missionum ad exteros impense laudat, et, commemoratis laboribus in missionibus ab alumnis eiusdem instituti exantlatis, corpus b. martyris Phosphori eidem seminario donat propediem mittendum [5].

Dilectis filiis
Carolo Langlois et Antonio Dubois
seminarii Parisiensis missionum
ad exteros

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecti filii,

salutem et apostolicam benedictionem.

Licet indubia propensae voluntatis Nostrae testimonia, quibus missionum Sinensium et Indiarum antistites operariosque evangelicos, istius de Ecclesia Dei summopere meriti seminarii alumnos, prosequuti identidem sumus, ad eiusdem quoque seminarii moderatores referenda iure optimo sint, peculiarem tamen vobis, dilecti filii, pergrati animi nostri significationem deesse noluimus: quod sane per hanc a venerabili fratre Columbicensi episcopo tradendam epistolam perficere libentissime properamus. Equidem Nos non latet, quantam virtutem prae se ferunt quantamque mereantur laudem singuli ecclesiastici viri praeclaro isti instituto praepositi, quo fit, ut unumquemque eorum pari be-

---

1 Apoc. XVIII, 14.
2 Ad Rom. XIII, 5.
3 Osius Cordubensis Epist. ad Const. apud S. Athanasium, et Athanasius ipse in Historia Arianorum ad Monachos n. 441 (I. 1 Opp. Patavinae Edit.) Gregorius Nazianzenus orat. (I. 1 pag. 271 edit. Morelli). Concilium Chalcedonense in act. de Photio et Eustatio (I. 4 concil. edit. Labbaeo – Venetae col. 1433 seqq.) can. 3, distinct. 10 et can. 10, distinct. 96, ex Epistolis Felicis III ad Zenonem et Gelasii ad Anastasium (I. 5 conc. cit. edit. col. 178 et 308) et alii plurimi.
4 Vide Tridentinum sess. 25, cap. 20, de Reform.
5 Ex Iure Pontificio de P. F.

nevolentia et caritate complectamur. At vos, qui post diuturnos impensosque exantlatos, alter in Tunquini regno, alter in ora Coromandelica, apostolici muneris labores, tandiu sedulam studiosamque prae aliis illius curam geritis, singulari commendatione dignos plane censuimus. Novimus enim quae et quanta pro nomine Iesu et animarum salute in excolenda quisque sibi credita dominicae vineae parte perpessi estis, et qua iamdiu sollicitudine in operariis ad sacrum ministerium rite obeundum informandis adlaboretis, ita ut non minus aetate quam studio ac vigilantia regiminis ceteros moderatores praecedatis. Huiusce sollicitudinis ac vigilantiae vestrae testes, in primis habemus tot inclytos verbi Dei praecones et invictae fortitudinis heroes, qui sanguine etiam suo Sinenses ecclesias ad haec usque tempora foecundare ac fidem obsignare non detrectarunt: nec non ceteros probatissimos antistites atque operarios, quorum nunc auctum numerum gratulamur, et quorum opera optimisque cleri, praesertim indigenae, institutionibus res catholica in memoratis regionibus in dies magis magisque firmatur ac floret. Meminisse insuper iuvat vestram erga Apostolicam hanc Sedem Nostram de Propaganda Fide congregationem omnimodam constantemque observantiam, quam seminarii istius alumnos inter alias egregias dotes iugiter fovisse ac praetulisse exploratum est. Non possumus hinc, dilecti filii, quin praecipua paternae Nostrae benevolentiae significatione vos honestemus, cuius ut in posterum quoque memoria perseveret, munus pietati vestrae consonum pro seminarii sacello addere voluimus, corpus nempe b. martyris Phosphori, proprii nominis e vetusto Urbis coemeterio nuper effossum, quod mittendum brevi curabimus. Post haec vero, totius boni auspicem et caritatis Nostrae pignus, apostolicam benedictionem cum reliquis praedicti seminarii moderatoribus communicandam vobis amanter impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die sexta iulii millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXXVII.

EPISTOLA

Ad Claudium Hippolytum Episcopum Carnotensem scribens illi praecipit, ut decernat ac animadvertat quae curanda et providenda sunt in Instituto Sororum a Sacratissimis Cordibus Iesu et Mariae [1].

Venerabili fratri
Claudio Hippolyto
episcopo Carnotensi
Carnotum

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Grave admodum extitit Nobis quod nuper accepimus, urgeri iterum sorores a Sacratissimis Cordibus Iesu et Mariae nuncupatas ad propositas constitutionum immutationes admittendas, licet pro paterna Nostra erga lectissimum illum sacrarum virginum coetum sollicitudine, quieti earumdem prospicientes, nihil in praesens de ipsis esse immutandum decreverimus. In id quippe omnino contendit, venerabilis frater, Petrus Dominicus archiepiscopus Chalcedonensium summus illius congregationis moderator, tum literis ad Galliarum antistites datis, in quorum dioecesibus extant illarum collegia, ut episcopali eorumdem visitatione instituta, suasores ipsis et auctores sint ad immutationes illas a Sancta Sede postulandas, tum iniecta per confessarios suo iussu comminatione interdictum iri sacramentis sorores, quae huic superioris voluntati non obsequantur. Perdolenda profecto haec sunt, venerabilis frater, et quae silentio dissimulare commissi Nobis summi apostolatus ratio sinit, Nostri proinde moeroris participem fidenter te volumus, quem novimus pro singulari tua in Apostolicam Sedem veneratione et fide, memoratos actus aperte improbasse. Dum itaque Nostrae erga fraternitatem tuam ob praeclarum hoc factum benevolentiae testes has literas commendationis mittimus, id insuper ab ea, qua praestas prudentia, atque ab incenso in ecclesiasticae rei utilitatis studio, alacres exquirimus, ut conceptam inde a Nobis tristitiam archiepiscopo Chalcedonensium fraterna caritate patefaciens, ipsum pro ordinis coniunctione et pro ea, qua vales gratia, e proposito dimovere adnitaris, ut revocatis, quas in id causae edidit praescriptionibus, ac praesertim omni plane adempto vinculo, quo conscientiarum tranquillitas in discrimen feratur, ea, qua par est, docilitate, decreto per Nos lato,

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

omnino acquiescat. Ea certe Nobis est de tua religione, doctrina ac rerum gerendarum peritia, opinio, ut dante Deo, voci tuae vocem virtutis optatos exitus communia haec vota nactura esse confidamus. Quod sane eo etiam impensius curandum esse, tu ipse animadvertes quem haud fugit, quaenam pertimescenda sint, nisi omni offensionum germine praefocando, prompte occurratur. Hoc profecto timoris sensu cognovimus de transmisso nuper ad generalem sororum moderatricem per venerab. fr. archiepiscopum Parisiensem mandato, quo cum non de Parisiensi domo dumtaxat, sed et de aliis per Gallias earumdem collegiis nonnulla praescribantur, est quidem cur de perturbato exinde tranquillo sororum statu valde metuendum sit. Ceterum permolestum hoc negotium feliciter uti bonis omnibus in optatis est finiendum circumspectioni tuae, optima spe freti committimus, idque abs te solatii tot inter curas laeti Nobis pollicemur. Habes quidem, ven. frater, quo operam tuam pro electa dominici gregis portione apprime dependas; habes hoc ipso tibi delato munere singularis Nostrae fiduciae et affectionis monumentum; habeas et caelestis a Patre luminum praesidii auspicem apostolicam benedictionem, quam tibi, venerabilis frater, et ovibus tuae curae concreditis, peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima sexta iulii millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXXVIII.

INDULTUM

Quo fit concessio indumentorum insignium favore canonicorum collegialis ecclesiae oppidi Savignano, Ariminensis dioecesis [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Gratum sane Nobis et iucundum est honorum insignibus decorare, et pontificiae beneficentiae testimoniis eos praesertim ecclesiasticos viros prosequi, qui in vinea Domini alacri animo adlaborantes, virtutum omnium ornatu summopere commendantur.

Itaque quum ex gravissimo Ariminensis antistitis testimonio acceperimus canonicorum collegium oppidi, vulgo Savignano, Ariminensis dioecesis, duabus dignitatibus, archipresbytero nempe et archidiacono, septemque praebendatis canonicis constare, qui religionis studio flagrantes, integritate vitae, gravitate morum, doctrinae laude fulgentes, in Dei cultum augendum, et in animarum sempiternam salutem procurandam pro viribus incumbunt, hinc id consilii capimus, ut aliquod propensae voluntatis Nostrae erga praefatum canonicorum collegium perenne testimonium exhiberemus.

Itaque peculiari beneficentia omnes et singulos, quibus hae Nostrae literae favent, prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, perpetuum in modum concedimus et indulgemus, ut praeter alia honorum insignia, quibus honestantur duo eiusdem collegii dignitates, nempe archipresbyter et archidiaconus, collari et flocco in pileo violacei coloris, aliique canonici praebendati, collari et taenia serica in pileo item violacei coloris libere et licite uti possint et valeant.

Haec concedimus et indulgemus decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque dignitatibus et canonicis plenissime suffragari.

Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non eiusdem canonicorum collegii, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta iulii millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXXIX.

INDULTUM

Quo canonicis cathedralis Ecclesiae S. Miniati nonnulla honorum insignia conceduntur [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Gratum quidem Nobis et iucundum est honorum insignibus eos ecclesiasticos viros decorare, qui virtutum omnium ornatu fulgentes in Dei et templi, cuius clero addicti sunt, splendorem augendum, vehementer incumbunt.

---

1 Ex Cancellaria Episcopali Ariminensi.

2 Ex Cancellaria Episcopali s. Miniati.

Itaque quum ex gravi Miniatensis antistitis testimonio acceperimus, canonicos et beneficiarios cathedralis templi viros esse religionis studio flagrantes, integritate, doctrina, prudentia commendatos, egregiisque animi ingeniique dotibus praeditos, idcirco aliquod erga eos pontificiae beneficentiae testimonium exhibendum censuimus.

Peculiari ergo honore omnes et singulos, quibus hae literae favent, afficere volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, auctoritate Nostra apostolica, harum vi, perpetuum in modum concedimus et indulgemus, ut Miniatensis cathedralis templi canonicos super rochetum superpelliceo et cappa (uti vocant) violacei coloris cum armellino, beneficiarii vero et portionarii, quocumque nomine dicantur, (qui tamen eiusdem templi clero addicti sunt) roccheto et mozzetta violacei tantum coloris in choro, in comitiis seu capitulo, in sacris supplicationibus aliisque omnibus eiusdem collegii canonicorum functionibus, libere et licite uti possint et valeant.

Haec concedimus et elargimur, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et quatenus opus sit eiusdem cathedralis templi et canonicorum collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima secunda augusti millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXXX.

INDULTUM

Fit concessio indumentorum magis insignium favore canonicorum collegiatae ecclesiae Ficiclensis, Miniatensis dioecesis [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Praestantes viros religionis studio, virtutum amore commendatos, Nobis et Apostolicae Sedi firmiter adhaerentes, pontificia beneficentia prosequi libenter solemus.

Itaque exponendum Nobis curarunt dilecti filii canonici collegialis templi Ficiclensis, dioecesis Miniatensis, se impense cupere, ad eiusdem templi decus et splendorem amplificandum, nonnullis honorum insignibus in sacris peragendis exornari, et proinde enixis precibus apostolicam veniam a Nobis implorant.

Nos igitur oratores peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, acceptoque Miniatensis episcopi testimonio, ex quo cognovimus, eosdem canonicos singulari pietate, probitate, prudentia spectatos, suscepti ministerii partes caste integreque obire, auctoritate Nostra apostolica, harum literarum vi, perpetuum in modum facultatem facimus, ut Ficiclensis capituli prima dignitas collaris violacei coloris ubicumque gestandi usum habere, et roccheto ac mozzeta rubri coloris circumducta, alba vitta, uti aiunt, ex armellino, utque alii canonici roccheto et mozzeta violacei coloris, rubris ornamentis fulgenti, et circumducta alba vitta ex armellino in choro, in comitiis seu capitulo, in sacris supplicationibus aliisque omnibus eiusdem collegii canonicorum functionibus libere et licite uti possint et valeant.

Haec concedimus et elargimur, decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

Non obstantibus apostolicis atque in universalibus ordinationibus, et, quatenus opus sit, eiusdem collegialis templi et canonicorum collegii etiam iuramento atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima secunda augusti millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXXXI.

INDULTUM

Fit concessio indumentorum magis insignium favore canonicorum oppidi S. Crucis, Miniatensis dioecesis [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum exempla sectantes, Ecclesiae ministerio addictis viris honoris insignia aequo animo deferimus, qui sacris ritibus modeste, graviter, accurate obeundis fidelium animos ad religionis cultum vehementius incendunt.

Iam vero quum capitulum et canonici collegialis templi S. Laurentii oppidi, cui nomen a S. Cruce, in dioecesi Miniatensi, sui muneris partibus recte atque in exemplum fungantur, Nos, ut eorum nomine supplicatum est, dignitatis ornamentis eos augere decrevimus.

Itaque omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, auctoritate Nostra apostolica, tenore praesentium, eam facultatem tribuimus perpetuo valituram, cuius ope, prima dignitas memorati collegialis capituli rocchetum et palliolum seu mozzetam rubri coloris oris extremis alba vitta ex armellino ornatam in sacris functionibus, collare vero violacei coloris ubicumque gestare libere possit; canonici autem praeter rocchetum, palliolum, seu mozzetam violacei coloris, rubris ornamentis fulgentem et alba vitta ex armellino circumductam induere libere ac licite possint et valeant. Ceterum dent operam memorati capituli canonici, ut externis honoris insignibus virtutum ornamenta coniungant, qui Deo placere suumque munus cumulatius explere possint in divini nominis gloriam et fidelium utilitatem.

Haec concedimus decernentes has literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab eis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus apostolicis constitutionibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus nec non legis fundationis memorati capituli etiam iuramento atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima secunda augusti millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXXXII.

INDULTUM

Quo canonicis collegiatae ecclesiae S. Petri oppidi Castri Franci, dioecesis Miniatensis, fit concessio indumentorum magis insignium [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ecclesiae ministerio addictos viros, qui templo Dei assidentes, divinas laudes canunt et sacris ritibus celebrandis eximia praebent fidelibus religionis ac pietatis exempla, novis honoris insignibus libenti animo honestamus.

Itaque quum capitulum et canonici collegiati templi S. Petri in oppido Castri Franci, dioecesis Miniatensis, Nobis supplicaverint, ut ad augendum divini cultus splendorem, ex apostolica Nostra venia, novis dignitatis insignibus uti possint, Nos ipsorum votis obsecundandum existimavimus.

Igitur omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, auctori-

---

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

[2] Ex eodem Archivio.

tate Nostra apostolica, tenore praesentium, eam facultatem perpetuo valituram concedimus, ut prima dignitas memorati capituli collegiati in sacris functionibus rocchetum et palliolum seu mozzetam rubri coloris in extremis oris alba vitta ex armellino ornatam, collare vero violacei coloris ubique gestare libere possit, canonici autem praeter rocchetum mozzetam violacei coloris rubris ornamentis fulgentem, itemque ex armellino in oris ornatam, in sacris obeundis induere libere ac licite possint et valeant. Porro certa spe nitimur fore, ut iidem canonici hoc novo aucti dignitatis ornamento, omni ope convenerint, ut virtutum eximiis exemplis fidelibus praeluceant.

Haec concedimus et indulgemus, decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus apostolicis constitutionibus atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non legis fundationis memorati capituli etiam iuramento atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima secunda augusti millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXXXIII.

LITTERAE APOSTOLICAE,

Confirmat institutum monachorum Chaldaeorum S. Hormisdae ordinis S. Antonii, ac monachis observandas proponit regulas pro Antonianis Maronitis, a Clemente XII approbatas, nonnullis tamen in illis mutationibus factis per s. congr. de Propaganda Fide patefaciendis [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Monachorum instituta, quae severioris vitae et christianarum exercitio virtutum peculiare catholicae ecclesiae ornamentum adiiciunt, apostolicae Nostrae auctoritatis robore libenter munimus.

Iam vero, quum monachi Chaldaei in conventu S. Hormisdae haud longe ab urbe Mosulensi in Mesopotamia degentes, Nobis humiliter supplicaverint, ut eorum institutum confirmare velimus, Nos de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio eorumdem votis adnuendum censuimus.

Igitur omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, memoratum monachorum Chaldaeorum institutum, titulo S. Hormisdae nuncupatum, ordinis tamen S. Antonii Abbatis, cui pariter regulas iam pro monachis Antonianis, nationis Maronitarum, per constitutionem fel. rec. Clementis XII praedecessoris Nostri, quae incipit *Misericordiarum Pater,* approbatas proponimus, nonnullis tamen adiectis modificationibus nationi et locis congruentibus iuxta instructionem per eamdem congregationem de Propaganda Fide tradendam, auctoritate Nostra apostolica, tenore praesentium, in perpetuum confirmamus et approbamus.

Decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die vigesima sexta septembris millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

---

[1] Ex Iure Pontificio de Propaganda Fide.

CONSTITUTIONES

MONACHORUM SYRORUM MARONITARUM ORDINIS S. ANTONII ABBATIS CONGREGATIONIS MONTIS LIBANI.

PARS PRIMA

Cap. I. — *De obedientia.*

1. Debet monachus abbatem suum Christi loco citra omnem disceptationem habere.
2. Eidemque in omnibus, peccato excepto, obedire.
3. Et illum honore et amore tum interno tum externo prosequi.
4. Nihilque eo inconsulto statuere.
5. Neque de illius circa fratres regimine subtiliter investigare.
6. Omnem propriam conversationem, seu bonam seu minus rectam, illi plane patefacere.
7. Nullas expositiones sive tractatus habere aut scribere, neque concionari aut docere, nisi ipso consulto atque annuente.
8. Nec epistolam mittere aut accipere, quam illi non antea exhibuerit.
9. Nec illo inconsulto, depositum aut pignus suscipere.
10. Neque mutuum quidpiam, dare aut accipere, neque eleemosynam erogare aut petere, nisi illo annuente; servatis tamen iuris solemnitatibus, et accepta a legitimo superiore facultate.

Cap. II. — *De castitate.*

1. Monachum oportet omnes sensus suos diligentissime cohibere.
2. Atque a feminarum etiam sibi affinium colloquio et consuetudine abstinere.
3. Omnes item omnino feminas ab ingressu sui monasterii prohibere.
4. Neque cum puero simul habitare; si quos tamen docere contigerit, extra monasterii claustra docendi erunt.
5. Omnes denique occasiones castitati noxias amputare atque amovere.

Cap. III. — *De paupertate.*

1. Monachum convenit nihil omnino proprium possidere.
2. Neque aliquid omnino sibi quasi proprium usurpare.
3. Neque suo cordi aut corpori iungere quidpiam ex bonis parentum aut consanguineorum; necessitate autem cogente, sibi id praestari intelligat, non consanguinitatis iure, sed non secus atque ceteris externis.

Cap. IV. — *De humilitate.*

1. Monachum decet primatum nusquam appetere, sed contra, aliis ubique cedere, atque novissimum locum tenere.
2. Omnes actus et mores suos externos ad abiectionem et humilitatem componere, et fratribus ubique deferre.
3. Fratrem item praevenire verbo: *Parce mihi,* si rei, quae agitur, natura istud exigat.

Cap. V. — *De fraterna charitate.*

1. Monachum oportet quamdiligentissime ea omnia procurare, quae ad communem concordiam et pacem cum reliquis fratribus conducere intellexerit.
2. Debet itaque reverentiam, urbanitatem comitatemque verbo et opere exhibere fratribus, non modo superioribus, sed etiam aequalibus atque inferioribus, et praecipue illis qui sibi ista praestare detrectant.
3. Caveat item accuratissime, ne quempiam condemnet aut vituperet, neve sibi verbum gestusve excidat, ex quo audientibus moestitia aut suspicio quaevis oriatur.
4. Satagat praeterea cor habere mundum a quavis appetitione superioris sortis, ne inde livor et invidia subrepat, vitium maxime detestatum et charitati exitiale.

Cap. VI. — *De patientia.*

1. Monachus debet verbo et opere se ad patientiam comparare perfectae mortificationis studio.
2. Suborta autem tentatione, aestu iracundiae agitari perturbarive se non sinat, sed longanimitate et silentio omnem sedare perturbationem studeat.
3. Tentationibus atque difficultatibus pressus, ubique Deo gratias agere assuescat.

Cap. VII. — *De habitu monachorum.*

1. Monachus debet habitum nigrum habere.
2. Superiorem vestem laneam, interiorem vero lineam aut bombicinam adhibeat.
3. Zona nigra stricta se cingat; tyrones vero fune ex pilis caprarum contexta.
4. Zonam non solvat, nec monasticum cucullum deponat, aut aliam vestem, cubiturus, nisi quae zonae subesse non solet.
5. In habitu, calceamentis, lecto et stragulis paupertas servetur.

Cap. VIII. — *De mora in cella.*

1. Monachus sine causa cellam deserere non debet.

2. Neque secum in illa habitare quempiam permittere.

3. Neque fratris cellam citra ipsius annutum ingredi.

4. Si quempiam ad eum venire contigerit, illo in cella praesente ianua pateat, neque occludatur, donec ille abierit.

5. Monachi cella ita clausa maneat, ut communi, qua reliquae fratrum cellae, clave reserari valeat.

6. Cellae munditiem et ordinem curet.

Cap. IX. — *De iter agentibus.*

1. Monachus non debet sine socio extra claustra abire; quapropter ante suum e monasterio egressum, comitem ab abbate petat.

2. Nullum iter suscipiat, nisi de licentia abbatis.

3. De monasterio non exeat, nisi tempore ab abbate constituto.

4. Sine litteris abbatis sui, de altero in alterum monasterium non pergat.

5. Quodcumque monasterium intraverit, eius loci abbati usque ad suum inde discessum omnino pareat.

6. Neve equo aut quovis iumento, nisi abbate annuente, utatur.

7. Sique fieri potest, iumento contentus esto.

Cap. X. — *De mensa.*

1. Mensa monachi cibo obvio et parabili instruatur.

2. Bis in die dumtaxat cibum sumere, prandium scilicet et coenam, contentus sit; si quid amplius sumere necesse fuerit, abbatem consulat.

3. Carnibus abstineat, nec illis, nisi aegritudinis causa, vesci fas esto, idque de licentia abbatis.

4. Hominem saecularem ad mensam intra monasterii claustra non adhibeat.

5. Ad mensam sine abbatis licentia non sedeat supra seniorem.

6. Mensae assidens, neminem salutet.

7. Post refectionem fas esto tantisper animum relaxare, vel in solitario secessu, vel una cum fratribus.

Cap. XI. — *De opere manuum.*

1. Monachum oportet operi seu mentali seu corporali vacare, praesertim si firma corporis valetudine utitur.

2. Opus autem fratribus utile esto.

3. Illud vero, nisi de licentia abbatis, non capiat; sique res ipsa postulat, etiam officinae, in qua est operaturus, praefectum consulat, eiusque annutum petat.

Cap. XII. — *De silentio.*

1. Monachus debet silentium discrete observare.

2. Idque tribus praecipue temporibus; a completorio nimirum ad tertiam diei sequentis; praeterea in ecclesia atque ad mensam: et si quid dicendum fuerit; submissa voce dicatur.

Cap. XIII. — *De oratione mentali.*

1. Monachus mane et vespere orationi mentali ad semihoram vel horam vacabit: idque fiat vel post absolutas vocales preces, vel ante, ad abbatis nutum.

2. Oraturus, vel cum aliis fratribus in ecclesia conveniat, vel solus in cella maneat.

3. Huiusmodi autem orandi genus non suscipiant qui laboriosis ministeriis addicuntur, nisi de licentia abbatis.

Cap. XIV. — *De oratione vocali.*

1. Monachus septem orandi tempora observet iuxta monasterii consuetudinem: primum, vespertinum officium sub occasum; deinde, completorium ante cubitum; tertio, officium mediae noctis sub horam propriam; quarto, officium matutinum simul cum hora tertia; postremo, officium sextae simul et nonae.

2. Annectendae sunt completorio litaniae Deiparae, quibus succedit conscientiae examen ad octavam horae, quod etiam mane fieri debet post tertiam.

3. Feria quarta et sexta singuli in cellas suas secedant sub vesperam post-conscientiae examen; et psalmum quinquagesimum manibus in crucis figuram extensis recitent quinquies.

4. Poenitentiales genuflectiones, quas *Metaneas* vocamus, ad laudes singuli peragant.

Cap. XV. — *De confessione sacramentali.*

1. Monachus peccata sua sacerdoti ad confessiones excipiendas constituto confiteri debet; si autem alteri sacerdoti, abbatem consulat.

2. Idque semel quavis hebdomada saltem praestet.

3. Sub ingressum in religionem generali confessione peccata sua apud sacerdotem ab ordinario approbatum deponat; nec recipiatur, nisi exhibita attestatione, quod confessionem sacramentalem emiserit.

Cap. XVI. — *De sanctorum mysteriorum communione.*

1. Monachus debet opere et desiderio perpetuo paratum se praebere ad perceptionem sanctorum sacramentorum.

2. Eorumque communionem frequentare, eamque suscipere diebus dominicis et festis de praecepto.

3. Si qua in eadem hebdomada plura concurrant festa, propter sacramenti reverentiam, iuxta abbatis consilium, in quibusdam a communione abstineat.

4. Monachus vero sacerdos sacrum non omittat unquam, nisi causa ab abbate probata.

Cap. XVII. — *De modestia.*

1. Monachus e cella egressurus, proprium habitum induat, neque sine eo, a quopiam se conspici permittat.

2. Memineritque inclinare caput abbatibus et sacerdotibus senioribus, circumstantiis loci atque temporis id exigentibus, iuxta traditionem et ordinem atque morem fratrum.

3. Fratri manum omnino non admoveat, nisi salutationis causa peregre abeunti, aut de longinquo redeunti, et in causa aegritudinis necessitate cogente.

4. Abiturus, aut cellam subiturus, aut fores patefacturus, aut clausurus, aut pulsaturus, modestiae atque silentii memor esto.

5. Caritatem hilaritatemque cum timore Dei coniunctam, in familiari cum fratribus colloquio praeseferat.

6. In summa intelligat, in omnibus dictis factisque suis sibi modestiae gravitatisque leges esse servandas.

Cap. XVIII. — *De aegrotis.*

1. Monachus Deo gratias agere debet in statu aegritudinis magis quam in statu valetudinis, sciens se ad proprium profectum a Domino visitari.

2. Inconsulto abbate, corpus affligere aut vexare non debet.

3. Aegritudinem praesentiens, abbatem moneat.

4. Pharmaca et remedia, abbate inconsulto, non adhibeat.

PARS SECUNDA

Cap. I. — *De novitiis.*

1. Liceat abbati in suo monasterio novitios suscipere, atque etiam expellere, de consilio congregationis monachorum.

2. Novitius non probetur, nisi in monasterio, in quo plures monachi degunt, qui et monasticam regulam observant, et statutis temporibus canonicas preces ceterosque ecclesiasticos ritus peragunt.

3. Habitent novitii in loco a ceteris separato; et curabit abbas generalis, ut pro novitiatu designetur monasterium determinatum, et in eo locus separatus.

4. Novitiatus ad biennium producatur, neque quispiam ante expletum hoc spatium ad habitum admittatur, nisi ex causa a congregatione hegumenorum probata, idque non ante expletum annum. Si vero novitius, expleto biennio, ad hoc minus idoneus reperiatur, omnino dimittendus est.

5. Novitius ante expletum aetatis annum sextumdecimum non suscipiatur; neque maior sit quadragesimoquinto. Pertinet autem ad congregationem hegumenorum in hoc casu, si aliunde noverit, illum ordini profuturum, sive in defectu aetatis sive in excessu dispensare, modo non sit minor annis quatuordecim.

6. Novitium primo oportet esse christianis parentibus natum, atque orthodoxum; quare, si ipse, aut alteruter eiusdem parentum christianus non est, aut christianam fidem negavit, vel neophytus ad illam accessit, aut a catholica fide ad sectam haereticorum transiit, absque licentia congregationis generalis, a nemine suscipiatur; qui vero haereticis aut schismaticis parentibus natus est, ab abbate monasterii suscipiendus non est, nisi de licentia abbatis generalis.

Secundo, si excommunicatus, interdictus, suspensusve ab exercitio sui ordinis fuerit, ante absolutionem atque benedictionem proprii episcopi non recipiatur.

Tertio, non recipiatur novitius publice suspectus, vel delatus de criminibus spectantibus ad negotium fidei orthodoxae, vel de homicidio, aut enormi in re turpi delicto, neque notorie infamis, nisi certa sincerae poenitentiae signa antea ostenderit et obtinuerit absolutionem aut dispensationem a legitimo superiore, prout de iure.

Quarto, nec recipiatur alieno aere obstrictus, neque reddendis de administratione rei alienae rationibus obnoxius, neque iudicis sententia exilio mulctatus, nisi creditoribus et magistratibus satisfecerit.

Quinto, nec coniugio ligatus, nisi de consensu coniugis, et facta coram episcopo separatione.

Sexto, nec in ecclesiastica dignitate constitutus, cui cura animarum annexa sit, nisi in manu sui praelati illam abdicaverit.

Septimo, nec nothus, neque alio vitio laborans irregularitatem inducente et processum ad sacros ordines impediente, nisi obtenta ab habente facultatem absolutione seu dispensatione.

Octavo, nec aeger corpore, nec morbo cuiusvis obnoxius, nec insanus, aut mentis minus compos suae; sed corpore sanus et integer sit, et interno externove vitio careat, quo ab ordinibus suscipiendis, aut exhibendo fratribus ministerio impediatur.

Nono, nec qui in alio monasterio aut ordine professionem emisit, nisi petita a proprio praelato venia, et nostra generali congregatione annuente. Monachi vero, qui sua nobis monasteria superiorum permissu tradiderint, si congregationem nostram optaverint, ad annum dumtaxat sunt probandi; quo peracto, rogatis congregationis monachorum de more suffragiis, ad professionem admittantur, locum vero post monachos, quos invenerunt, obtineant. Qui vero novitius in alio monasterio aut ordine fuerit, non recipiatur nisi de licentia abbatis generalis.

7. Abbas monasterii, antequam novitium admittat, exploret circa omnia praedicta, et examen fiat in congregatione monachorum. Si abbas novitium post praemissum examen admiserit, deinde vitium in eo deprehenderit, aut impedimentum quodlibet, continuo illum e monasterio dimittat. Si vero praedictum examen neglexerit, ab abbate generali graviter erit puniendus. Qui autem novitium susceperit, sciens impedimentum aliquod ex praedictis obstare, ex gradu suo excidat: qui id ausus fuerit, sine mora, nec ad ullum deinceps in religione gradum idoneus dignusve censeatur ipse, et omnes monachi, qui in congregatione una cum illo interfuerint, ad triennium, quo expleto a congregatione hegumenorum restitutionem obtineant. Novitius vero, eum in modum receptus, si necdum professionem emiserit, monasterio expellatur; sin autem professus fuerit, res ad congregationem hegumenorum devoluta censeatur, quae cum reverendissimo domino patriarcha aut legitimo superiore causam definient.

8. Debet insuper abbas de novitii aetate, indole, scientia, valetudine, causa vocationis ad statum religiosum, et ceteris huiusmodi cognoscere; idque fiat in congregatione monachorum.

9. Postquam ergo abbas cum monachorum congregatione admissionem novitii probavit, tum vero locum a fratribus separatum illi assignabit, ibique ad octo saltem dies citra habitus mutationem maneat, atque interea regulas ordinis, statuta et consuetudines examinet. Et primum quidem novitius generalem peccatorum confessionem apud sacerdotem ad excipiendas saecularium confessiones ab episcopo approbatum obeat, atque sacram communionem percipiat. Postea, convocatis monachis, sive matutino sive vespertino tempore, abbas novitium induat tyronum habitu iuxta ritum Syriacum.

10. In quolibet monasterio habeatur liber, in quo abbas describat nomen novitii, cognomen, patriam, diem, mensem et annum quo habitum novitii suscepit. Similiter in codice adnotetur dies in quo professus est, monasticum habitum suscipiendo. Et praedictus liber in archivio monasterii reponatur.

11. Tyrocinii annus supputandus erit a die, quo habitum novitii induerit; et prior tempore, potior sit in gradu. At sacerdos eum, qui sacerdos non est, praecedit, et diaconus non diaconum.

12. Non liceat abbati, neque aliis, exigere aut accipere a novitiis quidquam pro ipsorum receptione ad probationem; sed nec pretium vestis ad probationem necessariae. Si vero novitius sponte quidpiam monasterio obtulerit, id porro palam et in publico conventu fiat, cedatque in communem monasterii usum.

13. Novitiorum vestes resque omnes certo in loco reponantur, postquam in codicem singula relata fuerint, ipso novitio praesente una cum fratribus. Nec ulli liceat, inconsulto domino, quidpiam ex illis sibi usurpare aut monasterio applicare. Sed nec ipse novitius de rebus suis disponere valeat, probatione durante, aut aliter eorum usum cedere absque abbatis consensu. Si novitius ad saeculum redierit, res suas auferre non prohibetur; illas tamen repetere non poterit, quas sponte et expresse monasterio donaverit, aut si professio secuta fuerit.

14. Novitius ante professionem, quovis etiam brevissimo temporis spatio, potest de rebus et bonis suis pro arbitrio disponere: post factam vero professionem nullum illi remanet in ea dominium, nec item abbatis, sed illud ad ordinem statim transire censetur.

15. Currente probationis tempore, ter de novitio fratrum suffragia rogentur; et primum quidem expleto tyrocinii anno: iterum vero post decimum octavum mensem: postremo post vigesimum quartum, hoc est elapso probationis biennio. Si in postrema congregatione fuerit approbatus, habitum suscipiat, quamvis in geminis prioribus congregationibus reprobatus fuisset; et e contrario, si in tertia reprobatus fuerit, dimittatur, nec priorum duarum congregationum ulla ratio habenda erit. Qui per annum dumtaxat, ut supra, probatur, de eo monachorum suffragia rogentur post sextum, nonum et duodecimum mensem. Qui per annum cum dimidio, post duodecimum, decimumquintum et decimumoctavum mensem.

16. Suffragiis monachorum approbatus censetur qui vel unum pro receptione supra medietatem suffragium habet. Si vero suffragia fuerint paria pro receptione et pro reprobatione, iterum rogentur: sique adhuc paria fuerint, reprobatus censeatur.

17. Si forte novitius tyrocinii tempore in grave crimen publicum et manifestum prolapsus fuerit, re prius cum congregatione monachorum communicata, abbas illum sine mora eiiciat; ita tamen, ut eius famae apud saeculares, quoad fieri poterit, consulatur.

18. Novitius postquam ad suscipiendum habitum in tertia congregatione approbatus fuerit,

abbas illi habitus susceptionem ad triduum differat, quo intervallo iubeat eumdem de statu suo deliberare : utrum scilicet illi placeat vota emittere, aut contra ad saeculum redire. Si evoluto triduo novitius statuerit religiosam professionem emittere et monachus fieri, ad ecclesiam adducatur fratrum coetu deducente, atque coram abbate ad altaris latus assidente genua flectat, duobus saltem monachis professis praesentibus ; et abbas de ipsius proposito ac mente illum interroget : sique habitum petierit, induatur iuxta ritum Syriacum, postquam pronunciaverit hanc votorum formulam :

« Ego N. N. promitto ac voveo Deo omnipotenti et reverendissimo abbati generali N. N. eiusque successoribus obedientiam, castitatem et paupertatem voluntariam usque ad mortem, iuxta regulam et constitutiones congregationis nostrae monasticae. Item promitto ac voveo, me nullam dignitatem quaesiturum sive in nostra congregatione sive extra, nec ambiturum per me ipsum, nec per alios procuraturum, neque subdole aucupaturum, neque etiam acceptaturum, nisi ad id me coegerit imperium superioris mei, cui teneor obedire ».

19. Si novitius ordinem deseruerit, atque ad saeculum fuerit reversus, seu sponte sua, seu congregationis monachorum suffragio dimissus, non erit iterum recipiendus, nisi annuente congregatione hegumenorum ; sique horum permissu receptus, sponte sua, aut a congregatione monachorum dimissus fuerit, nunquam deinceps recipiatur. Qui vero post primam discessionem receptus fuerit, probationis eius anni a die reditus supputentur, nec prioris tyrocinii ulla ratio habeatur.

20. Si novitius a proposito resilierit et ad saeculum fuerit reversus, atque ibi ad sacros ordines eumdem promoveri contigerit, sine congregationis generalis permissu recipiendus non est.

21. Nec abbas nec congregatio monachorum suffragia ferre potest pro admissione novitii ad professionem absque abbatis generalis consensu vel expresso vel tacito, quem ille sine legitima causa negare non debet ; et, nisi expresse et nominatim negaverit, dare consensum censendus est.

22. Cum tempus probationis novitius expleverit, et professus fuerit, abbas ad generalem abbatem de eodem referat.

23. Non permittenda est novitio promotio ad ullum ordinem ecclesiasticum, neque abbati liceat eumdem ad sacram ordinationem offerre. Qui novitios ad sacros ordines provehi concesserit, a gradu suo excidat, et novitius ad habitus susceptionem inhabilis censeatur.

24. Novitius cum monachis professis suffragium non ferat, neque de rebus ad ordinem spectantibus interrogetur : neque ullam dignitatem in ordine habeat, dum probatur, sed ministeriis tantum monasterii addici potest. Probationis quoque tempore novitius a monasterio, in quo ad tyrocinium admissus fuerit, ad aliud monasterium non transferatur sine iusta causa, nec sine consilio congregationis monasterii, ubi moratur, et congregationis monasterii, quo transferendus est, et ex permissione abbatis generalis. Sic autem translatus, cum tempus probationis expleverit, pro eius admissione eorum monachorum suffragia rogentur ubi moratur.

25. Novitius habitum gerat ab habitu monachorum professorum diversum ; nec ante professionem habitum illorum induat.

26. Sacramenta poenitentiae et eucharistiae novitius quavis hebdomada semel saltem frequentet ; neque a divinorum mysteriorum participatione prohibendus est sine consilio patris spiritualis, ab abbate eidem assignati. Et si quidem sacerdos fuerit, a sacra oblatione quotidie peragenda suspendendus non est, nisi ex causa et consulto abbate.

27. Si contingat novitium clericum missae inservire cum altero superioris gradus et loci, sive professus ille sit, sive novitius, epitrachelion, hoc est clericalem stolam, non induat, nisi clericus ille, qui loco graduque superior est, illud pariter induerit.

28. Novitium decet silentium tenere praesentibus abbate atque magistro, neque loqui nisi interpellatur, aut ex iusta legitimaque causa : neque cum saeculari, nisi abbate et magistro annuentibus, et alio monacho praesente.

29. Novitius mensae non assideat, nisi iussus ab abbate, aut a seniore inter fratres. Si contingat ipso sedente praeterire abbatem aut sacerdotem, statim assurgat, et iunctis in crucis modum supra pectus manibus, submissa cervice, oculisque in terram defixis, perstet, donec ille pertransierit. Pari submissione reverentiaque se gerat, abbate aut alio sacerdote ipsum alloquente ; nec, nisi iussus, assideat.

30. Novitius ab abbate aut a magistro reprehensus, statim in genua procidat, tacitusque audiat arguentem, nec, nisi iussus, pro se verba faciat, aut sibi obiecta refellat : nec nisi illo iubente assurgat.

Cap. II. — *De magistro novitiorum.*

1. Magister novitiorum intelligat, rem esse magni momenti sibi commissam ; quandoquidem ex prima institutione pendet maiore ex parte eorumdem profectus et spes nostri ordinis. Curet igitur, ut in dies per studium propriae perfectionis instrumentum aptius ad eos iuvandos reddatur.

2. Amabilem se praestet, et vitae integritate ac discretione ita se gerat, ut omnes novitii ad ipsum in suis tentationibus confidenter confugiant, eique res suas libere aperiant et ab eo

consolationem et auxilium in omnibus sperent.

3. In domo probationis, monasterio coniuncta, vel in monasterio ipso, (nam locum novitiorum separatum esse magis expediret), refectorium quidem sit commune, sed mensa aliqua novitiis designetur post omnes professos.

4. Magister novitiorum privatas tantum poenitentias suis novitiis imponere poterit, publicas vero nonnisi consulto abbate.

5. Habeat hic idem magister novitiorum potestatem ordinariam a praelatis absolvendi a casibus reservatis novitios suos; nisi abbati haec facultas aliqua de causa restringenda videretur, vel alteri concedenda; sed statutis anni temporibus, saltem bis in anno, extra ordinem confessarius novitiis offerendus est.

6. Magistrum novitiorum versatum esse oportet in lectione librorum spiritualium, ut deceptiones, quae in spirituali vita accidunt, intelligat; novitiis vero eos tantum legendos tradet, quos ad eorum profectum conducere iudicabit, quique sint orthodoxi et ab Ecclesia catholica non reprobati. Semihorae vero spatio eosdem docebit orationem mentalem et vocalem, doctrinam christianam et regulas atque statuta nostri ordinis, praesertim qua ratione accedere debeant ad sacramenta confessionis et eucharistiae, et quomodo horis canonicis et sacrae liturgiae interesse eos conveniat; qui autem literas nesciunt, illos statutas preces recitare docebit.

7. Abbatis est unum ex sacerdotibus monasterii, qui sit prae ceteris morum probitate et doctrina commendatus, magistrum novitiorum designare. Hunc autem, si negligentem in novitiis instituendis, aut minus prudentem in eis corrigendis deprehenderit, pro qualitate culpae puniat; idque coram professis, non coram novitiis fiat. Eum vero ab officio removere non poterit, nisi congregatione monachorum consulta.

Cap. III. — *De professis.*

1. Postquam novitius professionem emisit, aliquandiu, abbatis arbitrio, sive in ministerio fratrum, sive in studiis literarum exerceatur, ut appareat, an ad clericorum ordinem promovendus sit, an vero in laicorum coetu manere debeat; nemo enim in nostra congregatione ante novitiatum ad statum clericorum sive laicorum deputatur, sed omnes indifferenter ad quemcumque statum admittuntur; et solum post peractam professionem, postque edita idoneitatis suae signa, ab abbate, consulta monachorum congregatione, ad clericatum sive ad statum laicorum designantur. Hac tamen in re conscientia ipsius abbatis oneratur, ut nimirum et rationem idoneitatis uniuscuiusque habeat et monasterii necessitatibus de conveniente numero sacerdotum, clericorum et laicorum consulat.

2. Antequam vero professus ad statum aliquem determinetur, semper maneat sub custodia et cura vicarii abbatis, et quantum fieri potest, nullum commercium habeat vel cum novitiis vel cum aliis monachis, nisi cum paribus et aequalibus suis, aut cum iis qui in eodem ministerio aut studiis iisdem versantur.

3. Quamquam autem quis ab abbate ad statum clericorum deputatus sit, et ordinem etiam aliquem ecclesiasticum acceperit, intelligat tamen ad ulteriorem gradum sibi aditum nequaquam patere, nisi illum bonis moribus et comparata ex studiis scientia promeruerit. Abbatis igitur et congregationis monachorum arbitrio relinquitur, ut ipsum ab ulteriore ordine accipiendo ad tempus, vel etiam perpetuo, arceant; idque potissimum de ordinibus infra diaconatum intelligendum est; nam qui, servatis servandis, ad diaconatum promotus est, is a sacerdotio accipiendo, nisi urgentissima de causa, nequaquam removeatur.

4. Pari ratione, qui diu in ministerio laicorum deserviit, si idoneus postea repertus fuerit, potest ab abbate et monachorum congregatione ad ordines etiam maiores promoveri; dummodo tamen, postquam ab abbate ad ministerium laicale addictus est, nec literas didicerit, nec libros legerit, nisi ipso consulto.

Cap. IV. — *De clericis studentibus et magistris.*

1. Nemo ad ordinem ecclesiasticum promoveatur, nisi aetate a sacris conciliis praescripta, aut dispensatione a legitimo superiore obtenta, et de licentia congregationis monachorum atque abbatis, qui ordinandum cum literis testimonialibus ad episcopum loci aut reverendissimum dominum patriarcham mittere debet, tenoris sequentis:

Reverendissime ac religiosissime domine N. episcope civitatis N., aut *Beatissime patriarcha noster, domine N.* — Nos abbas et monachi ordinis Sancti Antonii congregationis Montis Libani monasterii N., testamur reverendum patrem N. monachum professum nostri ordinis in legitima aetate constitutum (*vel* dispensationem aetatis hic annexam habentem) et sufficienti doctrina bonisque moribus praeditum, nulloque impedimento irretitum, dignum esse qui ordinem N. a reverendissima dominatione tua (*vel* a beatitudine tua) accipiat. Quamobrem has ei literas patentes dedimus, sigillo monasterii nostri munitas et subscriptione nostri abbatis firmatas, die N., mense N., anno N.

Loco ✝ sigilli

N. abbas monasterii N.

2. In libro monasterii adnotabitur nomen ordinati et episcopi ordinantis et dies, mensis et annus.

3. Si quis ex professis permiserit se ordinari absque licentia abbatis et congregationis monachorum, negotium eius ad abbatem generalem deferatur, qui illum ab exercitio ordinis suspendat, aliisque poenis plectat, salva indulgentia quam ei reverendissimus dominus patriarcha concesserit.

4. In quolibet monasterio clericis ab abbate magister deputetur, qui eos doceat, et ipsi literas diligenter excolant, quarum ope choro deservire valeant, et sacerdotii onera digne ferre, eiusque munera pro dignitate exequi.

5. In qualibet provincia, si fieri potest, unum ex monasteriis frequentioribus ab abbate generali ad excolenda studia designetur, in quo, praeter magistrum grammaticae, sint etiam alii duo magistri, alter dialecticae et philosophiae, et alter theologiae, vel saltem unus magister, post peractum grammaticae, dialecticae et philosophiae curriculum, sacram theologiam exponat et dogmaticam praesertim atque moralem, iuxta methodum ab eodem abbate generali praescribendam. Praeterea constituatur praefectus studiorum, cuius cura esse debet, ut tum a scholaribus tum ab horum magistris statutus ordo et regula studiorum servetur; idemque praeerit omnibus actibus litterariis et examinationibus scholarium. Etsi autem abbatem generalem spectat tam praefectum studiorum quam magistros praedictos deputare, in mortis tamen aut infirmitatis alicuius eorum casu, congregatio monachorum una cum abbate illius monasterii alium in eius locum subrogare poterit, donec abbas generalis consulatur: cuius erit spatium etiam annorum assignare, quo grammaticae, philosophiae et sacrae theologiae studium perficiatur, distributionem quoque temporis tam matutini quam pomeridiani, et vacationes per hebdomadas et annum; ita tamen, ut neque horarum canonicarum et sacrae liturgiae tempora, aliaque monastica exercitia, a communi regula et constitutionibus praescripta, perturbentur, neque vires studentium aut magistrorum opprimantur.

6. Quolibet mense disputatio publica fiat, et bis in anno examen; diebus autem dominicis habeantur collationes vel de sacra scriptura, vel de casibus conscientiae, aut controversiis in oriente vigentibus adversus schismaticos, haereticos et infideles iuxta directionem praefecti studiorum.

7. Praeter syriacam et arabicam linguam, quas necessario callere debent, curabunt etiam discere hebraicam, graecam et latinam, ut sacras scripturas et patres doctoresque legere atque interpretari valeant.

8. Omnia ad studium necessaria subsidia ab abbate studentibus procurentur. Studentes vero curent: primo, ut animi puritatem et rectam in studiis intentionem habeant; secundo, ut fervor studiorum non extinguat aut minuat amorem solidarum virtutum; tertio, ut iis facultatibus operam dent, eosque audiant magistros, quos abbas destinabit; quarto, ut horas, studio tam communi quam privato attributas, diligenter observent; quinto, ut si magistros studiorum causa convenire debent, horam certam ab abbate destinatam habeant, extra quam illorum cellas sine peculiari facultate non adeant.

9. In nostra congregatione nullus gradus aut praerogativa magistris aliisve debetur, sed solum abbati generali; hegumenis et abbatibus provinciarum atque monasteriorum, donec in ea dignitate fuerint; postea sacerdotibus professis iuxta tempus professionis; deinde clericis item professis; ac postremo laicis. Abbas tamen generalis curabit, pro laborum et meritorum ratione, tam magistros quam alios quoscumque sacerdotes monachos remunerari eos vel monasteriis praeficiendo, vel ab oneribus quae iunioribus imponi solent, eximendo.

10. Nemo ex monachis librum aliquem, aut tractatum, aut orationem, sive concionem scribat, nisi consulto abbate, qui opus per se legat, aut alicui ex magistris legendum committat. Illud autem in publicum prodire aut typis imprimi non licebit, nisi prius ab abbate generali et episcopo, aut reverendissimo domino patriarcha, probatum fuerit.

Cap. V. — *De sacerdotibus.*

1. Quae de disciplina religiosa et instituto nostro servanda omnibus proposita sunt, ea sacerdotes pro ratione sui gradus sibi praecipue dicta existiment et observent.

2. Divinum officium nitantur attente, devote et opportuno tempore recitare et ad chorum cum ceteris convenire statutis horis: caeremonias sacrae liturgiae aliarumque ecclesiasticarum functionum accurate discant et observent, sintque hac in re uniformes, patriarchalem sibi ecclesiam tamquam normam proponentes: cantus etiam ecclesiasticos calleant. Sic demum in liturgia divinisque officiis celebrandis pronunciationem, cantum et quamcumque aliam exteriorem actionem moderentur, ut non minus aliorum aedificationi, quam propriae devotioni serviant.

3. Curam animarum nemo ex nostris suscipiat, neque in iis, quae parochorum aut episcoporum iuris sunt, se immisceat. Si quando autem ab episcopo aut reverendissimo domino patriarcha iussus fuerit abbas monasterii, ut ipse vel aliquis monachorum in monasterio aut in vicinis sive remotis locis populum doceat vel confessiones audiat, aut alia quaecumque sacra-

menta administret, ab eo facultatem in scriptis habere curet.

4. Nemo ad confessiones nostrorum audiendas accedat, nisi ab abbate deputatus, qui simul intelligat quam facultatem ad hoc munus habeat. Saecularium vero confessiones nemo audiat, nisi obtenta episcopi licentia. Perspectos autem unusquisque habeat casus reservatos tum reverendissimo domino patriarchae et episcopo tum abbati generali.

5. In casibus conscientiae, iisque praesertim qui ad censuras, restitutiones et casus reservatos pertinent, sese diligenter exerceant, earumque rerum compendia et brevem interrogandi methodum, et contra singulorum peccatorum species remedia salutaria ex sacris praesertim canonibus comparare studeant, collationesque de praedictis inter se diebus festis habeant.

6. Confessarii ita audiant poenitentes, ut mutuum aspectum fugiant. Quod si locus non erit huiusmodi, ut tabula confessarium a poenitente dividat, manu interposita inter faciem propriam et poenitentem, qui ad latus genua flectere debet, id praestabit. In audiendis vero feminarum confessionibus severos potius quam familiares se exhibeant, ita tamen ut paterna quaedam et spiritualis gravitas in eis eluceat. Nemini autem petere aut accipere quidquam liceat, sive ab iis quorum confessiones audiverit, sive ab aliis, quod in pauperes distribuat, vel alteri satisfactionis nomine restituat, inscio et inconsulto abbate.

7. Qui vocantur ad eos iuvandos, qui morti vicini sunt, ea in promptu habeant, quae eo tempore ad salutem animarum usui esse possint. Caveant autem, ne quem sermonem de loco sepulturae in coemeterio monasterii eligendo, aut de haereditate vel eleemosyna monachis relinquenda infirmo iniiciant.

8. Nemo ex nostris ad ullam archipresbyteri, periodeutae, aut chorepiscopi dignitatem se promoveri sinat, sed sacro presbyteratus ordine contenti sint omnes, etiam abbates. Si vero reverendissimus dominus patriarcha voluerit, abbates eam benedictionem recipere poterunt.

Cap. VI. — *De monachis laicis.*

1. Intelligant omnes, primarium vocationis monasticae finem esse inservire divinae maiestati, et propriam salutem procurare, illudque ministerium obire, quod ex obedientia sibi commissum fuerit. Contenti ergo sint statu laicali, ad quem ipsos abbas et monachorum congregatio destinaverit; et in praescripto sibi ministerio sic vitam omnem exigant, ut sibi persuadeant, se in ea re obsequium praestare Creatori, ob cuius amorem schema monasticum induerunt.

2. Qui syriace legere et canere norunt, divina officia in choro statis horis cum ceteris persolvant. Qui vero arabice tantum, horas diurnas et nocturnas ad usum laicorum compositas legant. Qui autem legere nesciunt, certum precum vel psalmorum numerum, ab abbate sibi praescriptum, ad singulas horas memoriter recitare discant. Qua in re ministerii uniuscuiusque ratio habebitur, ac praesertim eorum qui in laboriosis exercitationibus occupantur, quippe qui vel prima luce monasterio ad opus egrediuntur, vel usque ad vesperam regredi nequeunt; his enim, horarum loco, certas precationes abbas constituet privatim recitandas; omnes tamen, qui legitima causa impediti non sunt, quotidie divinae liturgiae intersint.

3. Postquam sui officii ministeriis satisfecerint, si quid vacui temporis superfuerit, id totum in alias exercitationes spirituales aut corporales impendant; eiusque rei causa abbatem adibunt, ut ipsius voluntatem exquirant.

4. Curent peculiari studio erga omnes clericos, et praecipue in sacris ordinibus existentes, respectum humilitatemque exhibere, idque multo magis erga sacerdotalem ordinem, sciantque quod, etiamsi professi sint, in sacris tamen functionibus cedere debent clericis etiam novitiis, ecclesiastico habitu indutis.

5. Quia tamen patres nostri, statu laicali vel minoribus ordinibus aut diaconatu tantum contenti, Deo serviisse, fratribusque praefuisse noscuntur, ideo monachos laicos vel clericos aut diaconos, scientia sufficienti praeditos et regimini idoneos, non omnino ab officiis, etiam insignibus, excludimus, sed posse eos tam ab abbate generali et congregatione hegumenorum, quam ab abbate et congregatione monachorum, atque etiam a congregatione generali eligi in hegumenos, oeconomos, procuratores et consultores, et ad alias similes dignitates promoveri, declaramus: hac tamen salva conditione, ut numquam in abbatem generalem aut abbatem provinciae sive monasterii, qui sacerdotes esse debent, eligantur. Qui autem eo, quem diximus, modo electus fuerit hegumenus, intelligat sibi primum post sacerdotes locum convenire extra congregationes; in congregationibus vero post hegumenos sacerdotes, et ante omnes alios, etiam sacerdotes.

6. Caveant monachi laici, ne quid sibi capiant, aut aliis dent, commodent, mittant, aut quidquam huiusmodi faciant, absque expressa licentia abbatis, aut eius qui operi praeest.

7. Librum nullum retinere aut legere iis licebit sine abbatis licentia, cuius prudentiae erit eos illis legendos assignare qui magis ad spiritualem ipsorum profectum expedire videbuntur.

Cap. VII. — *De ordine domestico et de honestate extra monasterium servanda.*

1. In unoquoque monasterio distributio horarum in tabella describatur, et in loco patente ponatur, in qua secundum anni tempora, diligenter notentur horae chori, id est vesperarum, completorii, nocturni, matutini cum tertia et sexta atque nona; item horae liturgiarum privatarum et solemnium; item horae prandii et coenae; denique hora operis manuum sive ministeriorum aut studii, et hora qua fratres cubitum eunt, usque ad signum quo excitantur.

2. Ab abbate constituatur monachus, sive vicarius, sive alius quicumque, cuius officium erit tempore orationi et reliquis exercitiis assignato observare, num omnes iis vacent: item observare omnia quae ad honestatem et decentiam externam pertinent, ecclesiam et monasterium in locis publicis perlustrando; et si quid inconveniens deprehenderit, ad abbatem referat.

3. Ad mensam habeatur lectio; silentium autem nunquam ab abbate dispensetur. Si quem vero extraneum ecclesiasticum aut saecularem contigerit ad monasterium divertere, ipse abbas solus, vel adhibito aliquo alio monacho, pro illius viri dignitate poterit simul cum illo cibum sumere; idque, si fieri poterit, extra refectorium; alioquin vel ante vel postquam monachi in refectorio cibum sumpserint.

4. Cum monachus de monasterio exire non debeat nisi socio adhibito, quem sibi abbas assignaverit, advertat abbas, ut sic socios accommodet, ne sociis graves sint aut molesti, neque nimis familiares aut suspecti.

5. Nisi necessitas coegerit (quae tamen ab abbate erit cognoscenda et probanda), monachi ad ministeria sive ad studium intra monasterium addicti, de monasterio egredi non permittantur, nisi bis in hebdomada, et cum interpolatione dierum, peractisque prius ministeriis necessariis; idque ita ab abbate per turnum distribuatur, ut et disciplina regularis in monasterio nihil detrimenti capiat, et omnibus per hebdomadam monachis facultas exeundi e monasterio aequaliter detur. Diebus autem dominicis et festis maioribus nemo possit veniam exeundi obtinere, nisi celebratis prius divinis officiis, aut eo dumtaxat temporis spatio quod a divinis officiis vacuum est.

6. E monasterio egressi, honestatem et modestiam incessu, manibus, colloquio, oculis exhibeant; loca remotiora et ecclesias minus frequentes adeant; personas, vias, aedes, officinas suspectas aut infames devitent; cum saecularibus non tantum familiaritatis habeant, ut vel secreta monasterii iis revelent, vel ex frequenti eorum conversatione a monastica disciplina relaxentur: multoque magis a feminarum colloquio abstineant, neque eas invisant, aut ad illas scribant, nisi in magna necessitate, aut cum spe magni profectus spiritualis, et consulto expresse abbate.

7. Non permittat abbas, ut monachi munuscula offerant magistratibus, aut eorum aulas frequentent, aut amicitias quocumque modo ambiant; praesertim si deprehenderit eos hac via ad ecclesiasticam dignitatem vel in religione gradum prorepere. Si quem vero huius ambitus reum invenerit, graviter puniat et ad abbatem generalem deferat. Idem de abbate dicendum si, praeter consuetas et necessarias magnatum visitationes munerumque oblationes, vel quid novum introducere tentaverit, vel ipse magnatum amicitias plus aequo captare deprehensus fuerit.

Cap. VIII. — *De fundatione monasteriorum et receptione hospitum, deque vitanda monachorum vacatione.*

1. Nullum monasterium, nisi accedente consensu et benedictione episcopi et reverendissimi domini patriarchae, et de licentia abbatis generalis atque hegumenorum, nobis a fundatoribus aut patronis oblatum accipere debemus, vel de novo fundare possumus. Quisquis vero abbas, sive propria sive congregationis etiam monachorum auctoritate id fecerit, poenae gravioris culpae subiaceat in religione, si licentia tantum abbatis generalis et hegumenorum defuerit; et puniatur etiam ab episcopo et a reverendissimo domino patriarcha, si absque horum consensu id factum fuerit; omnesque monachi, abbati consentientes, eidem poenae subiaceant: et actus monastici ibidem facti, ut novitiorum admissio ac professio, irriti et inanes declarantur.

2. Illud vero solum monasterium fundare vel accipere, ut supra, nobis licet, in quo monastica disciplina observari possit, et sufficiens monachorum numerus ali; idque vel ex annuis redditibus monasterio legatis, vel ex terrae fundo, de quo ex labore manuum vivere possint.

3. Omne monasterium, quod monachi nostrae congregationis inhabitant, honesta clausura muniatur. Sic autem sit clausum, ut mulieribus cuiuscumque dignitatis aut ordinis nulla ratione pateat.

4. Extra ipsius monasterii clausuram, vel in loco intra monasterium ad id destinato, hospitium erigatur, in quo hospites ad nos divertentes accipi possint: et mulieres quidem in loco valde remoto ac prorsus separato a viris et a monasterio. Neque abbas, neque congregatio monachorum potest alicui, vel ecclesiastico vel saeculari, cellam in ipso monasterio vel ad breve tempus assignare, nisi in hospitio locus omnino defuerit, aut personae accipiendae minime convenerit, ut cum episcopus aut

reverendissimus dominus patriarcha ad nos divertit.

5. Nulli abbati aut oeconomo licebit monasterium aere alieno gravare absque inevitabili necessitate, nec vendere aut commutare, vel quovis modo alienare possessiones, fundos, aut annuos census, monasterio donatos aut acquisitos, sub poena depositionis ab officio, et inhabilitationis tam abbatis quam oeconomi et monachorum, si assensum ad hoc praebuerint, nisi obtenta prius facultate ab iis ad quos spectat, et consensu abbatis generalis.

6. Pecuniae exactae de redditibus monasterii, aut a benefactoribus monasterio donatae, non retineantur in manu cuiusquam, sed in arca statim reponantur sub duplici clave, quarum una sit penes abbatem, altera penes oeconomum. Item instrumenta fundorum monasterii, vel rerum donatarum aut testamentorum clausulae, aut alia quaecumque documenta ad res temporales monasterii spectantia, in publica forma redacta, in arca vel in archivio communi reponantur sub duplici clave, ut supra.

7. Quaecumque monacho professo donantur, sive ex haereditate proveniunt, tam mobilia quam immobilia, omnia monasterio statim et sine dilatione applicentur; usus tamen aliquarum rerum, ut librorum, ei concedi poterit ex licentia abbatis: ita tamen, ut ex eo usu paupertas religiosa non laedatur, neque murmuratio aut aemulatio in caeteris fratribus oriatur.

8. Inventarium bonorum tam mobilium quam immobilium in omnibus monasteriis, fideliter et accurate descriptum, in archivio conservetur, et unum illius exemplar ad abbatem generalem mittatur. Item habeatur inventarium onerum sive obligationum erga fundatores et benefactores tam vivos quam defunctos, quibus abbas satisfieri diligenter curet.

9. Monasteria nostra ita sint invicem coniuncta, ut monachi possint, abbatis generalis arbitrio, ex uno in alterum libere transferri, et, ubicumque is voluerit, ad tempus vel perpetuo collocari. Eius tamen prudentiae erit, ut non temere monachos sic transferat, sed habita ratione necessitatis monachorum et monasteriorum, et consultis prius, si fieri poterit aut expedire iudicaverit, abbatibus, qui debent ipsum de statu suorum monachorum ac monasteriorum certiorem facere. Bona vero mobilia aut immobilia unius monasterii ad alterum nequaquam transferantur; maxime si a fundatoribus ea fuerint certo loco assignata; sed quae monachorum labore, vel ex haereditate consanguineorum, aut donatione amicorum cuiquam eorum facta, ad monasterii redditus accesserint, iis poterit abbas generalis necessitatibus monasteriorum indigentium prudenter subvenire: sic tamen, ut abbates occasionem inde non arripiant monasteria sua negligenter administrandi.

10. Si abbas experimento compererit, quemquam suorum monachorum vel coeli inclementiam ferre non posse, vel alia quacumque de causa communitati expedire, ut inde discedat, et ad aliud monasterium proficiscatur, de consilio congregationis monachorum abbatem generalem admoneat, qui illum pro sua prudentia ad aliud monasterium migrare iubebit. Si vero in longinqua regione fuerint, itaut abbas generalis consuli tempore opportuno nequiverit, tunc abbas de consensu congregationis monachorum mittere poterit monachum cum literis ad abbatem generalem, qui illum in quodcumque voluerit monasterium transferet. Sive autem ob infirmitatem, sive ob pravos mores dimissus fuerit monachus, omnia, quae ad iter necessaria erunt, magna caritatis significatione subministrentur ab eo monasterio, unde dimittitur. Si vero in commodum et utilitatem alterius monasterii mittitur, illius sumptibus et expensis mittetur. Caveant tamen frequentes monachorum translationes, ne monasteriis oneri sint; nec illas sine necessitate fieri permittant.

11. Quemadmodum nulli monachorum licet decedere de monasterio, in quo per abbatem generalem collocatus est; ita nulli abbatum fas erit advenientem monachum recipere, nisi licentia proprii abbatis, aut abbatis generalis in scriptis obtenta; alioquin, tam qui recepit, quam qui recipitur, poenam monachorum vagorum subeant arbitrio abbatis generalis. Si quis vero monachus a proprio abbate vel a fratribus eius monasterii, in quo versatur, se iniuriam aut persecutionem pati affirmaverit, volueritque abbatem generalem adire, non idcirco ei licebit, inconsulto eodem abbate generali, aut saltem abbate et congregatione monachorum sui monasterii annuente, e monasterio proficisci; sed debet ad ipsum abbatem generalem scribere et licentiam ab illo primum obtinere, alias ab eodem abbate generali tamquam vagus puniatur.

12. Nullus, etiamsi abbas fuerit, possit ire extra suam provinciam quocumque titulo vel praetextu, neque ad parentes, consanguineos vel affines, neque ullam peregrinationem, etiam sacram, suscipere, absque speciali licentia abbatis generalis; neque ex uno monasterio ad aliud se transferre, etiam pro rebus proprii monasterii, absque consensu congregationis monachorum; nisi monasterium, ad quod se confert, adeo vicinum sit, ut uno die ire ad illud et redire ad proprium monasterium valeat. Si quis abbas huic constitutioni contravenerit, ab abbate generali puniatur. Ceteri vero monachi non abbates, qui sine licentia abbatum suorum de uno monasterio in aliud pergunt, vel peregrinationem suscipiunt, in monasterio includantur arbitrio abbatis, qui ieiunium insuper illis ad tempus praescribat.

13. Nulli tam monachorum quam abbatum

licebit ostiatim, aut per pagos sive per ecclesias mendicare. Si tamen aliqua necessitas urgens suaserit aliquid petendum ab aliqua persona, id fiat religiose et modeste per monachos ab abbate designatos. Si vero per pagos vel civitates propter gravem monasterii necessitatem mendicandum fuerit, id non fiat nisi ex licentia ab episcopo et reverendissimo domino patriarcha in scriptis habenda.

CAP. IX. — *De subiectione erga praelatos.*

1. Cum noster ordo in medio nationum haereticarum et infidelium versetur, atque ab universalis Ecclesiae capite marium terrarumque spatiis disiunctus sit, diligentissime curent abbas generalis, hegumeni et abbates monasteriorum atque provinciarum, eorumque vicarii, ne aut ex locorum distantia aut proximarum gentium consuetudine caritas atque devotio monachorum erga Sanctam Petri apostolorum principis cothedram et Romanos Pontifices quoquo modo refrigescat; quin sedulo satagant, ut omnes monachi intelligant, obedientiam et obsequium erga Sedem Apostolicam Romanam esse velut nostrae religionis fundamentum et characterem, quo a ceteris Orientis nationibus Syri Maronitae se discerni voluerunt. Pretiosissimum itaque hoc maiorum nostrorum depositum custodire, summopere nitantur, et omni ope contendant, ut tum verbo, tum opere tales se esse palam et publice fateantur, quales eos esse oportet, qui officii sui et beneficiorum ab Ecclesia Romana acceptorum haudquaquam immemores sunt. Et quoniam divino mandato iubemur, proximi etiam nostri salutem curare, diligentissime studeant, antiquorum nostrorum patrum, ac praesertim monachorum S. Maronis, qui pro catholica religione strenue decertarunt, vestigiis inhaerendo, occasionem captare ad orthodoxae fidei propagationem, et ad profectum nationum ab Ecclesia catholica dissidentium, inter quas versantur; neve earumdem desperent aut negligant conversionem, sed cum omni caritate et patientia, divino adiutorio freti, procurare illam opportune arguendo, increpando, obsecrando nitantur.

2. Honorent quoque, post Summos Romanos Pontifices, matrem suam Antiochenam Ecclesiam, et reverendissimum dominum patriarcham, toti nationi ordinique nostro ab eadem Romana Ecclesia praepositum: cui, tamquam patri, peculiari affectu et devotione addicti sint, eiusque decretis et constitutionibus omnibus, quae fidei catholicae aut Romanis Pontificibus non adversentur, pareant et obtemperent. Nomen quoque eius post Romanum Pontificem tam in sacra liturgia quam in divinis officiis de more commemorent. In rebus dubiis et gravibus, quae ordinem nostrum concernunt, illum consulant. Antequam congregatio generalis fiat, eius benedictio ab abbate generali petatur; postquam facta est, electi abbas generalis et hegumeni ipsum adeant, benedictionem accepturi: si opera nostra in rebus ecclesiasticis aut temporalibus ad sedem patriarchalem Antiochenam spectantibus uti voluerit, paratos se exhibeant. Nullum cum ipso aut reliquis praelatis dissidium habeant; neque in rebus, ad eius sive praelatorum auctoritatem pertinentibus, se immisceant, sed meminerint, se illius et praelatorum, in quorum dioecesibus versantur, obsequentissimos filios esse. Si quis huic regulae quoquo modo contravenisse compertus fuerit, severissime puniatur.

3. Post reverendissimum dominum patriarcham, episcopo loci debitum honorem et obsequium deferant, eius quoque nomen in sacris diptycis recitantes. Sacramenta exteris non administrent, neque conciones ad illos habeant, aut catecheses faciant, aut ullum ministerium sacrum publicum obeant ad populum, sine expressa eius licentia.

4. Episcopos, chorepiscopos, archipresbyteros et parochos, omnesque tam reverendissimi domini patriarchae, quam episcopi ordinarii ecclesiasticos ministros, quo par est, honore prosequantur. In eorum officiis sese ne immisceant, neve sacram ullam functionem cum saecularibus vel erga saeculares exerceant, nisi iussu episcopi et beneplacito parochorum; curam animarum perpetuam monachi ne gerant, neque etiam ad tempus in civitatibus sine licentia reverendissimi domini patriarchae et episcopi ordinarii: in pagis vero ac praesertim in locis monasterio contiguis, possunt, si episcopus voluerit, ad tempus supplere absentiam vel defectum parochorum, sacramenta necessaria administrando, concionando et catecheses faciendo.

5. Quomodo autem monachi cum principibus et potestatibus saeculi se gerere debeant, monet Apostolus, inquiens: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; nec tantum bonis et modestis, sed etiam discolis.* Reddere autem iubemur *omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Si quis igitur principum saecularium contigerit ad nostra monasteria divertere, maxime si fidelis fuerit, omni honore illum prosequantur. In negotiis tamen magnatum nequaquam se ingerent: *nemo enim militans Deo, implicet se negotiis saecularibus;* neque eorum aulas frequentent aut amicitias ambiant; multoque minus eorum opera aut patrocinio adversus ecclesiasticas potestates utantur. Si quid vero cum illis circa bona temporalia monasteriorum agendum aut transigendum erit, id ab abbate aut oeconomo sic fiat, ut religiosae humilitatis numquam obliviscatur. Curent denique, quan-

tum fieri poterit, ut monasteriorum fundi possessionesque a tributis et vectigalibus immunes sint.

Cap. X. — *De iis, quae observari debent in exigenda ab abbatibus et reddenda a monachis ratione conscientiae.*

1. Cum huius regulae finis sit spirituale auxilium monachorum, abbas summopere caveat, ne vitio suo eadem fratribus gravis et intoleranda fiat, atque ab eius observatione paulatim avertantur, cum magno suarum animarum atque ordinis detrimento. In hoc proinde casu se patrem exhibeat, adeo ut monachus ad ipsum cum filiali fiducia recurrere assuescat.

2. Non est cogendus monachus, ut conscientiam suam abbati aperiat in iis rebus, de quibus confessus est aut confiteri debet apud sacerdotem. Omnia autem, quae abbati in hac materia revelantur, intelligat ea sibi sub secreto naturali dicta: quod tamen de iis dumtaxat intelligendum est, quae quis de se ipso suisque defectibus aut tentationibus abbati aperit; quae enim de aliis monachis denunciat, ea sub secretum non cadunt, nisi quoad personam denunciantis.

3. Hoc secretum abbas cautissime servet, nec faciat quidquam ex notitia inde habita quoad res denunciantis, nisi expressam ab eodem habuerit facultatem. Si quis vero huius secreti fidem quovis modo fregisse convictus fuerit, denuncietur abbati generali, qui delinquentem severe puniet. Hinc abbas vel praefectus rerum spiritualium satagat, ut fratres intelligant poenas impositas fractioni praedicti sigilli, ut inde metum omnem deponant, et ad usum huius praxis promptiores reddantur.

4. In domesticis exhortationibus ab abbate inculcetur tam sanctus et laudabilis mos a sanctis patribus nostris inductus et alumnis suis maxime commendatus. Item eius necessitas et utilitas non solum ad privatum, sed etiam ad commune bonum spirituale ostendatur.

5. Unusquisque igitur magna cum humilitate, sub sigillo secreti naturalis, aut quacumque ratione ei placuerit, totam animam suam abbati manifestam faciat, aperiendo defectus suos, eos praesertim quibus magis gravatur. Quos vero in fratribus suis deprehenderit defectus, eidem abbati revelet, ut congruum remedium aptare possit.

6. Capita autem, quibus conscientiae propriae ratio reddenda erit, haec fere sunt, ex quibus cum ea retulerit quae ad plenam sui manifestationem dicenda putaverit, petat ab abbate, ut se ipsum interrogando iuvet ac suppleat, si quid esse iudicet quod ad maiorem ipsius monachi profectum opportunum esse videatur:

Primo: An vivat contentus iuxta suam vocationem et quomodo se habeat circa vota substantialia religionis.

Secundo: An sentiat aliquas animi perturbationes, tentationes molestas, et de facilitate seu difficultate et modo eis resistendi, et ad quos effectus vel peccata sit magis propensus et incitatus; et quomodo observet quae ex constitutionibus et regulis tum communibus tum officii sui ad ipsum pertinet.

Tertio: Quomodo rebus spiritualibus sit affectus, quarum virtutum studio praecipue intentus, quantum temporis orationi tribuat, et num vocali, an potius mentali iuvetur; num in exercitio rerum spiritualium consolationem habeat, an vero contra, desolationem et vagationem mentis patiatur; de fructu, quem ex sacra communione, confessione et aliis exercitiis spiritualibus percipiat; de mortificationibus, poenitentiis et aliis quae faciunt ad spiritus profectum, et in specie de praeparatione ad iniurias et alia molesta aequo animo ferenda.

Quarto: De fratribus, et quomodo ex eorum conversatione proficiat in Domino, et an alicui sit plus familiaris quam aliis; an aversionem animi sentiat ab aliquo et an offensus sit in aliquo a quopiam, et quomodo sit affectus erga omnes.

Quinto: Num post ultimam rationem conscientiae, quam reddidit, maiorem aut minorem fructum fecerit.

7. Quod monachus cum abbate, idem praestare debet abbas cum aliquo ex monachis circa rationem conscientiae propriae reddendam.

Cap. XI. — *De renovatione votorum.*

1. Ut firmius monastica disciplina retineatur, monachi nostri in die festo sancti patris Antonii, die XVII mensis ianuarii, vota solemnia quolibet anno renovent, hoc modo:

2. In congregatione monachorum una hebdomada ante festum sancti patris nostri Antonii abbas moneat omnes religiosos de futura votorum renovatione, ut unusquisque se praeparet ad confessionem sacramentalem in pervigilio festi vel ipso die faciendam, ubi, communione fratrum ac liturgia absoluta, congregentur omnes in locum a saecularibus separatum, in quo abbas faciat brevem adhortationem de votis mox renovandis: deinde cantatis litaniis B. Virginis Mariae et recitatis secreto oratione dominica et salutatione angelica, ipse abbas flexis genibus coram altari legat clara voce sequentem formulam:

« Ego N. N. renovo meam professionem monasticam et promitto Deo omnipotenti, beatissimae Virgini Mariae, sancto patri nostro Antonio, et reverendissimo meo abbati generali N. N. eiusque successoribus obedientiam, paupertatem et castitatem usque ad mortem

iuxta regulam et constitutiones nostras. Item promitto, me nullam dignitatem sive in ordine nostro monastico sive extra ambiturum vel postulaturum per me ipsum aut per alios, seu acceptaturum, nisi iussu superiorum ».

Si sit abbas generalis, omittat ea verba, *et reverendissimo meo abbati generali eiusque successoribus,* et loco eorum dicat, *et reverendissimo abbati generali pro tempore existenti.*

Tum surgens abbas ad latus dexterum altaris sedeat: mox alii monachi, iuxta antiquitatem suam in professione, eamdem formam renovationis votorum ex chartula sive libro in manibus abbatis existente, genuflexi ante ipsum abbatem proferant. Quibus finitis, surgat abbas et omnibus aliis genuflexis, faciat absolutionem, dicens:

Deus misereatur vestri, et dimittat debita vestra, et condonet peccata vestra, et perducat vos ad vitam aeternam.

Respondent: *Amen.*

Abbas: *Benedicat vos omnipotens Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus.*

Respondent: *Amen.*

Cap. XII. — *De monachis infirmis et decedentibus.*

1. Cum monachus graviter aegrotare coeperit, statim confiteatur abbati, vel confessario ab eodem deputato, et sacra communione reficiatur, servata ad hoc hora magis conveniente, antequam cibum capiat, nisi infirmitas nimium urgeret. Nec ultra unum a gravi infirmitate diem confessio differri poterit, et, si fieri potest, etiam communio. Et statim praesentibus duobus vel tribus monachis, debet infirmus abbati vel oeconomo revelare bona omnia, quorum usum habuit, nec in inventario descripta sunt. Alioquin si, monitus ab abbate, omnia, quae supra dicta sunt, facere detrectaverit, atque illum mori contigerit, ecclesiastica sepultura privetur et suffragiis divinis. Si vero temporalium bonorum administrationem habuerit, postquam coeperit graviter aegrotare, et maxime si nulla sit spes salutis, abbas cum duobus aut tribus testibus monachis omnia illius repositoria visitet, et faciat debitum inventarium. Sique necessitas postulaverit, eius ministerium alteri tradat, donec infirmus convalescat vel moriatur. Idem de abbate infirmo dicendum, sive abbas monasterii sit, sive hegumenus, sive etiam abbas generalis. Quaecumque autem in cella monachi post eius obitum reperta fuerint, monasterio applicentur.

2. Diligens cura infirmorum habeatur, eisque, secundum infirmitatis indigentiam, et secundum medicorum consilium, provideatur de omnibus necessariis; et aliquis religiosus ac pius monachus, non aliunde occupatus, eis specialiter assignetur, qui sciat, possit et debeat ministrare. Cumque horas canonicas gravati morbo per se ipsos recitare non possint, tunc, si sustinere possunt, dicantur coram eis ab aliquo.

3. In quolibet monasterio, ubi commode fieri poterit, segregetur locus pro infirmis, etiam cum oratorio ubi singulis diebus missa celebretur, si quis sit infirmus qui eam audire possit.

4. Item in ecclesia monasterii decenter et honeste conservetur sacrosancta Eucharistia pro monachis et familiaribus nostris, in casu necessitatis eis porrigenda.

5. Item oleo benedicto infirmum ungat abbas vel eius vicarius iuxta ritum sacrae lampadis sive Extremae Unctionis. Et habeantur in quolibet monasterio libri rituales tam pro Eucharistiae administratione, quam pro Extrema Unctione et pro commendatione animae et exequiis.

6. Nullus monachorum permittatur uti scientia medicinae tam pro monachis quam pro saecularibus, nisi in dicta scientia sit sufficienter instructus, et dispensationem a legitimis superioribus habeat: idque sine periculo et scandalo et sine mercede, sed ex sola caritate faciat.

7. Abbas monasterii obitum cuiusque monachi in suo monasterio decedentis sine dilatione abbati generali et abbatibus ceterorum monasteriorum denunciet per epistolam encyclicam, ut pro mortuo fiant suffragia; nempe, in monasterio in quo monachus obierit, fiant exequiae more solito et missa solemnis, et unusquisque sacerdos dicat tres missas, et quilibet non sacerdos ter psalterium orationum dominicarum et salutationum angelicarum, item dicatur pro eo missa solemnis in die quadragesimo obitus et in anniversario: in reliquis vero monasteriis una missa dicatur a quolibet sacerdote, et unum psalterium orationum dominicarum et salutationum angelicarum a non sacerdote. Pro abbate vero generali et unoquoque ex quatuor hegumenis, idem fiat in toto ordine quod fit in monasterio in quo monachus moritur; idque intelligendum est de illis etiam, qui aliquando munere abbatis generalis et hegumenorum functi sunt, etiamsi tales non fuerint cum mortui sint. Hunc autem missarum et orationum numerum, quem supra expressimus, augere vel diminuere poterit congregatio generalis pro maiori vel minori monachorum numero.

8. Audita morte summi Romani Pontificis vel reverendissimi domini patriarchae nostri, fiant exequiae solemnes in singulis monasteriis, ut unusquisque sacerdos dicat unam missam, et non sacerdos centum quinquaginta *Pater noster* et *Ave Maria,* quod est integrum psalterium precum. Idem fiat pro episcopo in monasteriis, quae in eius dioecesi sunt, et pro

benefactoribus insignibus in monasterio cui benefecerunt.

9. In omnibus coemeteriis nostris monachi a saecularibus semoti sepeliantur in habitu, quem gessere, sive professorum vel novitiorum.

10. Bis in anno fiat commemoratio pro omnibus monachis defunctis nostri ordinis: bis quoque pro parentibus, affinibus et amicis monachorum et pro omnibus, qui in coemeteriis nostri ordinis sepulti sunt; et bis pro benefactoribus, et pro illis qui literas fraternitatis ordinis nostri habuerunt. Semel scilicet mense novembri et semel ante initium ieiunii quadragesimalis. In utraque commemoratione dicatur in unoquoque monasterio missa solemnis, et quilibet sacerdos dicat unam missam, et non sacerdos psalterium precum.

Cap. XIII. — *De eremitis et inclusis.*

1. Quoniam patres nostri non modo coenobiticam vitam, sed etiam eremiticam coluere, nobisque tradidere; ideo vestigiis eorum inhaerentes, decernimus, fas esse unicuique monacho professo, post exactum tamen a professione monastica quinquennium, et petita prius obtentaque ab abbate licentia, in cellam a communi aliorum monachorum consortio semotam, claustro tamen munitam, secedere ad tempus vel in perpetuum, prout ipsi abbati et congregationi monachorum visum fuerit; ubi orationi et spiritualibus exercitationibus vacet; et, si firmo corpore fuerit, agellus ei colendus tradatur, vel illud manuum opus exerceat, quod utile fuerit et conveniens. Probet autem abbas spiritum monachi, antequam illi dictam licentiam concedat, ne quid diabolicae fraudis in huiusmodi secessu subrepat.

2. Minus quam duo non sint apud monasterium eremitae, iique in duabus cellis separatis, neque plus quam tres, in totidem cellis. Quod si monasterium frequens sit, et voluerint plures quam tres monachi vitam eremiticam colere, tunc bini bini eremitae separatim ab aliis in sua quisque cella manebunt; et alter alteri eremita ministrabit in rebus spiritualibus et temporalibus, eadem omnino ratione, quae a regula et constitutionibus praescribitur coenobitis erga socios; idque, si ambo vel unus eorum sacerdos fuerit; nam sacram liturgiam et sacramenta confessionis et communionis eodem modo in oratorio privato frequentabunt, quo frequentantur a monachis in ecclesia monasterii. Si vero ambo non sacerdotes fuerint, id praestare debebunt in ecclesia monasterii, ad quam pro rebus spiritualibus convenient certis horis, certisque diebus; tum ad cellas suas abibunt. In festo autem Paschatis Resurrectionis et in festo Nativitatis Domini, debent omnes eremitae, tam sacerdotes quam non sacerdotes, ad ecclesiam monasterii accedere, ibique divinum officium cum monachis celebrare, et missam dicere vel audire; tum, si voluerint, poterunt in communi refectorio cibum sumere; alioquin, peractis divinis officiis et salutato abbate, in cellas suas pergent.

3. Curet abbas monasterii, quae circa illos aguntur, perspecta habere, et invigilet, ne praetextu eremiticae vitae, otio se dent, aut aliud faciant, quam quod huiusmodi institutum postulat. Assignet praeterea unum ex monasterio, qui temporibus suis victum, potum, vestitum et omnia necessaria inclusis sive eremitis subministret.

4. Semel in anno per decem aut octo dies tenentur monachi omnes in cellas suas a communi aliorum consortio secedere, et spiritualibus exercitationibus vacare: idque sive ante Nativitatem Domini sive ante dominicam Palmarum. Provideat autem abbas, ut secessus huiusmodi inter monachos sic distribuatur, ut nullum vitae communi aut necessariis monasterii ministeriis detrimentum inferatur.

Cap. XIV. — *De monialibus.*

1. Monialium curam ordo noster non suscipiat, nisi de consensu reverendissimi domini patriarchae et episcopi dioecesani in scriptis habendo; eoque habito, regimen earum ad abbatem generalem immediate pertinebit, qui illarum post reverendissimum dominum patriarcham et episcopum visitator ordinarius erit, et gubernator et director; et ad eum spectabit eis providere de patribus spiritualibus seu confessariis, tam ordinariis quam extraordinariis; et ipse etiam poterit earum confessiones per se ipsum audire, si voluerit, et visitatorem aliquem ex monachis nostrae congregationis substituere, si impeditus fuerit.

2. Si plura fuerint monialium monasteria, nullam ab invicem dependentiam habebunt, nec unius abbatissa alteri praeesse poterit, sed unumquodque a sua abbatissa administrabitur, et omnibus abbatissis praeerit abbas generalis, ut modo dictum est. Poterunt tamen moniales ex uno monasterio in aliud ob urgentem necessitatem transferri, modo adsit consensus duarum saltem partium monialium ad quas transfertur, et episcopi illius loci.

3. Nulla virgo a parentibus aut aliis coacta vel seducta recipiatur in monasterio, nullaque habitu monialium induatur, absque licentia abbatis generalis, et nisi ex consensu seu suffragiis plusquam medietatis monialium. Habeat autem eas omnes respective conditiones quae in novitiis monachis iuxta constitutiones nostras requiruntur. Sitque sexdecim annos nata, cum novitiatum incipit, neque annum aetatis quadragesimum quintum excedat. Profiteri autem non poterit ante completum biennium novitia-

tus. Si qua vero novitia in aetate legitima constituta, probationis annum nondum expleto, ob infirmitatem ab hoc saeculo migratura, pro consolatione animae suae ad habitum professarum admitti desideraverit, coram abbatissa et monialibus ab abbate generali vel ex eius commissione ab aliquo sacerdote monacho admitti poterit ad probationem faciendam.

4. Non multiplicentur novitiae vel moniales ultra numerum earum, quae ex redditibus propriis monasteriis vel ex consuetis eleemosynis commode possint sustentari. Nihil vero pro earum receptione in novitiatu vel professione a monasterio exigatur, excepto vestitu novitiarum; et quando vestiendae erunt habitu novitiarum vel habitu professarum, id fiat in ecclesia monasterii coram abbatissa et monialibus, in manibus abbatis generalis, praevio consensu episcopi, vel in manibus ipsius episcopi, monito prius abbate generali.

5. Velum consecrationis nulli monialium detur, nisi ab episcopo, idque virginibus quidem anno aetatis quadragesimo. Viduis vero, anno sexagesimo: nec nisi expletis saltem quinque annis post emissam professionem. Sic autem velatae reliquis non velatis, excepta abbatissa, praecedant et veli forma distinguantur.

6. In electione abbatissae omniumque officialium, moniales professae, quae duos integros post professionem annos in monasterio egerunt, suffragia ferant coram abbate generali vel eius substituto et coram eo cui de iure competit. Et quoad aetatem eligendae, servetur dispositio iuris canonici: eaque debet esse, quae annos saltem quinque post emissam professionem in monasterio laudabiliter vixerit. Reliquae vero officiales, post exactum a professione biennium, omnium officiorum capaces sint.

7. Nulla abbatissa vel officialis ultra triennium in eadem dignitate vel officio manere potest aut confirmari, nisi a dignitate vel officio per integrum triennium vacaverit, nisi necessitas ad petendam dispensationem a reverendissimo domino patriarcha coegerit: nullaque monialis succedere poterit in eodem officio alteri sorori germanae, neque in electionibus officialium, praeter duas sorores, tertia vel quarta suffragium habere potest.

8. Moniales omnes vitam communem servent, omni vitio proprietatis penitus ablato. Curet proinde abbatissa, ut omnibus de necessario victu, vestitu ceterisque aequaliter et sine ulla distinctione provideatur.

9. Quoad orationem vocalem et mentalem, et sacramenta confessionis et communionis, et quoad missam audiendam, rationem reddendae conscientiae, silentium, lectionem ad mensam, et ceteras regulas sive constitutiones, omnia observentur a monialibus, quae monachis praescripta sunt: debeant enim in choro temporibus suis horas canonicas cantare, abbatissa seu vicaria praesidente; orationi mentali per semihoram in die vacare; peccata sua sacerdoti designato semel quavis hebdomada confiteri; Eucharistiam diebus dominicis et festis suscipere; missam quotidie audire; feria sexta et quarta post vespertinum officium in cellam suam secedentes, manibus in crucis figuram extensis, psalmum *Miserere* quinquies recitare; non tamen abbatissae, sed sacerdoti confessario rationem conscientiae suae reddere, idque satis erit si semel in hebdomada fiat; silentium in ecclesia, in mensa, et a completorio ad tertiam horam diei sequentis diligenter observare; in communi mensa lectionem libri spiritualis recitare; omnes denique regulas et constitutiones observare, quae earum sexui et statui non repugnant.

10. Operi quoque manuum assuescant, quod nimirum monasterio et sororibus utile sit; officia autem pro monialium viribus abbatissa et sorores in electione officialium sic distribuant, ut quae nimium laboriosa sunt, ter vel quater in anno mutare possint et debeant; alioquin abbas generalis, si quae oriantur contentiones vel murmurationes inter sorores de gravaminibus officiorum, auctoritate sua providere poterit, omniaque officia praeter abbatissae solius dignitatem mutare; abbatissam autem neque sorores omnes, neque abbas generalis ante expletum triennium deponere poterit absque episcopi aut reverendissimi domini patriarchae licentia.

11. Confessarius monialium eligatur ab abbate generali, qui sit sacerdos gravis, bonae famae et provectae aetatis, nec audeat ingredi earum monasterium, nisi urgente necessitate, et ob gravem alicuius infirmitatem, et nunquam solus, sed cum socio, viro probo et maturae aetatis, qui ab eius latere non recedat, itaut semper alter ab altero videatur; nec ingrediatur, nisi cum stola super habitum monasticum, nec aliquam monialem visitet aut alloquatur, sed ab abbatissa vel eius vicaria, una cum duabus aliis monialibus, ducatur cum socio ad cellam eius, quae peccata sua confiteri vel sacramenta Eucharistiae et Extremae Unctionis recipere debet. Reliqua sacramenta a proprio confessario recipiant in ecclesia monasterii; curandumque, ut inducatur receptus mos, ubi necdum inductus est, ut nimirum moniales ex patente ad hunc dumtaxat finem fenestrella communicent, quae, peracta communione, claudenda erit, clavisque ab abbatissa custodienda. Confiteantur autem per interpositas crates; horas vero canonicas ex choro decantent cratibus munito.

12. Curabit abbas generalis, ut quovis triennio confessarius ordinarius mutetur et alter in eius locum succedat. Quolibet autem anno ipsis

monialibus extraordinarius confessarius quater exhibeatur, qui omnium confessiones audire possit.

13. Nisi in monasterio sint, quae alias moniales legere, scribere et horas canonicas cantare, docere possint, ipse confessarius, extra ostium monasterii sedens, id praestare poterit, quatuor saltem monialibus praesentibus.

14. Etsi curandum sit, ut moniales extra septa monasterii nunquam egrediantur, quia tamen id ubique commode obtineri non potest, curent saltem, ut ad possessiones monasterio contiguas, ad quas pro necessitatibus monasterii exire coguntur, nisi binae, ternae aut quaternae non procedant, nec ullum virum quovis praetextu ibi versari, vagari, aut illinc transire permittant; idque abbas generalis et confessarius ab ipso deputatus, qui in loco a monialibus prorsus separato et aliquantulum remoto domicilium cum socio habebit, apud episcopum et reverendissimum dominum patriarcham diligenter provideat. Si quid vero in dictis possessionibus aut etiam intra monasterium faciendum erit, quod operarum ministerium requirat, id praesente confessario cum socio et semotis monialibus fiat. Ad visitandas autem vicinas saecularium vel monachorum ecclesias vel quaslibet ecclesiasticas aut saeculares personas, e monasterio exire nullatenus permittantur, nisi parentes sint vel affines usque ad tertium gradum, quos graviter decumbere contigerit; ad illos enim, si in vicinia habitent, accedere poterunt, modo tamen sint ternae vel quaternae, nec ibi prandeant, aut cenent, aut pernoctent.

15. Semel in anno, per se ipsum vel per substitutum sacerdotem monachum, abbas generalis visitet monasterium monialium, et inquirat de observantia monastica deque ceteris quae ad moniales monasteriumque spectant. Caveat tamen, quoad fieri poterit, ingressum monasterii, idque nisi urgente causa non ficta; sique fecerit, unum vel duos socios secum testes adhibeat.

16. Nullus ex monachis, etiamsi hegumenus vel abbas fuerit, praeter eos qui ab abbate generali ad regimen spirituale monialium deputati sunt, poterit ad monasterium earum accedere, vel missam in earum ecclesia audire aut celebrare, vel illas alloqui aut ad eas scribere, sive literas et munera ab iis accipere, sub poena gravis culpae; neque moniales possunt ad quemquam monachum, praeter abbatem generalem et confessarium actualem, literas scribere aut ad colloquium admittere. Quaecumque in hoc deliquisse deprehensae fuerint, severe puniantur.

PARS TERTIA

Cap. I. — *De communi regula abbatum et superiorum.*

1. Cum abbatum eorumque omnium qui ad regimen aliquod in nostro ordine assumuntur, officium sit commune totius ordinis bonum procurare, nec vires eorum ad tantum onus ferendum sufficere certum sit, in primis divinam opem ipsi implorare non desinant, idque potissimum facient cum necessitas occurrerit. Deinde noverint, se ad laborem et sollicitudinem magis, quam ad honorem assumptos esse, meminerintque se exemplo bonorum operum debere fratribus praeire. Communes itaque regulas ipsi accurate servent, et particularia in cibo, indumentis et aliarum rerum usu, quantum fieri potest, devitent.

2. Calleant rationes officii sui, et ex frequenti constitutionum tam privatarum suarum quam communium, aliorumque officialium sibi subiectorum, lectione intelligant, non temere et pro suo arbitrio rem sibi agendam esse, sed ex praescripto regulae, constitutionum et receptarum consuetudinum regendum ordinem fratresque gubernandos. Quare receptos mores et a superioribus vel decessoribus suis approbatos, servent ac servari faciant, nec mutare vel abrogare valeant, inconsulta superiore potestate; ipsi vero nullos, nisi superiore approbante, introducant.

3. Caveant, ne familiaritate atque indulgentia cum quibusdam alios offendant, aut occasionem offensionis quoquo modo in hac parte praebeant; neque alienum ab aliquo animum ostendant, sed erga omnes aequaliter et sine personarum acceptione se gerant.

4. Dent operam, ut omnibus fratribus cum omni sollicitudine invigilent, eosdemque ab iis, quae nocere possint, domi et foris defendant, tum praeveniendo, tum etiam, si quid mali acciderit, remedium adhibendo, itaut in omnibus honori et famae tum fratrum singulorum tum ordinis totius consulatur.

5. Efficiant ut, secum vel cum aliis a se deputatis, de propria conscientia statis temporibus fratres tractatum habeant, nec spiritualium collationum consuetudinem negligant, sed crebro et magna cum caritatis significatione alloquantur subditos, eorumque necessitatibus non corporis tantum, sed multo etiam magis animae, paterno affectu prospiciant. Quem vero intelligent gravi aliqua tentatione pulsari, eius peculiarem curam non solum per se, sed etiam, si necesse fuerit, per alios gerant; caveantque, ne remedium differendo, difficiliorem morbi curationem faciant.

6. Quamvis in virtute obedientiae iubere possint, nonnisi rarissime et gravi urgente causa id faciant.

7. In correctionibus et poenitentiis iniungendis caveant iracundiae aut alterius pravae affectionis speciem; sed personarum dispositionem considerent, aedificationis universalis et particularis illarum rationem habentes. Nisi autem prudentia rebus particularibus adhibenda aliud dictaverit, in correctionibus procedendum erit hoc ordine, ut qui peccant, primo in caritate et dulcedine admoneantur; secundo in caritate quidem, sed eo tamen modo, ut eis confusio et robur iniiciatur; tertio, amori ea quae timorem incutiant, si opus erit, adiiciantur. De publicis vero defectibus publica debet esse poenitentia.

8. Sic regimini aliorum tum spirituali tum etiam temporali incumbant, ut nihil de virtutum exercitationibus, propriaeque salutis cura remittant. Omnia igitur, quae ad religiosam perfectionem spectant, monachisque erga abbates et superiores exercenda praecipiuntur, ut puta reddendae conscientiae ratio, recessus a communi aliorum consortio per aliquot dies spiritualium meditationum causa, et cetera huiusmodi; ea ab ipsis abbatibus et superioribus facienda intelliguntur.

Cap. II. — *De regimine et de ordine atque praeeminentia abbatum.*

1. Cum dudum, Dei favente gratia, ex plurium monasteriorum ordinis sancti patris nostri Antonii unione congregatio nostra in Domino coaluerit, cumque in omni bene constituto hominum coetu necesse sit esse aliquem, vel etiam plures, qui boni universalis curam gerant, praeter eos qui certis provinciis et particularibus monasteriis praesunt, eligendus est abbas generalis, qui hunc sibi finem constituat, ut universa congregatio monachorum bene gubernetur, conservetur et augeatur.

2. Quare potestas abbatis generalis summa erit, et ad omnes et per omnia pro sacrorum canonum dispositione nostrarumque constitutionum praescripto extendatur.

3. Is porro ad triennium instituendus est, quo expleto, nisi a congregatione generali ad alterum triennium confirmetur, officium continuo dimittat.

4. In subsidium vero regiminis generali abbati, in eam quam diximus amplitudinem, commissi, eligendi erunt in congregatione generali quatuor hegumeni, quorum officium pariter ad triennium durabit, nisi ab eadem congregatione generali ad alterum triennium confirmentur.

5. Singulis autem provinciis et monasteriis abbates praeficiantur, quorum potestas etiam expleto ut supra triennio cessabit.

6. Quamobrem quolibet triennio congregatio generalis cogenda est, ad quam vocandi ab abbate generali erunt, praeter quatuor hegumenos supramemoratos, omnium provinciarum et monasteriorum abbates atque officiales maiores et quotquot officio generalis, hegumeni et abbatis defuncti sunt, modo non fuerint ob aliquos defectus depositi.

7. Huius generalis congregationis potestas in ordine nostro suprema est, generalemque abbatem et hegumenos confirmare, atque etiam, si opus fuerit, deponere potest.

8. Congregatio hegumenorum singulis saltem semestribus ab abbate generali et quatuor hegumenis habeatur, eiusque potestas omnes et omnia contineat, salvis tamen generalis congregationis decretis.

9. Quolibet anno congregatio provinciae ab abbate eiusdem provinciae et reliquis abbatibus monasteriorum subiectorum [1], eiusque potestas in provincia summa est, salvis decretis abbatis generalis et congregationum supramemoratarum.

10. Quolibet saltem mense congregatio monachorum ab abbate monasterii et sacerdotibus professis, quos abbas generalis ei consultores assignaverit, fiat, eiusque potestas in monasterio summa est, salvis decretis congregationum antedictarum, iisque omnibus, quae abbas generalis vel abbas provinciae ordinaverit.

11. Praeeminentia abbatis generalis excedit omnes aliorum officialium gradus, itaut ceteris omnibus et loco et ordine praecedat. Post hunc, quatuor hegumeni pro sua quisque electionis prioritate, si presbyteri omnes sint, vel dignitate, si quis eorum presbyter et alius non presbyter sit, primum in consessibus et suffragiis ferendis locum tenent; secundum [2] hegumenos vero abbates provinciarum, deinde abbates monasteriorum, iuxta uniuscuiusque monasterii dignitatem; tum ii, qui officio abbatum vel hegumenorum functi sunt, eodem ordine, ut supra; demum monachi professi, servata inter eos sacerdotii dignitate et professionis prioritate.

12. Si quando autem contigerit, ut eligatur vicarius abbatum aut hegumenorum, is locum illius tenebit, cuius vicariam potestatem gerit, ut puta vicarius abbatis generalis primum locum ante omnes hegumenos; et sic de vicario hegumenorum et abbatum provinciarum atque monasteriorum. Reliquorum vero officiorum, ut secretarii congregationum antedictarum, socii abbatum vel hegumenorum, procuratoris generalis, aut provinciae sive monasterii, et reliquorum, non alia ratio habebitur, quam prioritatis sacerdotii et professionis.

---

[1] Supple *habeatur* vel *fiat*.

[2] Videtur deesse praepositio *post*.

CAP. III. — *De abbate generali.*

1. Abbas generalis, cum totius ordinis curam habere debeat, a toto ordine in congregatione generali eligendus erit. Is autem ex eorum numero esse debet, qui diu in ordine et laudabiliter vixisse perspecti sunt; cui proinde nec desit eximia probitas, nec amor erga ordinem, nec idonea doctrina, nec ad sustinendum tantum onus animi corporisque firmitas: qui demum nullum ex iis impedimentis habeat, quae infra cap. *De electionibus* recensentur.

2. Cum vero canonice electus et fuerit in sua dignitate legitime confirmatus, omnimodam potestatem habet in ordine nostro ad normam regulae et constitutionum.

Ad eius itaque auctoritatem pertinet:

Primo, praeesse toti ordini, hegumenis, abbatibus et monachis omnibus, nisi quando in eadem congregatione generali de ipsius causa pertractandum sit, ut infra *de depositionibus abbatum* dicetur.

Secundo, in omni congregatione, etiam generali, suffragium abbatis generalis habet praerogativam praelationis et praecedentiae, ubi suffragia fuerint paria.

Tertio, per se vel per alium potest praesidere omnibus congregationibus, visitare omnia monasteria, et quemlibet monachum de provincia ad provinciam, vel de monasterio ad monasterium transferre, exceptis hegumenis et abbatibus, omnibusque officialibus, qui in congregatione generali aut hegumenorum instituti sunt, quos ab uno loco in alium transferre non poterit inconsulta congregatione hegumenorum.

Quarto, per se vel per abbates provinciae aut monasteriorum ad habitum recipere potest qui ad institutum idonei videbuntur; potest etiam eosdem dimittere, si facta probatione minus idonei reperti fuerint.

Quinto, ab omnibus abbatibus sive provinciarum sive monasteriorum, eorumque vicariis aut procuratoribus, ceterisque officialibus, potest rationes exigere, sibi vel aliis reddendas, de commisso illis officio aut regimine tum spirituali tum temporali.

Sexto, audire potest ac decidere causas onium abbatum aut monachorum ad se appellantium a gravamine superiorum vel aequalium vel inferiorum.

Septimo, consulta congregatione hegumenorum, recipere potest ad ordinem omnes monachos fugitivos sive apostatas, et tam cum illis quam cum aliis monachis, qui contra regulam sive constitutiones quocumque modo peccaverint, misericorditer dispensare super poenitentiis, sive partem poenitentiae sive totam etiam remittendo, prout ad eorum salutem conducere in Domino iudicaverit; potest etiam poenitentias, quae ad satisfactionem quorumcumque defectuum convenire videbuntur, iniungere, habita ratione personarum et aliarum circumstantiarum, quarum consideratio eius caritati, cum prudentia coniunctae, committitur, ita ut rectitudinem et severitatem cum benignitate et mansuetudine misceat, et eo modo se gerendo, ut, etiam qui corripiuntur, hoc ipsum agnoscere faterique compellantur.

Octavo, potest locum et vocem his, qui amiserunt, restituere, et inhabiles habilitare ad officia et gradus, nisi commiserint tales culpas, aut defectus tales haberent, quorum dispensatio per constitutiones congregationi generali et hegumenorum, aut per sacros canones episcopo vel reverendissimo domino patriarchae reservetur.

Nono, potest congregationem generalem, etiam ante praescriptum tempus, convocare ex causa rationabilia, vel post exactum terminum differre in aliud tempus usque ad biennium vel triennium, consultis tamen hegumenis, et habita facultate a reverendissimo domino patriarcha. Item dicendum de congregatione hegumenorum, quam ipse solus convocare potest, quoties de rebus agendum est illius auctoritatem exigentibus.

Decimo, potest constituere et destituere, quando videbitur sibi expedire, procuratorem apud Sedem Apostolicam Romanam, et alterum apud sedem Antiochenam, qui causas ordinis nostri, nomine ipsius abbatis generalis, pertractet.

Undecimo, potest etiam et debet vicarium suum generalem nominare et eligere, qui ipsius e vivis erepti vel legitime impediti vices gerat, tum in regimine totius ordinis, tum in congregatione hegumenorum, aut etiam generali, usque ad novi abbatis electionem; is autem vicarius semper debet esse primus ex quatuor hegumenis; cumque contigerit, abbatem generalem, ut supra, e vivis decedere aut legitime impediri, tunc hegumenis ipsis fas esto quintum hegumenum eligere, qui locum quarti tenebit, cum primus, ut dictum est, tamquam abbatis generalis vicarius habendus sit.

Duodecimo, penes abbatem generalem est omnis facultas agendi quosvis contractus emptionis aut venditionis quorumlibet bonorum temporalium, tam mobilium quam immobilium, omnium monasteriorum in eorumdem utilitatem et bonum; item, nova si offerantur monasteria, acceptandi ex consilio hegumenorum et consensu episcopi ac reverendissimi domini patriarchae; alienare autem, aut omnino dissolvere monasteria non poterit, sed tantum ad tempus suspendere, constituto prius oeconomo, idque de consensu congregationis hegumenorum. De iis vero, quae ordini nostro relinquuntur, si dominus certum monasterium aut determinatum pium opus non designaverit, poterit abbas generalis disponere, prout expedire ad communem ordinis utilitatem iudicaverit.

Decimotertio, sicut ad abbatem generalem pertinet ut ordinis constitutiones ubique servandas curet, ita ad eumdem spectat non modo easdem constitutiones interpretari, quando dubium aliquod occurrerit, sed etiam, ubi opus est, in iis quae accidunt, ex iusta et legitima causa cum aliquibus dispensare, regulae finem intuendo, qui alius non est quam maius Dei obsequium, et illorum, qui hoc institutum susceperunt, utilitas et profectus. Non est autem censendum, eum dispensare, nisi expressam constitutionum mentionem faciat in quibus dispensat. Non potest tamen constitutiones in congregatione generali iam approbatas omnino abrogare aut irritare.

Decimoquarto, sicut potest abbas generalis nostri ordinis monachos ex legitima causa vinculis censurarum ligare, ita plenam facultatem habet eosdem absolvendi ab omnibus censuris contractis post ingressum religionis, dummodo casus non sint reservati episcopo aut reverendissimo domino patriarchae, quorum notam apud se descriptam habebit, ut sciat limites suae potestatis tam quoad absolutionem a censuris, quam quoad dispensationem in irregularitate.

Decimoquinto, potest casus aliquos in toto ordine sibi et abbatibus provinciarum aut monasteriorum reservare, a quibus deputati ad audiendas monachorum confessiones, nisi habita ab ipso aut abbatibus licentia, absolvere nequeant. Illos tamen debet in nota expressos et in congregatione hegumenorum approbatos monachis significare.

Decimosexto, cum abbas generalis talenta hominibus nostri ordinis donata cognoscere debeat, officia magistrorum, praedicatorum, confessariorum et alia huiusmodi per se distribuere potest, aut abbatibus provinciarum sive monasteriorum distribuenda committere. Ad hunc autem finem curet per abbates provinciarum et monasteriorum certior reddi de statu omnium monachorum bis saltem in anno: item de numero et qualitatibus monachorum. Etsi vero aliis inferioribus abbatibus suam facultatem communicet, poterit tamen approbare vel rescindere quod illi fecerint, et in omnibus quod videbitur constituere, et semper ei obedientiam ac reverentiam ab omnibus praestari oportebit.

Denique potest abbas generalis omnia et singula in toto ordine facere, quae abbates provinciarum et monasteriorum in suis provinciis et monasteriis; et insuper omnia illa quae ei per constitutiones reservantur.

3. Ut officio suo abbas generalis rite fungatur, debet:

Primo, statim atque electus sit, literas ad omnia monasteria mittere, quibus monachos ad regulae constitutionumque observationem sedulo cohortetur.

Secundo, semel quolibet anno monasteria omnia, saltem viciniora, per se ipsum, remotiora vero per se vel per vicarium visitet, adiuncto ei uno ex monachis maxime idoneis, acceptoque prius ab illis iuramento de servanda iustitia et secreto visitationis, quam postea subscriptione propria firmatam, sigilloque munitam, ad se transmittant vel personaliter accedentes exhibeant.

Tertio, habeat apud se omnia documenta quae ad ordinem spectant; catalogum itidem omnium monasteriorum cum suis redditibus et oneribus, et alterum personarum omnium quae in quovis monasterio versantur, ubi eorum nomina et qualitates scribantur, itaut omnia perspecta habeat, tuteque providere possit, quae ad gloriam divinam pertinere iudicaverit.

Quarto, rescribere quidem ad abbatem, qui ordo tenendus sit in singulis negotiis rebusque dubiis in quovis monasterio, ad abbatem generalem spectat; sed executionem ordinariis officialibus demandabit. Intelligat itaque rebus universalibus sibi vacandum esse, quas solus ipse obire potest, ita tamen, ut de gravioribus particularibus certior fieri curet. Non solum autem ad res particulares, ut dictum est, ministris opus habet, sed etiam ad universales; quamobrem hegumenos frequenter consulat, eorumque congregationem in rebus magni momenti semper convocet. In eo vero monasterio, in quo residet, curabit habere apud se viros graves et instituti peritos, quibuscum conferre de rebus occurrentibus possit.

Quinto a congregatione generali eligendum erit monasterium, in quo abbatis generalis et hegumenorum ordinaria sit residentia. Ab illo autem, nisi ex legitima causa, abesse non poterit, nec residentiam in aliud monasterium transferre, inconsulta congregatione hegumenorum. Nullius vero monasterii ordinarium regimen per seipsum exercebit abbas generalis, sed si contigerit ipsum in aliquo monasterio moram trahere quod abbate ordinario destitutum sit, illud per substitutum vicarium regere poterit usque ad novi abbatis electionem in congregatione hegumenorum vel generali faciendam. Et sicut ipse non debet abbates ordinarios a regimine monasteriorum impedire, aut in illo sese immiscere, ita abbates ordinarii debent reverentiam et obedientiam generali abbati in suis monasteriis commoranti exhibere, nihilque ipso inconsulto agere.

Sexto, ab omni fastu et pompa abstineat, tam intra monasterii septa quam extra, nec praeter unum aut duos socios secum habeat, cum e monasterio egreditur, nisi aliud necessitas suadeat.

Septimo, monachos in suis gravaminibus ad se recurrentes benigne excipiat et patienter audiat. Caveat tamen, ne inde ansam accipiant superiores contemnendi, sed potius curam o-

mnem adhibeat, ut subditi superioribus amorem ac reverentiam exhibeant.

Octavo, si contingat aliquid a summo Pontifice sive a reverendissimo patriarcha decerni circa monachos nostros, curet illud diligenter promulgari et observari. Utriusque etiam favorem et protectionem ordini nostro conciliari studeat; quod idem praestet cum episcopis locorum ordinariis, atque magistratibus laicis, in quorum ditione monasteria nostra sita sunt.

Cap. IV. — *De hegumenis.*

1. Hegumeni quatuor in congregatione generali eligendi sunt, qui abbatem generalem in gubernatione totius ordinis adiuvent.

Ad hegumenorum vero auctoritatem pertinet:

Primo, ut in omni congregatione et extra congregationem primum locum post abbatem generalem teneant.

Secundo, in omnibus negotiis decidendis, ad suam et ad generalem congregationem devolutis, sententiam definitivam post abbatem generalem ferunt.

Tertio, una cum abbate generali omnes abbates tum provinciarum tum monasteriorum constituunt, et, si opus fuerit, destituunt, vel loco abbatum defunctorum alios substituunt: idem dicendum, si quis hegumenorum obierit; possunt enim eius loco alium eligere cum abbate generali.

Quarto, cum eodem abbate generali, aut eo e vivis erepto vel legitime impedito, soli possunt quintum hegumenum eligere, qui locum quarti teneat in eo casu, quo primus hegumenus, tamquam vicarius, abbate generali legitime impedito aut defuncto, toti ordini praeesse debebit usque ad novi abbatis generalis electionem; quam, si expedire visum fuerit, possunt etiam differre, donec triennium expleatur, quo generalis congregatio convocanda erit. Sic etiam possunt vicarium hegumeni deputare, si contigerit illum ex legitima causa ab officii sui executione impediri.

Quinto, possunt generalem congregationem convocare, quando abbas generalis in eos casus inciderit, ob quos de eius publica reprehensione, aut ab officio suspensione, aut etiam depositione agendum esset: modo tamen conveniant suffragia trium aliorum abbatum, quos in tali casu convocare debent, et tunc suffragia maiora praevalebunt.

Sexto, omnia et singula facere possunt, quae ipsis per constitutiones reservantur.

2. Curare debent hegumeni, ut cum abbate generali perfectam concordiam et obedientiam servent; idque tum factis tum verbis ostendant, auctoritatem ipsius apud omnes non solum conservando, sed omnibus etiam, quibus poterunt, modis augendo. Ipsi vero inter se in sententiis ferendis consentiant, alterque alterum honore praeveniant. Si autem contigerit, aliquem eorum in congregatione singularis esse sententiae, nemo ab illo ullam aversionem habeat vel ostendat. Quae vero in congregatione proposita aut dicta sunt, nemo illorum revelet, aut aliis indicet, sub poena ad libitum congregationis hegumenorum. Quae demum definientur, ea per secretarium descripta, sigillisque abbatis generalis et uniuscuiusque hegumenorum, manusque eorum subscriptione firmata, cum opus esse iudicaverint, promulgabuntur. Exemplar autem eodem modo firmatum et subscriptum in archivio ordinis conservabitur.

3. Ordinaria hegumenorum residentia, quandocumque fieri potest, una cum abbate generali erit in monasterio per congregationem generalem deputando, a quo, inconsulta congregatione hegumenorum, nemo illorum poterit abesse; neque ordinarium alicuius monasterii regimen exercere. Quod si contingerit quempiam eorum ex legitima causa, in eadem hegumenorum congregatione probanda, ad monasterii regimen sive visitationem deputari, in quo officio ultra sex menses versari debeat, tunc vicarius ei ab eadem hegumenorum congregatione substituendus erit, qui vices ipsius et auctoritatem gerat, ut scilicet numerus quatuor hegumenorum, abbati generali assistentium, numquam minuatur.

Cap. V. — *De abbate provinciae.*

1. Abbas provinciae in congregatione hegumenorum eligatur ab abbate generali et a quatuor hegumenis, cuius auctoritas terminis suae provinciae includitur. Provinciae autem earumque abbatum residentia in congregatione generali designetur. Eiusdem congregationis arbitrio erit huiusmodi abbates instituere, ubi necessarii sunt, vel destituere, ubi illos supervacaneos esse iudicaverit.

2. Singulis annis debet monasteria provinciae suae visitare per se ipsum, vel, si impedimentum legitimum occurrerit, per vicarium, ut supra de abbate generali dictum est. Et visitationis decreta, sigillo suo, manusque subscriptione firmata, ad abbatem generalem transmittere.

3. Bis quolibet anno ad eumdem abbatem generalem scribat de statu monasteriorum suae provinciae, deque numero et qualitate monachorum.

4. Non potest esse abbas ordinarius illius monasterii, neque debet ingerere se in regimine immediato illius monasterii, ubi residet; sed illud liberum et absolutum proprio abbati relinquere, qui tamen in omnibus primum locum abbati provinciae deferat, nihilque magni momenti eo inconsulto suscipiat, et praecipienti pareat.

5. Potest monachos de uno monasterio in aliud eiusdem suae provinciae ex causa rationabili, prout in Domino expedire iudicaverit, pro residentia mittere vel transferre, etiam sine consensu abbatis utriusque monasterii, ita tamen ut de hac monachorum missione vel translatione literas patentes suo sigillo manusque subscriptione munitas conficiat. Non potest autem monachos sibi subiectos ad monasteria diversae provinciae pro residentia mittere vel transferre, nisi de consensu abbatis generalis. Sed pro negotiis aut necessitatibus provinciae suae, vel alicuius monasterii sibi subiecti, potest monachos de sua provincia ad aliam mittere cum literis testimonialibus, in quibus causam significet, tempusque reversionis limitet.

6. Monachos provinciae suae neque suspendere neque excommunicare potest, aut casum aliquem sibi in confessione reservare, sine abbatis generalis licentia; sed eos regere et iudicare debet ex praescripto regulae et constitutionum, in quibus dispensare nequit eodem abbate generali inconsulto.

Cap. VI. — *De abbate monasterii.*

1. Abbas monasterii eligitur in congregatione hegumenorum ab abbate generali et quatuor hegumenis, a quibus etiam non expleto triennio ob legitimam causam ab officio suspendi aut deponi poterit.

2. Antequam officio suo fungatur, literas praefecturae ostendat monachis, easque in publico loco legi faciat. Et, si abbas provinciae in eodem monasterio versetur, illi eas praesentet, vel earum exemplar sigillo monasterii munitum ad illum mittat, si absens fuerit. Postquam vero literae congregationis hegumenorum lectae fuerint, monachi omnes coram eo genuflectant, eiusque tamquam abbatis benedictionem poscant. Ipse vero a praedecessore suo vel vicario eius monasterii sigillum et inventaria rerum omnium recipiat, praesente monasterii congregatione, et in cellam abbati destinatam secedat.

3. Domestica ministeria statim distribuat, officiales eligens vel confirmans, quos in Domino idoneos iudicaverit (exceptis quibusdam, quorum electio ad abbatem generalem pertinet), et suas cuique regulas tradens. Ac primo vicarium suum constituat, deinde oeconomum seu procuratorem monasterii, mox alios officiales iuxta indigentiam et consuetudinem coenobii; eosque identidem visitet, et, prout in Domino visum fuerit convenire, vel in eiusdem ministeriis detineat vel ab eis removeat: quod de reliquis officialibus intelligendum est, praeter vicarium et oeconomum; hos enim removere nequit, nisi ex consilio congregationis monachorum. Quia vero officia quaedam, ut bene fiant, experientiam requirunt, non facile mutari debebunt: et in hoc mutationis officialium negotio vitium inconstantiae omnino vitandum est.

4. Non potest monachos de monasterio, cui praeest, in aliud transferre; sed, si necesse fuerit, consulat prius abbatem provinciae aut abbatem generalem. Pro negotiis vero monasterii sui potest monachum ad aliud monasterium mittere cum literis testimonialibus congregationis monachorum, in quibus causam significet, et tempus reversionis definiat. Item non potest monachos monasterii sui suspendere vel excommunicare, vel casum aliquem in confessione sibi reservare, inconsulto abbate generali.

5. Semel saltem in anno visitet possessiones et bona monasterii, et quolibet mense ab oeconomo rationem accepti et expensi praesente vicario exigat, ut totius monasterii administrationis ratio ipsi constet, quam reddere debet unoquoque anno, semel quidem, abbati generali, bis autem, abbati provinciae. Ut vero nihil ex bonis monasterii depereat, debet infra sex menses suae praefecturae conficere inventarium authenticum omnium rerum, quae ad illud coenobium pertinent, tam mobilium quam immobilium: eiusque inventarii duo describantur exempla, quorum alterum maneat in archivio monasterii sub duabus clavibus in quo etiam reponantur omnes scripturae ad idem monasterium spectantes, alterum transmittatur ad abbatem provinciae vel ad abbatem generalem. Dictae autem claves sint altera penes ipsum abbatem aut eius vicarium, et altera apud oeconomum. Sub iisdem clavibus reponantur redditus monasterii, itaut inde ne possit extrahi et nihil magni momenti expendi sine abbatis seu vicarii et oeconomi notitia.

6. Praeter congregationem monachorum, quae saltem unoquoque mense fieri debet, alternis hebdomadis cum suis consultoribus conveniat (nisi pro re nata aliquid extraordinarie consultandum esset), deque occurrentibus negotiis cum illis agat, et quamquam, iis auditis, penes ipsum sit de singulis statuendi facultas, consultores tamen benigne audiat, et praecipue eum, cui monitoris officium commissum est.

7. Praecepta, edicta et literas superiorum diligenter legat et exequatur. Habeatque librum in quo scribantur visitationes monasterii ab abbate generali aut provinciae factae et ordinationes illorum alicuius momenti: legat etiam eas, quas praedecessor suus adnotaverit; distinguat tamen perpetuas ab iis, quae ad tempus datae fuerunt. Institutum, quod in regimine monasterii tenere debet, cognoscat tum ex lectione regularum tam communium quam sui officii, et aliorum, qui sub eius cura sunt, tum ex observatione consuetudinum receptarum et executione ordinationum superiorum, ac demum in rebus dubiis ex recursu ad superiores.

8. Sit sollicitus, ne vicarius, oeconomus et reliqui officiales suo desint officio. Item curet, ut ordo, pax, unio et conformitas servetur a monachis in cella, in choro, in refectorio, et ubicumque locorum. Quare per se ipsum vel per vicarium visitet chorum, officinas et monachorum cellas; portam monasterii claudi faciat hora competenti, clavesque sibi vel vicario tradi: discursus et vagationes monachorum, et maxime iuniorum, compescat; iurgia et contentiones inter eos ortas componat, nec permittat in monasterio esse arma, vel instrumenta musica, aut libros vanos.

9. Ordinarias tantum poenitentias delinquentibus imponere debet, quae in constitutionibus praescriptae sunt. Delegare autem poterit vicario ut eas ipse praescribat, vel legi in refectorio praecipiat.

10. In iis quae ad victum, vestitum, habitationem et alia necessaria pertinent, curet ut, quamvis sit in quo virtus et sui abnegatio probetur, non desit tamen quo sustentetur natura, habita ratione personarum secundum Deum. Aegrotorum habeatur cura magna tam in victus ratione quam in caeteris. Hospites tum saeculares tum religiosi benigne suscipiantur et pertractentur. Si cui particulari quidpiam ad potum vel cibum pertinens ab externo aliquo mittatur, id in communem usum accipiatur et dispensetur.

11. Depositum pecuniae nullum prorsus admittat, aliarum vero rerum nonnisi cautissime; dummodo sine magna offensione id denegari non possit.

12. Lites fugiendae, nec ullam, inconsulto abbate generali aut provinciae, vel, si absentes fuerint et urgeat necessitas, inconsulta monachorum congregatione, intentet, aut intentata, respondeat.

13. Si faciendae sint expensae extraordinariae, vel fabrica magni momenti, vel monasterium aere alieno gravandum est, habita prius monachorum congregatione, eorum potiori parte annuente, rem ad abbatem generalem deferat.

14. Etsi proprium abbatis officium est monasterium sibi commissum diligenter gubernare, neque is propter aliud quidpiam huic muneri deesse debet, si quando tamen per officii sui occupationem licebit, concionari et confessiones audire poterit.

15. Tam abbas quam omnes alii sacerdotes aliquando intra annum officium vel officia eorum, qui monasterio inserviunt, ad tempus aliquod obibunt ad exercitium religiosae humilitatis et mortificationis.

Cap. VII. — *De vicario.*

1. Vicarius eligitur ab abbate monasterii, eiusque officium tamdiu durat, quamdiu officium abbatis: nec ab eo removeri debet, nisi de consensu congregationis monachorum. Eius autem locus sit primus post abbatem, et post eos qui abbatis generalis vel hegumenorum officio functi sunt.

2. Munus praecipuum vicarii est abbatem iuvare in iis quae in genere vel in particulari ei commendabit; nec dispensandi aut mutandi aut quidquam faciendi, nisi ex eiusdem praescripto, facultatem habebit.

3. Absente abbate omnia facere poterit, quae ipse abbas secundum regulam, constitutiones et consuetudines approbatas sui monasterii. Si vero aliquid extraordinarium acciderit, quod adeo urgeat ut commode abbas expectari nequeat, id expedire poterit vicarius, auditis consultoribus, statimque redeunti abbati referat. Praesente vero abbate, ea tantum iurisdictione utetur, quae sibi fuerit commissa.

4. Officiales visitet, quoties opus fuerit, observando quomodo suum quisque officium exequatur. Frequenter etiam adeat cellas et alia loca monasterii, ut domus munda sit, et omnia ubique decenter suis locis composita, ac praesertim in iis, quae ab externis videri solent. Noctibus singulis portas monasterii videat an bene clausae sint, et cellas monachorum visitet, ne quis extra cubiculum vagetur. Observet etiam crebro, num aliquid desit ex necessariis aut abundet monachis. Eorumque curam potissimum habeat, qui in corporis cura minorem de se ipsis sollicitudinem gerunt, rationemque de rebus omnibus monasterii, quas viderit aut executus fuerit, abbati, quoties opus fuerit, reddat et referat. Redigatque in memoriam, quae necessaria monasterio iudicabit, ut de emendis rebus ad victum et vestitum necessariis, et fratrum nimio aut exiguo labore, de sanitate et similibus.

5. Horis omnibus divinis nocturnis et diurnis atque sacrae liturgiae personaliter intersit, et observet an omnes adsint, et an die statuto ad confessionem et communionem accedant, aut missam celebrent. Item notet an constitutis horis in refectorio conveniant, aut e monasterio egrediantur, sive ad illud regrediantur, an e lecto surgant, aut cubitum eant. Defectus denique omnes, si quos in monasterio animadverterit, vel aliunde intellexerit, et quaecumque alia ad bonam gubernationem sibi occurrerint, abbati referat.

6. Singulis hebdomadis disponat officia monasterii, tabulasque conficiat. Ministrorum chori et ecclesiae, horasque missarum inter sacerdotes distribuat; quam quidem tabulam, ab abbate approbatam, in loco patenti exponat, et in re-

fectorio legendam curet. Ipse vero sibi hebdomadam tam in choro quam in missis canendis, sicut et reliquis fratribus, tribuat.

Cap. VIII. — *De oeconomo seu procuratore monasterii.*

1. Oeconomus sive procurator ab abbate monasterii constituitur: eiusque officium est res temporales monasterii curare et administrare, omniaque tempestive providere, quibus monachi indigent.

2. In primis igitur nosse debet bona omnia monasterii, tam mobilia quam immobilia, agros, vineas, prata, oliveta, greges ovium, et his similia: quorum inventarium penes se habebit, quaeque saepe cum socio visitare debebit, ne quid detrimenti ex ipsius negligentia capiant.

3. Proventus quoscumque monasterii et eleemosynas, quas ipsum abbas exigere iubebit, exigat et recipiat. Syngraphas vero solutionis, quando opus fuerit, ipse dabit subscriptas ab abbate, aut a se ex illius commissione. Utque id facilius assequatur, proventus omnes et tempora, quibus colligendi sunt, in peculiari libro scribat; et seorsim etiam quascumque res aut pecunias ex fructibus monasterii perceperit, addito a quibus et quando eae provenerint; eleemosynae autem alio in libro scribantur.

4. Singulis mensibus dati et accepti rationem abbati reddat: debitaque et credita monasterii indicabit, quo ipse statum monasterii prorsus intelligat: nunquam vero oeconomus debita contrahat sine expressa abbatis licentia. Vicissim singulis mensibus exigat rationem ab officialibus villarum, praediorum, pecorum et similium.

5. Pecunia, undecumque ea provenerit, si alicuius momenti fuerit, iudicio abbatis in arca reponatur ad id designata. Huius abbas clavem unam, et ipse oeconomus alteram diversam custodiat. In eadem liber asservabitur, in quo scribetur pecuniae summa tam eius quae infertur, quam eius quae effertur. Si quando autem, cogente aliqua necessitate, pecunia in arcam non inferretur, nihilominus accepti et expensi summa in eodem libro statim scribatur. Quotiescumque vero ex arca pecuniam accipiet, eius summam et diem in libro suarum rationum adscribat; in alia vero libri parte, expensi ratio constet.

6. Diligenti cura asservabit in archivio ad hoc designato instrumenta originalia, quibus constat de iure eorum quae a monasterio possidentur, chirographa, syngrapha, inventaria et alia huiusmodi; et archivii quidem clavem unam ipse habeat, abbas vero alteram diversam.

7. Advertat, num ea quae a monasterio possidentur, reparatione indigeant, ut ad abbatem referat. Si quid autem vendendum videretur, eodem inconsulto ne faciat.

8. Curet, ut res omnes, praecipue diu duraturae, tempestive et quamopportune emantur, ne has non perinde bonas aut non aequo pretio cogantur comparare. Caveat etiam ne, dum nimium pecuniae parcit, non bonas aut insalubres res emat. Videat autem num ea, quae empta sunt, illaesa conserventur; atque animadvertens aliqua non, ut oportet, conservari aut expendi, abbatem aut vicarium admoneat.

9. Emptori pecunias ad quotidianos sumptus subministrabit, a quo singulis diebus expensarum exigat rationem ex codice; summam vero in librum suum ipse referet. Emptor vero, quid empturus sit, ab abbate seu eius vicario intelliget: resque emptas cellerario tradat, sive in cellario reponendas, sive coquo committendas.

10. Cum extraneis contra decentiam status monastici negotiari non praesumat.

11. Curet ut saeculares, tam in monasterio quam in praediis eius servientes, honeste et christiane vivant: cogat, omnes in diebus festis et dominicis sacrae liturgiae et divinis officiis intersint, et in festis solemnioribus sacramenta confessionis et communionis frequentent; mercedem itidem debitam suo tempore iis persolvat; querelas eorum libenter audiat, casus vero nunquam sine abbate iudicet; neque eos insolitis poenis et oneribus aggravet, neque plus uni quam alteri eorum faveat. Quando vero aliquis eorum dimittendus sit, id faciat cum omni charitate et cum plena eius satisfactione quoad debitum stipendium.

12. Ita demum oeconomus rerum temporalium sollicitudinem gerat, ut a monasticae vitae perfectione animum non relaxet. Quare orationem, ieiunium, ceterasque religiosi instituti disciplinas, quoad fieri poterit, non secus atque reliqui monachi colere debebit: saeculares vero, quibuscum conversatur, verbo et exemplo aedificare studeat.

13. Sicut ad abbates monasteriorum pertinet res temporales sibi commissas per oeconomos curare, ita poterit abbas generalis, si id expedire cognoverit, constituere oeconomum generalem, qui illum in conservandis bonis temporalibus totius ordinis opportune adiuvet.

Cap. IX. — *De consultoribus.*

1. Abbas suos habeat consultores tres saltem monachos senes et in religiosa perfectione exercitatos, quorum consilio et relatione adiutus, melius et facilius gubernare possit.

2. Qui huic muneri deputabuntur, sint amatores boni communis, illudque in omnibus consultationibus prae oculis habeant.

3. Cum abbas illis auditis aliquid statuerit, iudicium suum illius iudicio submittent. Neque

extra consultationem, aut quid statutum fuerit, sibi displicere, aut se in alia fuisse sententia significabunt; sed laudent potius abbatis consilium apud alios, atque tueantur. Quod si ob rei gravitatem ad abbatem generalem id esse deferendum iudicarent, re mature considerata et oratione praemissa faciant.

4. Si quid tamen in mentem venerit quod ad commune bonum vel alicuius personae particularis utilitatem pertineat, poterunt id abbati proponere.

5. Si quid circa victum, vestitum, labores et occupationes monachorum, aut circa gubernationem abbatis, moderandum augendum vel mutandum censerent, illum praemissa oratione admonendum curent, quod per admonitorem faciant.

6. Si quis cum eis de difficultate aliqua sua aut perturbatione agat, ita eum suis monitis et consilio iuvare studeant, ut semper, quantum possint, existimationem abbatis tueantur.

7. Ita suum munus exequantur, ut nullam gubernationis partem sibi assumant: atque ea submissione se gerant, ut ceteris obedientiae exemplum praebeant.

8. Singuli consultores bis in anno ad abbatem generalem, aut provinciae, de statu monasterii, et si quid esset corrigendum aut mutandum eidem exponant, atque hae literae, a seniore inter eos obsignatae, mittantur.

9. In monasteriis frequentioribus poterit unus ex consultoribus designari ab ipso abbate, qui admonitoris nomen habebit: eiusque officium erit admonere abbatem de iis quae consultores ei dicenda iudicaverint. De aliis vero, quae sive ipsi in mentem venerint, sive ab aliis monachis suggerentur, non facile eum admonebit, sed de iis dumtaxat quae non levis momenti post orationem esse censuerit, sive ad officium abbatis pertinebunt; et quorum abbatem admonuerit, meminerit ea tacitus apud se servare.

Cap. X. — *De praedicatoribus.*

1. Eligantur ab abbate generali vel ab abbate provinciae in singulis monasteriis duo saltem graves et docti monachi, qui admittendos ad praedicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones, etiam ipsorum monachorum, ac magistros publicos, et promovendos ad quoscumque ordines, diligenter simul examinent, antequam probentur, et ad huiusmodi ministeria vel ordines admittantur.

2. Qui ad praedicationis officium admissi sunt, debent primo sacram scripturam semper prae manibus habere, legere, et, quoad fieri poterit, quotidie aliquid memoriae mandare. Legant etiam expositiones patrum in utrumque testamentum, vitas sanctorum, historiam ecclesiasticam, opera ascetica patrum, conciones, homilias doctorum virorum, et alia similia, quibus evolvendis residuum temporis, quod ab officio divino aliisque spiritualibus et corporalibus exercitiis remanserit, impendant. Deinde nunquam sine praeparatione concionem faciant, sed illam prius scripturae commendent, et sedulo memoriae tradant.

3. Extra monasterium nemini monachorum fas erit concionari aut docere, aut confessiones audire, sine expressa episcopi ordinarii licentia. Cum vero ad aliquod oppidum vocati fuerint, dabunt operam, ut primo episcopi, chorepiscopi aut parochi benevolentiam sibi comparent, deinde caveant discursum per domos, sed in aedes alicuius pii et exemplaris ecclesiastici se recipiant, ibique paupertatem religiosam in cibo, potu et ceteris omnibus servent, modestiae et gravitati coniunctam.

4. Media autem spiritualia, quibus iuxta nostrum institutum et abbatis beneplacitum uti poterunt, haec fere sunt: ministerium verbi Dei in praedicationibus privatisque exhortationibus et colloquiis; sacramentorum confessionis et eucharistiae administratio; exercitiorum spiritualium traditio; dissidentium reconciliatio; casuum conscientiae et sacrorum rituum ad ecclesiasticos privata explicatio; christianae doctrinae ad pueros aliosque rudes publica declaratio.

Cap. XI. — *De praefecto rerum spiritualium.*

1. In omnibus monasteriis designandus erit praefectus rerum spiritualium, cuius munus sit confessiones monachorum excipere, eorumque profectum in spiritu promovere.

2. Cognitionem itaque instituti habeat et zelum boni progressus fratrum, quem procurare debet verbo et exemplo. Amabilem praeterea se eis exhibeat, ut ad eum omnes confugiant, confidenterque sua omnia detegant, et ab eo consolationem et auxilium sperent in Domino.

3. Instruat monachos privatim secundum uniuscuiusque captum, praesertim ut puram intentionem divini servitii habeant, et familiaritatem cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis.

4. Petat quem procedendi modum in orationem habeant, et an contra suos defectus examen particulare observent; et an contra inordinatos affectus propria remedia adhibeant, et in solidis virtutibus acquirendis, praesertim obedientia, amore Dei et proximi, quibus utantur mediis, et de poenitentiis et aliis pietatis exercitationibus.

5. Versatum eum oportet esse in lectione librorum spiritualium, et unicuique decernat tempus et modum cum fructu eos legendi.

6. Peculiarem curam habeat consolandi af-

flictos et tepidos exhortandi, remedia pro cuiusque necessitate adhibendo, qualia sunt frequentius confessionis et eucharistiae sacramenta obire, plus temporis orationi impendere, plus aliquid poenitentiae assumere, libros aliquos spirituales legere, et similia. Praecipuam vero curam adhibeat circa monachos laicos, novos praesertim et infirmiores, ut quieti sint, et sorte Marthae contenti; dirigatque eos ubi opus fuerit. Praeter eos vero, quos satis instructos abbas iudicaverit, cum unoquoque agere de his ultra mensem non differat. Saepe vero consideret, quem fructum bonorum operum ex oratione et meditatione et ex reliquis rebus spiritualibus colligant, ut in dies magis in Domino proficiant.

7. In his omnibus videat, ne ordo unicuique praescriptus impediatur, nisi cum abbas aliter iudicaverit.

8. Curam habeat novitiorum, si qui in monasterio fuerint, nisi ab abbate aliunde prospectum, et erga eos observare studeat quae iuxta regulas magistri novitiorum observari commode poterunt.

9. Confessiones monachorum audiet; et, si abbas iudicaverit, eidem alium vel alios adiungere poterit; non autem plures quam quatuor, et quidem in frequentioribus monasteriis tantum.

Cap. XII. — *De praefecto ecclesiae.*

1. Praefectus ecclesiae ab abbate constituitur, cuius officium est res ecclesiae et chori custodire et curare, ut divina officia suo tempore decenter ac debite fiant.

2. In primis habebit inventarium rerum omnium ad ecclesiam et chorum spectantium, tam in libris quam in sacris vestibus et vasis, aliisque; cuius inventarii duo exempla erunt, alterum penes ipsum, alterum in archivio monasterii, in quo scripturae et instrumenta asservantur. Et quando novus ecclesiae praefectus instituitur, coram abbate et oeconomo rationem rerum omnium iuxta inventarium exiget a praedecessore.

3. Librum etiam habeat dati et accepti pro ecclesiae expensis, ut rationem abbati unoquoque mense reddere possit.

4. Eleemosynas quocumque modo obvenientes, et pecunias pro manutentione ecclesiae collectas, apud oeconomum deponat, ut in arca reponantur, cuius clavem unam habeat abbas, alteram ipse oeconomus. Quae vero pro missis celebrandis oblatae fuerint, diligenter describat in tabella sacristiae, ut missae dicantur secundum intentionem benefactorum; et notetur in libro, quo die et a quo sacerdote earumdem oneri fuerit satisfactum.

5. Satagat, ut necessaria ad divinum cultum non desint, ut altaria sint munda et bene praeparata, atque ut vasa sacra, ornamenta, libri et cetera omnia in suis locis apte reponantur et conserventur. Panni omnes linei semper mundi serventur et separatim corporalia et purificatoria laventur. Saepe etiam res pretiosiores visitet, ne aut laedantur aut amittantur: templi, paramentorum, librorum instaurationes curet, sicut ab abbate fuerit praescriptum. Nihil vero eorum extrahere e monasterio, aut cuipiam alteri ecclesiae vel monasterio, etiam nostrae congregationis, commodare poterit sine congregationis monachorum licentia.

6. Det operam, ut nullo modo lumen desit ante sanctissimum Eucharistiae sacramentum, neque interdiu neque noctu, ubi illud asservari contigerit. Oleum sanctum, ut oportet, asservatum, singulis annis renovandum curet: et sanctorum reliquias in vasculo ad id deputato decenter custodiat. Si quando autem devotionis causa ostendendae erunt, duo cerei accendantur.

7. Curet, ut hostiae mundae sint, et in vase decenti repositae: item vinum, quod ad sacrificium paratur, sit bonum et merum, eoque ipso die haustum; similiter et aqua et ampullae sint mundae et thuribula identidem a fuligine extergat.

8. Qualibet hebdomada catalogum conficiat, quo dies festi ac ieiuniorum proximae hebdomadae describantur, et horae missarum inter sacerdotes distribuantur: vices quoque hebdomadariorum ministrorumque tam in divinis officiis quam in missa solemni celebranda notentur. Eum porro catalogum, ab abbate seu eius vicario approbatum, in loco patenti affigat, aut in refectorio recitandum curet in prandio sabbati. Det autem operam, ne plura simul sacra inchoentur, sed commode omnia suis spatiis distinguantur: curamque gerat missarum perpetuarum, quae pro benefactoribus annuatim celebrandae sunt, easque referat in tabellam, quae appendenda erit in sacristia, ubi et in alia tabella notari debent casus superioribus reservati et indulgentiae, si quae sunt concessae.

9. Ante missas et psalmodiam chori, signa ipse pulsabit: quod etiam faciet, cum primum quis ex fratribus vita functus fuerit, ut omnes eius animam commendent: lumina tam in choro quam in dormitorio fratrum accendet.

10. Per se vel per alium, ab abbate designatum, promovendos ad sacerdotium instrui curet, et videat an omnes observent statutas caeremonias. Si quem defectum animadverterit, ad abbatem referat, vel ipse emendet. Notet etiam qualibet die nomina sacerdotum celebrantium, ut id abbati aut vicario referat.

11. Externos sacerdotes ad sacrum faciendum non admittat, nisi intelligat eos a legitimis superioribus habere facultatem; cuius testes ordinarii literas cum ii exhibuerint, humanissime illos excipiet, et distinctis etiam pro uniuscuius-

que dignitate paramentis indui curet. Saeculares quoque ad ecclesiam nostram adventantes benigne tractet.

12. Habeat sibi subiectum aedituum monachum, maxime in frequentioribus monasteriis, cui vices suas in rebus minoris momenti committet, dum ipse in gravioribus occupatur.

Cap. XIII. — *De praefecto bibliothecae.*

1. In maioribus monasteriis designandus erit monachus sacerdos, qui librorum curam habeat.

2. Omnium itaque librorum monasterii catalogum describat; utque libri unius monasterii ab aliis distinguantur, in primo cuiusvis libri folio haec verba notet: *Hic liber est monasterii N. ordinis Sancti Antonii congregationis Montis Libani.*

3. Nullum librum ex bibliotheca cuipiam monachorum dabit sine abbatis licentia, neque externo cuiquam sine licentia congregationis monachorum; et advertat, ne quis librum, etiam cum licentia, se inscio accipiat. Fratres autem, quibus librum aliquem tradet, propria manu scribant in codice, quo die et quem librum acceperint; cumque illum restituerint, notam deleant, aut e regione restitutio eius notetur. Quod si externis librum ex licentia, ut supra, dederit, ipse bibliothecarius in codice notabit diem, personam et tempus, quo liber sit restituendus.

4. Monachos ad bibliothecam non admittat sine licentia; multo minus externos.

5. Abbatem moneat, si quos libros pro monasterio necesse sit comparare. Nullum autem librum donare, vendere, alienare vel oppignorare poterit sine expressa congregationis monachorum licentia.

6. Curet ut bibliotheca munda sit et composita, quam semel in hebdomada verret, et ex libris pulverem excutiet. Caveat etiam, ne libri humiditate aut alia re laedantur.

7. Semel in anno librorum rationem dabit abbati iuxta inventarium bibliothecae: quod et praestabit, cum alter in eius locum succedet.

Cap. XIV. — *De socio et sigillo abbatis generalis, hegumenorum et abbatis provinciae, atque coenobiarchae.*

1. Abbas generalis, hegumeni et abbates provinciae ac monasterii, deligant sibi ex monachis professis socium, qui secretarii munus gerat, ipsosque in literis scribendis adiuvet, exeuntesque e monasterio comitetur.

2. Unusquisque ex dictis abbatibus et hegumenis sigillum proprium habeat, quod in cella sua diligenter custodiat, cum imagine, si fieri potest, Sancti Patris Antonii magni, aut emblemate Montis Libani, et cum inscriptione officii, quo unusquisque fungitur: videlicet sigillum abbatis generalis ordinis Sancti Antonii congregationis Montis Libani; sigillum primi vel secundi vel tertii vel quarti hegumeni ordinis Sancti Antonii congregationis Montis Libani; sigillum provinciae N. ordinis Sancti Antonii congregationis Montis Libani; sigillum monasterii nostri ordinis Sancti Antonii congregationis Montis Libani; idque duplex fit, alterum maius, cuius usus erit in rebus magni momenti, et alterum minus, quo in rebus communibus utentur.

3. Nullus monachus literas suas alio sigillo firmabit, quam abbatis monasterii.

4. Ad officium socii et secretarii electus, quaecumque audierit, legerit aut scripserit, debet profundo silentio celare: nec nisi urgente necessitate a communibus monasterii officiis vacare.

Cap. XV. — *De infirmario.*

1. In singulis monasteriis constituendus erit infirmarius, vir pius et patiens, qui curam habebit infirmorum; quorum aegritudo simul atque ei indicata fuerit, si censuerit rem esse alicuius momenti, abbatem aut vicarium admoneat.

2. Studeat, ut, quae aegrotanti danda sunt, ea et opportune emantur, et bona sint et bene praeparata ministrentur.

3. Curet, ut aegrotorum cubicula sint valde munda et lecti concinne sternantur.

4. Aegrotum consolari et exhilarare studeat verbis spiritualibus et laetis. Habeat etiam libros, quorum lectione aegroti recreari et iuvari in spiritu possint.

5. Quaecumque aegrotantium usui necessaria esse iudicabit, habere curet et in loco convenienti custodire.

6. A medico praescripta exacte servet, dies aegrotationis et horam febris advertat, tum ut medicum et superiorem admoneat, tum ut cibum tempestive praebeat.

7. Si morbus sit contagiosus, supellex separari debet, ne cuiquam noceat.

8. Convalescentes e lecto surgere non permittat priusquam id medicus concesserit.

9. Patientiae et charitatis erga aegrotos meminerit; quare curabit, ne debita ministeria aegrotis desint.

10. Morbo ingravescente, abbatem moneat, ut aegrotus, antequam iudicii usu privetur, omnia sacramenta accipiat. Quod si aegrotus diu, licet sine periculo decumbat, curet ut octavo quoque die communicet, nisi aliqua ratio, iudicio abbatis, impediat.

11. Instante mortis articulo, sive proximo periculo, abbatem admoneat ut orationibus omnium fratrum valde peculiaribus infirmum iuvari faciat; atque eo magis quo morti pro-

pinquiorem viderit, et ut morienti quo plures poterunt ex fratribus adsint, qui convenientibus illi articulo auxiliis moribundum iuvent. Et cum primum vita functus fuerit, praefectum ecclesiae seu aedituum admoneat, ut consuetum signum pulset.

12. Provideat, ut mortuorum fratrum corpora ad sepulturam praeparentur, et ut spatio unius diei naturalis decenter super terram teneantur.

13. Non infirmis tantum prosit, ut dictum est, sed sanorum etiam curam gerat in iis quae ad sanitatem conservandam spectant. Quare eius munus est observare, num quis ex nimia fatigatione corporis aut spiritus plus aequo laboret, vel alia de causa morbi periculo se exponat; et si in cibis, aere, frigore, aut alia quapiam in re aliquid probabili ratione animadvertat, quod communi omnium vel alicuius saluti obesse possit, abbatem admoneat.

Cap. XVI. — *De ianitore.*

1. Monasterium perpetuo sit clausum, clavisque in porta ne relinquatur, ac propterea ianitor ab abbate constituatur monachus mansuetus, humilis, patiens et sedulus, qui ianuae custodiendae semper assistat, eamque nemini monachorum aperiat, nisi socium et exeundi licentiam obtinuerit. Nullus autem e monasterio egrediatur, nisi cum socio, licentiaque petita ac impetrata et benedictione accepta ab abbate seu eius vicario, aut in horum absentia ab antiquiore ex professis.

2. Vocantibus et monasterii ianuam pulsantibus, cito adsit et respondeat; non tamen prius portam aperiat, quam per fenestram videat qualitatem personae advenientis; quae si eius conditionis fuerit, ut paucis verbis expediatur, quin porta aperiatur, id faciat cum omni humanitate; si vero fuerit persona gravis aut religiosa, portam aperiat, interroget quid velit, ad locum honestum ad id destinatum intromittat, et sine mora significet abbati.

3. Neminem monachorum, sine facultate abbatis, ad ianuam vocet, nec, nisi urgente necessitate, ianitor licentiam pro illo vocando ab abbate petat, aut abbas illam det, cum tempus est divini officii in choro, prandii, coenae, silentii aut congregationis. Nec facile idem abbas licentiam dabit introducendi saeculares in claustra monasterii, et multo minus in dormitorium fratrum, nisi sint magni viri aut praelati.

4. Monasterii portas ante noctem claudat ianitor. Exinde vero eas nullius causa aperiat inconsulto abbate; et antequam cubitum eat, claves eidem tradens, si quis foris maneat, illi renunciabit. Abbas vero aut vicarius quandoque de nocte eas observent.

5. Literas omnes et schedulas et quaecumque alia domesticis mittuntur, abbati reddat ut ea videat; et ad eos ad quos diriguntur, si velit, transmittat. Caveat etiam ne alicuius domestici literas, aut quid simile, externis det iniussu abbatis.

6. Nihil custodiendum a quopiam externo recipiat, abbate inconsulto.

7. Si pauperes ad ianuam eleemosynae causa accedere contingat, cum iisdem benigne se habeat, et sedulo quaerat quid eis erogari possit iuxta abbatis arbitrium.

8. Mulieres, si quando ad ostium accedant, paucis verbis dimittat; aut si pluribus opus esse videretur, in ecclesiam, si extra monasterii claustrum sit, ad aedituum eas mittat, ubi ipsis responderi poterit, aut aedituum seu abbatem vocet, ut earum negotia expediant, prout res postulaverit.

9. Si quis eleemosynam ad ianuam dabit, eam oeconomo statim tradet.

10. Loca portae vicina munda servet, et, ut iuxta ianuam omnes submissa voce loquantur, curet.

11. Ut ianitor ad portam sollicitus assistere possit, primo post persolutas matutinas horas sacrificio intersit. Cum autem cibum sumit, aut in aliquo ministerio intra vel extra monasterium occupatur, alius ab abbate seu vicario ad custodiam portae destinetur.

Cap. XVII. — *De custode vestium.*

1. Servare debet omnem supellectilem sive lineam sive laneam, et quidquid ad indumenta et, ubi opus fuerit, etiam ad calceamenta attinet; quae diligenti cura, ut res pauperum Christi, custodiet in loco ad id designato.

2. Inventarium rerum, quas ipse custodit, si alicuius momenti sint, in libro habeat: et seorsim scribat quae de novo fiant, ut abbati sui muneris rationem reddere queat.

3. Vestes ordine dispositas servet, ne corrumpantur videat, et resarciendas etiam curet. Quas vero non amplius usui fratrum futuras iudicabit, eas abbati ostendat, ut ille de iis statuat.

4. Quae singuli novitii ad monasteria attulerint, ea alicubi separatim asservet, donec professionem emittant.

5. Singulis mensibus cellas visitabit, ut ex abbatis arbitrio, si quid eis desit, suppleri possit. Si quid etiam superfluum invenerit, vestes duplices, instrumenta itineris et similia, in vestiaria officina custodiantur.

6. Inspiciat etiam, quinam vestibus indigeant, ut abbati referat; eo vero inconsulto nihil cuipiam dabit.

7. Linei panni lotori, sive externus ille sit sive domesticus, scripto numero dentur et accipiantur.

8. Tunicae singulorum, quae staturae in-

duentium convenire debent, signis particularibus internoscantur, ne eas permisceri contingat.

9. Sabbati vespere linea munda per omnes cellas distribuat; dominica vero die mane ex eisdem cellis immunda colligat, et an omnia, quae dederat, recipiat, animadvertat.

Cap. XVIII. — *De cellerario.*

1. Custodiendis in monasterii cellario victualibus abbate cellerarius deputetur vir sobrius et non prodigus; idemque curam habeat omnium eorum quae ad cibum et potum spectant, singula in locis suis reposita et clausa servans.

2. In rebus distribuendis iussum abbatis sequatur; et quamvis communiter aequalitatem inter omnes servare debet, habeat tamen infirmorum, convalescentium, eorumque qui laboriosiora opera exercent, rationem, prout ei fuerit ab abbate praescriptum, sine cuius arbitrio neque ientaculum neque aliud quidpiam ulli concedet.

3. Antequam penitus absumantur victualia, quae in monasterio reconduntur, abbatem admoneat, ut tempestive per oeconomum providere possit.

4. Curet munditiem tam cellarii quam refectorii, eorumque omnium quae eius usibus serviunt, utque mensae rebus necessariis paratae sint, cum refectionis signum dabitur.

5. Catalogum habeat rerum, quae ad cellarium et ad refectorium pertinent; alterum etiam eorum, quae per hebdomadas aut menses debebit fratribus ministrare tam in cibo quam in potu; tertium denique eorum, qui mensae ministraturi sunt.

6. Quae ex mensa supersunt, colliget, atque coquo tradet, qui illa conservabit memor paupertatis, ut et domesticis et externis pauperibus usui esse possint iuxta praescriptum abbatis.

Cap. XIX. — *De coquo.*

1. In iis omnibus, quae ad suum munus pertinent, munditiem servet ipse, et ab aliis servandam curet, detque operam ut omnia recte et opportune parentur, ea praesertim quae ad aegrotos pertinent.

2. Semihora, aut saltem quarta horae parte, antequam in mensa sit sedendum, praeparati omnes cibi esse debent.

3. Circa qualitatem et quantitatem, ordinem ab abbate praescriptum sequatur.

4. Coquere aut aliud quidpiam pro aliquo particulari parare, infirmario tantum excepto, neminem sinat, neque ipse faciet sine abbatis facultate.

5. Scriptum in codice habeat catalogum rerum, quarum est usus in coquina, quas ipse servare debet.

6. Diligentiam in rebus, quas consumit, adhibebit, ne quid non necessarium insumatur contra paupertatem religiosam.

7. Si quem adiutorem haberet, satagat, ut cum verbo et exemplo aedificet, praesertim novitios.

Cap. XX. — *De hebdomadario chori et mensae.*

1. Praefectus ecclesiae singulis hebdomadis duos catalogos faciet, quorum primo per turnum sacerdotum notetur hebdomadarius chori, altero per turnum monachorum omnium, qui legere norunt, notetur hebdomadarius mensae.

2. Officium hebdomadarii chori est divinum officium et missam cantare; officium autem hebdomadarii mensae est libros ad mensam legere: ab utroque officio eximitur abbas monasterii.

3. Hebdomadarius chori primus ingrediatur chorum, et ultimus inde exeat; curetque, ne in officio divino tam in choro quam ad altare errores aliquos admittat, sed antea praevideat omnia officia, orationes, lectiones et his similia; nec memoriae suae confidat, sed omnia ex codice, quoad fieri poterit, recitet. In dextera chori parte abbas, eius vicarius praesidebit; in sinistra hebdomadarius, qui praesente abbate neque officium inchoabit, neque absolutionem dicet; eo autem absente totum officium inchoabit et terminabit, etiam praesente abbatis vicario.

4. Hebdomadarius mensae libros pro lectione ante mensam apertos habeat; et quando legit, attendat in quo emendetur ab abbate aut vicario; et emendatus, assurgat cum humilitate, et repetat prout emendatus fuerit. Ad signum abbatis aut vicarii, finiet lectionem. Libri autem qui legentur sunt: sacra scriptura, vitae sanctorum, historia ecclesiastica et opera ascetica, quae ab abbate assignari debent, servato ordine, ut primum legantur aliquot versiculi ex scriptura, deinde succedat lectio ex vitis sanctorum, aut ex historia ecclesiastica, et concludatur lectione alicuius tractatus ascetici.

PARS QUARTA

Cap. I. — *De congregatione generali.*

1. Congregatio generalis de triennio in triennium celebretur, nisi forte ob aliquam urgentem necessitatem esset anticipandum tempus, aut prorogandum ex decreto congregationis hegumenorum, quod debet opportune toti ordini significari. Casus autem, ob quos congregatio generalis prorogari vel anticipari potest, sunt: primo, mors abbatis generalis, aut eius ad al-

tiorem dignitatem promotio, aut quando de eiusdem depositione, suspensione, vel publica reprehensione agendum sit, ut dictum est supra, part. III, cap. IV, num. 2. Deinde, publica rerum regionumque perturbatio ob pestem vel bellum, aut propter persecutionem infidelium vel haereticorum et schismaticorum, aut communem totius ordinis vel principalium potiorumque monasteriorum necessitatem, quae iudicio congregationis hegumenorum urgens visa fuerit; in quo nihilominus casu significandum id erit abbatibus monasteriorum.

2. Penes abbatem generalem est congregationem indicere, eique praesidere usque ad successoris electionem. Si vero ipse mortuus fuerit, aut promotus, aut de ipsius causa consultandum sit, tunc ad hegumenos spectabit illam indicere, eique praesidere usque ad novi abbatis generalis electionem, aut veteris probatam innocentiam, servata semper vicarii generalis inter hegumenos praeeminentia, ut dictum est alibi. Vivente tamen abbate generali, etiam quando de ipsius causa agendum est, in literis, in quibus ab hegumenis congregatio indicetur, nomen eiusdem abbatis praeponatur nominibus hegumenorum.

3. Duobus saltem mensibus ante diem, quo celebranda erit congregatio, indicatur per encyclicas epistolas, ab abbate generali et hegumenis subscriptas et ad omnia nostri ordinis monasteria missas. Si quod vero monasterium longius distet, tot mensibus ante indicenda erit, quot sufficere videbuntur iudicio hegumenorum. Dies autem congregationi celebrandae destinari solita, est decima novembris, qua ordinis nostri congregatio instituta fuit.

4. Ad congregationem generalem vocandi erunt, eique interesse et in ea vocem habere poterunt, praeter abbatem generalem et quatuor hegumenos eorumque vicarios (si qui antea electi fuerant), abbates omnes tam provinciarum quam monasteriorum, et cum unoquoque abbate socius a congregatione monachorum illius monasterii electus: quotquot praeterea officio abbatis generalis vel hegumenorum functi sunt, modo non fuerint ob defectus aliquos depositi: iis autem unumquodque monasterium de necessario viatico providebit tam in eundo quam in redeundo: ob quem finem a primoribus tum ecclesiasticis tum saecularibus illius provinciae abbates eleemosynam colligant et eam secum deferant.

5. Si quis abbas vel officio abbatis generalis aut hegumeni defunctus, ob legitimum impedimentum, a congregatione monachorum probandum, per se ipsum adesse nequiverit, mittat monachum idoneum, qui vices suas in congregatione generali suppleat, habeatque locum in congregatione tamquam absentis procurator. Qui vero propter contumaciam vel inanes causas adesse neglexerit, cognita et declarata eius causa in congregatione generali, excommunicetur, et monachi ab eius obedientia absolvantur: socii autem abbatum, qui in congregatione monachorum electi fuerint, neminem possunt sibi substituere, nec suae electioni renunciare.

6. Nemo in congregatione generali vocem habeat, nisi sex annos in ordine compleverit, inchoando ab annis probationis, et nisi triginta annos aetatis saltem inchoatos habeat. Item nemo in monasterium, ad celebrandam congregationem destinatum, intret nisi tribus diebus antequam inchoanda sit congregatio, exceptis iis qui ex longinqua regione per mare veniunt. Qui ad congregationem venerint sine licentia, per totum tempus, quo congregatio durabit, detineantur in loco poenitentiae; congregatione autem terminata, decernat de eis congregatio hegumenorum. Si quis vero querelas habeat ad congregationem deferendas, mittat eas cum abbate vel eius socio, propria manu subscriptas.

7. Unusquisque abbas ad congregationem veniens, aut vicarium suum mittens, debet afferre secum vel cum vicario mittere: 1. sigillum monasterii; 2. catalogum, in quo descriptus sit numerus monachorum vivorum et quot defuncti sunt post ultimam congregationem et quot recepti; 3. rationem dati et accepti toto regiminis sui tempore. Socius vero abbatis debet secum afferre: 1. literas monachorum de sua deputatione; 2. querelas eorumdem, si quae erunt.

8. Abbas generalis, vel, eo absente, hegumeni, opportuno tempore provideant de rebus ad celebrandam congregationem necessariis. Quare 1. abbatem monasterii, in quo congregatio celebranda est, vel, eo absente, monachum alium constituant, qui oeconomi congregationis generalis nomen gerat; curetque, ut locus congregationis opportunus praeparetur, utque adsint victualia lecti et quaecumque ad receptionem monachorum hospitum necessaria sunt; 2. deputent duos saltem confessarios cum facultatibus opportunis, necnon unum scribam congregationis, qui suffragia notabit et literas ad congregationem directas coram omnibus leget; unum praeterea aedituum, qui curam habebit sacelli, ubi congregatio fiet, et unum ianitorem, qui portas congregationis observabit. Hi vero omnes, praeter abbatem supradictum, idest, confessarii, scriba, aedituus et ianitor, debent esse ex eorum numero, qui suffragia non habent in congregatione. Reliqua autem coenobii ministeria, tam in ecclesia quam in choro et refectorio, per eiusdem coenobii monachos diligenter obeantur, ne congregationis praetextu quidquam ex regulari disciplina omittatur.

9. Cum dies assignata advenerit, non obstante cuiuscumque absentia, congregatio incipiatur. Cognitores autem suffragiorum sunt;

1. abbas generalis; 2. quatuor hegumeni; 3. duo ex monachis congregationis a communitate vocalium electi, in quorum tamen electione neque abbas generalis neque hegumeni vocem habebunt.

10. Congregatio generalis per septem dies durabit. Singulis autem diebus, post cantata divina officia et celebratam sacram liturgiam, scrutinium fiet, cui praemittitur sermo paraeneticus ab abbate generali, aut alio quopiam, ad conventum monachorum per semihoram.

11. In primo triduo ordinis statum examinent, seduloque explorent, si quid supplendum aut resecandum sit. Singulisque permittitur, quodcumque apud se statuerint suggerere abbati generali aut hegumenis, qui monachorum suggestiones in commentarium relatas coram congregatione recitabunt. Interim hegumeni iussu abbatis generalis a monasteriorum abbatibus statum et rationes exigant singulorum monasteriorum, easque in tabularium totius ordinis referendas, eidem generali abbati exhibeant. Quarta die proceditur ad electionem abbatis generalis et hegumenorum, ut infra; si autem non ob electionem superiorum, sed ob aliam causam coacta fuerit congregatio, de illa tractabitur. Tribus postremis diebus monachorum causae finiantur, eorumque postulatis satisfiat, et si quid contra regulam, constitutiones, vel consuetudines ordinis peccatum est, corrigatur.

12. Septimo die, postquam congregatio terminata est, dato signo a generali abbate, aperiatur porta, itaut etiam non vocales adesse possint et audire. Tum a scriba congregationis legatur: 1. tabula novorum officialium, a tota congregatione sive ab abbate generali et hegumenis electorum, necnon monachorum ad monasteria, quae idem abbas generalis designaverit, mittendorum; 2. constitutiones, si quae fuerint a congregatione sancitae; 3. recitentur nomina monachorum omnium ab ultima congregatione defunctorum, ut pro iis omnibus una missa solemnis celebretur; 4. recenseantur etiam nomina insigniorum benefactorum, simulque omnes moneantur, ut pro iis sacerdotes quidem unam missam celebrent, laici vero dicant quinquaginta *Pater noster* et *Ave Maria;* 5. abbas generalis faciat absolutionem generalem, et sic congregationem dimittat.

13. Dimissa congregatione generali, una cum hegumenis faciat congregationem hegumenorum; et primo quidem eligantur abbates provinciarum et monasteriorum, singulisque patentes literae tradantur, ut ad officia sua abeant.

14. Forma literarum congregationis monachorum, cum mittunt ad congregationem generalem, una cum abbate monasterii seu provinciae, socium ab ipsis electum:

Reverendissimi patres, notum facimus vobis, congregationem nostram habitam in monasterio N., die N., mense N., anno N., communi consilio elegisse reverendissimum patrem N., ut, nomine totius monasterii vel provinciae, una cum nostro abbate ad congregationem generalem accedat. Quocirca tradimus ei potestatem agendi pro nobis in congregatione generali omnia et singula, quae facere possemus si praesentes essemus, ratum gratumque habituri quidquid in eadem congregatione factum fuerit. Datum in monasterio N., anno N., mense N. Sigillum † monasterii. Et subscribent omnes iuxta ordinem suum.

15. Forma literarum abbatis provinciae vel monasterii, cum mittit vicarium vel procuratorem ad congregationem generalem:

Reverendissimi patres, notum facio vobis, me, ob causam N. impeditum, elegisse reverendum patrem N., ut tamquam meus vicarius et procurator ad congregationem generalem accedat, eique sigillum et rationes officii mei tradidisse, necnon facultatem in congregatione generali omnia et singula agendi, quae ego facere possem si praesens essem, ratum gratumque habiturus quidquid in eadem congregatione factum fuerit. Datum in monasterio N., anno N., mense N., die N. Sigillum † officii.

N. abbas provinciae vel monasterii N.

Cap. II. — *De electione abbatis generalis et hegumenorum.*

1. Ante electionem legantur constitutiones de requisitis eligendorum, deque eorum officio.

2. Nemo potest in abbatem generalem aut hegumenum eligi, nisi compleverit annum aetatis trigesimum, et annum in nostro ordine octavum quidem abbas generalis, sextum vero hegumenus.

3. Electio nullo modo fiat per absentium, sed praesentium dumtaxat suffragia; eaque secreta sint, non publicatis eligentium nominibus.

4. In loco pro electione deputato, aedituus aram maximam, ubi venerabile Eucharistiae sacramentum in ciborio conditum prostabit, solemniori quam in primo triduo congregationis, ritu instruat. Super altari ante ciborium alta crux collocetur, sex hinc inde accensis candelis. A dextris crucis evangeliorum codex pretioso velo coopertus; a sinistris vero imago sive reliquiae sancti patris nostri Antonii, et codex regulae cum constitutionibus; infra altare ad latus dexterum ponatur mensa, iuxta quam assidebit scriba seu secretarius, qui, data servandi secreti fide, solus ex patribus non vocalibus in congregationem introducetur: super mensam vas seu arcula collocetur, in quam ab electoribus schedulae mittendae erunt: sic autem fabricetur, ut demissae e superiori orificio schedulae dilabi aut extrahi nequeant, donec,

functione peracta, legitime a cognitoribus suffragiorum referetur: alterum praeterea vas intra cancellos altaris praeparetur aqua oppletum, in quod schedulae praedictae statim proiiciantur.

5. Habeatur sermo paraeneticus ad electores per semihoram de eligendo digniori abbate generali, dignioribusque hegumenis: deque votorum renovatione praemittenda ab omnibus.

6. Absoluta paraenesi, abbas generalis et quatuor hegumeni hinc inde ad dexteram laevamque ipsius, ante portam mediam in genua procident: et post hos, provinciarum monasteriorumque abbates: deinde reliqui monachi secundum antiquitatem propriae professionis: postremo scriba, seu secretarius et aedituus, et ad portam ianitor.

7. Sequatur votorum renovatio, abbate generali et hegumenis praeeuntibus, deinde reliquis simul prosequentibus, de verbo ad verbum et cum pausa, ut supra, part. II, cap. XI.

8. Abbas generalis, absoluta votorum renovatione, B. Virginis Mariae litanias cum cantu inchoabit: quibus finitis, fratres admoneat, ut praemisso contritionis actu, intentionem pariter rectam habere studeant, simulque omnes dominicam orationem recitent, et SS. Trinitatis opem, necnon Deiparae et sancti Antonii intercessionem implorent: mox assurgit ipse, et fratribus in genua adhuc provolutis generalem absolutionem pronunciat: post universi e templo egressi, ad ferenda suffragia accedant, si alibi electio facienda est; si vero in eodem templo, aedituo foras egresso, porta claudit, quam ianitor ab exteriori parte observabit.

9. Antequam ad novi abbatis generalis electionem procedatur, debet is, cuius officium expirat, sigillum et officium in manibus hegumenorum resignare ac deponere, in haec verba:

Reverendi patres, in manibus vestris resigno ac depono officium abbatis generalis, quod mihi indigno congregatio generalis commisit; simulque veniam peto de omnibus culpis a me in eo commissis.

Hoc idem facere debet unusquisque hegumenus coram electo abbate generali, cum ad successoris sui electionem procedendum est, dicens:

Reverendissime pater, in manibus vestris resigno ac depono officium hegumeni, quod mihi indigno commissum est, simulque veniam peto de omnibus culpis a me in eo commissis.

Facta tamen resignatione, in suo loco et ordine tamdiu stabit, donec successor declaretur.

Si per obitum aut promotionem abbatis generalis, aut aliquod legitimum eius impedimentum, electus fuerit vicarius generalis, hic etiam ante electionem novi abbatis generalis resignabit officium in haec verba:

Reverendi patres, in manibus vestris resigno et depono officium vicarii generalis, quod mihi indigno commissum est, etc. Idem dicendum de vicario hegumeni.

10. Suffragiorum ordo est: primus abbas generalis, ad mensam accedens, suum suffragium in schedula scribat, nomine tantum electi expresso, hoc modo: *Eligo reverendum patrem N. in abbatem generalem nostri ordinis.* Tum schedulam propriis manibus complicet, atque in praeparatam arcam iniiciat. Sequantur ordinatim singuli hegumeni; postea abbates provinciarum et monasteriorum; postremo reliqui patres vocales, habita semper ratione antiquitatis professionis.

Si quis patrum indigeat opera scribae, hic suggestum ab illo nomen scribat in schedula, eamque plicatam ipsi reddat, in praedictam arcam ab eodem propria manu statim demittendam.

11. Post lata suffragia in locum suum unusquisque regrediatur; loca autem extra cancellos altaris disposita erunt. Tum vero abbas generalis solus cum quatuor hegumenis et duobus a patrum coetu ad cognoscenda suffragia electis sanctuarium ingressus, schedulas ex arca extrahat, mox numeret, et si patrum numerum superent, aut minime aequent, electio non constabit, nec aperiendae erunt schedulae, sed continuo in vas aqua oppletum immittantur et nova electio fiat. Si vero suffragiorum numerus bene constet, tunc abbas generalis singulas schedulas coram hegumenis et duobus suffragiorum cognitoribus aperiat, nomenque electi altiori voce pronunciet, ut monachi in templo stantes audiant, et illud a secretario in charta notetur.

12. Si pars suffragiorum supra dimidium vocalium maior convenire in electione reperiatur, ea censetur facta; sin autem in duas personas suffragia dividantur, his a ferendo suffragio exclusis, iteretur scrutinium. Si rursus aequalis pro utroque suffragiorum numerus constiterit, praeferendus prior tempore professionis; sin autem professionis tempore aequales fuerint, aetas attendenda et senior iuniori praeeligatur.

13. Si vero suffragia in diversas personas distrahantur, itaut in neminem maior congregationis pars conveniat, secundo ac tertio scrutinium repetatur. Quod si etiam tunc nemo habeat maiorem suffragiorum partem, contingat autem duos vel tres habere plura suffragia, itaut singuli quartam saltem partem suffragiorum obtineant, per abbatem generalem promulgentur his verbis:

Reverendus pater N. N. et reverendus pater N. N. habent plura suffragia quam reliqui; ex his igitur potestis unum eligere in abbatem generalem totius ordinis.

Tum illis qui nominati sunt exclusis, vocales

reliqui ad electionem modo supradicto procedant, unum ex nominatis eligentes, in quem maior pars suffragiorum convenerit.

14. Finito scrutinio, electus abbas generalis promulgetur a suo praedecessore, vel, si ipse in officio confirmatus fuerit, a primo hegumenorum, his verbis:

Reverendi patres. Facta suffragiorum collatione, invenimus maiorem partem congregationis nostrae convenire in electione reverendi patris N. N. Ideo nomine totius congregationis nostrae, et potestate per vos omnes mihi concessa, pronuncio et declaro reverendum patrem N. N. electum fuisse, et esse nostrum omnium totiusque ordinis nostri abbatem generalem.

15. Facta electionis proclamatione, primus hegumenus aut dignior inter vocales intonat psalmum XIX, reliquis alternatim prosequentibus, *Exaudiat te Dominus in die tribulationis; protegat te nomen Dei Iacob,* etc.

Interea hegumeni ducunt electum ad sedem, ad cornu sinistrum altaris paratam, qui osculatur primum altare, deinde sedet. Tum a digniori traditur ei liber regulae et constitutionum, ac sigillum officii; qui, retinens sigillum, tradit uni ex vocalibus, ut legat, caput III partis III, quod est de praeeminentia et officio abbatis generalis. Interim fratres singuli, iuxta ordinem suum, ad eum accedentes, genibus flexis manus eius osculantur. Ipse vero tamdiu in loco suo sedebit, donec hegumeni quatuor eligantur, nec e sede sua recedit, nisi cum suffragium proprium scripturus est et in arcam missurus, et suffragia monachorum, ut supra, cogniturus, electumque proclamaturus; quo statim proclamato, ad sedem suam redibit.

16. Si electus absens fuerit, postquam proclamata est illius electio, cantatur psalmum XIX, ut supra; quo finito, statim proceditur ad electionem hegumenorum, quorum primus vices abbatis generalis geret, donec abbas ipse generalis aderit. Quod si adesse possit, antequam congregatio generalis absolvatur, tunc enthronismus eius modo supradicto fiat.

17. Neque abbati generali neque hegumenis fas est electionem suam recusare, aut officium abdicare. Si vero contigerit eos ex legitima causa ab officii executione impediri, in congregatione hegumenorum potest vicarius eis substitui, ut dictum est part. III, cap. IV.

18. Absoluta abbatis generalis electione, continuo ad electionem quatuor hegumenorum iuxta praedictum ordinem procedent, etiamsi electus generalis absens fuerit.

Primum hegumenus in manibus abbatis generalis, vel, eo absente, in manibus dignioris ex vocalibus resignet sigillum et officium, ut supra; mox suffragia feruntur, et si duo vel tres plura suffragia habere reperiuntur, itaut quartam saltem partem singuli obtineant, abbas generalis, recens electus, vel, eo absente, dignior ex vocalibus (exclusis iis qui nominantur) dicat ad coetum monachorum:

Reverendi patres, N. N. et N. N. habent plura suffragia quam reliqui; ex his igitur potestis eligere unum in hegumenum.

Finito scrutinio, electus hegumenus promulgatur ab abbate generali, aut, eo absente, a digniori ex vocalibus, in haec verba:

Reverendi patres. Facta suffragiorum collatione, invenimus maiorem partem congregationis nostrae convenire in electione reverendi patris N. Ideo nomine totius congregationis nostrae et potestate vobis mihi concessa, pronuncio et declaro reverendum patrem N. electum fuisse et esse hegumenum.

Addat in fine *primum, secundum, tertium* vel *quartum,* iuxta uniuscuiusque hegumeni locum.

Hegumenus electus abbati generali genuflectat, eiusque manum deosculatus, ad dexteram ipsius vel sinistram iuxta ordinem suum stabit. Abbas vero generalis illum ad osculum admittet, eique sigillum officii tradet. Tum fratres iuxta ordinem suum, facta prius altari, deinde abbati generali et hegumenis antea electis, aut in officio confirmatis, reverentia, coram hegumeno recens electo genuflectentes, manum eius osculantur. Hegumeni vero antea, ut supra, electi, collegam suum post ipsos electum ad pacis osculum admittant; si hegumenus sacerdos non fuerit, sola pacis apprecatione, omissa genuflexione, honorabitur.

19. Penes congregationem generalem est abbatem generalem confirmare, vel novum eligere: hegumenorum pariter potestatem prorogare aut abrogare, sive quosdam confirmare, et alios de novo eligere. Nam, omnes simul eodemque tempore mutare, minus expedire videtur, ut nimirum novus hegumenus a veterano rudimenta novi officii capiat. Si vero, attentis circumstantiis, secus agendum electoribus in Domino visum fuerit, ad omnium etiam hegumenorum depositionem tuto procedent.

20. Secretarius congregationis, tam generalis abbatis quam hegumenorum, electionem in acta referat, quae, subscriptionibus omnium vocalium firmata, in archivio asserventur.

Absoluta quatuor hegumenorum electione, divinae maiestati gratiae agendae sunt. Quocirca abbas generalis cum hegumenis et omnibus patribus vocalibus ante portam mediam altaris procidat in genua, primus ipse, deinde quatuor hegumeni, mox reliqui iuxta ordinem suum. Tum incipiat psalmum CXLVIII, reliquis hunc et duos sequentes psalmos alternatim canentibus:

Laudate Dominum de coelis: laudate eum in excelsis, etc.

Quibus finitis, assurgens abbas generalis,

stansque in porta media, conversus ad altare, fratribus genuflexis, sequentem precationem recitabit:

Gratias agimus tibi, Deus noster, Trinitas sanctissima, Pater et Fili et Spiritus Sancte; quoniam, sicut ad tuum nos peculiarem famulatum assumpsisti, atque in sanctis tabernaculis tuis collocasti, fratresque in spiritu coniunctos effecisti et constituisti in monte Sion, qui est religiosus status, ponens pacem fines suos, muroque circumdatus obedientiae, castitatis et voluntariae paupertatis, quo spectaculum fieremus angelis et hominibus, ita hodie gratia tua innovasti vinculum, quo iungimur dilectioni tuae, nosque in hierarchias et choros in similitudinem angelorum distinxisti ad officia ministerii tui in paradiso domus tuae, quem plantasti nobis, et in quo nos collocasti, ut ex eodem fructus vitae perfectae colligeres, nosque illum operaremur, beneplacitum tuum perficientes et divinae voluntatis tuae obsequentes; et nunc, Domine Deus, tuere nos et custodi vineam istam, quam plantasti dextera tua, et domum tuam aedifica, quam virtute tua fundasti; quia nisi tu, Domine, aedificaveris domum, frustra vigilant qui custodiunt eam. Da, Domine, assistricem sedium tuarum sapientiam iis, quos ad ministerium domus tuae elegisti. Benefac nobis et corda nostra sanctifica, mentesque nostras in obsequio confirma, intercedentibus sancta Dei genitrice Virgine Maria et beatissimo patre nostro sancto Antonio magno, et omnibus sanctis.

Fratres: *Amen.*

Deinde abbas generalis, facta altari reverentia, ad eos adhuc genuflexos conversus, facit absolutionem generalem in haec verba:

Deus misereatur vestri et dimittat debita vestra, et tribuat vobis absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum. In nomine † Patris et † Filii et † Spiritus Sancti.

Fratres: *Amen.* Et surgant, eiusque manum ordinatim osculantur, et ad suas singuli cellas secedunt.

Cap. III. — *De congregatione hegumenoram et electione abbatum provinciae vel monasterii.*

1. Congregatio hegumenorum de semestri in semestrem ab abbate generali et quatuor hegumenis celebretur, et quoties de rebus agendum est aut valde urgentibus aut potestatem eiusdem congregationis exigentibus.

2. Penes abbatem generalem est illam indicere eique praesidere. Si vero ipse mortuus fuerit aut promotus, aut de ipsius causa et reatu consultandum sit, tunc ad omnes simul hegumenos spectabit illam indicere, et prior in ordine praesidebit tamquam vicarius abbatis generalis, ut supra dictum est.

3. Per septem dies ea durabit; singulis autem diebus, praemissa oratione dominica et litaniis beatissimae Virginis coram altari ab aedituo parato, ianitore portam observante et secretario ad mensam assidente, necnon duobus monachis suffragiorum cognitoribus, suffragia ferent, ut supra dictum est de congregatione generali. Porro secretarius, aedituus, ianitor et duo suffragiorum cognitores ab abbate generali et hegumenis praeeligendi sunt. Antequam vero prima congregatio inchoetur, sermo paraeneticus fiat ab idoneo monacho, quem abbas generalis designaverit.

4. Si post congregationem generalem eligendi sint abbates provinciarum et monasteriorum, primo congregationis die, sedentibus in ordine suo abbate generali et hegumenis, accedunt abbates quorum officium expirat, vel eorum vicarii, unus post alium, et genuflexi, sigillum et officium in manibus abbatis generalis et hegumenorum resignant et deponunt in haec verba:

Reverendissimi patres. In manibus vestris resigno et depono officium abbatis provinciae N. vel *monasterii N., quod mihi indigno commissum fuit; simulque veniam peto de omnibus culpis a me in eo commissis.*

Si vicarius fuerit aut procurator, dicat:

Reverendissimi patres. Nomine ac vice reverendi patris N. in manibus vestris resigno et depono officium abbatis provinciae N. vel *monasterii N., quod ipsi commissum fuit; simulque veniam peto de omnibus culpis ab ipso in eodem officio commissis.*

Facta resignatione, unusquisque extra congregationem recedet, et clauso ostio, legat secretarius coram abbate generali et hegumenis excessus vel defectus, si quos dicti abbates in suo officio commiserint, oblatas adversus eos subditorum monachorum accusationes et similia, quae in ultimo triduo congregationis generalis examinata sunt et in acta relata, ut cap. 1 huius partis, num. 11, dictum est. Mox generalis et hegumeni de iis deliberent; et si quid in regulam, constitutiones, consuetudines vel monachos peccasse deprehensi fuerint, vocentur singillatim et introducantur ad congregationem, ibique reprehendantur et digna malefactis poenitentia mulctentur: alias omnes simul introducantur, et genuflexi benedicantur ab abbate generali et absolvantur iis verbis:

Deus misereatur vestri, etc., ut capite superiori circa finem.

Tum extra congregationem dimittantur, et abbas generalis cum hegumenis per suffragia secreta eligat abbates provinciarum et monasteriorum eodem modo, quo supra de electione generalis et hegumenorum dictum est.

Suffragium in schedula scribatur sic: *Eligo reverendum patrem N. in abbatem provinciae N.* vel *monasterii N.*

Extrahuntur autem suffragia a duobus monachis eorum cognitoribus, et scribuntur in charta a secretario; et unus ex illis duobus, professione antiquior, nomen electi altiori voce pronunciat, ut generalis et hegumeni audiant; et qui plura suffragia habuerit, ille abbas erit, quem proinde generalis proclamabit in haec verba:

Nomine congregationis nostrae pronuncio et declaro reverendum patrem N. abbatem provinciae vel *monasterii N.*

Finito scrutinio, omnes electi abbates, qui in eo monasterio praesentes fuerint, vocantur a congregatione; et cum introducti fuerint, genua flectant coram abbate generali et hegumenis, manumque eorum deosculantur, et invicem ab his ad osculum pacis admittuntur. Abbas autem generalis tradat unicuique eorum sigillum officii sui, deinde omnibus praeter hegumenos genuflexis impertitur benedictionem, dicens:

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater † et Filius † et Spiritus † Sanctus.

Fratres, *Amen;* et procedunt unusquisque ad cellam suam.

Abbas generalis et hegumeni tradunt singulis patentes literas tenoris sequentis:

Venerabilibus fratribus ordinis sancti patris nostri Antonii, congregationis de Monte Libano, provinciae N. vel *monasterii N., salutem in Domino et benedictionem. — Notum facimus vobis, fratres, congregationem hegumenorum habitam die N., mense N., anno N., communi consilio elegisse reverendum patrem N. in abbatem vestrum proprium et peculiarem, qui carne et spiritu vos gubernet iuxta nostras consuetudines, constitutiones et regulam. Quocirca mandamus vobis in virtute sanctae obedientiae, ut eidem secundum nostrae Libaniticae congregationis regulam pareatis, eumque abbalem seu patrem nostrum appelletis, ipsique veluti legitimo praeposito vestro debitam obedientiam, honorem atque reverentiam exhibeatis. Si quis illi subesse noluerit, noverit se suorum votorum trangressorem fore. Benedictio sit super obedientes. — Datum in monasterio N., die N., mense N., anno N. Congregatio hegumenorum.*

Sigillum † generalis et hegumenorum.

Cum dictae literae ad monasterium venerint, unus ex fratribus, reliquis audientibus, in ecclesia vel in refectorio, abbate electo praesente, illas legat: finitaque lectione, continuo abbati electo vel confirmato omnes genuflectant, abbas vero iis benedicat, dicens:

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater † et Filius † et Spiritus † Sanctus.

Et respondent *Amen;* et surgunt, eiusque manum osculantur. Abbas suae electionis patentes literas apud se custodiat: cumque statuto tempore exauctoratus vel confirmatus fuerit, abbati generali illas restituet. Secretarius autem monasterii eas de verbo ad verbum describat, et in archivio reponat. Sequentibus sex diebus in congregatione hegumenorum de rebus, ad universum ordinem spectantibus, agetur.

5. Si vero congregatio hegumenorum non post congregationem generalem, sed praestitutis temporibus suis fiat, primo die de gravioribus negotiis agendum erit, postmodum reliqua definiantur.

6. Terminata congregatione, describi curent a secretario acta omnia, electiones officialium et constitutiones, si quae factae fuerint, sigilloque et propria generalis atque hegumenorum subscriptione firmentur, et in archivio reponantur. Quae vero monachis significanda sunt, ea per encyclicas literas, a generali et hegumenis subscriptas, significentur. Exemplum autem literarum omnium, quae nomine congregationis huius mittentur, a secretario eiusdem congregationis descriptum maneat in libro registrorum, qui in congregatione generali tradatur novo abbati generali et novis hegumenis, in archivio reponendus.

Cap. IV. — *De congregatione provinciae et monasteriorum.*

1. Congregatio provinciae unoquoque anno per triduum celebretur ab abbate provinciae et abbatibus monasteriorum subiectorum; congregatio vero monasteriorum sit quolibet mense per unum diem ab abbate monasterii et monachis omnibus professis. Primam autem indicet abbas provinciae, alteram abbas monasterii; et illa quidem uno saltem mense ante constitutum diem significari debebit, haec vero tribus ante diebus.

2. Quo mense facienda erit congregatio provinciae, praemittenda est opportuno tempore congregatio uniuscuiusque monasterii, ut in promptu habeat abbas, si quid ad eam congregationem referendum sit. Similiter quo anno celebrabitur congregatio generalis, opportune praemittatur congregatio provinciae.

3. Congregationi provinciae, praeter abbates monasteriorum, intererit socius abbatis uniuscuiusque monasterii a congregatione monachorum eligendus. Eius autem electio fieri debet tribus saltem diebus, antequam ad congregationem provinciae procedatur, ut sufficiens tempus habeat ad sumendum informationem de statu monasterii deque querelis et causis monachorum. Idem dicendum de socii abbatum ad congregationem generalem discessu. Omnia autem, quae socius congregationi generali vel provinciali, nomine monachorum praesentabit, debent esse sub sigillo monasterii clausa et ab iis subscripta.

4. In utraque congregatione idem ordo servetur, de quo supra in congregatione hegumenorum dictum est num. 3 et 6. Secretarius autem, aedituus et ianitor ab abbate eligantur; duo vero suffragiorum cognitores a monachis ad congregationem convocatis.

5. Agendum porro erit: primo de rebus spiritualibus ad profectum monachorum spectantibus, inquirendumque in mores uniuscuiusque, si quid contra regulam, constitutiones et consuetudines peccetur; secundo de regimine superiorum et subiectorum obedientia; tertio de temporalibus monasteriorum rebus.

6. Abbate ad congregationem generalem eunte, aut vicarium mittente, adhuc celebretur congregatio monachorum de mense in mensem, cui ipse abbas vel eius vicarius praeerit. Non tamen celebrari poterit congregatio provinciae, nisi de anno in annum, et ipso abbate praesente.

7. Si abbas monasterii decesserit, vicarius mortem eius tam abbati provinciae quam abbati generali statim significabit; et interim monasterium administrabit usque ad novi abbatis electionem et adventum. Quod si vicarius in illo monasterio non fuerit, tunc antiquior professione vicarius erit, et, inter aequales professione, antiquior aetate praeferatur, et sacerdos non sacerdoti. Mortuo autem abbate provinciae, abbas illius monasterii, in quo residere solet, ad abbatem generalem literas scribat. Nemo tamen in eius officio se immiscebit, donec abbas generalis in congregatione hegumenorum de successore aut vicario decreverit.

Cap. V. — *De congregatione hebdomadali.*

1. In qualibet hebdomada per omnia monasteria feria sexta, aut alia die non impedita, debet fieri congregatio omnium monachorum.

2. Sedentibus omnibus, et novitiis, si qui erunt, stantibus, abbas seu vicarius aliquid ex libris spiritualibus legat, vel legi faciat ad monachos.

3. Deinde (novitiis foras dimissis) idem abbas seu vicarius faciat brevem exhortationem contra defectus in monasterio occurrentes, nullam tamen personam nominando.

4. Absoluta exhortatione, abbas stans, reliquis genuflexis, dicat:

Deus misereatur nostri, et dimittat debita nostra, et tribuat nobis absolutionem et veniam omnium peccatorum nostrorum. In nomine † Patris et † Filii et Spiritus † Sancti.

Fratres, *Amen;* et surgunt, eiusque manum deosculantur, et ad suas unusquisque cellas abeunt.

Cap. VI. — *De electione in communi.*

1. Ab electione tam activa quam passiva in quolibet officio ordinis nostri, donec cum eo fuerit dispensatum, specialiter arcetur omnis excommunicatus, suspensus, interdictus, irregularis, non professus, et qui non subest nostrae congregationi, etiamsi fuerit monachus professus ordinis sancti patris nostri Antonii; item, qui ab ordine nostro apostataverit, et qui ab illo ad alium ordinem, etiam cum licentia superiorum, transivit, nec postea ad nostrum rediit; item, qui habet impedimentum naturale, ut fatuus, delirus, lunaticus; item, qui est notorie infamis ob publicum delictum, ut est homicidium, fornicatio, furtum, periurium, ebrietas; item subornator, qui prece, pretio, minis vel quocumque alio modo induxerit eos, qui in electione vocem activam habent, ut se ipsum vel monachum aliquem determinatum eligant, singulatim eum nominando; item qui per se ipsum vel alium procurat sibi dignitatem aliquam extra ordinem; item qui publice et scandalose Romano Pontifici, aut patriarchae vel ordinario loci detraxerit, aut eorum canonicas sanctiones contempserit; denique, qui monachum notorie indignum sciens et prudens aliquando elegerit.

2. In iis impedimentis, quae ex iure canonico proveniunt, dispensatio petenda est a legitimo superiore, qualis est sanctissimus Romanus Pontifex, reverendissimus dominus patriarcha et ordinarius loci episcopus, respective. In aliis vero, quae ex nostris constitutionibus inducuntur, abbas generalis dispensare poterit, vel, eo absente, congregatio generalis.

3. Nemo eliget, aut eligere poterit in abbatem generalem, aut hegumenum, sive in abbatem provinciae, aut monasterii, nisi triginta annos saltem inchoatos aetatis habeat; et nisi sex annos in congregatione nostra compleverit, includendo annos probationis.

4. In congregationibus hegumenorum provinciae et monasterii, ii tantum vocem activam habent, quorum mentio ibi fit. Vocem vero passivam in congregatione generali et hegumenorum habere possunt omnes monachi professi; in congregatione vero provinciae et monasteriorum, ii tantum monachi qui sunt illius provinciae et monasterii.

5. Nemo potest habere plures voces activas, etiamsi habeat plura in ordine officia; sed unusquisque unam tantum vocem habeat.

6. Omnis electio fiat per suffragia secreta.

7. Ante electionem legantur constitutiones de officio eligendorum et de electione.

8. Si suffragia fuerint aequalia, aut in diversas personas ita distrahantur, ut in nullum maior pars conveniat, id fiat quod supra cap. II, num. 12 et 13 dictum est.

Cap. VII. — *De visitatione.*

1. Abbas generalis semel saltem in triennio visitet omnia monasteria ordinis, et abbas provinciae semel quolibet anno monasteria sibi subiecta, ut dictum est part. III, cap. III, n. 3, et cap. V, num. 2.

2. Si legitime fuerint impediti, substituent vicarium visitatorem, cui tempus et auctoritatem per suas literas definiant, eique socium seu secretarium adiungent. Nulli autem vicario visitatori credatur, nisi literas suae delegationis antea exhibuerit coram monachis in congregatione convocatis in eo monasterio quod visitandum erit; eam vero monachorum congregationem abbas convocabit statim atque ei exhibitae fuerint literae abbatis generalis, aut hegumenorum, aut abbatis provinciae. Si autem abbas fuerit absens, aut obedire noluerit, tunc ipse vicarius visitator eam convocabit.

FORMA LITERARUM VICARII VISITATORIS.

Venerabilibus fratribus ordinis sancti patris nostri Antonii, congregationis de Monte Libano, provinciae N., vel *monasterii N., salutem in Domino et benedictionem.*

Notum facimus vobis, fratres, nos elegisse reverendum patrem N. in vicarium nostrum, eique vices nostras commisisse, ut visitet vos et vestrum monasterium in temporalibus et spiritualibus, et inquirat in omnia ad vos dictumque monasterium spectantia, iuxta nostras consuetudines, constitutiones et regulam, cum facultate decernendi, quae decernenda esse urgens necessitas compulerit, alia vero ad nos deferendi; non tamen alium in locum suum substituendi, nec visitationem in quolibet monasterio ultra triduum prorogandi. Quocirca mandamus vobis in virtute sanctae obedientiae, ut reverendissimum patrem N. tamquam vicarium visitatorem a nobis deputatum recipiatis, eique debitam reverentiam et obedientiam iuxta commissum ipsi officium exhibeatis. Si quis illi contradicere ausus fuerit, noverit, se suorum votorum transgressorem fore. Benedictio sit super obedientes. Datum in monasterio N., die N., mense N., anno N.

Abbas generalis, vel *hegumeni,* vel *abbas provinciae N.* — Loco † sigilli.

3. Lectis in congregatione literis, statim omnes genuflectent, excepto vicario visitatore; deinde surgentes deducunt illum in ecclesiam a dextris abbatis monasterii procedentem.

Si abbas generalis aut abbas provinciae personaliter ad visitandum monasterium veniret, convocata ab abbate loci monachorum congregatione, significabit breviter, ut praeparent se ad reddendam rationem, quam sequenti die exigere incipiet; deinde procedet una cum abbate monasterii et monachis ad ecclesiam, ut supra.

4. Ante aram maximam omnibus ordinatim genuflexis, abbas seu vicarius visitator, item genuflexus, ad portam mediam orabit aliquantulum: deinde intonabit psalmum CXLVIII *Laudate Dominum de coelis, etc.,* quem una cum duobus sequentibus psalmis monachi alternatim canent; et dicto *Gloria Patri,* surgit abbas seu vicarius visitator, et facta ad altare reverentia, conversus ad monachos genuflexos facit absolutionem, dicens:

Deus misereatur vestri, et dimittat debita vestra et tribuat vobis absolutionem et veniam omnium peccatorum vestrorum. In nomine Patris † et Filii † et Spiritus † Sancti.

Fratres: *Amen;* et surgunt, eiusque manum ordinatim osculantur, et abeunt in cellas suas.

5. Visitator primum locum tenebit cum socio suo, qui secretarii munus geret, etiam ante abbatem monasterii. Cum autem officio suo functus fuerit, ipse et socius locum iuxta dignitatem suam vel antiquitatem professionis habebit.

6. Primo visitationis die, cantatis divinis officiis, ac terminata per abbatem loci aut eius vicarium sacra liturgia, antequam detur a celebrante benedictio, omnibus monachis ordinatim genuflexis, visitator diligenter visitabit totam ecclesiam: ac primum aram maximam, ubi repositum est sanctissimum Eucharistiae sacramentum, deinde reliqua, si quae erunt, altaria, an omnia munda sint, et decenter ornata et composita: qua visitatione absoluta, reversus ad portam mediam, et facta altari reverentia, dat benedictionem, dicens:

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater † et Filius † et Spiritus † Sanctus.

Fratres: *Amen.*

Visitator prosequitur hanc admonitionem: *Auctoritate Dei totiusque ordinis nostri, praecipio vobis in virtute sanctae obedientiee, ut, cum unusquisque vestrum de omnibus et singulis personis ac rebus, ad hoc monasterium spectantibus, interrogatus fuerit, debeat, secundum conscientiam, pure et veraciter revelare, secluso omni odio, favore et affectu: nec ullus vestrum extra monasterium discedere praesumat sine expressa nostra licentia.*

Tum surgunt fratres et vadunt in cellas suas. Visitator, deposita stola, in sacristiam vadit cum socio, abbate monasterii et praefecto ecclesiae, seu sacrista, eamque diligenter visitat, considerando an munda et composita sint vasa sacra, vestes, libri et omnia utensilia.

Deinde procedit visitator cum socio et abbate loci ad cellam ipsius abbatis, qui primo offert visitatori scripta nomina et officia singulorum monachorum et personarum etiam saecularium, qui monasterio inserviunt; secundo, librum regulae et constitutionum ordinis; tertio, librum secretorum quae alii visitatores ei monasterio reliquerunt; quarto, libros proventuum

et expensarum monasterii et ecclesiae. Quibus peractis, visitator ad cellam sibi destinatam, per ipsum abbatem loci, aut monachum ab eo designatum, advocabit singulos monachos et inquisitionem inchoabit a iunioribus et desinet in ipsum abbatem, qui de singulis ipsi reddet rationem. Quae autem a singulis monachis referuntur, per socium et secretarium visitationis in charta notabuntur, in quorum fine unusquisque nomen suum subscribat, vel, si scribere nescierit, ipse secretarius eius nomen subscribat de ipsius mandato.

7. Postridie visitator cum secretario lustrabit, primo cellas omnium fratrum; secundo, alias monasterii mansiones, ut scholam, bibliothecam, hospitium, infirmariam, vestiariam, cellarium, coquinam et refectorium, praesentibus abbate loci eoque monacho qui cellae illius curam habebit.

8. Tertio et postremo die, convocata totius monasterii congregatione in locum ad id paratum, visitator brevem adhortationem faciet ad procurandam regulae et constitutionum observantiam, et legi faciat per secretarium monita relicta monasterio, moneatque omnes et singulos, ut se ad poenitentiam negligentiarum faciendam disponant: tum, genuflexis omnibus coram visitatore, culpas suas dicant ordinatim, incipiendo ab abbate loci usque ad iuniorem monachum, et veniam petant a visitatore, qui singulis cum discretione et charitate poenam iniungat salutarem: mox faciat absolutionem dicens:

Deus misereatur vestri, etc., ut supra n. 4, atque ita cum osculo pacis dimittat congregationem.

9. Si ipse generalis aut abbas provinciae visitationem facit, utatur auctoritate sua in correctione abbatis et monachorum.

Si vero fuerit vicarius, ad substituentem omnia referat; non tamen abbatem loci deponere, aut ab officio suspendere poterit, nisi specialem facultatem habuerit a congregatione hegumenorum. Quod si necessitas requirat, ut monachum de illo monasterio in aliud transferat, id auctoritate sua facere poterit, si generalis fuerit aut abbas provinciae; si vero delegatus fuerit, consentiente abbate loci, in quo est, et abbate monasterii, ad quod transferendus est monachus, id faciet; illis autem dissentientibus, rem ad delegantem referet.

10. Haec fere sunt, de quibus visitator inquirere debet:

An singuli debitam abbati obedientiam exhibeant.

An abbas officio suo erga omnes aequaliter utatur.

An inter omnes et singulos pax et concordia servetur.

An sit aliquis proprietarius in monasterio, vel scandalosus, ebriosus, otiosus, assuetus iurare vel turpia loqui, notatus de suspecta familiaritate intra vel extra monasterium, cum scandalo alium non alloquens, rixosus, contumeliosus.

An ab omnibus observetur regula et constitutiones quoad divinum officium, confessionem, communionem, orationem mentalem, ieiunium, refectorium, silentium, aliaque communitatis officia, et quomodo ritus et caeremoniae ecclesiasticae observentur.

An aliquid desit, vel superfluum sit in victu, potu, vestitu; et quomodo tractentur ab abbate tam monachi sani quam infirmi et hospites.

Quomodo monachi iuniores instruantur, et qui sint mores saecularium qui sunt in monasterio coenobii.

11. Acta omnia a secretario excerpta, sigilloque munita, in archivium ordinis inferat, et si vicarius sive delegatus fuerit, ad abbatem generalem vel provinciae referat.

12. Omnem operam adhibeat, ut pacem et concordiam in monasterio relinquat.

PARS QUINTA

CAP. I. — *De processu iudiciali.*

Cum monachorum causae a superioribus eorum iudicandae sint, communis ordo iudiciorum servetur.

1. Iudex secretarium praesentem habeat, ab ipso aut a maiori superiore eligendum, qui examini adsit et dicta examinandorum excipiat et sententiam scribat.

2. Iudicium introducendum erit vel per accusationem vel per denunciationem vel per diffamationem.

Si per accusationem processus inchoetur, certus esse debet accusator, et capita accusationis porrectae sua manu subscribat. Ante omnia autem examinandus accusator, an sit integrae famae, an moveatur aliquo odio, aut alio pravo affectu; an quae proponit, habeant aliqua adminicula vel indicia veritatis, puta, quia accusatus alias in eodem genere peccati deliquerit, aut alio modo eius fama et existimatio laboret. Haec autem exactius observanda sunt, quando accusatio procedit contra abbates: isti enim falsis delationibus et querelis maxime obnoxii sunt; et rursus cum regiminis columina [1] sint, non facile neque ex levibus delationibus in periculum existimationis et famae vocandi sunt.

Si per denunciationem procedatur, denunciator similiter certus sit, et subscribere se debet denunciationis capitibus, sicut accusator, etsi

---

1 Videtur legendum *columnae.*

ipse non teneatur processum prosequi et obiectae [1] probare.

Si autem per diffamationem procedatur, examinandum primo, an fama aut diffamatio a probis et honestis viris ortum habeat, eaque diffamatio non semel sed saepius ad aures superiorum pervenerit.

3. Post accusationem seu denunciationem seu diffamationem, iudex ad testium examinationem deveniat, a quibus exhibito de veritate dicenda iuramento, vel facto iis de veritate dicenda in virtute sanctae obedientiae praecepto: primo, si sint extranei, generaliter interrogabit super eorum qualitatibus; deinde super praedictis capitibus accusationis; annotetque diem, mensem ac annum, quo singuli testes fuerint examinati et quaecumque deposuerint; demum curabit, ut iidem testes manu propria subscribant suas depositiones; et, si ipsi literas ignorant, apponant sua manu figuram crucis, et alius ex ipsorum mandato subscribat eorumdem nomina, annotando se illorum iussu subscripsisse.

4. His peractis, iudex accusatum seu denunciatum vel diffamatum citabit, eumque examinabit super praedictis, non semel, sed bis, vel ter, cum intervallo tamen, ut, si contradictoria dixerit, possit ex sua confessione redargui; et, si opus fuerit, ad reum convincendum eumque ad veritatem dicendam inducendum, poterunt coram eo produci testes, qui ipsum convincant.

5. Finito examine, dandum erit ipsi reo exemplar depositionum testium examinatorum sine eorum nominibus, cum termino competenti ad faciendas suas defensiones; et, si delicta sibi obiecta non diluat, eaque sint probata sufficienter vel per rei confessionem, aut per testes reus fuerit convictus, poterit, praevia citatione, ad sententiam deveniri, et reus in poena eius delicto debita condemnari. Si vero diluerit legitime, erit absolvendus aut declarandus innocens. Si autem de eius innocentia non plene constiterit, debet absolvi nihilominus, apposita clausula *ex hactenus deductis*, quia innocentia rei non fuit plene probata.

6. Si abbas generalis vel hegumeni vel abbas provinciae commiserint alicui, ut causam examinet et iudicium ferat, is debet, primo, terminos facultatis suae non excedere, sed intra eos se continere: nimirum, si examen tantummodo ipsi commissum fuerit, non debet sententiam ferre; secundo, confectum, ut supra, processum iudicialem, propriaque manu subscriptum et sigillo monasterii signatum, transmittat ad superiorem.

7. Monachi omnes curare debent: primo, ut delinquentem caritative moneant iuxta sanctum evangelium, antequam accusetur vel denuncietur; secundo, ut, quantum fieri potest, evitent formam iudicii, multoque magis exceptiones, quae dari solent vel possunt contra solemnitatem iuris in processu facto et sententia lata; nam institutum monasticum, quod assumpsere, docet eos non contendere iudicio, sed propriae voluntati renunciare, poenitentiam agere et pro Domino pati.

8. Non debet in re levi vel ex mera suspicione fieri accusatio aut denunciatio; sed in delicto gravi et certo vel quasi certo. Item ab accusatione excluduntur ebriosi, detractores, iracundi, aut similibus vitiis laborantes, qui, prius frequenter moniti, emendati non fuerint: et qui voce activa et passiva privati sunt, iidem non debent a iudice ad testimonium admitti, bene tamen ad informationem. Quando vero ex processu constiterit innocentia accusati, debet a iudice accusator in poena talionis condemnari.

9. Si delictum, de quo quis accusatur aut denunciatur vel inquiratur, non fuerit publicum, curare debet iudex ne illud evulget, sed secretum servet, quantum fieri potest.

10. Qui poenitentiam sponte facere recusaverit, compelli poterit per censuras. Quod si istas proterve spreverit, acriora remedia adhibeantur; semper tamen habito respectu circumstantiae loci, temporis et personae.

CAP. II. — *De culpis et poenis.*

Cum constitutiones nostri ordinis non obligent ad culpam, nisi propter contemptum et scandalum, sed solum obligent ad poenam transgressoribus infligendam; ideo dicendum nunc est de poenis quae ad correptionem culparum imponuntur.

1. In primis superiores intelligant, sibi cum fratribus agendum in spiritu lenitatis, nec, nisi causa attente perspecta, ad acriora remedia esse progrediendum. Quare plerumque praemittenda erit admonitio charitativa seu per se seu per alios, itaut subditus doceatur emendationem delictorum a superiore quaeri, non delinquentium ruinam.

2. Intelligant pariter subditi, eadem pia animi praeparatione sibi suscipienda esse ista caritatis remedia, cum qua a superiore illa applicari iustum est credere, cum magno scilicet desiderio proprii profectus et emendationis; neque dandum locum diabolo suggerenti futiles querelas adversus superiores, aut secum ipsis, aut, quod omnino cavendum est, cum aliis, praesertim externis, etiamsi contingat poenitentias iniungi insontibus ex falsa, ut aliquando accidere necesse est, delatione et errore.

3. Praeterea superiores frequenter recogitent,

[1] Potius lege *obiecta*.

se de suis subditis rationem Deo reddituros; ac proinde diligenter serioque caveant, ne ex propria indulgentia et remissione regularis disciplina laxetur; dum nimirum subditi, impunitatem sibi ex superioris conniventia pollicentes, quodlibet audere paulatim assuescant. Quamobrem caute circumspecteque attendant, ne quis contra constitutiones abusus quovis praetextu inducatur; noverintque ex parvis transgressionibus magnam quandoque ruinam disciplinae regulari imminere; idque si ipsorum vitio contingat, gravissimae ipsos noxae reos fore.

4. In poenis iniungendis superiores haec praecipue observent:

Primum, ut, aucta gravitate culpae ex gravitate circumstantiarum, poena pariter augeatur; et in iis quidem monasteriis, in quibus est frequentior monachorum numerus, ad mensam communem, ex schedula a superiore vel eius vicario scribenda, legatur culpa et poena, indicato etiam nomine delinquentis ad communem aedificationem, nisi forte ipse reus eodem in loco ex sua devotione velit se ipsum simili modo accusare. Quod etiam superior, cum id expedire in Domino iudicaverit, iniungere poterit.

Secundum, ut poena gravior et gravissima nonnisi cum maturiori consilio patrum seniorum ab abbate infligatur; eaque in scriptis et postquam de culpa constiterit per confessionem rei vel per competentia testimonia; et, si id rei gravitas exposcat, abbatis etiam generalis sententia rogetur.

Tertium, ut fratribus provectae aetatis, quoad aliquas poenas aetati minime convenientes, abbas ita dispenset, ut alias simul magis congruentes iniungat. In graviori vero et gravissima culpa taxatam in constitutionibus poenam nullatenus mutet, nisi causa commutandi sit legitime probata coram abbate generali.

Quartum, ut abbas, dum alicuius culpam redarguit, aut poenam ei iniungit, caveat summopere, ne id ex ira aut odio aut vehementi animi perturbatione faciat; multoque minus, ne iniuriosis verbis, aut contumeliis, sive imprecationibus reum excipiat. Quod si id fecerit, a seniore monasterii moneatur semel, bis et tertio; sique emendatus non fuerit, ad abbatem generalem deferatur, qui ei debitam culpae poenam omnino iniungat.

5. Si quis ex fratribus iniunctam sibi poenitentiam ex protervia aut alia animi perturbatione subire detrectaverit, in cella includi reum iubeat abbas; et postea mittat ad eum seniores patres, qui illum moneant ad poenitentiam et inducant ad obedientiam: quam si fecerit, bene erit, si autem adhuc in contumacia perseveraverit, triduo illum includi in cella iubebit, et pane tantum et aqua vesci, idque, cum culpa, ob quam poena iniungitur, non sit gravior aut gravissima; nam in eo casu augenda erit poenitentia iuxta qualitatem delicti, quemadmodum infra dicetur cap. XIV, num. 1.

6. Cum culpae aliae sint leves, aliae graves, graviores et gravissimae, debet abbas poenitentias iuxta culparum qualitatem iniungere, ut infra praescribitur. Poenas vero commutare, et pro gravibus leves iniungere, aut vice versa pro levibus graves imponere, non poterit sine consilio et congregatione monachorum. Quae autem hic taxatae non sunt poenae, cum consilio eorumdem monachorum in Domino taxabit.

CAP. III. — *De levi culpa et poena.*

Levium culparum non est numerus: ex his autem, quae hic apponuntur, de ceteris iudicari pronum erit.

Levis culpa est:

1. Si quis ad inchoationem officii, vel congregationis, vel collationis spiritualis non adfuerit.

2. Si quis aliquid dixerit vel fecerit, unde fratres offendantur.

3. Si quis quidpiam utensilium ex desidia fregerit aut perdiderit, vel cibi potusve aliquid effuderit.

4. Si quis communi refectioni non interfuerit.

5. Si quis constitutis horis silentium fregerit.

6. Si quis pro victu, aut vestimentis, vel alia re murmuraverit.

7. Si quis eorum, qui communibus officiis deputati sunt, munus suum in re aliqua neglexerit.

8. Si quis potum vel cibum sine licentia sumpserit.

9. Si officio in tabula assignato defuerit.

10. Si quis in caeremoniis missae, divinorumque officiorum, minus decenter se gesserit, aut aliquid omiserit, vel de suo addiderit.

11. Si quis oculos vagos ad vanitatem direxerit.

12. Si quis strepitum in cella vel monasterio aut ecclesia sonitumque fecerit.

Quicumque in praefatos et similes defectus inciderit, et de illis proclamatus fuerit, vel ipse se sponte proclamaverit, vel aliunde hoc ipsum constiterit, abbas iniungat peccanti unum psalmum, vel aliquot orationes dominicas, vel psalmos seu genuflexiones in refectorio aut in ecclesia, iuxta modum quo excessit et qualitatem personae.

Cap. IV. — *De gravi culpa et poena.*

Gravem culpam censemus:

1. Si quis frater cum fratre vel externo, intus vel foris, rixas habuerit; si quis frater vel saeculari contumeliam dixerit vel minas et maledicta in eosdem protulerit.

2. Si quis inter fratres discordiam, dicta unius alteri referendo vel alio modo, seminaverit.

3. Si quis iurare, mentiri, turpia vel scurrilia dicere, ad risum alios ineptis garritionibus provocare, silentium frangere, cum offensione praesertim fraterna, in consuetudinem duxerit.

4. Si quis cum feminis aut pueris colloquendo, attentis circumstantiis loci, temporis et personarum, suspicionem aliquam vitii ingesserit, aut ingerere potuisse iure praesumptus fuerit.

5. Si quis dormierit sine tunica et cucullo.

6. Si quis exiverit sine socio assignato, aut illum mutaverit, aut extra monasterium reliquerit, vel solus sine licentia iverit, vel hora, qua in monasterium redire debet, non redierit.

7. Si quis ex cella egrediatur, et per monasterium vagetur tempore dormitionis.

8. Si quis medicinam sumpserit, aut sanguinis minutionem fecerit, sine licentia.

9. Si quis culpam praeteritam fratri, pro qua satisfecit, improperaverit.

10. Si quis ieiunium ab ordine praescriptum fregerit.

11. Si quis missam, confessionem, communionem aut officium divinum in choro sine licentia omiserit.

Pro supradictis et similibus culpis iniungantur ieiunium et strictum silentium per aliquod tempus, genuflectiones et prostrationes tempore refectionis communis aut in ecclesia, psalmi etiam et orationes aliquot dominicae, secundum discretionem abbatis.

Cap. V. — *De graviori culpa et poena.*

Gravior culpa est:

1. Si quis ieiunia Ecclesiae violaverit.

2. Si quis peccatum mortale manifeste commiserit contra praecepta Dei vel Ecclesiae, praeter casus infra recensendos, cum de gravissima culpa sermo erit.

3. Si quis, sciens et volens, sententiam excommunicationis aut suspensionis incurrerit a iure vel ab homine latam, tam a praelato ecclesiastico quam a superiore religioso; exceptis item casibus, in quibus ob gravissimam culpam excommunicatio vel suspensio infligitur.

4. Si quis, sciens se esse excommunicatum aut suspensum, ut supra, celebraverit vel in suis ordinibus ministraverit.

5. Si quis calumniam in fratres struxerit, sive in iudicio sive privatim.

6. Si quis per fas aut nefas procuraverit ut ipse vel alter eximatur a potestate superioris tam monasterii quam provinciae, aut abbatis generalis.

7. Si quis per contumaciam vel manifestam rebellionem inobediens suo superiori fuerit, vel cum eo intus aut foris contenderit.

8. Si quis secreta congregationum generalis, hegumenorum, provinciae et monasteriorum aliis monachis sive professis sive novitiis, vel etiam externis, temere revelaverit.

9. Si quis decretis congregationum antedictarum sese opposuerit, aut superiori praecipienti aliquid in virtute sanctae obedientiae contradixerit.

10. Si quis praelato ecclesiastico aut principi saeculari, in eis quae ad illos spectant, inobediens et contumax extiterit.

Pro huiusmodi et similibus culpis iniungantur ieiunia; item assignetur ultimus locus; prostratio ante fores templi vel refectorii vel chori, dum fratres intrant; seiunctio aut sequestratio a fratribus, itaut nullus fratrum audeat se illi coniungere vel aliquod ei mittere, nec vocetur ad aliquod officium in ecclesia vel in choro; mensa ponetur eidem sequestrata, ne cum aliis commisceatur; demum privatio vocis activae et passivae in stricta forma ad aliquot annos iniungatur. Ex praedictis autem poenis superior, cum consilio seniorum patrum, plura vel pauciora, longius vel brevius, iuxta culpam poenitenti imponat.

Cap. VI. — *De gravissima culpa et poena.*

Gravissima culpa est:

1. Si quis haeresim aut schisma contra unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam secutus fuerit, aut a fide christiana defecerit.

2. Si ab ordine nostro post professionem apostataverit, dimisso vel retento habitu.

3. Si quis proprietarius fuerit in pecunia, libris, vestibus, aut re alia magni momenti, tam recipiendo, quam dando, vel alienando.

4. Si quis graviter fratrem vel extraneum quemcumque percusserit et leviter etiam superiorem, idque irato animo.

5. Si quis sigillum confessionis fregerit.

6. Si quis literas nomine abbatis generalis, hegumenorum, abbatis provinciae vel monasterii, aut monachi alicuius vel monachorum confixerit, sive eas sigillo officii aut dignitatis vel personae firmaverit, sive non: item qui literas, ad abbatem generalem aut hegumenos directas, interceperit aut aperuerit et legerit.

7. Si quis veneficium, incantationem, sortilegium, necromantiam, aut quamcumque aliam diaboli invocationem exercuerit,

8. Si quis publicum scandalum vel infamiam gravem ordini fecerit per manifestum lapsum carnis cuiuscumque speciei sit.

9. Si quis maligne conspirationem in superiorem suum machinatus fuerit.

10. Si quis machinationes et schismata ad destructionem vel divisionem ordinis attentaverit.

11. Si quis a superiorum sententia ad tribunalia saecularia appellare aut confugere ausus fuerit: quod si ab abbate gravari se praetenderit, ad abbatem generalem aut congregationem hegumenorum, vel ad congregationem generalem recurrat; et si adhuc ab his praetenderit se gravari, recurrere poterit ad patriarcham aut Romanum Pontificem.

12. Si quis ordinem aliquem ecclesiasticum sine superiorum licentia ab episcopo acceperit, aut sine licentia episcopi ordinarii ausus fuerit ad saeculares concionari, eorum confessiones audire, a casibus ordinario reservatis, sciens et volens, illos absolvere, aut sacramenta baptismi, extremae unctionis vel matrimonii administrare: uno verbo, ministeria parochi obire.

Pro talibus criminibus, cum consilio patrum seniorum, praeter poenas gravioris culpae, reus privetur cucullo et corona, et in cellam tamquam in carcerem detrudatur, ab omnium fratrum consortio seiunctus ad aliquot menses. Ne tamen huiusmodi poenitens propter impatientiam suam in desperationem praeceps ruat, mittat ad eum quandoque superior patres seniores, qui illum blandis verbis commoneant ad poenitentiam et provocent ad patientiam, foveant per consolationem et inducant ad emendationem. Recogitet autem abbas, qualem Deo sit ipse redditurus rationem, si forte sua impatientia et imprudenti severitate fratrem perdat, pro quo Christus mortuus est; memineritque sanctum patrem nostrum Antonium sollicitum fuisse dicere: « fratrem, in aquas lapsum, erigendum esse, non ad naufragium impellendum ».

Cap. VII. — *De culpis et poenis superiorum.*

1. Quaecumque de levi, gravi, graviori et gravissima culpa et poena dicta sunt, ea de superioribus respective intelligantur; itaut delinquentem abbatem monasterii abbas generalis puniat, hunc congregatio generalis; idque intelligendum de poenis suspensionis ab officio, depositionis et privationis vocis, loci et coronae, de quibus infra sermo erit.

2. Levis culpa abbatis est, si cellas monachorum et officinas per se vel per vicarium visitare neglexerit; si ad divinum officium et ad communem refectionem sine causa aliquoties non venerit; si e monasterio sine necessitate exierit; si caeremonias ecclesiasticas minus decenter exercuerit; si quid dixerit vel fecerit, ut fratres offendantur; si in cibo, potu et vestimentis fratres cum indebita parsimonia tractaverit; si erga aliquem fratrem plus favoris vel asperitatis exhibuerit; si quid poculentorum vel esculentorum, in re tamen parvi momenti, extraneis dederit sine causa legitima. Pro huiusmodi defectibus ab abbate maiore corripiatur, et psalmi vel aliquot orationes dominicae seu genuflexiones ei iniungantur.

Gravis culpa est: si fratri vel externo verba iniuriosa dixerit, maledicta et imprecationes pronunciaverit; si discordias inter fratres seminaverit; si iurare, mentiri, turpia vel scurrilia dicere, frequenter deprehensus fuerit; si saecularium domos sine necessitate frequentaverit; si cum feminis aut pueris colloquendo, attentis circumstantiis, suspicionem aliquam vitii ingesserit; si dormierit sine tunica et cucullo; si medicinam sine licentia medici sumpserit; si culpam praeteritam, pro qua satisfactum sit, alicui exprobaverit; si sine socio extra monasterium iverit; si ieiunium ab ordine praescriptum fregerit; si missam, divinum officium in choro sine causa omiserit; si absque eorum culpa officiales ab officiis maligne removerit. Pro huiusmodi culpis iniungatur ieiunium per aliquot dies, item psalmi aliquot et orationes dominicae et genuflexiones.

Gravior culpa est: si peccatum mortale manifeste commiserit contra praeceptum Dei vel Ecclesiae, praeter casus infra recensendos, cum de gravissima culpa sermo erit; si, sciens et volens, sententiam excommunicationis aut suspensionis incurrerit; si, sciens se esse excommunicatum vel suspensum, celebraverit vel in suis ordinibus ministraverit; si rationem dati et accepti in libro describere neglexerit; si quem novitium admiserit non praevio examine; si nomina novitiorum et professorum non descripserit; si abbati generali aut abbati provinciae de statu sui monasterii aut provinciae non scripserit, ut supra suo loco dictum est; si monachum de suo monasterio in aliud sine causa et sine congregatione monachorum miserit; si calumniam in fratres struxerit; si procuraverit, ut ipse vel alter eximatur a potestate superiori, aut in officio confirmetur; si per contumaciam vel manifestam rebellionem inobediens superiori fuerit, vel cum eo contenderit; si secreta congregationum revelaverit; si decretis congregationum, vel abbatis generalis, sese opposuerit; si superiori praecipienti aliquid in virtute sanctae obedientiae non obedierit; si quid parvi momenti in virtute sanctae obedientiae fratribus praecipere consueverit; si praelato ecclesiastico aut principi saeculari, in eis quae ad illos spectant, contradicere culpabiliter ac temere praesumpserit; si fratribus, propriae conscientiae rationem iuxta morem reddentibus, secretum

non servaverit. Pro similibus culpis iniungatur ieiunium per plures dies: item psalmi plures et orationes dominicae et genuflexiones, aut demum ab officio suspendatur vel removeatur, ex consilio congregationis hegumenorum.

Gravissima culpa est: si haereticus aut schismaticus fuerit, aut a christiana religione defecerit; si ab ordine nostro apostataverit; si graviter fratrem vel extraneum percusserit, et leviter etiam superiorem; si absque superioris licentia fabricam magni momenti praeceperit; si munus a fratre acceperit, ut ei officium aliquod committat; si bona mobilia aut immobilia monasterii sine congregatione monachorum, aut abbatis generalis, aut eorum, ad quos spectat, licentia, alienaverit; si monachum propria auctoritate e monasterio eiecerit sine licentia abbatis generalis; si, sciens et volens, novitium impedimentum aliquod habentem admiserit, nec facultatem habuerit, vel a legitimo superiore obtinuerit; si sigillum confessionis fregerit; si literas nomine abbatis generalis, vel hegumenorum, vel congregationis generalis confinxerit, aut nomine monachorum; si literas ad superiores directas interceperit, vel aperuerit et legerit; si veneficium, incantationem, sortilegium, necromantiam, aut alias huiusmodi diabolicas artes exercuerit; si legitime convictus fuerit peccatum carnis admisisse; si conspirationem in abbatem generalem molitus fuerit; si machinationes et schismata ad destructionem vel divisionem ordinis attentaverit; si a superiorum sententia ad tribunal saecularium appellaverit; si sine licentia abbatis generalis ordinem aliquem ecclesiasticum acceperit, aut sine licentia episcopi ordinarii ausus fuerit concionari ad saeculares, eorum confessiones audire, aut reliqua facere quae facultatem ordinarii requirunt. Pro talibus criminibus ex consilio congregationis hegumenorum, praeter poenas gravioris culpae, reus in cellam ad aliquot menses tamquam in carcerem detrudatur. Praeterea voce activa et passiva per quinquennium privetur. Si vero apostata fuerit vel homicida, aut proprietarius, eam poenam subeat quae infra describetur. Eamdem apostatarum poenam luent, qui a sancta catholica fide ad haeresim vel schisma vel infidelium sectam defecerint.

Cap. VIII. — *De percussoribus.*

1. Si quis fratrum vel abbatum animo irato percussionem alicui comminatus fuerit, poenam gravioris culpae per hebdomadam sustinere cogatur; si vero aliquem fratrem aut extraneum manu percusserit, eamdem poenam luat per quindecim dies, nisi gravis laesio fuerit; si vero percusserit ligno aut lapide vel alia re sine gravi laesione, per mensem eidem graviori poenae subiaceat.

2. Propter gravem autem laesionem fratris vel extranei, sive manu sive quacumque alia re percussio fuerit, vel levem etiam laesionem superiori factam, percussor poenam gravissimae culpae per duos menses sustineat, et utraque voce per triennium careat, a solo abbate generali absolvendus.

3. Si vulnus lethale inferatur, mors tamen non sequatur, eamdem poenam gravissimae culpae per sex menses absque ulla dispensatione sustineat et per quinquennium voce careat; si autem (quod Deus avertat) usque ad homicidium aliquis prolaberetur, talis omnino sine ulla dispensatione puniatur poenis gravissimae culpae per decennium et utraque voce perpetuo careat.

4. Tantum vero praedictis poenis addatur, quantum abbati de consilio patrum seniorum visum fuerit expedire, attenta qualitate personae percutientis, percussae, percussionis et scandali magnitudine.

5. Frequentans hoc vitium etiam levi percussione, ad nullum officium eligibilis censeatur.

6. Percussores superiorum, praeter expressas poenas, voce utraque perpetuo careant cum suis complicibus et fautoribus.

Cap. IX. — *De proprietariis.*

1. Qui cibum, potum aut alia parvi momenti sine licentia superioris receperit, prima vice caritative moneatur a superiore; pro secunda gravius reprehendatur, deinceps vero poena graviori puniatur pro arbitrio abbatis.

2. Si pecuniam aut aliquam rem magni momenti sine licentia a quocumque habuerit vel alienaverit, non debet a confessario absolvi, nisi prius ipse poenitens illud superiori praesentaverit, aut alienatum, si possibile fuerit, recuperaverit. Deinde, si peccatum proprietatis publicum fuerit, aut a superiore per indicia vel testes deprehensum, proprietarius, praeter privationem vocis activae et passivae, per mensem gravioris culpae poenam luat, quae augeri et minui poterit iuxta qualitatem delicti et quantitatem materiae. Debet autem a congregatione generali determinari quantitas materiae sufficientis ad culpam gravem proprietatis, ut dicatur res magni momenti quae recipitur vel alienatur et propter quam incurritur in casum reservatum et in poenam graviorem, atque eadem notificari.

3. Si post mortem proprietarius quis inventus fuerit sive subditus sive abbas, nec in infirmitate peccatum suum confessus fuerit, deque eo doluerit, sacrificium aut aliquod officium pro ipsius anima non fiet et sepultura ecclesiastica privetur; idque cum consilio patrum seniorum, nisi forsan ex tali poena scandalum saecularibus generaretur.

4. Surripientes aliquid tam ex monasterio quam ex cella fratrum, et ab externis, praeter infamiam, duplicata poena proprietariorum puniantur.

5. Qui non revelat pecunias, aut bona mobilia seu immobilia acquisita a se vel ab aliis fratribus, inter proprietarios recensetur et poena proprietariorum plectetur. Eamdem culpam et poenam incurret abbas, qui bona monasterii in loco abscondito ponit, sine duorum saltem fratrum notitia.

Cap. X. — *De apostatis.*

1. Monachus quicumque, si post professionem habitum sponte dimiserit, aut retento habitu, sed inconsulto superiore, monasterium deseruerit, cum magna caritate et prudentia a superiore requiratur, qui proinde per se vel per alios omnem operam impendat, ut ovem errantem ad ovile quamprimum reducat. Redeuntem cum omni caritate et paterni amoris significatione recipiat; et antequam ad poenas poenitenti iniungendas procedat, eumdem doceat per se vel per aliquem ex patribus seniorибus, non eas imponi ad ipsius poenitentis destructionem, sed ad aedificationem et salutem. Cum autem ad suscipiendam correptionem illius animum bene praeparatum fuisse compererit, sequentes poenitentias eidem iniungat cum consilio patrum seniorum:

Primo, ad praelationem per quinquennium inhabilis fiat et voce tum activa tum passiva privetur, et primo anno ultimum locum teneat; et per mensem integrum corona et cucullo privetur, si habitum dimisisset; secus, si eum retinuisset. Si vero laicus aut clericus in minoribus ordinibus constitutus esset, per quinquennium novissimus sedeat, et voce activa et passiva privetur, perque mensem cucullo privetur si habitum dimisisset.

Secundo, per aliquot menses in cellam includatur, et ieiunet in pane et aqua.

Tertio, per unam hebdomadam, postquam e cella egressus et ad consortium fratrum admissus fuerit, sequestratum locum habeat in ecclesia, in choro et in mensa.

2. Si secundo vel tertio apostataverit, poenae suprapositae ei multiplicentur ex consilio patrum seniorum; quod si cum scandalo, relicto ordine, inhoneste vixerit, aut diutius extra ordinem permanserit, poena illi augeatur iuxta qualitatem scandali, delictorum et morae diuturnitatem. De quo vero non constat quod habitum dimiserit, aut ex ordine fugerit, sed tantum vagus intra vel extra provinciam, praetextu adeundi superiorem, in habitu circumierit, is poenas gravioris culpae sustineat iuxta moram vagationis et qualitatem delictorum; ita tamen, ut superior prudenter prospiciat, quid, attento praesenti statu poenitentis, in Domino expediat, adhibito etiam seniorum patrum consilio, ne remedia, quae in salutem infirmorum fratrum excogitata sunt, in eorum ruinam et exitium vertantur.

3. Apostata ab ordine monastico, vel fugitivus, sive monachus fuerit sive abbas, a nullo absolvi potest, nec in monasterium recipi, praeterquam ab abbate generali; ad quem proinde remittendus erit reus, vel saltem scribendum. Cum autem abbas generalis facultatem suam abbati monasterii commiserit, tunc, convocata monachorum congregatione, genuflexus reus humiliter culpam suam dicat, et abbas intonat psalmum LI *Miserere mei Deus,* quem fratres alternatim prosequuntur, dictoque *Gloria Patri,* abbas illum absolvit, dicens:

Deus misereatur tui et dimittat debita tua, et ego, auctoritate ipsius et reverendissimi patris nostri abbatis generalis, absolvo te a vinculo excommunicationis, in quam propter apostasiam vel *fugam ex ordine incurristi, et restituo te communioni et unioni fidelium et participationi sanctorum Ecclesiae sacramentorum. In nomine † Patris et † Filii et Spiritus † Sancti. Amen.*

Sed si fuerit abbas generalis, dicat:

Deus misereatur tui et dimittat debita tua et ego, auctoritate ipsius, absolvo te, etc.

Tunc iniungat ei poenitentiam, ut supra.

4. Tempus apostasiae vel fugae non computatur monacho inter annos monachatus.

5. Idem dicendum est de apostasia a fide christiana vel catholica ad haeresim, schisma, aut infidelium sectam, quod dictum est de apostasia a professione monastica. Ab eo tamen casu absolvi nequit, nisi ab ordinario competente.

Cap. XI. — *De excommunicatione.*

Solus abbas generalis potest poenam excommunicationis infligere monachis; id tamen raro admodum fiat, et ex urgentissima necessitate: et primo quidem ex consilio et deliberatione congregationis hegumenorum; secundo, ob unam ex culpis gravissimis, quae supra cap. VI et VII recensentur; tertio, post factum canonice processum et praemissa trina monitione canonica cum certis intervallis, utpote unius vel plurium dierum, aut etiam horarum, si periculum sit in mora; quarto, affigenda erit sententia excommunicationis cellae eius, qui excommunicatur, aut legenda in congregatione monachorum, sive excommunicatus praesens sive absens fuerit; quinto, vulgandum erit eius nomen omnibus illius monasterii et provinciae monachis, ut ab omnibus devitetur.

Sententia vero excommunicationis concipietur in hunc modum:

Ego N. abbas generalis, habita hegumenorum N. N. N. N. congregatione, per hanc sen-

tentiam, quam in scriptis pronuncio, auctoritate Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, et exigente contumacia fratris N. N. ob tale delictum (quod debet omnino exprimi) *ipsum excommunico et pro excommunicato haberi declaro; et tamdiu ipsum vitandum denuncio, donec adimpleverit quod mandatur.*

Si abbas monasterii vel visitator ex commissione abbatis generalis sententiam excommunicationis pronunciet, dicat:

Ego N. abbas monasterii N., vel *visitator monasterii* aut *provinciae N., specialiter ab abbate generali et hegumenis deputatus, per hanc sententiam, quam in scriptis pronuncio, etc.*

Cum erit absolvendus, utatur abbas formula, quae supra descripta est cap. x.

Omnis excommunicatus quacumque excommunicatione, sive a canone sive ab homine, tam a praelato ecclesiastico quam ab abbate generali, non ingrediatur ecclesiam vel chorum; neque ad communem cum fratribus mensam admittatur, neque officio ullo aut dignitate fungatur in monasterio, neque vocem activam aut passivam habeat in electionibus; quinimo, quamdiu sic steterit, ab omnibus evitetur, donec resipiscat et a legitimo superiore absolvatur, postquam id, quod praeceptum est, adimpleverit.

Cap. XII. — *De privatione vocis, loci, cuculli et coronae.*

1. Qui privatur voce passiva, per hoc redditur inhabilis ad maiora officia in nostro ordine; minora tamen potest exercere, ut sunt infirmarii, ianitoris, coqui et similia. Privatus autem voce activa non potest suffragium ferre in aliqua electione aut congregatione: neque potest fieri accusator aut testis adversus fratrem. Potest tamen assumi secreto pro aliqua informatione rei necessariae. Privatus voce omnimoda, nullum fratrem poterit alloqui, nisi prius a superiore licentia petita pro aliqua re necessaria.

2. Nullus abbas audeat fratrem privare voce, nisi in casibus suprapositis; idque adhibito consilio et consensu patrum seniorum.

3. Privatus loco, ultimum locum occupet in choro, ecclesia et refectorio; sacerdos quidem inter sacerdotes, diaconus inter diaconos, et sic deinceps.

4. Qui poena erit maiori dignus, quam sit privatio loci aut vocis, propter suam proterviam et gravissimam culpam, poterit cucullo et corona privari, et ad obsequia infima in monasterio destinari, ut dictum est supra, cap. v, vi, vii, viii et x.

Cap. XIII. — *De suspensione et depositione ab officio.*

1. Abbas, qui suspenditur ab officio, per hoc inhabilis redditur ad illud exercendum, et insuper utraque voce carebit. Si vero proterve officium exercuerit, procedi debet ad depositionem, et inhabilis redditur per quinquennium ad omne officium, et utraque voce carebit.

2. Qui deponitur ab officio, per hoc privatur non solum eo officio, quod statim alteri committi debet, sed etiam voce activa et passiva per annum carebit.

3. Solus abbas generalis cum congregatione hegumenorum suspendere potest aut deponere hegumenum et abbatem provinciae ac monasterii. Abbatem vero generalem suspendere ac deponere non potest nisi congregatio generalis.

4. Qui praeter abbatem generalem, hegumenos et abbates provinciae vel monasteriorum ab officio suspenduntur vel deponuntur, non idcirco voce privabuntur, nisi in culpam graviorem et gravissimam incidissent.

5. Nemo ex abbatibus suspendi aut deponi debet, nisi ob culpam, de qua supra.

6. Si acciderit aliquod ex peccatis (avertat id Deus) quae sufficiunt ad abbatem generalem ab officio suspendendum vel privandum, simul atque per testimonia sufficientia, vel ipsius confessionem, aut facti notorietatem constiterint, quatuor hegumeni una congregati, rem, donec veritas elucescat, secretam tenentes, congregationem generalem abbatum provinciarum et monasteriorum, literis omnium subscriptione signatis, convocabunt, ut dictum est supra, parte iii, cap. iv, n. 2.

Si vero res divulgata et manifesta esset, non expectata hegumenorum convocatione, abbates locorum et provinciarum alii alios vocando conveniant. Et primum audiantur accusatores, deinde reus, nisi res notoria esset. Reo foras dimisso, primus hegumenorum cum antiquiore abbate et cum secretario, ad hanc causam electo, de toto negotio scrutinium faciet. Et primo quaeretur, an constet de peccato quod obiicitur; secundo, an huiusmodi sit, ut propter illud ab officio suspendi aut deponi debeat; et idem suffragia promulget, quae, ut sufficiant, duas tertias partes excedent; et tunc statim de alio eligendo agatur, et, si fieri potest, non prius inde egrediantur, quam electionem perfecerint. In qua re duo animadvertenda sunt: primum, ut, si defectus ad suspensionem aut depositionem sufficientes non deprehendantur, aliis de rebus agatur, propter quas convocata congregatio videatur, et, quod ad abbatem generalem attinet, dissimuletur, imo vero nullo tempore divulgari debet, et sic, cum abbates convocantur, praemonendi sunt de secreto; secundum, si constitutum fuerit illum ab officio suspendere aut deponere, tunc etiam cum eodem ab-

bate generali secreto agendum est, ut ipsemet se officio abdicet; ut, cum hoc promulgatum fuerit, peccatum et officii propter peccatum privatio occultetur.

Si autem defectus non fuerit eiusmodi, ut privandus officio suo sit, sed tantum corrigendus videretur, quinque eligentur, quibus cura iniungatur considerandi, quae correctio ei conveniat, et ipse omnino obedire congregationi generali teneatur.

Crimina, ob quae abbas generalis suspendi vel deponi ab officio potest, sunt haec: si haereticus fuerit, aut schismaticus, aut a Christi fide ad sectam infidelium defecerit; si ab ordine nostro apostataverit; si graviter fratrem vel extraneum percusserit, aut homicidium commiserit; si fabricam magni momenti praeceperit, aut bona religionis alienaverit, aut novum monasterium acceperit vel fundaverit, aut vetus deseri iusserit, inconsulta congregatione hegumenorum; si novitium contra constitutiones ordinis receperit habentem impedimenta, a quibus ipse dispensandi non habet facultatem; si sigillum confessionis fregerit; si literas ad congregationem generalem vel hegumenorum directas interceperit et occultaverit aut aperuerit legeritque; si veneficium, sortilegium et quid simile exercuerit; si peccatum carnis admiserit; si munera a fratre acceperit, ut ei officium aliquod daret; si muneribus, dolo, vi, aut arte qualibet officium sibi ipsi aut aliis dari aut confirmari procuraverit; si machinationes et schismata ad destructionem vel divisionem ordinis fecerit; si a sententia congregationis generalis aut hegumenorum ad tribunal saecularium appellaverit vel confugerit; si Romano Pontifici aut patriarchae contumaciter rebellis fuerit, aut fratres impulerit, ut eis rebelles sint et inobedientes; si sine licentia Ordinarii ea sacramenta administraverit, quae expressam licentiam requirunt.

Si vero infirmo corpore et adversa valetudine fuerit, itaut regimini vacare non possit, non debet deponi, sed ei a congregatione hegumenorum vicarius substituatur, donec commissi regiminis triennium compleatur.

7. Si quis hegumenorum in unum ex supra enumeratis criminibus inciderit, debet ab abbate generali et reliquis hegumenis deponi.

Cap. XIV. — *De poena eiectionis ex ordine.*

1. Qui unum vel plures ex gravioribus vel gravissimis criminibus, a cap. v ad cap. xiii supra descriptis, commiserit, saepeque monitus non resipuerit; et qui poenitentiam pro illis non acceptaverit, sex mensium spatio in ieiunio probetur, et ad tres menses ab omnium consortio segregetur. Idque praeter privationem vocis activae et passivae, aut etiam loci, coronae et cuculli, quam subire debebit iuxta qualitatem culpae gravioris aut gravissimae.

Si vero unum ex infrascriptis gravissimis criminibus commiserit, atque semel, iterum ac tertio admonitus et correctus, ad idem crimen redierit, post tertiam admonitionem, ne alios contagione pestifera perdat, eiici tandem poterit, servatis servandis; non aliter tamen, quam ab abbate generali de consilio et assensu quatuor hegumenorum; deque eius eiectione certior fiat reverendissimus dominus patriarcha ab eodem abbate generali.

2. Eiectus, extra ordinem degens, sit perpetuo suspensus ab executione ordinum.

3. Quia vero sumus in medio nationis pravae, ne forte eiectus ad haereticos vel infideles accedat, debebit abbas generalis rem antea cum patriarcha tractare, hominemque in manus eius consignare, ut pro sua prudentia et arbitrio de eo disponat.

4. Crimina, ob quae monachus ex ordine eiici potest, postquam, admonitus et correctus, non resipuerit, idest ter ea commiserit, terque de iis non resipuerit, quamvis ter admonitus et correctus, sunt haec: si a sancta catholica Ecclesia ad haereticos, schismaticos vel infideles defecerit; si ab ordine nostro apostataverit; si fratrem vel extraneum graviter percusserit aut occiderit; si fornicatus fuerit; si rem magni momenti furatus fuerit a monasterio vel a saecularibus; si, sciens et volens, cellam, monasterium, templum aut quid simile incenderit; si sigillum confessionis fregerit; si veneficia, incantationes et cetera huiusmodi exercuerit; si in iudicio periurus fuerit; si ab obedientia Romani Pontificis aut patriarchae proterve rebellaverit; si sine licentia Ordinarii, sciens et volens, ea sacramenta administraverit, quae expressam licentiam requirunt; si machinationes et schismata fecerit ad destructionem vel divisionem ordinis; si a sententia abbatis generalis aut congregationis generalis vel hegumenorum ad infideles [1] procuraverit; si ad infideles confugerit, ut procurent sibi vel aliis aliquod officium vel dignitatem in ordine aut extra ordinem.

Penes congregationem hegumenorum erit iudicare poenamque eiectionis infligere etiam ei monacho, qui non in idem ex supra dictis criminibus ter incidit, sed tria diversa vel plura ex iis crimina commisit.

5. Atque hoc loco rursus superiores admoneantur, ne sua socordia aut vitiosa severitate fratres suos ad hunc miserabilem saltum de monasterio ad saeculum, de saeculo in infernum adigant; sed, cum vix ullum ingenium sit adeo pertinax et ferox, quod, aspirante Dei gratia, mansuetudine et lenitate superiorum

1 Videtur deesse appellare.

vinci, tractuque temporis ad bonam frugem revocari non possit, ut superiores ad hoc extremum remedium devenire non cogantur, discant ab Apostolo, omnia sua in charitate esse facienda. Charitas autem patiens est, benigna est; charitas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, sed congaudet veritati. Quamobrem, antequam ad eiectionis poenam progrediantur, praemittenda erunt omnia alia remedia a sanctis patribus praescripta; adeout, si fieri potest, communi omnium et privatae singulorum fratrum aedificationi et saluti prospiciatur.

CAP. ULTIMUM. — *Monita generalia pro observatione constitutionum.*

1. Ut defectibus in ordinem sensim irrepentibus occurratur, et religiosa perfectio conservetur vel etiam augeatur, possunt aliquae novae constitutiones pro toto ordine praesentibus addi, quae eamdem vim ac robur habeant, sive nonnullae ex iis immutari vel abrogari; dummodo regula, quae in prioris partis capitibus duodeviginti continetur, intacta maneat, idque non aliter fiat, nisi in congregatione generali. Insuper pro bono particularium monasteriorum possunt ab abbate generali aut congregatione hegumenorum, vel a visitatoribus a generali vel hegumenorum congregatione deputatis, aliquae particulares constitutiones fieri, quae tamen generalibus hisce constitutionibus expresse non adversentur, sed iis, quantum fieri potest, accommodentur.

2. Explicatio constitutionum et regulae pertinet ad solum abbatem generalem cum consilio hegumenorum; isque erit genuinus earum sensus, in quem maior pars congregationis hegumenorum consenserit.

3. Omnes abbates tenebuntur habere in quolibet monasterio duo saltem exemplaria regulae et constitutionum, tam generalium quam particularium, si quae sunt proprii monasterii; illasque in publica mensa aut congregatione faciant legi fratribus, sub poena suspensionis ab officio, quolibet mense, die determinanda per congregationem generalem. Idque intelligitur de prima, secunda et quinta parte; nam tertia et quarta pars constitutionum legi debent semel in anno, die item per congregationem generalem determinanda.

4. Et quia per vigilantiam aut socordiam superiorum ut plurimum profectus aut defectus monachorum in ordine constant, idcirco omnes superiores in Domino monentur, ut memores sint rationis, quam in novissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso. Ac propterea omni studio invigilent, ut quae ex disciplina sancti patris nostri Antonii et ex regulis sanctorum patrum nostrorum Pachomii et Basilii aliorumque sanctorum in hoc codice collecta sunt, quaeque maxime circa vota ordinis, chorum, orationem mentalem, ieiunium, aliaque spiritualia exercitia praescribuntur, omnia et singula adamussim observentur; intelligantque super his, veluti fundamentis, totius monastici instituti aedificium construendum et ampliandum esse.

Ut vero omnia ordinate peragantur, monachus quisque officii sui regulas seu constitutiones in tabula vel codice scriptas apud se habeat, eaque diligenter perlegat et observare satagat.

Ad laudem et gloriam Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, et ad honorem sanctissimae Virginis Deiparae Mariae, et sancti patris nostri Antonii, omniumque sanctorum. Amen.

CCCXXXIV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus sodalitas Adorationis Perpetuae Ssmi Corporis D. N. I. C. in archisodalitatem erigitur in civitate Matriti [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum Romano Pontifici nihil potius, nihil gratius nihilque optabilius esse possit, quam omnium christifidelium mentes animosque ad caelestium rerum commentationem, ac religionis opera vehementer excitare atque informare, tum singulari sane benevolentia eas piorum hominum societates ipse prosequi solet, quae praecipuis pietatis exercitationibus addictae in Dei gloriam amplificandam animarumque salutem procurandam incumbunt.

Exponendum Nobis curavit dilectus filius presbyter Iosephus Ramirez Cotes Hispanus, in civitate Matriti, sodalitatem existere de Adoratione Perpetua Ssmi Corporis D. N. I. C., quae in more habet Sacramentum augustum populo, supplicationis causa, quotidie proponere iuxta horarum quadraginta institutionem. Itaque idem dilectus filius presbyter Iosephus, qui eiusdem sodalitatis moderator est, ad illius decus et splendorem augendum, a Nobis supplici cum prece efflagitavit, ut illam archisodalitatis titulo et iuribus decorare velimus. Nos vero maiori fidelium spirituali bono prospicere summopere

---

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

optantes, eiusmodi postulationibus alacri libentique animo annuendum censuimus.

Quamobrem omnes et singulos quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, sodalitatem de Adoratione Perpetua Ssmi Corporis D. N. I. C., Matriti institutam, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, archisodalitatis titulo perpetuum in modum decoramus, atque illi propterea singula quaeque iura, privilegia, honores atque indulta, quovis nomine designanda, quibus aliae archisodalitates ex usu et consuetudine utuntur, fruuntur, vel uti ac frui possunt et poterunt, concedimus et indulgemus. Moderatoribus autem eius, eadem auctoritate Nostra, perpetuo facultatem facimus, cuius ope, alia quaeque sodalitia eiusdem nominis et instituti extra Urbem ubilibet erecta, in commemoratam archisodalitatem, servata tamen forma constitutionis fel. rec. Clem. VIII praedecessoris nostri, adsciscere seu aggregare libere et licite possint, atque cum illis omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, quibus ipsa pollet, communicare.

Haec concedimus atque elargimur, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, necnon, quoties opus fuerit, eiusdem sodalitatis etiam iuramento atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die trigesima septembris millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXXXV.

Regulae praesulibus missionum traditae pro institutione cleri indigenae.

INSTRUCTIO

sacrae congregationis de Prop. Fide ad archiepiscopos, episcopos, vicarios apostolicos aliosque missionum praesules [1].

Neminem profecto latere potest, quibus curis ac studiis Apostolica Sedes, pro collato sibi divinitus munere, in id assidue intenderit, ut, evangelicae legis lumine latius in dies per omnem terram effuso, iacentes adhuc in tenebris et umbra mortis populi aeternae veritatis gloriam agnoscerent, susceptumque semel vitae verbum firmissime tenerent. Duo enim esse praecipua ac veluti necessaria catholicae religionis propagandae et stabiliendae instrumenta, missionem scilicet episcoporum, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei,* et sedulam indigenae cleri institutionem, tum alia gravissima, tum praesertim apostolorum exemplum ac primitivae Ecclesiae testimonium manifestissime evincunt. Sane, ut ea, ceteroquin notissima, hic praetermittantur, quae sacrae literae et enucleatius ipsorum apostolorum epistolae et acta opportune ac abunde in rem habent, audire omnino est s. Clementem Romanum, s. Petri discipulum ac s. Pauli adiutorem et comitem, ita de apostolis ad Corinthios scribentem ep. 1, cap. 44: « *Praedictos* (episcopos) *constituerunt, ac deinceps futurae successionis hanc tradiderunt regulam, ut, cum illi defecissent, ministerium eorum ac munus alii probati viri exciperent* ». Et subsequenti saeculo s. Irenaeus (advers. haereses lib. 3, cap. 3) inquiebat: « *Habemus adnumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi, et successores eorum usque ad nos* ». Quin ea fuit initio Ecclesiae de amplificando episcoporum numero deque iis per diversas regiones magis magisque distribuendis sollicitudo, ut id multo ante aetatem suam factum fere ubique affirmaverit s. Cyprianus his luculentissimis verbis in epistola 52 ad Antonianum: « *Iampridem per omnes provincias et per urbes singulas ordinati sunt episcopi* ». Quamobrem s. Augustinus contra Cresconium lib. 3, 18, commemorat episcopos ab ipsis apostolorum sedibus inconcussam seriem usque in sua tempora perducentes.

Nec minus ex sacris monumentis evidens compertumque est apostolos missosque ab eis in ultimas etiam orbis partes episcopos plures

---

1 Ex Iure Pontificio de Propaganda Fide.

quacumque sacerdotes et ministros initiasse, atque adeo clerum ex indigenis hominibus ad christianae religionis firmitatem et incrementum instituisse. Hinc s. Ignatius Martyr, s. Petri discipulus eiusque in sede Antiochena post Evodium successor, constitutos variis in ecclesiis una cum episcopo presbyteros et diaconos accurate describit. « *Studete*, inquit in sua ad Magnesianos epistola n. 13, *ut confirmemini in dogmatibus Domini et apostolorum... cum dignissimo episcopo vestro et digne contexta spirituali corona presbyterii vestri et secundum Deum agentibus diaconis* ». Et in alia ad Smyrnenses n. 12 salutat *Deo dignum episcopum et Deo decorum presbyterium, et conservos... diaconos.* Id ipsum de Corinthiorum Ecclesia liquet ex allata superius s. Clementis priore epistola cap. 40, ubi sic legitur: « *summo quippe sacerdoti sua munia tributa sunt, et sacerdotibus locus proprius praestitutus est; levitis quoque sua ministeria incumbunt* ». Denique non praetereundus Eusebius ab apostolorum aevo licet remotior, cuius apertissimus est qui sequitur locus (Historia Ecclesiastica lib. 3, cap. 23): « *Cum post obitum tyranni ex insula Patmo Ephesum rediisset Ioannes, ad finitimas quoque provincias rogatus se contulit, partim ut episcopos constitueret, partim ut ecclesias integras disponeret ac formaret, partim etiam ut homines sibi a divino Spiritu indicatos in clerum quemdam seu sortem Domini seponeret* ».

Iam vero apostolorum exemplo et vestigiis inhaerentes Romani Pontifices universae Ecclesiae divina auctoritate praepositi, cum semper et ab antiquissimis usque temporibus, tum maxime tribus postremis saeculis per sacram hanc congregationem sanctissimo Propagandae Fidei negotio peculiariter addictam impense curarunt, ut multiplicatis, quo magis fieri posset, episcopis, erectisque pro locorum opportunitate ecclesiis, religionis incolumitati et commodo consultum iugiter esset. Atque hanc saluberrimam providentiae rationem non modo ad regiones evangelico semine primum fecundatas, sed etiam ad illas, ubi, per saeculorum intervalla, vel haeretica pravitate, vel ethnica iterum superstitione invalescente, res catholica misere periclitabatur, patere studiosissime voluerunt. Quod si nonnullis in locis ob adversas temporum vices magnique momenti causas titulatos atque ordinarios episcopos constituere haud licuit, apostolicos tamen vicarios episcopali charactere et potestate auctos, ad fidelem illic populum regendum mittere non distulerunt; paucisque tantummodo in regionibus ob graviora rerum adiuncta simplices presbyteros catholico gregi praeesse passi sunt, eo certe consilio ac mente ut, cum primum datum esset, perfecta ibidem ecclesiasticae hierarchiae forma instauraretur.

Porro autem Romanos Pontifices pro supremi officii sui sanctitate in id aeque omni ope atque opera incubuisse, ut, qui in diversas terrae partes abibant earumque ecclesiis praeficiebantur episcopi, ii indigenae cleri institutionem vehementissime urgerent, res est, ut cuique perspecta, ita multiplici documentorum genere confirmata. Huc revera spectant omnigena subsidia in episcopos remotissimarum etiam regionum pluries collata ad seminaria erigenda, ubi pueri indigenae sacris deinceps initiandi ad pietatem et scientiam informarentur. Huc permulta nationalia collegia eumdem in finem sive Romae, sive alibi ingenti sumptu ac labore instituta et vel a fundamentis exstructa. Huc peculiares facultates episcopis et vicariis apostolicis extra ordinem tributae; quo scilicet aliquibus praesertim in locis facilior esset indigenarum hominum ad presbyterii honorem et gradum ascensus. Huc demum innumerae fere Romanorum Pontificum epistolae et constitutiones, itemque tot ac tanta ipsorum auctoritate, per sacram hanc congregationem, edita documenta et decreta, perspicuum procul dubio testimonium apostolicae de ista re sollicitudinis in aevum extitura.

Perlongum nimis esset pontificias huiusmodi sanctiones singillatim recensere, vel solummodo etiam, serie a primis Ecclesiae saeculis ad nos deducta, commemorare. Satis sit nonnullas hic afferre, quae ab sacrae huius congregationis origine ad haec usque tempora latae identidem sunt. Itaque iam inde ab anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto Iaponiae episcopo mandatum fuerat, « *ut Iaponarios, quos necessarios et idoneos iudicaret, ad sacros ordines usque ad presbyteratum promoveret* ». At paulo post, die nempe vigesima octava novembris anni millesimi sexcentesimi trigesimi, generatim quoad Indos statutum est: « *omnino providendum esse, ut qui ex Indis fuerint magis habiles, post diligentem et exactam eorum instructionem morumque eorumdem per aliquot annos probationem et in pietate christianaeque religionis functionibus exercitationem, ad sacros ordines usque ad sacerdotium inclusive promoveantur.*

Anno autem millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono immortalis memoriae Pontifex Alexander VII monitos per sacram hanc congregationem expresse voluit vicarios apostolicos ad Tunquini, Sinarum et Cochinchinae regna proficiscentes: « *potissimam rationem episcopos in illas regiones mittendi, fuisse, ut omnibus modis atque rationibus curarent, iuventutem illam sic instituere, ut sacerdotii capaces redderentur et ab eis consecrarentur ac suis locis per vastas easdem regiones collocarentur rem illic christianam summa diligentia iis dirigentibus curaturi* »; itaque hunc finem semper ob oculos habere eos iussit, « *ut ad sacros*

ordines quamplurimos et quam aptissimos adducerent, instituerent et suo tempore promoverent » [1].

Similia prorsus habent sapientissimi eiusdem Pontificis constitutiones *Sacrosancti Apostolatus officii* [2] decima octava ianuarii millesimo sexcentesimo quinquagesimo octavo, et *Super cathedram* [3] nona septembris millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono, nec non Clementis IX *In excelsa* [4] et *Speculatores* [5], utraque die decima tertia septembris millesimo sexcentesimo sexagesimo nono, atque etiam Clementis X *Decet Romanum Pontificem* [6] vigesima tertia decembris millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio, uno ipsoque sensu indicentes: « *eo potissimum fine in Sinas, Tunquinum, Cochinchinam, Siamum et alia vicina regna missos ibique constitutos esse episcopos vicarios apostolicos, ut ex christianis indigenis seu incolis illarum partium instituerentur clerici et sacerdotes, ac, crescente fide fideliumque numero, disciplinae ecclesiasticae usus paulatim introduceretur* ».

Praeterea Innocentius XI literis apostolicis in forma brevis, quarum initium *Onerosa pastoralis,* circa Sinenses missiones, datis die prima aprilis millesimo sexcentesimo octuagesimo, *apostolicorum vicariorum numerum augendum* mandavit, ut amplissimae illae regiones recte et fructuose gubernarentur, et singuli eorum *institutioni et ordinationi naturalium sive indigenarum praecipue studerent.*

Quid? quod venerabilis hic Pontifex ad indigenae cleri institutionem memoratis in regnis efficacissime promovendam eo progressus est, ut suis legatis Heliopolitano ac Berithensi episcopis inter alia potestatem fecerit *cogendi* etiam *vicarios apostolicos poenis a sacris canonibus inflictis, ad instruendos et ordinandos clericos et sacerdotes naturales sive indigenas,* ut scilicet indigenarum quoque episcoporum institutioni paulatim via sterneretur; quam quidem ipse Pontifex quibusdam in locis iam tum perfici praecepit. His deinde eodem plane proposito accesserunt literae in forma brevis Clementis XI *Dudum felicis* [7] septima decembris millesimo septingentesimo tertio, decretum [8] Clementis XII decima sexta aprilis millesimo septingentesimo trigesimo sexto, plures Benedicti XIV constitutiones, epistola encyclica [9] Pii VI decima maii millesimo septingentesimo septuagesimo quinto, ac tandem permulta in hanc rem ipsam a Ssmo D. N. Gregorio XVI, quem Deus diutissime sospitet, per sacram hanc congregationem constituta ac decreta.

Atqui tamen impensis hisce et numquam intermissis curis, eum non respondisse exitum, quem Apostolica Sedes merito sibi pollicebatur, tristis experientia demonstrat. Silere quidem non licet complures episcopos aut apostolicos vicarios omni certe laude dignos, in Sinis praecipue et finitimis regnis, vel nuper ut datum ipsis fuit, vel iamdiu etiam in cleri indigenae institutione assidue uberique cum fructu adlaborare. Atque hinc sane repetendum, immo potius summopere laetandum, quod illic catholica fides ita alte lateque radices egerit, ut tamquam nativa doctrina longo licet saeculorum decursu integra vigeat et immota consistat, nec diuturnae saevissimaeque ethnicorum persecutiones eam perimere umquam valuerint.

Verum obversantur una simul menti, et ab extremis terrae finibus supplices veluti manus ad Sanctam Petri Cathedram protendere videntur miserrimi tantarum regionum incolae, quos inter plantata pridem magnis curis vinea Domini, agricolarum inopia, ob neglectam nempe indigenae cleri institutionem, in eo ferme est, ut arescat, aut vix aliquod interdum germen emittens, nascentis adhuc Ecclesiae conditionem praesefert. Interea illud Dei miserentis auxilio nostris temporibus feliciter evenisse constat, ut vel pene sublatae vel saltem imminutae admodum sint difficultates, quae rei catholicae firmiori et magis canonica forma dilatandae alicubi praesertim obstabant; adeoque ad salutare opus properandum evangelica illa verba quodammodo impellant: *Levate oculos vestros et videte regiones, quia albae sunt iam ad messem* (Ioan. cap. 4, 25).

Istiusmodi igitur causae fuerunt, cur sacra haec congregatio opportunissimum duxerit singulos missionum praesides iterum iterumque hortari et monere, ut tantum negotium coniunctis viribus impensius persequantur. Quare in generalibus comitiis diei decimae nonae maii praesentis anni de Pudicheriani conventus deliberationibus agens, ut eximium episcopum Drusiparensem aliosque probatissimos praesules in sancto, de quo sermo est, proposito magis magisque confirmaret, ceteros autem, ubi opus sit, ad lata toties de hac ipsa re decreta pro suo munere revocaret, per hanc instructionem ad omnes archiepiscopos, episcopos, vicarios apostolicos aliosque missionum praesides mitten-

---

1 Instr. ad Vic. Ap. Tunquini et Cochinchinae anno MDCLIX.

2 Bullar. Magn. edit. Rom. t. VI, part. 4, p. 212, Const. 85, et Bullar. Propag. t. I, p. 137.

3 Bullar. Propag. in Append. t. I, p. 261.

4 Bullar. Magn. t. VI, part. 6, p. 335, Const. 418, et Bullar. Propag. t. I, p. 164.

5 Bullar. Magn. t. VI, part. 6, p. 357, Const. 119, et Bullar. Propag. t. I, p. 170.

6 Bullar. Magn. t. VII, p. 242, Const. 145, et Bullar. Propag. t. I, p. 205.

7 Bullar. Propag. t. II, p. 1.

8 Eod. Bullar. t. II, p. 24, ad Graecos Calabros.

9 Ibid. t. IV, p. 163.

dam, ea quae sequuntur statuere omnino ac mandare in Domino existimavit [1].

I. Et primo quidem omnes ac singuli missionum praesides, quovis titulo earum regimen

---

1 Acta Synodi Pudicherianae habitae anno Domini MDCCCXLIV, vide apud *Collect. Lacens.* vol. VI, p. 650. Literas S. Cong. de huius Synodi approbatione referre utile existimamus, ut allatae Instructionis meritum intelligatur.

Litterae Sacrae Congregationis de Propaganda Fide de Synodi Pudicherianae approbatione, R. P. D. Clementi Bonnand Episcopo Drusiparensi, Vicario Apostolico Orae Coromandelicae.

Illme ac Rme Domine,

Praeclarum Catholicae Religionis fovendae ac dilatandae studium, quo amplitudo tua ceterique sub te in ista dominicae vineae parte laborantes praestant, licet iamdudum notum ac manifestum, luculentius tamen et iucundo sane animo perspexerunt Emi Patres in generalibus comitiis die XIX maii vertentis anni, ubi votis tuis lubenter annuentes, deliberationum summam Pudicheriani conventus, ad Synodi formam habiti die XVIII ianuarii superioris anni, ad examen revocarunt. Comperta autem amplitudinis tuae et presbyterorum qui Synodo interfuerunt sapientia nec non fidei servandae atque ecclesiasticae disciplinae custodiendae voluntate, iidem Emi Patres memoratam Synodum in plerisque nedum laudarunt, immo vero etiam adprobarunt; ast simul pauca vel in melius flectenda, vel etiam emendanda censuerunt, ita scilicet ut iis, quae mox adnotabantur, correctis, de Synodi ipsius deliberationum per Sacram Congregationem confirmatione amplitudinem tuam certiorem fieri decreverint.

I. Ac primo quidem quod attinet ad scholas, optat S. C. ut eae cunctis omnino Indorum classibus pateant (prout multa decreta et adhortationes S. C. et Pontificum Maximorum iamdiu mandaverunt), atque ut nulla doctrina tum sacra tum etiam saecularis iis denegetur.

Item optat S. C. ut a Missionariorum famulitio, cum fieri poterit, nulla classis christianorum Indorum arceatur.

II. Gravis est abusus nec tolerabilis rebaptizandi omnes, quos cathechistae baptizaverint, propter generale validitatis dubium. Id videlicet repetita Romana decreta vetant. Ergo nonnisi post institutum singulorum casuum examen ad baptismi conditionalem repetitionem veniendum erit.

Baptizatos porro ab hodiernis haereticis denuo a catholicis baptizari non est imprudens, nec insuetum, propter haereticorum incertam et suspectam praxim, non tamen eo nomine quod dubitetur *de fidei baptizantium capitibus*. Etenim si certo constaret praedictos haereticos legitimam adhibuisse materiam, formam atque intentionem, rebaptizare prorsus non liceret, ut omnes norunt, neque Synodi Patres certe ignoraverunt, qui illis decreti sui verbis nihil aliud fortasse designant, quam hodiernos haereticos Socinianos, Methodistas, Quakeros et forte alios, qui cum baptismi necessitatem negent, ritum fere contemnunt, atque idcirco baptizare recte (dubitantur) aut nullo modo creduntur.

III. Ut omnes praecidantur ambiguitates, privatisque occurratur sententiis, in iis quae requiruntur circa sa. mem. Benedicti XIV constitutionem de ritibus malabaricis, cunctis primum innotescere voluit S. C. illam definite praeceptivam esse, eiusque observantiam constanter tenendam.

Eiusdem capitula, quantum opus est, catechumenis sunt exponenda, ita tamen, ut hi obedientiam omnibus generatim spondeant.

Ab Apostolico demum Vicario curandum erit, ut hac in re et quoad debitum constitutioni obsequium, una eademque sit omnium operariorum agendi ratio.

Ad dubium vero liturgicum super adultarum baptismate mulierum quod attinet, hic servandus ordo: Post secundam nimirum genuflexionem *electae,* legatur unica oratio *Deus Abraham* etc. absque exorcismis; post tertiam, sine oratione, quae non adest pro foeminis, duo recitentur exorcismi, nempe *Exorcizo te* etc. et *Ergo, maledicte diabole* etc., qui prioris exorcismi post primam genuflexionem continuatio sunt ac desinunt per verba *quod nos fronti eius damus.* Post haec autem legatur oratio *Aeternam* etc., quae utriusque sexus baptizandis fidelibus communis est.

IV. Infirmo ad mortem, qui absolutione peccatorum dignus habitus fuerit, sanctissimum quoque viaticum concedendum est.

V. Facultas dispensandi a votis facultatem dispensandi a iureiurando per se non includit.

VI. Demum nimia severitas Emis Patribus visa est, qua statuitur in Synodo, ne iis quidem, *quorum in tuto sit fides,* concedendam unquam dispensationem ob legendos protestantium libros. Considerandum itaque ab Apostolico Vicario erit, utrum aliquot in casibus ab hac rigiditate remittendum sit.

Haec circa Synodi deliberationes amplitudini tuae patefacienda mandarunt Emi Patres, vehementer exoptantes, ut, Pudicheriani praesulis exemplo, ad salutares eiusmodi conventus haud raro, ipsos etiam inter Antistites, quoad fieri posset, habendos, quod certe Ecclesiae et religioni beneverteret, ceteri quoque missionum praesides adducantur.

Nonnulla autem alia, quae, capta Pudicherianae eiusdem Synodi examinis occasione, ad reliquarum etiam missionum earumque praesulum normam praecipienda aut rursus inculcanda, Emi Patres existimarunt, ex peculiari, quam dein mittemus, instructione, probante SSmo Dño Nostro, amplitudini tuae apparebunt. Interea tamen scias volumus praecipuum instructionis huiusce caput in eo versari, quod Synodi quoque Pudicherianae deliberationes iure merito tanquam Religionis Christianae propagandae firmandaeque in quavis regione necessarium instrumentum agnoverunt, in optima scilicet indigenae cleri institutione.

Cum vero ad eiusmodi opus iuxta mentem Apostolicae Sedis perficiendum amplitudo tua tuorumque laborum consortes missionarii vires omnes impendatis, eximiae tuae in primis virtuti ac pastorali sollicitudini promeritas laudes Emi Patres peramanter tribuerunt, ceterosque presbyteros qui Synodo interfuerunt collaudantes, probatissimos adiutores Iassensem Episcopum et RR. DD. de Bresillac electum Episcopum Prusensem, nec non Leroux, Roger, et Gailhot, ob potiorem vel Synodo vel seminariorum erectioni ac reformationi adhibitam ab iis operam, speciali commendatione dignos censuerunt. Omnes autem S. C. enixe in Domino hortatur, ut in idem iugiter studiosius incumbant. Neque praetereundos duxit RR. DD. Luquet ac Dupuis, quorum alter in credita sibi missionis negotiorum gestione praeclare se gessit, alter vero in utilissimis de religione libris exarandis vulgandisque indico idiomate iamdiu adlaborat.

Postremo amantissimis aeque laudibus perspectam amplitudinis tuae tuorumque presbyterorum devotionem erga S. Sedem Apostolicam et constantem erga Sacram hanc Congregationem obsequentem voluntatem Emi Patres prosequi iusserunt; queis omnimodae propensionis nostrae significationes addimus, Deum omnipotentem maximum exorantes, ut fausta ac prospera omnibus largiatur, et amplitudinem tuam credito gregi quam diutissime servet ac sospitet.

Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die XXVI iulii MDCCCXLV.

† *I. Ph. Card. Fransoni,* Praef.

† *Ioannes Arch. Thessalonicensis,* a Secretis.

gerant, ita rei catholicae promovendae et firmandae operam navent, ut, ubi adhuc desiderantur episcopi, praefici quantocius possint; ubi vero regionum amplitudo postulat aut sinit, ipsorum episcoporum numerus, territoriis divisis, augeri, Ecclesiaeque ad perfectam hierarchici regiminis formam constitui tandem aliquando queant.

2. Illud insuper aeque studiosissime curent, quod etiam praecipui illorum muneris est, ut ex christianis indigenis seu incolis earum partium probati clerici instituantur ac sacerdotes initientur; quo scilicet crescente fide fideliumque numero, disciplinae ecclesiasticae usus paulatim invalescat, ac religionis catholicae stabilitati prospiciatur. Huius rei causa maxime proderit, immo necessarium erit, seminaria condere, in quibus adolescentes, qui a Deo ad sacerdotium vocati fuerint, bene diuque educentur sacrisque doctrinis imbuantur.

3. Ad omnem vero scientiam ac pietatem levitae indigenae informandi et in sacro ministerio sedulo exercendi sunt; ita quidem ut, quod iamdudum Apostolica Sedes in votis habet, ad ecclesiastica quaevis munia atque ad ipsum missionum regimen idonei fiant et episcopali etiam charactere digni existant. Quae tamen maximi sane momenti res ut tutior evadat, et non sine religionis emolumento perfici suo tempore possit, qui ad tantum onus designantur, illi ferendo assuescant oportet. Quapropter, quos ex indigenis clericis missionum praesides praestantiores censuerint, eos gradatim ad potiora implenda munera instituant, ac suos quoque vicarios pro opportunitate deputare non renuant.

4. Hinc reiiciendus ac omnino abrogandus erit mos indigenas presbyteros ad cleri tantum auxiliaris conditionem, eis merito molestam, deprimendi. Quin potius paulatim et cum fieri prudenter poterit ea regula inducenda, ut inter evangelicos operarios, sive indigenae ii sint, sive europaei, caeteris paribus, praelationis ordo ex antiquiori missionis exercitio servetur, atque adeo honores, officia et gradus illis tribuantur, qui diutius sacro munere perfuncti sint.

5. Ad haec compluribus in locis factum est, ut, neglecta et posthabita indigenae cleri institutione, evangelici iidem operarii laicos catechistas adiutores sibi in ministerio adsciscere consueverint; et forsan eorum operam plerumque fidei dilatationi perutilem experti sint. At cum non satis consentanee Apostolicae Sedis menti atque ecclesiastici ministerii rationi id egerint, et graves etiam hac in re abusus ex praedictorum catechistarum seu imperitia seu licentia praevaluisse innotuerit, sacra haec congregatio singulis missionum praesidibus mandare non praetermittit, ut donec eiusmodi laicorum auxilium ob cleri indigenae defectum vel paucitatem necessarium fuerit, viros morum integritate et fide omnino conspicuos ad id muneris eligi ac erudiri rectissime satagant. Ceterum hac etiam de causa omnem per eos operam in cleri indigenae institutionem dari iubet, ut nempe progressu temporis iuvenes potius levitae et novus idem clerus catechistarum officia pedetentim occupent et diligentius impleant.

6. Quia alicubi in Indiarum etiam regionibus christiani ritus orientales, ac praesertim Syro-Chaldaicus, subsistunt, ideo missionarii, si quando de iis inter catholicos agetur, observent omnino Benedicti XIV P. M. sapientissimam constitutionem, quae incipit *Allatae sunt,* editam die vigesima sexta iulii anno millesimo septingentesimo quinquagesimo quinto.

7. Quod in praedicta constitutione *Sacrosancti Apostolatus officii* Alexander VII olim monuit Indorum parochos, ut *caverent ullo sese modo ingerere in rebus spectantibus ad politiam saecularem;* quodque pluribus verbis sacra congregatio in sua ad vicarios apostolicos apud Sinas instructione commendavit: id graviores nunc ob causas monendum est atque inculcandum, ne missionarii inter diversarum gentium regimina versantes, saecularibus atque politicis se negotiis immisceant, studiove partium atque nationum scindantur; sic enim et ab evangelicis regulis discederent et propriam vocationem pessumdarent et se fortasse ac religionem in discrimina multa coniicerent.

8. Postremo sacra eadem congregatio memoratos missionum praesides vehementer in Domino hortatur, ut non minori sollicitudine ad alias utiles admodum atque etiam necessarias institutiones animum convertant, sibique subditos operarios ad eas adducant; ne quid nimirum desit, quod ad apostolici ministerii perfectionem et animarum salutem ubique magis procurandam conferat. Eiusmodi profecto sunt peculiares quaedam orandi studio ac poenitentiae rigore commendatae societates, aliaeque ad exercenda misericordiae et christianae caritatis opera saluberrimae institutiones, ex quibus catholica fides permulta hausisse emolumenta gloriatur. Inter haec vero summopere et in primis omnino curanda est religiosa atque etiam civilis puerorum et puellarum educatio, qua nil validius ad ipsius catholicae fidei incrementum, perennitatem et decus fingi umquam aut excogitari potest. Proinde nil prorsus omittatur, ut, optimis comparatis praeceptoribus, ac piarum feminarum sodalitatibus invectis, ad erudiendam iuventutem ubilibet, quoad poterit, scholae et gymnasia aperiantur. Atque in id praeterea vigilandum sedulo erit, ut missionarii, fideles populos in iis etiam quae socialem vitam spectant recte imbuendo atque informando, ad evangelicae doctrinae tramites ac indolem eorum labores et artes dirigere haudquaquam

detrectent. Ex his autem omnibus, quae catholicae religionis propagationi ac stabilitati mirifice profutura persuasum cuique esse debet, ea sensim ex locis ipsis temporalia quoque commoda missionibus obvenient, quae imminutis aut forte etiam deficientibus, ob temporum vices, exteris subsidiis, illarum necessitatibus sublevandis sufficiant. Operam denique impendant quotquot sunt missionum praesides, ut, quod ad fovendam fidei ac disciplinae unitatem plurimum interest, synodales saepe conventus celebrentur, unde maxime fiet, ut una eademque sit operariorum agendi atque administrandi ratio et studiosissima animorum coniunctio; neque in illud etiam adlaborare grave sit, ut ad necessarium inter S. Sedem ac missiones vinculum servandum expeditiores facilioresque communicationum viae in dies pateant.

Quam quidem sacrae congregationis instructionem SSmo Domino nostro Gregorio divina providentia PP. XVI, per infrascriptum sacrae eiusdem congregationis secretarium relatam, in audientia habita die decima secunda novembris, Sanctitas Sua illam benigne in omnibus adprobavit et omnino servari mandavit.

Datum Romae ex aedibus dictae sacrae congregationis die vigesima tertia novembris anni millesimi octingentesimi quadragesimi quinti.

CCCXXXVI.

Vehementer dolet de obitu Clementis Augusti archiepiscopi Coloniensis eique praestantissima tribuit praeconia [1].

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE VIGESIMA QUARTA NOVEMBRIS
AN. MILLESIMI OCTINGENTESIMI QUADRAG. QUINTI.

Venerabiles fratres

Quoniam ex hoc loco verba facere aliquando de venerabili fratre Clemente Augusto archiepiscopo Coloniensi officii Nostri ratio postulavit: operae nunc pretium esse ducimus mentionem eiusdem antistitis denuo coram vobis habere occasione obitus eius, quem non sine magno animi moerore audivimus accidisse die decima nona mensis octobris vertentis anni. De laudibus enim ipsius nunc tacere indecorum existimamus, quum extrema vitae eius anterioribus ita respondere visa sint, ut iure meritoque laetari debeat Ecclesia catholica, luculentum ab eo relictum exemplum, quod tum iis qui sunt ex nobis, tum iis qui foris sunt, plurimum prodesse possit ad salutem. Vos igitur, venerabiles fratres, hodie alloquentes, non solum iteramus, quae alias coram vobis eidem antistiti praestantissimo tribuimus praeconia, sed novis etiam laudum praedicationibus insignem eius virtutem libentissime extollimus. Una enim cum singulari sacrae doctrinae cultu solidaeque pietatis studio, summus in illo fuit ardor religionis, summa constantia, summus rerum humanarum contemptus. Ad haec accedit eximium eum fuisse humilitatis cultorem, in qua quidem omnis virtutis fundamentum est: quo praeclarum illud specimen pertinet, quod cum cognovisset eam Nobis mentem esse, ut ipsum in amplissimum vestrum ordinem cooptaremus, studiose honorem istum declinare conatus sit. Nihilo tamen minus, si Divina permisisset Providentia praesulem ipsum in alma Nostra urbe manere, postquam ut probe nostis huc advenerat, Nobis propositum erat eum, repugnante licet modestia sua, ad accipiendam cardinalatus dignitatem adducere. Persuasi enim eramus, egregiam eius virtutem dignam prorsus esse, quae excellentiore loco poneretur; sicque ob Nostrae adiumentum sollicitudinis et laboris vestri consortium, latius sese in Ecclesiae universae utilitatem effunderet. Verum qui ex Nostro desiderio ornamentum Apostolicae huius Sedis esse debuisset, iam in coelesti patria, ut plane confidimus, a Deo per unigeniti Filii sui aeterni pastorum principis merita collocatus est. Ita sane sperare Nobis iubet eadem eximia virtus, quam in Coloniensi archiepiscopo admirantes aspeximus. Si enim iuxta monitum Apostoli haud contristari de dormientibus debemus sicut et ceteri qui spem non habent, quid cogitandum de viro, qui antequam obdormiret, splendore virtutis suae spectaculum fuerat factus mundo et angelis et hominibus? Ignorat nemo illud animi robur, quo catholicae religionis et ecclesiasticae disciplinae puritatem magnas etiam inter angustias asserere studuit. Bonum igitur certamen quum certaverit, nonne expectanda ipsi fuit a iusto iudice Christo Iesu corona iustitiae, quae omnibus strenue legitimeque certantibus reposita est? Attamen *cum iudicia Dei abyssus multa sint,* etsi maximopere confidamus defunctum archiepiscopum miserae huius vitae tenebris exemptum, beatam apud superos lucem fuisse iam consequutum, eaque communis Nobis vobiscum sit consolatio; tamen si quid ex humana fragilitate adhuc illi expiandum supersit, Deo misericordiarum patri humillime supplicamus, vosque idem facere Nobis omnino pollicemur, ut pretioso sanguine immaculati Agni humani generis redemptoris dignetur benignus eius animae labes abstergere, quo tantus archiepiscopus quam citissime immarcescibilem gloriae coronam per-

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

cipiens, sicut illustris et clarus fuit in terris, sic et in coelis, cum omnibus iis qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stella fulgeat in perpetuas aeternitates.

CCCXXXVII.

Declarat S. R. E. cardinales, praestantissimos viros Laurentium Simonetti et Iacobum Amadori Piccolomini, quos creaverat et in pectore reservaverat in consistorio habito die vigesima secunda mensis iulii millesimi octingentesimi quadragesimi quarti; simul alium virum S. R. E. cardinalem creat et in pectore reservat [1].

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE VIGESIMA QUARTA NOVEMBRIS
AN. MILLESIMI OCTINGENTESIMI QUADRAG. QUINTI.

Venerabiles fratres

Sublimes implere sedes, quae per obitum in amplissimo vestro coetu vacuae factae sunt, vehementer optantes, duos saltem nunc constituimus nominare ex iis, quos de more praedecessorum Nostrorum ad cardinalatus dignitatem, suis suffragantibus meritis, evehere visum esset. Utrumque in consistorio habito die vicesimo secundo mensis iulii superioris anni millesimi octingentesimi quadragesimi quarti creavimus S. R. E. cardinales, eos autem postea, si Domino placuisset, evulgandos in pectore reservavimus. Ambos tales esse, qui omni genere virtutum hoc fastigio dignos sese praebeant, ratio suadet, qua muneribus suis perfuncti sunt; ut propterea decus per eos et ornamentum inclyto collegio vestro accessurum videatur. Fore etiam e re Nostra huiusmodi consilium non dubitamus, qui in hac gravissima tum civili, tum, et maxime quidem, sacra procuratione Nobis imposita, multorum opera indigemus. Christi autem Domini freti benignitate, firma in spe sumus, per adiutorium eius gratiae iudicium de iis Nostrum exitu ipso comprobatum iri.

Sunt autem duo: Laurentius Simonetti et Iacobus Amadori Piccolomini.

Ille quidem protonotarius apostolicus et canonicus Vaticanus, sed antea canonicus fuerat basilicae Lateranensis, adiutor autem primus a Nobis datus fuit cardinali internis status negotiis praeposito, et secretarius factus tum congregationis Studiorum, tum ad Consistorium; demum adsessor ad supremum tribunal Romanae ac Universalis Inquisitionis.

Alter Amadori cognomen sumpsit ex praelatura quae anno millesimo octingentesimo decimo octavo sibi obtigit, facto in iure periculo: quum ipse pertineat ad Senensem familiam Piccolomineam, ex qua duo prodierunt Nostri praedecessores, Pius Secundus et Pius Tertius. Praeter autem officium gestum in congregatione Boni Regiminis, inter iudices ordinarios supremi Consultantium tribunalis sedit multos annos, aggregatus interim in collegium Breviatorum Maioris Ordinis, deinde vero adlectus ad causas rerum iudicatarum dirimendas: clericus item Nostrae Camerae, ac postremo eiusdem decanus, Aquarum atque Viarum fuit curator, et Armorum Consilii praeses. Ambo in singulis muneribus et honoribus praeclara ingenii, studii, prudentiae, dexteritatis ac fidei dederunt specimina.

Praeter hos duos unum creare intendimus S. R. E. cardinalem, quem tamen in pectore reservamus arbitrio Nostro quandocumque evulgandum.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei sanctorumque apostolorum Petri et Pauli ac Nostra declaramus S. R. E. presbyteros cardinales

Laurentium Simonetti

adsess. Romanae et Universalis Inquisitionis,

Iacobum Amadori Piccolomini

Clericorum Camerae decanum.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis.

Alium autem creamus et in pectore reservamus arbitrio Nostro quandocumque declarandum.

In nomine Patris † et Filii † et Spiritus † Sancti. Amen.

CCCXXXVIII.

EPISTOLA

Ad Franciscum Xaverium archiepiscopum episcopum Melitensem scribens, ephemerides « L'Indicatore, giornale religioso » *a Metodistis in vulgus proditas, damnat. Et illum hortatur, ut singulari studio, consilio, contentione omnem operam praestet, qua hanc contagionem ab eius dioecesi depellat ac eliminet, et tam exitialia scripta a gregis oculis amoveat* [2].

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

[2] Ex eodem Archivio.

Venerabili fratri
Francisco Xaverio
archiepiscopo episcopo Melitensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Inter maximas curas atque molestias, quibus in tanta temporum perversitate quotidie angimur atque conficimur ob multiplices Ecclesiae calamitates, turbulentis impiorum hominum molitionibus undique excitatas, acerbissimo sane dolore nuper cognovimus, venerabilis frater, istum tuum gregem novis nefariisque insidiis et motibus in summum periculum et discrimen adduci. Siquidem accepimus in ista insula iam inde a kalendis proximi mensis maii ex illorum typographeo qui *Metodisti* appellantur pestiferas adversus catholicam religionem ephemerides italice elucubratas, atque inscriptas « *L' Indicatore, giornale religioso* » in vulgus prodi ac disseminari, quibus evangelicae veritatis inimici et captiosissimi iniquitatis administri, improvidam praesertim atque imperitam plebem in fraudem inducere pravisque erroribus inficere, atque ita a religione avellere, atque ad interitum impellere impie imprudenterque conantur. Cum igitur pro supremi Nostri pontificatus officio fidei depositum integrum inviolatumque custodire, atque universum dominicum gregem Nobis divinitus commissum a truculenta luporum rabie atque insidiis incolumem servare debeamus, in tanto rei catholicae et istarum fidelium animarum damno summam quidem curam ac vigilantiam adhibeamus oportet, ne ista teterrima pestis in dies enutriatur atque excrescat. Quamobrem nulla interposita mora has literas ad te damus, venerabilis frater, quibus pastoralem tuum zelum et sollicitudinem vehementer in Domino excitamus, ut singulari studio, consilio, contentione tuam omnem industriam et operam diligentissime praestes, quo hanc improbam contagionem a tua dioecesi depellas ac elimines, atque a tui gregis oculis tam exitialia scripta amoveas, illumque a tam venenatis pascuis strenue arceas et avertas. Itaque, venerabilis frater, istos fideles modis omnibus hortari, monere numquam desine, ut in catholicae religionis doctrina stabiles et firmi permaneant atque illarum ephemeridum lectionem omnino abhorreant; sedulo devitent, ne miserandum in modum fraudibus irretiti ac foeda prorsus et vesana opinandi licentia decepti, in gravissimum fidei amittendae periculum incidant. Qua in re perficienda parochos inprimis aliosque idoneos Ecclesiae ministros ac divini verbi praecones tuis vocibus monitisque continenter urge ut, collatis viribus atque consiliis, pro eo quo quisque in religionem et animarum salutem incendi debet amore et zelo, christianae plebis seductorum fallacias, insidias, errores detegant, pericula denuncient, atque assidue connitantur submovere lapides offensionis e medio populi et petram scandali confringere, neque unquam patiantur, ut ipsis dormientibus, inimicus homo superseminet zizania in medio tritici. Confidimus porro, venerabilis frater, ut officii tui debito ac Nostris hisce literis summopere excitatus, maiori quo potes conatu, contendas opponere murum pro domo Israel atque episcopali robore et constantia studeas praeliari praelia Domini, nihil intentatum relinquens, quo tantam fidei animarum et sanctioris disciplinae cladem, imo cuiusque civilis societatis labem a tua dioecesi propulses, ne pereuntes animas aeternus pastorum princeps de tua manu aliquando requirat. Nos quidem licet indigni, omni qua possemus humilium precum contentione, misericordiarum et luminum Patrem dies noctesque exorare non omittemus, ut uberrimis divinae suae gratiae donis, tibi semper propitius adesse velit ad omnes boni pastoris partes cumulate implendas atque insidiantium hominum calliditatem declinandam, ut grex tuae curae commissus ab omni errore alienus crescat in scientia Dei atque ambulet per semitas Domini. Cuius superni praesidii auspicem et praecipuae Nostrae in te caritatis testem apostolicam benedictionem tibi ipsi, venerabilis frater, atque illi, peramanter impertimur.

Dutum Romae apud sanctum Petrum die vigesima sexta novemb. millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXXXIX.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus confirmantur vetera indulta, privilegia et gratiae spirituales et nova indulta, favore monialium congregationis S. Iosephi, vulgo Tavelle, civitatis Ravennatensis [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Exponendum nuper curavere Nobis abbatissa seu priorissa et reliquae moniales congregationis S. Iosephi, vulgo Tavelle nuncupati, civitatis Ravennatensis, quod ipsae, pluribus indultis seu privilegiis et gratiis spiritualibus, utpote Instituto suo pridem concessis, in hoc usque tempus

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

uti consueverunt. Sed enim cum diversis de causis, quas in supplici libello aperuere, in praesens dubitent, an eisdem frui potuerint et possint, idcirco a Nobis enixe petivere, ut auctoritate Nostra apostolica, earum favore eadem confirmare, et vero etiam, quatenus opus sit, de novo concedere dignaremur. Insuper, cum novissime puellas instituendas in suum monasterium receperint, postulavere, ut praedicta privilegia, indulta et gratias spirituales puellis eisdem extenderemus, et item nova in earum favorem tribueremus.

Nos igitur piis earumdem votis, quantum in Domino possumus, annuere volentes, omnes ac singulas, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volontes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, auctoritate Nostra apostolica, tenore praesentium, haec indulta et spirituales gratias confirmamus, extendimus et, quatenus opus sit, de novo concedimus, scilicet: primo, ut in dicti monasterii oratorio, quod privatum remanere declaramus, plures missae singulis diebus etiam per annum solemnioribus, praedictis monialibus, puellis aliisque nunc et pro tempore ibi degentibus, in praecepti adimplementum valiturae, celebrari libere et licite possint: ac peracta sacramentali peccatorum confessione, de manu sacerdotis ibidem celebrantis praefatae omnes sacram Eucharistiam sumere queant; atque inibi etiam paschatis tempore sacram communionem de manu parochi vel alterius sacerdotis ab eo deputandi sumentes, paschali praecepto satisfacere valeant.

Secundo ut in eodem oratorio, quando sacra supellectili ad id praesertim necessaria instructum ac decenter ornatum sit, SSm̃um Sacramentum asservari possit, dummodo ante tabernaculum, in quo SSm̃us de more asservatur, lampas diu noctuque continenter luceat, et eiusdem tabernaculi clavis diligenter custodienda penes monasterii sacristam seu cappellanum semper maneat.

Tertio ut ibidem omnes ecclesiasticae functiones in publicis oratoriis fieri solitae peragi possint. Haec vero omnia, de quibus hactenus, de licentia Ordinarii concessa volumus.

Quarto denique, ut omnes et singulae indulgentiae tum plenariae tum partiales virginibus congregationis S. Iosephi, Tavelle nuncupati, civitatis Ravennatensis a Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris in perpetuum concessae, omnibus et singulis modernis monialibus eiusdem congregationis, nominis et civitatis, nec non puellis aliisque in eo monasterio nunc et pro tempore degentibus, in perpetuum valeant et suffragentur, dummodo iniuncta pro illarum consecutione rite adimpleverint.

Praeterea, ut a Nobis petitum est, auctoritate item Nostra apostolica concedimus, ut puellae in dicto monasterio institutionis causa degentes, quo die primum ad sacram synaxim accedant, si pias ad Deum, pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione, preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse misericorditer in Domino consequi possint; ac tandem indulgemus, ut in privato oratorio eiusdem monasterii, in quod praedictae omnes puellae precationum quotidianarum causa convenire assolent, quo die ibi festum Conceptionis B. M. V. peragitur, de licentia Ordinarii, benedictio cum SSm̃o Eucharistiae Sacramento dari queat, nec non tres missae, quae in praecepti adimplementum monialibus, puellis aliisque, ut supra, valeant, celebrari possint, ac item, eo dumtaxat die, praedictae omnes de manu sacerdotis inibi celebrantis sacram synaxim recipere valeant.

Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima nona decembris millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXL.

Praestantissimos viros Guillelmum Henriquez de Carvalho patriarcham Olyssiponensem, Xistum Riarium Sforza archiepiscopum Neapolitanum, et Iosephum Bernet archiepiscopum Aquensem S. R. E. presbyteros cardinales creat atque declarat [1].

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE DECIMANONA IANUARII
AN. MILLESIM OCTINGENTESIMI QUADRAGESIMI SEXTI.

Venerabiles fratres

In summum apostolatus fastigium evecti, non suffragantibus certe meritis Nostris, sed solius Dei in Nos benignitate, illud sane Nobis ipsis est iucundum, quod praeclaros et illustres viros in amplissimum vestrum ordinem cooptando, tali eos honore possimus augere, quo aptiores

---

1 Ex Archivio Brevium ad Principes.

evadant ad gloriam Dei procurandam et salutem animarum. Hinc tres hodierna die Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales creare constituimus, absentes quidem a Nobis, sed cum clarissimis viris ac de religione optime meritis, qui Nos propius adiuvant, comparandos, exemplum ea in re secuti praedecessorum Nostrorum, qui ecclesiarum pastores ex diversis nationibus identidem hac ornare dignitate consueverunt. Suas enim regendo ecclesias, ingentem afferre fructum possunt, qui in rei catholicae utilitatem etiam redundet. Sunt autem illi tres: unus patriarcha Olyssiponensis Guillelmus Henriquez de Carvalho, alter archiepiscopus Neapolitanus Xistus Riario–Sforza, tertius archiepiscopus Aquensis Ioseph Bernet eximii homines atque ea virtute praediti, qua in difficillimis hisce temporibus Ecclesia indiget. Nam patriarcha Olyssiponensis cum paulo ante fuerit episcopus Leiriensis, ita ecclesiam illam administravit, ut magnos, brevi licet tempore, fructus ex dioecesis praesertim visitatione perceperit: vir acris ingenii ac doctrina praestans, morumque suavitate, qui non dubia etiam in Nos et Sanctam hanc Sedem devotionis indicia praebuit. Festinavimus autem in ordinem vestrum eum adscribere, precibus obsecundantes carissimae in Christo filiae Nostrae reginae fidelissimae id postulantis ex indulto, quod praedecessor Noster recolendae memoriae Clemens XII, suo et successorum ac Sedis Apostolicae nomine Olyssiponensi Ecclesiae impositus est.

Archiepiscopus Neapolitanus multum temporis inter Nostros familiares fuit, et in basilica Vaticana canonicus, cuius propterea laudes nedum satis superque compertas habemus Nos ipsi, sed notas esse etiam vobis minime dubitamus. Praeclarum igitur virum hunc, ecclesiastico animatum zelo, ac prudentia doctrinaque praeditum, paucis ante mensibus episcopum Aversanae ecclesiae in Utriusque Siciliae regno constitueramus. At vero deinde ad urbem Neapolim respicientes totius regni caput, quoniam ibi etiam antistes desiderabatur, praedictus episcopus utpote meritissimus ad archiepiscopatum Neapolitanum a Nobis translatus est. Ipse enim fecit, ut maximam spem haberemus de suis egregiis dotibus, ac proinde nobiliori eum sede dignum existimavimus, nec satis; expedire item in Domino iudicavimus, illam ad sedem translatum, inter collegas vestros annumerare.

Archiepiscopus Aquensis a prima adolescentia talem prae se tulit ecclesiasticae militiae ardorem, ut sub initio ipso teterrimae seditionis regni Galliarum exturbatus seminario Sancti Sulpitii, ingentibus quae sacris Ecclesiae ministris instabant, spretis periculis, post alios ordines clanculum horis nocturnis Lutetiae Parisiorum sacerdotio curavit initiari. Suam deinde multis in paroeciis apud Gallos operam impendit in bonum animarum, et sedatis procellis, in celebri domicilio Sancti Dionysii, Ludovico decimoctavo annitente, sectum ordinem instauravit. Factus postea episcopus Rupellensis, ac demum archiepiscopatu Aquensi decoratus, non modo gregis utriusque curam egit diligentissime, sed sanam quoque doctrinam sustinere, et Ecclesiae iura in iis quae ad iuventutis, clericorum praesertim institutionem pertinent, tueri conatus est; concors hoc in negotio cum aliis Galliarum regni episcopis, ut ex literis constat, quas ad gubernium misit. Haec aliaque sunt archiepiscopi Aquensis promerita. Rati ergo gratam facturos rem carissimo in Christo filio Nostro Ludovico Philippo Francorum regi christianissimo, qui eum Nobis commendavit, provectionem ipsius admodum utilem reputans catholicae religioni, illum ad vestrum ordinem adiungere deliberavimus.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, creamus ac declaramus S. R. E. cardinales

Guillelmum Henriquez de Carvalho
patriarcham Olyssiponensem,
Xistum Riarium-Sforza
archiepiscopum Neapolitanum,
Iosephum Bernet
archiepiscopum Aquensem.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis.

In nomine Patris † et Filii † et Spiritus † Sancti. Amen.

CCCXLI.

EPISTOLA

Ferdinando regi Utriusque Siciliae respondet nuntianti partum regiae coniugis [1].

Carissimo in Christo filio Nostro
Ferdinando
regi Utriusque Siciliae regi illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Carissime in Christo fili Noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Iucundissimi regiae maiestati familiaeque tuae eventus nuntium afferentes, literas ad Nos tuas die duodecima ianuarii quam libenti hilarique animo acceperimus, nihil opus dicere putamus ad eum scribentes, qui sensus erga se ac suos Nostros probe nosse officiose confirmat. Natum

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

quippe feliciter tibi ex carissima in Christo filia Nostra regina uxore tua filiolum principem Nos facis certiores Caietani, Mariae, Friderici nominibus in sacro baptismate nuncupatum. Laetitiae ex novo isto regiae familiae incremento a vobis perceptae Nos participes profitemur ex animo, Deum O. M. suppliciter obsecrantes, ut sani beneque constituti infantis conformatio, praesagium esse velit sanae mentis ad omnem virtutem natae, unde adulta eius aetate vobis detur verae utilitatis et gloriae fructu gaudere.

Omnis autem gratiae caelestis copiam eidem regiae tuae maiestati, reginae puerperae, recens natae proli tuisque omnibus implorantes a Domino, pignus paternae impensaeque caritatis Nostrae apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima septima ianuarii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXLII.

De electione Iosephi Gazeni archiepiscopi Damasceni in patriarcham Antiochenum Syro–Maronitarum [1].

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE DECIMA NONA IANUARII
AN. MILLESIMI OCTINGENTESIMI QUADRAGESIMI SEXTI.

Venerabiles fratres

Ob mortem Antiocheni patriarchae Maronitarum Iosephi Habaisci, quae accidit die tertio et vicesimo mensis maii anni proximi, vacua illa sedes facta est. Quamobrem eiusdem nationis episcopi, post aliquam moram ex temporum calamitate interpositam, congregati apud Diman ad Libanum in monasterio S. Ioannis Maronis, conferentes simul de idoneo successore in locum defuncti patriarchae sufficiendo, venerabilem fratrem Iosephum Gazenum archiepiscopum Damasci duodevicesimo die augusti ad eam dignitatem designarunt. Electio haec seu postulatio ad Nos allata est per literas ab electoribus datas, qui et confirmationem Nostram, et subinde pallium de corpore sancti Petri novo patriarchae implorabant. Re autem omni sedulo perpensa ab his, quibus pro more commissa cura est huius generis negotiorum, scilicet a venerabilibus fratribus Nostris, qui ad Nostram congregationem pertinent Fidei Propagandae, visum in Domino est, ut, quam memoravimus, petitioni apostolica auctoritate obsecundaremus. Sane constat archiepiscopum Damascenum integritate vitae ac doctrina illustrem esse, nec non et studio praestare fidei catholicae ac salutis animarum. Hinc patefacta eius designatione in patriarcham, exultavit omnis Maronitarum gens, paucis tantum exceptis, qui rem privatis suis commodis metientes, episcopos electores insectari et exagitare non sunt veriti. Sed et ipsi postea, qui tumultum cierant, salubriter in se reversi, actus suos emendandos, ut par omnino erat, curarunt. Quare Iosephum Gazenum archiepiscopum Damasci dignum Nos agnoscentes, qui ad sedem patriarchalem Antiochenam Maronitarum provehatur, factam ab episcopis eius nationis electionem seu postulationem libentissime admittimus. Ipsum proinde antistitem a vinculo ecclesiae Damascenae archiepiscopalis absolventes, patriarcham antiochenum praefatae nationis Maronitarum confirmamus, constituimus et declaramus; atque sacrum ei pallium, ut Apostolica haec Sedes assolet, de corpore sumptum Principis Apostolorum mittendum decernimus. Inspectis porro qualitatibus novi istius patriarchae, magnam, Deo benedicente, in spem ingredimur, ipsum inter arentia Antiochiae saxa fore tamquam fluvium subiectas iuxta positas valles rigantem, per quem unum tricesimum et aliud sexagesimum, aliud vero centesimum fructum ferat: quemadmodum de Anatolio antistite Antiocheno in epistola ad eum missa dixerat praedecessor Noster, cuius mutuati, indigni licet, nomen sumus, S. Gregorius Magnus.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli ac Nostra confirmamus et approbamus electionem a venerabilibus fratribus episcopis Syro–Maronitis factam de persona venerabilis fratris Iosephi Gazeni patriarchae, quem absolvimus a vinculo quo tenetur ecclesiae Damascenae, ac transferimus ad patriarchalem ecclesiam Antiochenam Syro–Maronitarum, praeficientes eum in patriarcham et pastorem eiusdem nationis, prout in decreto et schedula consistorialibus exprimetur, contrariis quibuscumque non obstantibus.

In nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti. Amen.

---

[1] Ex Iure Pontificio de Propaganda Fide.

CCCXLIII.

Quae Pontifex ad bonum Ecclesiae, occasione adventus Romam imperatoris Russiarum cum eo egit, recenset [1].

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE DECIMA NONA IANUARII
AN. MILLESIMI OCTINGENTESIMI QUADRAGESIMI SEXTI.

Venerabiles fratres

Ante anni proximi finem cum in Italiam longissimo itinere esset profectus serenissimus ac potentissimus Russiarum imperator et Poloniae rex illustris, desiderio captus invisendae huius etiam almae Urbis Nostrae, eam, ut omnibus est notum, reipsa nuperrime petiit. Illico autem pro ea qua praestat humanitate, Nos imprimis convenire voluit salutationis causa, quod ipsum officiose iterum fecit, antequam paucis postea diebus discederet. Dum autem ipsum eo, quo par est, excepimus honore, haud quidem apostolicum divina dispositione Nobis impositum ministerium obliti sumus. Obversatur enim assidue ante oculos Nostros misera catholicorum magno eidem principi subiectorum conditio, quam hoc ipso in loco non semel vobiscum amare deflevimus; ac propterea quum idem Nos atque Nostram voluerit civitatem adire, occasionem huiusmodi opportunam Nobis fore putavimus, ut lumine Spiritus Sancti humillimis precibus implorato, tot filiorum Ecclesiae adeo Nobis dilectorum causam tueri coram ipso eorum principe, afflictisque per vastissimas eius ditionis provincias religionis catholicae rebus opitulari ac prospicere annitemur. Partes igitur Nostras hoc etiam tempore pro viribus implere haud omisimus; sperantes imperatorem ac regem pro sua aequitate non commissurum, ut iustissimis expostulationibus votisque Nostris in alma hac Urbe praesentiaque ipsa Nostra detrectaret annuere, atque ipse quidem horum se rationem habiturum promisit, cum Petropolim remeaverit. De reliquo spes omnis Nostra in Deo est, in cuius manu corda sunt regum. Quapropter a vobis, venerabiles fratres, in partem sollicitudinis Nostrae vocatis enixe postulamus, ut eumdem misericordiarum Patrem una simul Nobiscum oretis, ad thronum gratiae eius cum fiducia adeuntes, ut suum mittat auxilium ex alto, quo sanctae Christi Ecclesiae respirare tandem a malis contingat, quibus per Russiarum Polonicasque regiones divexatur, atque adeo catholicis illic degentibus futura deinde sint prava in directa et aspera in vias planas.

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

CCCXLIV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus datur facultas ut in parochiali templo S. Sebastiani Martyris, Matriti existente, Sodalitas B. Mariae Virginis a Misericordia nuncupatae, singulis diebus festis, hora una ante auroram et post meridiem missam celebrari facere possit [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex more institutoque Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum id libenter indulgemus quod ad exercenda pietatis opera commodius videatur.

Iamvero exponendum Nobis curarunt dilecti filii sodales sub tutela ac nomine B. Mariae Virginis a Misericordia nuncupatae, quae sodalitas proprio in sacello erecta est in parochiali templo S. Sebastiani Martyris in urbe Matriti, dioecesis Toletanae, sibi ex institutione Emmanuelis de S°. Christobal eiusdem sodalitii, id onus incumbere, ut quolibet die festo una hora post meridiem missam celebrari facere debeant fidelium commoditati, qui frequentes in memoratum parochiale templum confluere solent; eamque ob causam opportunam facultatem tum a f. r. Pio VII praedecessore Nostro tum a Nobis ipsis ad decennii spatium fuisse assecutos; nunc vero quum idem intervallum finem habuerit, Nobis humiliter supplicant, ut eamdem facultatem in perpetuum ex apostolica Nostra venia eisdem concedamus.

Nos igitur omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, auctoritate Nostra apostolica, tenore praesentium, eam facultatem perpetuo valituram concedimus, ut in memorato parochiali templo Matriti existente, eadem sodalitas singulis diebus festis hora una ante auroram et post meridiem missam celebrari facere possit et valeat.

Haec concedimus atque indulgemus decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

[2] Ex Archivio Secretariae Brevium.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima tertia ianuarii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

CCCXLV.

EPISTOLA

Duci Mutinae respondet mortem patris sui Francisci IV nuntianti [1].

Dilectissimo in Christo filio Nostro
Francisco Estensi
archiduci Austriae, duci Mutinae

GREGORIUS PP. XVI.

Dilectissime in Christo fili Noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Acerbissimum sane nuntium ex literis ab imperiali celsitudine tua die vicesimo secundo anni nuper incepti ad Nos datis accepimus. Facis enim Nos certiores dilectissimum in Christo filium Nostrum archiducem Austriae, ducem Mutinae Franciscum IV patrem tuum pridie obiisse, quem omnibus propriis sapientis vereque pii principis virtutibus ornatum iure optimo tecum colebamus, et habebamus carissimum. Communem igitur et caritatem habentes et moerorem, nihil certius habeas, volumus, quam summae perinde ac ipsi tibi Nobis esse curae, ut animae illi supplicibus, quoad possumus, apud Deum precibus suffragemur.

Dum tamen in facta iactura occulta adoramus divinae consilia providentiae, eidem benedicimus, cuius dispositione talis ei filius in persona imperialis celsitudinis tuae succedit, quem datur confidere parentem esse per omnia repraesentaturum. Luculentissimum eius rei Nobis pignus est, quam profiteris firmissime devota et obsequens in personam humilitatis Nostrae et Sanctam Sedem Apostolicam voluntas, cui singulari studio paterni animi respondentes, impense gratulamur regiae celsitudini tuae, et auspicem divini praesidii apostolicam benedictionem eidem tibi, dilectissime in Christo fili Noster, familiaeque tuae amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die nona februarii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCXLVI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Prorogat ad viginti annos facultates a Leone XII praeposito generali S. I. concessas [2].

Dilecto filio
Ioanni Roothan
praeposito generali Societatis Iesu

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exponendum Nobis curasti, fel. recor. Leonem XII praedecessorem Nostrum per similes apostolicas literas, datas die decima prima iulii anno millesimo octingentesimo vigesimo sexto, nonnullas facultates ad annos viginti praeposito generali Societatis Iesu contulisse cum sacerdotibus dictae Societatis sacras missiones obeuntibus communicandas; quod temporis spatium quum finem sit habiturum, Nobis humiliter supplicasti, ut ad aliud viginti annorum intervallum proferamus.

Nos igitur omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari indulgentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis ac poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, auctoritate Nostra apostolica, easdem facultates a Leone XII praedecessore Nostro praeposito generali istius Societatis concessas cum presbyteris dictae Societatis missionarii munere fungentibus communicandas, ad alios viginti annos prorogamus, non obstantibus iis omnibus, quae in memoratis praedecessoris Nostri literis haud obstare decretum est.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima februarii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

[2] Ex Archivio Secretariae Brevium.

CCCXLVII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus facultas conceditur Barensi ecclesiae, ut ab archiepiscopo pro tempore existente legi possit in pontificalibus epistola et evangelium latino et graeco idiomate [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

In suprema b. Petri apostolorum principis sede ex inaccesso divinae mentis consilio collocati, illud sedulo curamus, ut nunquam eorum factorum memoria excidat, quae ad fidei catholicae veritatem firmandam atque etherodoxorum profligandos errores bene ac feliciter in Ecclesia gesta sunt. Iamvero, quum, ut ex ecclesiasticis annalibus eruitur, saeculo XI hoc est anno millesimo nonagesimo octavo ab Urbano II praedecessore Nostro undecimum concilium in metropolitana Barensi ecclesia celebratum fuerit, ad quod centum octoginta tres episcopi convenerunt, qui contra Graecorum errorem Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere proclamarunt, hinc venerabilis frater Michael Clari archiepiscopus Barensis humiliter Nobis supplicavit, ut ad retinendam huius facti memoriam, ex apostolica Nostra venia liceat in eadem ecclesia Barensi ab archiepiscopo pro tempore existente in pontificalibus obeundis epistolam et evangelium legi in utroque idiomate, latino nimirum et graeco, uti in more positum est apud ecclesias Tarentinam et Neritonensem.

Nos igitur memorati antistitis votis annuere volentes, necnon omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes ac absolutos fore censentes, de consilio venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium ritibus tuendis praepositorum, auctoritate Nostra apostolica, hisce literis, eam facultatem perpetuo valituram concedimus, ut archiepiscopi Barensis ecclesiae pro tempore existentes, dum sacris in dicta ecclesia pontificali ritu operantur, epistolam atque evangelium latino et graeco idiomate legere possint et valeant, quemadmodum in usu est penes Tarentinam et Neritonensem ecclesias.

Haec concedimus et indulgemus decernentes has litteras semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima februarii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCXLVIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Ad singulos episcopos Austriae, ut fideles suos a revolutionis malo dehortentur, et ad debitam imperatori ac regi subiectionem excitent [2].

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Inter gravissimas sollicitudines et angustias, quibus in hac tanta christianae et civilis reipublicae perturbatione premimur et urgemur, nunc acerbissimo animi Nostri moerore cognovimus, in istis regionibus carissimo in Christo filio Nostro Austriae imperatori, Hungariae regi apostolico et Bohemiae regi illustri subiectis, nefariam contra ipsius serenissimi principis imperium conspirationem iniri. Quae quidem clandestinis illorum hominum machinationibus et artibus conflatur, qui luctuosissimis hisce temporibus secundum desideria sua ambulantes, tamquam fluctus feri maris despumantes confusiones suas, dominationem spernunt, maiestatem blasphemant, ac subdoli et peritissimi fraudis artifices et fabricatores mendacii, tum publici boni tum religionis praetextu impie abuti solent, atque ita improvidas imperitae multitudinis mentes decipere, in errorem inducere, ac seditiones, exitia excitare, et cuiusque potestatis iura, regimen dissolvere, labefactare, imo funditus evertere, si fieri unquam posset, connituntur. Quo gravi tristique nuncio vehementer afflicti sumus, venerabilis frater, cum praesertim Nobis comperta exploratagque sit egregia ipsius serenissimi principis pietas, qui de hac Apostolica Sede praeclare meritus, in suo imperio catholicam religionem eiusque cultores singulari studio tueri, defendere, ac populorum prosperitati pro

---

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.
[2] Ex opere cui titulus « Monumenta Catholica » vol. 3, p. 845, auctore Roskovani.

viribus prospicere summopere gaudet. Atque eo vel maxime dolemus et angimur, quod acceperimus quosdam ecclesiasticos viros pravis insidiantium hominum consiliis fraudibusque misere fuisse deceptos, nec defuisse ex parochis, qui in tanti momenti negotio a proprio officio incaute deflectere non erubuerint. Itaque, venerabilis frater, etsi confidimus fraternitatem tuam pro episcopali vigilantia curam omnem et operam adhibere, ut fideles tibi commissi aures suas ab insidiis atque commentis seductorum hominum diligentissime avertant, atque in catholicae religionis praeceptionibus et in fide erga suum principem immoti persistant, eique subditi sint non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam ac debitam eidem obedientiam, subiectionem fideliter praebeant, tamen has literas damus, ut maiori usque zelo sanam doctrinam de obedientia, quam omnes subditi sublimioribus potestatibus praestare omnino debent, iuxta Pauli apostoli monitum, atque ipsius divini pastorum principis praecepta tuo gregi tradere et vehementissime inculcare contendas. Neque vero omittas pastoralibus tuis curis ecclesiasticos illos tibi subiectos ad proprium officium revocare, qui eorum muneris et dignitatis obliti, seditiosis hisce motibus sese immiscere audent, ac tuum clerum monere, exhortari, inflammare nunquam desine, ut vocationis suae memor, ac serio reputans, ministerium, quod accepit in Domino, christianam plebem qua opere, qua verbo, qua exemplo a scelestis seditiosorum hominum conspirationibus arcere omni contentione adnitatur, eamque clare aperteque edoceat, non esse potestatem nisi a Deo, illosque Dei ordinationi resistere, adeoque sibi damnationem acquirere, qui potestati resistunt, ac propterea praeceptum potestati ipsi obediendi a nemine unquam citra piaculum posse violari, nisi forte aliquid imperetur, quod Dei et Ecclesiae legibus adversatur. Non dubitamus profecto, ven. frater, quin hisce Nostris desideriis monitisque summa alacritate obsecundare studeas, nihilque intentatum relinquas, ut fideles tuae curae concrediti caligantium mentium deliramenta et improbos turbulentorum hominum motus, conatus, insidias vel maxime horreant, fugiant, devitent, atque ex catholicae Ecclesiae doctrina serenissimo suo principi subiecti omnem illi debitum honorem, obsequium praestent, atque ipsi fidelissime obtemperent. Interim vero hac familiari epistola, praecipuam, qua te complectimur, benevolentiam testamur et confirmamus, atque apostolicam benedictionem ex intimo corde profectam et cum omnis verae felicitatis voto coniunctam tibi ipsi, venerabilis frater, et omnibus quibus praees, clericis laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die vigesima septima februarii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCXLIX.

MOTU-PROPRIO

Iudici ecclesiastico appellationis in Sicilia facultas dispensandi circa impedimenta matrimonialia tertii et quarti gradus, secundum attingentis, conceditur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Iamdiu Benedictus XIII piae mem. praedecessor Noster in apostolicis literis « *Fideli ac prudenti* » sub plumbo editis tertio kal. septembris millesimo septingentesimo vigesimo octavo, cum in regno Siciliae ultra pharum restitueret iuxta modum ac limites ibidem indicatos ecclesiasticum iudicem et tribunal Appellationum, quod Monarchiae dicitur, eidem iudici ad commoditatem et utilitatem nationis Siculae, specialem inter alias facultatem concessit, ut gratis nulloque recepto vel minimo emolumento, et favore eorum tantum, qui vere pauperes essent et miserabiles ac labore manuum suarum viverent, matrimoniales dispensationes posset concedere in tertio et quarto gradu. Perlatum autem ad Nos est, ab eo inde tempore memoratum iudicem pauperibus Siculis dispensationes illas multoties concessisse in supradicto gradu tertio et quarto proximiorem alium gradum attingente; et nunc dubium aliquod ortum esse, num data illi facultas ad hunc quoque mixti gradus casum extenderetur. Hinc nomine carissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi II regni Utriusque Siciliae regis illustris, supplices Nobis preces oblatae sunt, ut ea super re, in qua tum animarum salutis, tum etiam publicae tranquillitatis summopere interest, providere benignitate apostolica velimus. Nos igitur pientissimi regis desiderio, et ipsa huiusmodi causae gravitate permoti, post rem sedulo perpensam, Motu-Proprio et de plenitudine apostolicae Nostrae auctoritatis, omnes et singulas matrimoniales dispensationes a supradicto ecclesiastico iudice in gradu tertio et quarto proximiores gradus attingente hactenus et superiori quocumque tempore concessas, necnon matrimonia earumdem dispensationum vi quandocumque contracta, aut etiam contrahenda, confirmamus, approbamus ac rata habemus,

---

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

atque ad omnes iuris effectus in utroque foro pro ratis et validis habenda decernimus; insuper ad futurum tempus quod attinet, statuimus atque decernimus, ut idem iudex ecclesiasticus, prout ipsi iam Nostro nomine significandum curavimus, facultate in praedictis praedecessoris Nostri Benedicti XIII apostolicis literis sibi concessa, licite ac libere uti valeat pro eodem tertio et quarto gradu, etiam secundum gradum tantum attingente.

Haec ita constituimus atque decernimus non obstantibus iis omnibus, quae idem praedecessor Noster in supradictis suis literis non obstare declaravit, nec non constitutione Benedicti XIV fel. item rec. praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die tertia martii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCL.

LITTERAE APOSTOLICAE

Missionem Tunquini in duos vicariatus distinctos dividit [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris Nostris impositi, non leve sane onus ferentes ob curam universi dominici gregis, illis praecipue ovibus, quae regiones ab hac Sede Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu Pastoris aeterni, repertae intra verum ovile, ad pascua caelestia feliciter perduci valeant.

Porro quum ven. fr. Petrus Andrea Retord episcopus Acantensis ac vicarius apostolicus Tunquini occidentalis rei catholicae magis firmandae promovendaeque vel maxime congruere exposuerit, ut nimis ampla memorata missio in duos distinctos vicariatus dividatur, quorum alter Occidentalis, alter vero Meridionalis nuncupetur, adsignatis huic alteri satis amplis provinciis Nghêan et Hätink una cum districtu seu territorio Bochiuh, quorum primus, sive Occidentalis sibi regendus relinquatur, Nos eiusdem antistitis postulatis libenter annuendum censuimus.

Itaque de consilio venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, Motu-Proprio, certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, memoratas provincias Nghêan et Hätink cum territorio Bochiuh ab occidentali Tunquini vicariatu dividimus ac dismembramus, easque in distinctum vicariatum apostolicum meridionalem nuncupandum erigimus et constituimus, a vicario apostolico ad Nostrum et S. huius Sedis beneplacitum gubernandum, decernentes hasce literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque iis, ad quos spectat seu spectabit, plenissime suffragari et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo,* aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque expressa mentione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima septima martii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCLI.

EPISTOLA

Ad Iosephum electum episcopum Corycensem scribens, illi gratulatur ob eius integritatem, religionem ac pietatem; et ipsum hortatur ut maiori usque alacritate et constantia praeliari praelia Domini pergat [2].

Venerabili fratri
Iosepho electo episcopo Corycensi
decano ecclesiae Budissinensis
administratori episcopatus Misnensis
et vicario apostolico Saxoniae

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Quam de te opinionem atque fiduciam habeamus, ex Nostris apostolicis literis tertio kalendas huius mensis sub annulo piscatoris datis plane cognovisti, quibus te episcopum Corycensem et vicarium apostolicum Saxoniae con-

---

[1] Ex Iure Pontificio de Propaganda Fide.

[2] Ex Archivio Brevium ad Principes.

stituimus, quamvis Budissinensis ecclesiae decanus atque Misnensis episcopatus administrator existas. Quod sane pro hac vice ob peculiares praesentium rerum ac temporum rationes peragendum existimavimus. Etsi vero ex pluribus testimoniis, non mediocri animi Nostri consolatione acceperimus, quae tua sit integritas, religio, pietas, et quanta opera atque industria catholicam religionem, eiusque iura, libertatem tueri, defendere studeas, tamen cum minime ignoremus impios eiusdem sanctissimae religionis hostes omnia conari, ut illam, si fieri unquam posset, funditus evertant, has literas damus, quibus, ven. fr., tuum zelum meritis laudibus prosequimur, tibique animos addimus ut, caelesti ope omnino fretus, maiori usque alacritate et constantia pergas strenue praeliari praelia Domini, atque in animarum salutem procurandam incumbere. Itaque in singulis istis regionibus tuae iurisdictioni subiectis, labora veluti bonus Christi miles, in omnibus vigila, ministerium tuum imple, et quantum cura, auctoritate, consilio eniti atque efficere potes, nihil unquam praetermitte, quod ad catholicae fidei causam ac spirituale populorum bonum pertinere posse existimaveris. Quamobrem, ven. fr., unquam desine episcopali fortitudine opponere murum pro domo Israel, omnesque vero non intermittas parochos praesertim aliosque ecclesiae ministros pietate, doctrina ac prudentia spectatos continenter urgere ut, proprii officii memores, christianam plebem evangelii fluentis assidue imbuant, errantes de perditionis via ad salutis semitam reducant, et evinctos de lacu et umbra mortis in aeternae beatitudinis spem restituant. Nos quidem in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione misericordiarum patrem et Deum totius consolationis humiliter exorare non omittemus, ut uberrimis quibusque suae bonitatis donis tibi, ven. fr., semper propitius adesse, tuisque laboribus benedicere velit, quo omnes muneris tui partes ad maiorem ipsius nominis gloriam et animarum utilitatem cumulate implere valeas. Atque huius superni praesidii auspicem et praecipuae Nostrae in te benevolentiae testem, apostolicam benedictionem ex intimo corde profectam et cum omnis verae felicitatis voto coniunctam, tibi ipsi, ven. fr., et omnibus tuae curae demandatis peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die vigesima prima martii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCLII.

EPISTOLA

Ad Federicum Augustum Saxoniae regem scribens, illum de electione facta Iosephi Dittrich electi episcopi Corycensis in Vicarium Apostolicum Saxoniae, certionem facit [1].

Carissimo in Christo filio Nostro
Federico Augusto
Saxoniae regi illustri

GREGORIUS PP. XVI.

Carissime in Christo fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Ubi cognovimus regiam maiestatem tuam iustis de causis vehementer optare, ut dilectus filius Iosephus Dittrich, quamvis iam decanus ecclesiae Budissinensis, atque episcopatus Mignensis in Lusitania administrator, a Nobis Saxoniae vicarius apostolicus eligeretur, atque ad episcopalem quoque proveheretur dignitatem, haud omisimus pro hac vice tuis desideriis obsecundare, peculiarem praesertim rerum rationem prae oculis habentes, atque ea praesertim spe adducti, ut id ad catholicae religionis utilitatem istic procurandam valde prodesse queat. Itaque apostolicis Nostris literis, tertio kalendas huius mensis annulo piscatoris obsignatis, eumdem presbyterum vicarium apostolicum Saxoniae et episcopum Corycensem constituimus, atque ita propensae Nostrae ad tua studia voluntatis testimonium libentissime exhibuimus. Ex quo profecto intelligis quam iucundum quoque cordi Nostro fuisset aliis maiestatis tuae postulationibus obsequi posse, ut nonnullas paroecias tuo regno adiunctas vel proxime adiungendas et spirituali Litomericensis antistitis regimini nunc commissas, ab illius iurisdictione auferre, ac Budissinensis ecclesiae decani et Misnensis episcopatus administratoris auctoritati subiicere velimus. Verum, carissime in Christo fili Noster, inter alias huiusmodi difficultates, ex ipsis postulatis, maiestatis tuae nomine, de vicarii apostolici Saxoniae electione ad Nos delatis clare aperteque patet, eam esse istius indigenae cleri conditionem, ut non multi reperiantur ecclesiastici viri, qui sacri ministerii muneribus ac paroeciis potissimum regendis omnino idonei esse possint. In hoc rerum statu, pro tua singulari prudentia optime perspicis catholicae religioni maxime conducere, atque ipsi Budissinensis ecclesiae decano et episcopatus Misnensis administratori vehementer utile esse, si pro re ac tempore ex Bohemia sacer-

---

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

dotes arcessire valeat, qui paroeciarum praesertim praeficiantur regimini. Quod quidem difficilius foret, si ea, quod nunc est, cum Litomericensi antistite communicatio imminueretur. Hinc porro evenit, ut illam paroeciarum scissionem haud opportunam existimemus, ac pro certo habemus, te, carissime in Christo fili Noster, ob eximium in catholicam religionem studium, re maturius perpensa, idem Nobiscum esse sensurum. Iamvero quanta maiori possumus animi contentione a te etiam atque etiam efflagitamus, ut in tuis ipsis regionibus catholicae religionis causam, eiusque cultores omni ope atque auctoritate magis magisque tuteris, foveas atque defendas. Nec dubitamus, quin id summa alacritate praestare studeas, ut uberrima omnipotentis Dei dona tibi regiaeque tuae domui comparare possis. Atque interim praecipuae Nostrae in te caritatis pignus accipe apostolicam benedictionem, quam ex imo corde depromptam et cum omnis verae solidaeque prosperitatis voto coniunctam tibi ipsi, carissime in Christo fili Noster, regiaeque familiae tuae amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die vigesima prima martii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCLIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Provinciam Kouei–Kou a vicariatu ap. Sutchuensi in Sinis separat et in novum distinctum vic. ap. erigit [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris Nostris impositi, non leve sane onus ferentes ob curam universi dominici gregis, illis praecipue ovibus, quae regiones ab hac Sede Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu Pastoris aeterni, repertae intra verum ovile, ad pascua coelestia feliciter perduci valeant.

Itaque, quum Nobis compertum fuerit nihil ad promovendam firmandamque in missionum locis rem catholicam conferre, quam imminuta per divisionem earum amplitudine praesules episcopos augere, Nos, attenta nimis quidem ampli Sutchuensis vicariatus in Sinis locorum qualitate, natura et circumstantiis, provinciam Kouei–Kou nuncupatam dismembrare, atque ex ea distinctum vicariatum apostolicum constituendum censuimus.

Igitur de consilio venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, Motu–Proprio, atque ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, harum literarum vi, memoratam provinciam Kouei–Kou nuncupatam, a vicariatu Sutchuensi dismembramus, eamque in distinctum vicariatum apostolicum erigimus et constituimus, a vicario apostolico ad Nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum gubernandum, decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque iis, ad quos spectat seu spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi ac interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo*, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque expressa mentione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima martii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCLIV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Iaponiae regnum, iuxta modum, in vicariatum apostolicum erigit [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris Nostris impositi, non leve sane onus ferentes ob curam universi dominici gregis, illis praecipue ovibus, quae regiones ab hac Sede Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu Pastoris aeterni, repertae intra verum ovile, ad pascua coelestia feliciter perduci valeant.

[1] Ex Iure Pont. de P. F.

[2] Ex eodem Iure.

Itaque, quum Nobis compertum fuerit in Iaponiae regnum operarios evangelicos, Deo adiuvante, denuo immittendi, et collapsae ob immanem persecutionem rei catholicae excitandae spem affulsisse, atque ex insulis Lieou–Kieou magis quam ex Coreano vicariatu ad illud adeundi facultatem nunc sese offerre; cumque inter alia ad missionem ipsam vel ab exordio firmius, quo fieri possit, roborandam, eiusque necessitatibus ac periculis occurrendum necessarium videatur, praesulem illi praeficere, charactere episcopali insignitum, Nos de consilio venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum ex Iaponiae regno una cum praedictis insulis Lieou-Kieou aliisque adiacentibus et alteri praesuli nondum subiectis, Motu–Proprio, certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, vicariatum apostolicum erigimus et constituimus, a vicario apostolico ad Nostrum et Sanctae Sedis Apostolicae arbitrium gubernandum: decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque iis ad quos spectat seu spectabit plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo,* aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque expressa mentione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima martii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCLV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Provincias Tche–Kiang et Kiang–Si in Sinis in duos vicariatus apostolicos dividit iuxta modum [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris Nostris impositi, non leve sane onus ferentes ob curam universi dominici gregis, illis praecipue ovibus, quae regiones ab hac Sede Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu Pastoris aeterni, repertae intra verum ovile, ad pascua coelestia feliciter perduci valeant.

Iam vero, quum fel. me. episcopus Myriensis ac vicarius apostolicus provinciarum Tche-Kiang et Kiang-Si in Sinis, paulo antequam inopinato eventu e vita migraret, Nobis exponendum curaverit, ad magis formandam promovendamque catholicam rem peropportunum esse memoratas provincias dividere, easque in duos vicariatus erigere, quorum alter provinciam Kiang–Si, a qua nomen acciperet, alter vero provinciam Tche–Kiang eodem nomine appellandus complecteretur, additis tamen huic alteri districtibus provinciae Kiang–Sou, nempe Tchang–tcheo–Sou, Kin–Kovey–Kien, Ou–fy–Kien et Kiang–in–hiem, Nos de consilio venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, Motu Proprio, certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, memoratas provincias dividimus ac dismembramus, ex eisque duos inter se distinctos vicariatus erigimus et constituimus, quorum alter provinciam Kian-si, a qua nomen accipiat, alter vero provinciam Tche–Kiang eodem nomine appellandus complectatur, una cum districtibus provinciae Kiang–Sou, nempe Tchang–tcheo–Sou, Kin–Kovey–Kien, Ou–fy–Kien et Kiang–in–hiem, quos nimirum vicariatui Tche–Kiang adiicimus, decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque iis ad quos spectat seu spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo,* aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque expressa mentione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima martii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

---

[1] Ex Iure Pontificio de Propaganda Fide.

CCCLVI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Regiones medii atque inferioris Thibeti in vicariatum ap. erigit ex urbe Lassa nominandum [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris Nostris impositi, non leve sane onus ferentes ob curam universi dominici gregis, illis praecipue ovibus, quae regiones ab hac Sede Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censuimus, ut in adventu Pastoris aeterni, repertae intra verum ovile, ad pascua coelestia feliciter perduci valeant.

Itaque, quum ven. frater Iosephus Antonius Borghi Betsaidae episcopus ac missionis Thibet Industanae vicarius apostolicus, Nobis exponendum curaverit, se adeo ampli vicariatus curam gerere haud posse, Nobisque supplicaverit, ut, imminuto nonnullarum regionum sibi onere, eas aliis praesulibus committeremus, atque interea, ne suo fidei catholicae promovendae muneri deesset, remotiores quasdam regiones, medii nempe atque inferioris Thibeti nuncupatas, et missioni Sutchuensi finitimas, optime meriti seminarii Parisiensis missionum ad exteros alumnis curandas commendaverit, Nos memorati Betsaidae episcopi studium et consilium commendantes, ex memoratis regionibus vicariatum apostolicum ex praecipua ac centrali urbe Lassa appellandum, erigere constituimus. Nos igitur de consilio venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum, Motu Proprio, certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, memoratas regiones medii atque inferioris Thibeti nuncupatas et missioni Sutchuensi finitimas, a vicariatu missionis Thibet–Indostanae dismembramus, easque in distinctum vicariatum apostolicum ex centrali urbe Lassa appellandum erigimus et constituimus, a vicario apostolico ad Nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum gubernandum, decernentes has literas, firmas, validas ac efficaces existere et fore, suosque plenaios et integros effectus sortiri et obtinere, atque iis, ad quos spectat seu spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima martii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCLVII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Africanum territorium inter definitos limites in novum vicariatum ap. erigit [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii inscrutabili Dei consilio humeris Nostris impositi, ad eas etiam gentes curas Nostras extendimus, quae extra Christi ovile misere versantur, ut intra Domini caulas inductae, ad aeternae vitae pascua valeant pervenire.

Iam vero, quum ad catholicam fidem inter populos Africae interioris inducendam propagandamque Nobis visum fuerit expedire, ut in vicariatum apostolicum totum illud territorium erigatur, quod ad orientem limites attingit vicariatus apostolici Aegypti, atque apostolicae Abyssiniae praefecturae, quodque ad occidentalem plagam terminatur ab apostolica praefectura Guienarum, ad septentrionalem a praefectura Tripolitana, vicariatu apostolico Taneti et dioecesi Iuliae Caesareae, ad meridionalem vero a Montibus, ut aiunt, Lunae, salvis tamen omnino limitibus missionum et iurisdictionum iam legitime existentium, ac reservata, ut iuris est, facultate, prout in posterum adiuncta postulabunt, diversimode praedictum vicariatum circumscribendi aut dividendi: Nos de consilio venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, Motu–Proprio, certa scientia ac matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, dictum Africae territorium iuxta limites superius indicatos in vicariatum apostolicum erigimus et constituimus, a vicario apostolico ad Nostrum et S. Sedis beneplacitum gubernandum, salvis tamen, ut praedictum est, limitibus missionum et iurisdictionum iam legitime existentium, ac reservata Nobis ac Sanctae huic Sedi facultate, prout de iure, memoratum vicariatum recens erectum diversimode circumscribendi

---

[1] Ex Iure Pontificio de Propaganda Fide.

[2] Ex eodem Iure.

aut dividendi, veluti in posterum adiuncta postulabunt.

Haec statuimus, non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo,* aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque expressa mentione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die tertia aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCLVIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Sodalitas Beatae Mariae Virginis de Mercede in tertium ordinem erigitur [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Expositum Nobis est nomine confratrum pii sodalitii a B. Maria Virgine de Mercede nuncupati, existentis in civitate Auri-Preti dioecesis Marianen., iam inde ab anno millesimo septingentesimo sexagesimo septimo eamdem piam sodalitatem obtinuisse a priore generali ordinis B. Mariae Virginis de Mercede privilegium aggregationis et usus habitus, cinguli et scapularis, ad instar fratrum tertii ordinis, et anno millesimo septingentesimo octuagesimo ab Ordinario dioecesis veniam habuisse huiusmodi habitum gestandi et emittendi professionem pariter ad instar fratrum tertii ordinis; nunc vero impensius optare, ut idem pium sodalitium in tertium ordinem erigatur; qua super re humiliter flagitant, ut apostolica Nostra auctoritate eisdem consulamus.

Nos igitur omnes et singulas personas, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, de consilio venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Episcoporum et Regularium praepositorum, auctoritate Nostra apostolica, memoratum pium sodalitium in tertium ordinem erigimus et constituimus, ita tamen, ut in eodem in tertium ordinem erecto, serventur quae de iure servanda sunt, et praesertim quae in constitutionibus ordinis dist. IV, cap. X, circa receptionem et regimen tertiariorum praescribuntur, scilicet:

I. Ut illis, cuiuscumque sexus extiterint, non sine delectu et consilio ordinis pateat ingressus, enixe praecipimus commendatoribus et praelatis localibus, ne unquam tertiarium aliquem vel tertiariam instituant, nisi praevia in scriptis magistri generalis vel provincialis facultate.

II. Circa tertiarias autem non claustraliter viventes, nullam omnino licentiam a praedictis magistro et provinciali dispensari volumus, nisi prius fide digno testimonio, eis constet de morum integritate et rei familiaris copia, quae victui sufficere possit, cum reliquis qualitatibus ad hoc de iure requisitis.

III. Sub dictis ergo conditionibus, et non aliter, praefatus magister aut provincialis licentiam tribuat praelato locali, ut possit eiusmodi foeminas induere. Hinc autem stricte praecipimus, ut tam in istis quam in aliis cuiuscumque sexus tertiariis induendis, servetur omnino breve apostolicum, quod incipit *Nuper pro parte,* SSmi D. N. Innocentii XI ordini nostro expeditum Romae trigesima septembris anno millesimo sexcentesimo octuagesimo, ubi statuitur non licere superioribus localibus ordinis delegare auctoritatem conferendi habitum praedictis tertiariis, sed hoc pertinere ad ipsos privative, posse tamen semel indutos per seipsos regere et instituere, vel, si malint, aliquem fratrem ordinis designare virum probum et spectabilem, qui eos instruat in iis quae observare debent.

IV. Omnibus vero tertiariis utriusque sexus tam intra quam extra claustra degentibus, salubriter constituimus, ut primo regulam sancti patris nostri Augustini prae manibus habeant, et prout congruat statui, inviolabiliter observent. Ulterius etiam constitutiones pro ipsorum modulo et conditione contextas, et observantiam ducant, et super omnia sic praelatis obediant, ut iuxta suum propositum, aut simplicem votorum professionem, pie et laudabiliter vivere censeantur, et dignam retributionem promereantur a Domino. De his ergo debet eos impense praemonere director illorum et plus minusve huiusmodi regularis disciplinae observantiam et obligationes commendare secundum eorum distinctionem et vitae ab ipsis propositae differentiam.

V. Universis tamen pium onus pro captivis orandi subiungat, quia illorum redemptio est specialis finis ordinis nostri, cuius habitum et professionem, qui quomodocumque susceperint, eorum subsidio respective se consecrat, ut pro illis redimendis quantum possit et se adstrinxerit, elaboret, aut saltem pretium orationis impendat.

Iamvero, quum in commemorata Auri-Preti civitate nullus conventus religiosorum Beatae Mariae Virginis de Mercede existat, illaque a

---

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

residentia superioris generalis longe distet, peculiaribus hisce circumstantiis inspectis, episcopo Marianen. pro tempore facultates impertimur, quas superiores generales et provinciales dicti ordinis habent relate ad tertiarios; parocho autem Auri-Preti facultates concedimus, quibus superiores locales eiusdem ordinis circa tertiarios de iure vel legitima consuetudine gaudent; quas quidem facultates in episcopo Marianen. et parocho perdurare volumus donec in eadem civitate conventus enunciati ordinis erigatur. Insuper hisce literis eidem episcopo Marianen. potestatem facimus, ex apostolica delegatione, sanandi defectus qui ex superius notatis concessionibus annorum millesimi septingentesimi sexagesimi septimi et millesimi septingentesimi octuagesimi fortasse promanaverint, et corrigendi abusus siqui hucusque in superius memorato sodalitio irrepserint.

Haec statuimus et concedimus decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus apostolicis nec non praedicti ordinis constitutionibus et regulis etiam iuramento atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die tertia aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCLIX.

LITTERAE APOSTOLICAE

Confirmatur institutum Sororum Poenitentium a S. Maria Magdalena, Taurini a marchionissa Barolo fundatum [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Quum nullis licet Nostris promeritis, amantissimi Nostri Reparatoris hic in terris vicariam geramus operam, qui venit in mundum ut salvaret peccatores, nihil certe Nobis gratius esse potest, quam ut ea praesertim instituta omni benignitate prosequamur, quae perfugium ac subsidium iis praebent, qui de perditionis via ad salutis semitam redire velint.

Itaque non mediocri certe animi Nostri consolatione a ven. fratre Aloysio archiepiscopo Taurinensi accepimus, dilectam in Christo filiam marchionissam Iuliam Falletti a Barolo ex familia Colbert, cuius eximiam ac plane singularem pietatem, religionem et christianam charitatem pluribus praeclarissimisque testimoniis ac vero etiam monumentis exploratum habemus, iam inde ab anno millesimo octingentesimo trigesimo tertio laudabili liberalitatis exemplo curasse, ut Augustae Taurinorum domus aperiretur iis mulieribus excipiendis, quae singulari miserantis Dei beneficio deplorandam ac flagitiosam anteactae vitae consuetudinem deserunt, praeterita dolentes, et ad Deum conversae reliquum vitae cursum in poenitentia, paupertate, castitate, obedientia agere exoptant. Hinc evenit, ut eadem in civitate institutum sororum poenitentium a S. Maria Magdalena erigeretur.

Iamvero, quum a Nobis petitum fuerit, ut institutum ipsum, eiusque constitutiones et regulas, suprema Nostra auctoritate, approbare vellemus, Nos, gravissimo eiusdem ven. fratris testimonio accepto, qui huiusmodi pium opus summis laudibus prosequitur et quam maxime commendat, rem omnem nonnullis venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus congregationis negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae examinandam commisimus. Qui quidem, rebus omnibus mature sapienterque perpensis, institutum idem eiusque constitutiones et regulas probandas esse censuerunt.

Nos igitur ea spe freti fore, ut ex huiusmodi instituto, Deo bene iuvante, magna in christianam et civilem societatem bona redundent, omnes, quibus hae Nostrae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes ac absolutos fore censentes, de eorumdem S. R. E. cardinalium consilio, hisce litteris, auctoritate Nostra apostolica, institutum Sororum Poenitentium a S. Maria Magdalena Augustae Taurinorum, a memorata marchionissa Iulia aere suo fundatum, eiusque constitutiones et regulas, quarum exemplar authographum in tabulario eiusdem congregationis Episcoporum et Regularium asservatur, approbamus, sancimus et confirmamus, et omnes ac singulos iuris vel facti defectus, si qui forsan in regulas ipsas

---

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

conficiendas irrepserint, eadem auctoritate Nostra apostolica, supplemus atque sanamus, easque ab omnibus eiusdem instituti sororibus servari iubemus. Ut autem institutum ipsum, divina aspirante gratia, magis magisque in dies vigere atque florescere possit, eidem instituto omnes et singulas indulgentias benignitate Nostra communicamus, quibus sorores Sacratissimi Cordis Iesu et Apostolicae huius Sedis concessione fruuntur et gaudent, ea tamen lege ut illius concessionis modus et forma omnino servetur.

Haec statuimus, concedimus et indulgemus, decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV praedecessoris Nostri, *super divisione materiarum*, aliisque apostolicis, atque in universalibus constitutionibus et sanctionibus, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die tertia aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCLX.

INDULTUM

Quo fit concessio indumentorum magis insignium canonicis ecclesiae Castellanensis, Cupersanae dioecesis [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Dignitatis insignia libenter deferimus ecclesiasticis viris, qui sacrorum ministerio addicti, divinas laudes canunt, sacrosque ritus in templis celebrant, ut nimirum externis ornamentis admoneantur interiora animi, quae potiora sunt, comparare ornamenta, hoc est praeclaras quasque virtutes, quibus christiano populo praelucentes, ipsum ad solidae pietatis studium vehementius inflamment.

Iamvero, quum capitulum ecclesiae titulo S. Leonis Magni in oppido Castellanensi intra fines dioecesis Cupersanensis Nobis humiliter supplicaverit, ut ad maiorem sacrorum rituum splendorem ac decus ex apostolica Nostra venia ipsi liceat quaedam adhibere honoris insignia, Nos illius votis aequo animo obsecundandum existimavimus.

Igitur omnes et singulos, quibus hae litterae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti ecclesiasticis censuris et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, auctoritate Nostra apostolica, facultatem impertimur perpetuis temporibus valituram, cuius ope eiusdem capituli primicerii rocchetum et palliolum seu mozzetam sericam violacei coloris cum limbo ex pelle mustelae alpinae nivei coloris; reliqui vero participantes rocchetum, itemque mozzetam sericam violacei coloris, ad cuius oras assuta sit pellis cinerei coloris in sacris ritibus celebrandis libere ac licite gestare possint et valeant.

Haec concedimus ac indulgemus decernentes has litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus apostolicis atque in universa-

[1] Ex Archivio Secretariae Brevium.

libus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam iuramento atque confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die tertia aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCLXI.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus confirmatur institutum Sororum a S. Anna nuncupatarum, Taurini erectum, una cum constitutionibus [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Haud sane dubitandum est, quin rei sacrae ac publicae magnopere intersit, ut pietatis virtutisque praeceptionibus mature imbuantur adolescentes; quippe, si a teneris annis ingressi fuerint virtutis iter, futurum profecto est, ut ab eodem confirmata aetate numquam deflectant; ex quo porro fiet, ut optimis civibus, suumque munus egregie tuentibus christiana societas efflorescat. Enim vero quanta puerorum gerenda cura sit, amantissimus humani generis reparator Christus Dominus ostendit, quum pueros blande invitans, *Sinite,* inquit, *parvulos venire ad me,* ac palam edixit omnibus, qui pueris ruinae atque exitii periculum creent, melius ipsis futurum, si in maris profundum demergantur. Quae cum ita sint, egregia inter christianae charitatis opera, illa procul dubio praecipuam merentur laudem, quae puerorum ac puellarum institutionem complectuntur, praesertim ex infimo genere, utpote quod omni carentes institutionis praesidio, vitiis plerumque miserrime indulgent. Praeclaris hisce christianae charitatis operibus accensenda est societas Sororum a sancta Anna nuncupatarum, quam dilecta in Christo filia marchionissa Iulia Falletti a Barolo ex familia Colbert, eximia religionis, probitatis, munificentiae laude praestans, Augustae Taurinorum, iam inde ab anno millesimo octingentesimo trigesimo quarto illustri charitatis exemplo suisque impensis erigendam curavit. Quae quidem societas id habet propositum, ut humilis generis puellas ad pietatem artesque ipsarum conditioni congruas informet, nullique desit charitatis officio, ad quod exercendum advocetur. Nos vero, qui inscrutabili Dei consilio, meritis licet imparibus, in supremo apostolatus fastigio positi, nihil potius habemus, quam ut puerilis aetas a vitiorum abducatur illecebris, atque ad virtutem excitetur, ut integris praedicti moribus Ecclesiae filii succrescant, piissimae foeminae, quae istius operis auctrix est, consilium curasque commendamus, eiusdemque instituti sorores vehementius hortamur in Domino, ut strenue tam praeclaris coeptis insistant, et quas in disciplinam suam susceperint adolescentulas, pietatis ac virtutis studio omni ope curent inflammandas. Iam vero, quum petitum a Nobis fuerit, ut idem institutum eiusque regulas auctoritate apostolica confirmemus, ac venerabilis frater archiepiscopus Taurinensis, illud per suas literas tamquam Ecclesiae maxime fructuosum enixe commendaverit, Nos rem omnem nonnullis venn. fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus ex congregatione consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, detulimus, qui quidem matura adhibita deliberatione memoratum institutum dignum iudicarunt, cui apostolicae auctoritatis robur accederet.

Itaque certa spe freti, fore ut, divina adspirante gratia, uberes ex dicta societate fructus existant, omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, de consilio eorumdem S. R. E. cardinalium, institutum Sororum S. Annae nuncupatarum, eiusque constitutiones et regulas, quarum exemplar autographum in tabulario eiusdem congre-

---

[1] Ex domo generali Sororum « di S. Anna della Provvidenza » Augustae Taurinorum sita.

DECRETUM

Sanctissimus D. N. GREGORIUS P. P. XVI, attentis litteris commendatitiis reverendissimi archiepiscopi Taurinen., auditisque nonnullis S. R. E. cardinalibus ex s. congregatione Episcoporum et Regularium delectis, Institutum Sororum a S. Anna nuncupatarum cura piisimae marchionissae Falletti a Barolo ex familia Colbert anno 1834 in dioecesi Taurinen. erectum, eiusque regulas ac constitutiones prout in suprascripto exemplari continentur, approbavit et confirmavit. Ut vero memoratae sorores in intentum finem alacrius tendant, uberioresque in dies fructus afferant, earum Instituto eas omnes indulgentias ex speciali gratia communicavit, quibus ex apostolicis indultis Sorores societatis sacratissimi Cordis Iesu fruuntur et gaudent, servata tamen eorumdem indultorum forma ac tenore. Annuit insuper Sanctitas Sua, ut praesens decretum per literas apostolicas in forma Brevis expediatur.

Datum Romae ex s. congregatione Episcoporum et Regularium die 8 martii 1846.

P. Card. Ostinius *praef.*
Caietanus *archiepis. Pergen. secr.*

gationis Episcoporum et Regularium asservatur, auctoritate Nostra apostolica approbamus et confirmamus, et omnes et singulos iuris vel facti defectus, si qui forsan in regulas ipsas irrepserint, eadem auctoritate Nostra supplemus atque sanamus, easque ab omnibus eiusdem instituti sororibus servari praecipimus. Praeterea ut memoratae sorores ad propositum finem alacrius tendant, uberioresque in dies fructus afferant, eisdem omnes et singulas indulgentias communicamus, quibus ex apostolicis indultis sorores societatis SS. Cordis Iesu fruuntur et gaudent, servata tamen eorumdem indultorum forma ac tenore.

Haec statuimus, concedimus et indulgemus, decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, dictisque in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis ac in universalibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et sanctionibus, vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die tertia aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

COSTITUZIONI E REGOLE

DELL' ISTITUTO

DELLE SUORE DI S. ANNA

DELLA PROVVIDENZA

PARTE PRIMA

Titolo I.

Scopo dell' Istituto.

1. L' Istituto delle Suore di Sant' Anna della Provvidenza in Torino si dedica principalmente ad essere (ovunque sarà volontà di Dio espressa per bocca dei loro superiori), come stromento della divina provvidenza nel procacciare alla classe indigente l' educazione tanto della prima infanzia che delle figlie adulte nei villaggi e paesi poveri, disponendosi altresì a rendere al loro prossimo qualunque altro servizio di carità conforme al loro stato che in caso di necessità venisse loro comandato dai loro superiori.

2. Non per questo trascureranno l' accurata educazione delle figlie, che riceveranno nel loro proprio monastero, alle quali però non potranno mai insegnare quelle scienze ed arti che sono proprie d' una educazione più elevata. Solo procureranno ad ogni potere di formarle alla pietà, ed a tutto ciò che servir può a renderle buone cristiane, e buone madri di famiglia.

Titolo II.

Sistema generale dell' Istituto.

3. L' Istituto è composto di sole figlie.

Esse professano vita comune sotto una disciplina religiosa.

Si fanno voti temporanei.

Si tiene sciolto dalla stretta clausura.

4. Tutte le case e stabilimenti dell' Istituto formano una sola congregazione, cui presiede una superiora generale assistita dal suo consiglio, e con la protezione di un emo cardinale. Salvi i diritti della superiora generale, in tutto il rimanente le suore sono dipendenti dai rispettivi vescovi.

Titolo III.

Della superiora generale e delle assistenti generali.

5. L' Istituto delle Suore di Sant' Anna è governato da una superiora generale. Dura nell' ufficio anni sei. Non è proibito che possa essere rieletta.

6. La superiora generale ha per coadiutrici nel governo dell' ordine quattro assistenti, ma finchè sarà ristretto il numero delle case se ne possono eleggere due soltanto. Durano nell' ufficio un sessennio, ma possono essere rielette.

7. La superiora generale elegge in principio del suo governo, col consenso dell' assistenti, una segretaria, che sarà ancora cancelliera.

8. Il consiglio generale dell' Istituto si compone della superiora, delle assistenti e della cancelliera col voto soltanto consultivo.

9. Le assistenti siedono in consiglio con l' ordine di anzianità di professione. La superiora convoca il suo consiglio in tutti gli affari di qualche importanza.

10. Le assistenti hanno voto deliberativo nei seguenti casi: 1) per fondare nuove case o stabilimenti dell' Istituto; 2) nel dover abbandonare qualche casa o stabilimento; 3) nell' espellere dall' ordine una qualche suora incorreggibile; 4) nel deporre con giusta causa una superiora locale, o anche la maestra delle novizie; 5) nel dover fissare le case di noviziato; 6) quando occorresse la necessità, che la superiora o per se stessa, o deputando una suora, visiti una qualche casa o stabilimento; 7) nell' elezione delle superiore delle case; 8) nell' elezione delle maestre delle novizie. In altri casi di grave importanza, quando la superiora generale non volesse assumere sola la responsabilità dell' evento.

In ogni altra circostanza le assistenti saranno soltanto consultrici.

11. La superiora generale veglia per la perfetta osservanza delle regole, ed affinchè l' Istituto ovunque ottenga il suo scopo. Mantiene relazioni per via di lettere con tutte le case dell' Istituto, e con i vescovi nelle cui diocesi dimorano le suore.

12. Spetta alla superiora generale di ricevere le postulanti all' ordine. Col consenso del cardinal protettore stabilisce i luoghi di noviziato.

13. Se in qualche casa venisse meno la regolare osservanza o accadesse qualche sconcerto *(quod absit!)*, la superiora generale o per se stessa, o per mezzo di una suora deputata ne farà la visita.

14. Se un vescovo non vorrà che più dimori nella sua diocesi una suora qualunque, la superiora generale sarà in obbligo di compiacerlo, sostituendone all' uopo un' altra di gradimento dello stesso prelato.

15. Benchè la superiora generale abbia diritto di traslocare una suora qualunque da una diocesi all' altra, anche senza consenso del rispettivo vescovo, pur tuttavia si determina, che non abbia ad esercitarlo che in caso di necessità, e per ragionevole motivo. Dovrà ancora in tal caso la superiora generale prevenirne il vescovo con rispettosa lettera.

16. La superiora generale nell' esercizio delle sue speciali attribuzioni non dipende dal vescovo, nella cui diocesi ella risiede; ubbidisce al cardinale protettore, cui darà ogni relazione dello stato della congregazione.

Titolo IV.

Del cardinale protettore.

17. Si prega il S. Padre ad accordare un emo e rmo cardinale residente in curia, per protettore dell' Istituto delle Suore di Sant' Anna.

18. Accadendo la di lui morte, la superiora generale ne dà la partecipazione a tutte le suore per suffragare la di lui anima. Quindi supplica il Sommo Pontefice a concedere all' ordine un altro protettore.

19. L' emo protettore riceve nella sua tutela l' ordine. Invigila sulla superiora generale, affinchè adempia bene il suo officio. Interpone l' alta sua mediazione accadendo qualche dissapore tra il vescovo e la superiora generale.

20. Accadendo disputa fra un vescovo e la superiora generale sopra la traslazione di una suora, la superiora non proceda innanzi nel suo impegno, ma consulti subito nell' emergenza il cardinal protettore, lasciando a lui la cura di combinar l' affare.

21. È consultato dalla generale per introdurre la prima volta le suore in una diocesi.

22. Presiede all' elezione della generale e delle assistenti nella forma ordinata nel seguente titolo.

23. Accadendo la morte della superiora generale prima che compisca il suo officio, il protettore deputa una suora per vicaria generale per fino alla nuova elezione.

Titolo V.

Dell' elezione della superiora generale e delle assistenti.

24. Terminato che avrà la superiora generale il suo sessennio, o anche prima in caso di morte, si procederà subito alle nuove elezioni nell' infrascritto modo.

25. L' elezione si farà dalle suore per mezzo di schedule sigillate, spedite al cardinale protettore in Roma: quelle che riporteranno oltre la metà la maggioranza dei voti saranno l' elette per superiora generale, o per assistenti.

Il cardinale protettore conferma l' elezione.

26. L' emo protettore, onde facilitare l' inclusiva nell' elezione, farà una nota di eligibili, dopo aver prese le dovute informazioni, affinchè sappiano le suore a chi dare il voto nel caso in cui non conoscessero quali sieno le più idonee. Hanno poi la libertà secondo la loro coscienza, di eleggere qualunque suora

fuori della nota, purchè abbia i necessari requisiti.

27. Niuna può essere eletta per superiora che non abbia l' età di quaranta anni compiti, e dieci di professione parimenti compiti, ma in caso di necessità l' emo protettore potrà dispensare affinchè venga eletta una suora che abbia oltrepassato l' anno trentesimo di sua età, e quinto compito di sua professione.

28. Per essere eletta assistente generale si richiede l' età di anni 30 compiti, e 8 pure compiti di professione.

29. Sappiano ancora le elettrici essere elleno obbligate a dare il loro voto a quella, che secondo la loro coscienza conosceranno per la più idonea a quell' ufficio, con la mira soltanto alla maggior gloria di Dio, ed al bene dell' Istituto.

30. Per l' elezione della superiora generale e sue assistenti, avranno la voce attiva, cioè saranno elettrici le seguenti: 1) la generale, e assistenti che cessano, e quelle che sono state o superiore generali o assistenti generali; 2) le superiore in atto delle case o degli stabilimenti, le maestre delle novizie, le assistenti e la maestra principale delle scuole di una casa; 3) quelle che hanno coperto una volta la carica o di superiora di una casa, o di maestra delle novizie, o di maestra principale delle scuole di una casa.

31. La superiora generale quattro mesi prima che termini il suo officio avvisa l' emo protettore, onde prendere i necessari concerti per le future elezioni.

32. Fatta la canonica elezione l' emo protettore ne dà la partecipazione alla superiora che cessa, affinchè questa ne dia avviso all' elette, che subito saranno obbligate di portarsi al luogo di loro residenza.

33. La nuova superiora, assunto il possesso della carica, scrive una circolare a tutte le case dell' ordine, partecipando la nuova della sua elezione e delle assistenti. Scriverà ancora rispettosamente a ciascun vescovo nella cui diocesi esistono case o stabilimenti dell' Istituto.

34. Accadendo la morte della superiora generale, prima che termini il sessennio, la prima assistente ne darà subito avviso all' emo protettore per la nomina di una vicaria generale che governa sino alle prossime elezioni.

35. Cessando di vivere una assistente, la superiora generale ne dà avviso al protettore, affinchè possa egli di sua autorità sostituire altra suora in quest' ufficio, in cui durerà finchè non cessa l' attuale superiora generale. Se morendo un' assistente vi fosse meno di un anno per le nuove elezioni non avrà luogo la sostituzione di un' altra.

Titolo VI.

Dei vescovi in relazione alle suore di Sant' Anna.

36. Non può fondarsi in alcun luogo casa o stabilimento delle suore di S. Anna senza espresso consenso o licenza del vescovo diocesano.

37. Le suore di S. Anna saranno ovunque sotto la piena giurisdizione e dipendenza del rispettivo vescovo, salve le presenti regole contro le quali non potrà cosa alcuna innovare.

38. Il vescovo destina il confessore ordinario e straordinario, il predicatore ed il direttore per gli esercizi spirituali. Deputa inoltre un ecclesiastico per direttore superiore immediato con quelle facoltà che crede opportune.

39. Visita il vescovo a suo arbitrio la casa e gli stabilimenti, l' educandato e le scuole. Rivede l' amministrazione economica. Sorveglia l' andamento delle scuole e prende tutte quelle provvidenze che crederà più convenienti al bene delle ragazze che le frequentano.

40. Se il vescovo nel rivedere l' amministrazione economica della casa troverà dei sopravanzi, dovrà erogarli a fondare per le suore qualche altro stabilimento di scuole gratuite in luoghi della sua diocesi che crederà opportuni di concerto colla superiora generale. Però si preleverà prima la decima parte di questi sopravanzi che sarà mandata alla detta superiora generale pel mantenimento di lei e delle sue assistenti.

41. Può il vescovo in caso di necessità impiegare le suore di S. Anna in qualunque opera caritatevole conveniente al loro stato.

42. Il vescovo ha diritto di obbligare la superiora generale a rimuovere da una casa o da uno stabilimento una suora, ed anche che venga allontanata dalla sua diocesi. In questo caso dovrà la generale presentarne un' altra di gradimento del vescovo.

43. Il vescovo deputa con la qualifica di direttore un ecclesiastico per rappresentarlo presso le suore.

Ne determina le attribuzioni, e potrà rimuoverlo ad arbitrio. Non potrà quest' ecclesiastico essere confessore nè ordinario, nè straordinario della comunità.

44. La superiora della casa farà ricorso a questo direttore secondo il bisogno, e nulla d' importanza intraprenderà senza il di lui consiglio.

45. Le case dell' Istituto dove le religiose vivono in comunità perfetta, saranno immediatamente soggette alla giurisdizione dell' ordinario.

Avranno per parroco il loro confessore.

46. Le suore che dimorano negli stabilimenti

saranno soggette alla giurisdizione e sorveglianza del parroco del luogo.

47. I confessori delle suore siano delle case o de' stabilimenti non hanno alcun esercizio di autorità nel governo e disciplina della casa o stabilimento.

Titolo VII.

Della superiora e delle assistenti locali.

48. In ogni casa dell' Istituto presiede una superiora locale con due assistenti. Dicesi casa dell' Istituto quella in cui la famiglia religiosa sia composta almeno di dodici suore che ivi convivono quasi in un monastero.

49. La superiora locale viene eletta dalla superiora generale con l'assenso del suo consiglio. Dura in officio per tre anni, ma potrà essere rieletta per altro triennio, e così in seguito. Durante il triennio del suo governo, non potrà essere senza il suo consenso traslocata, nè rimossa dall' ufficio, eccettuato il caso in cui meritasse di essere deposta o che venisse eletta per superiora generale o per assistente generale.

50. Non potrà essere eletta superiora locale una suora che non abbia l'età di quarant' anni e dieci di religione. Ma in caso di necessità il cardinal protettore potrà dispensare per far eleggere una che abbia oltrepassato l' età d' anni trenta, ed abbia almeno cinque anni di professione.

51. S' inculca alla superiora locale di consigliarsi col vescovo diocesano in tutti gli affari di qualche importanza.

52. La superiora locale è coadiuvata nel suo officio da due assistenti elette dal capitolo locale, la prima delle quali è vicaria e fa le veci della superiora, quando questa è assente o impedita. Mancando la prima assistente supplisce in qualità di vicaria la seconda.

53. Accadendo la morte della superiora locale durante il suo officio, rimarrà presidente la prima assistente sino al giorno che prenderà possesso la nuova superiora.

Titolo VIII.

Capitolo locale.

54. Il capitolo locale si adunerà con l' intesa della superiora generale di tre in tre anni nel mese in cui si avrà vacanza per le scuole. Vi presiede il vescovo diocesano o per se stesso o per mezzo del delegato.

55. Nel capitolo si eleggono le due assistenti, l' economa, le deputate o superiore degli stabilimenti dipendenti dalla casa, le maestre della scuola interna ed esterna e degli stabilimenti, e tutte le altre ufficiali. Tutte durano nell' ufficio rispettivo per tre anni, ma potranno essere sempre rielette.

56. Saranno elettrici nel capitolo locale tutte le suore professe della casa o degli stabilimenti che ne dipendono. Ma accadendo che alcuni stabilimenti rimangano assai lontani dalla casa, o pure che il servizio pubblico richieda che alcuna delle suore non si assenti neppure per breve tempo, in queste ed altre simili circostanze il vescovo, di concerto con la superiora, potrà dispensarle dall' accedere al capitolo.

57. Una suora per poter essere eletta prima o seconda assistente, od economa conviene, 1) che abbia almeno dieci anni di professione, e soltanto il vescovo diocesano potrà dispensare; 2) che abbia una competente sanità; 3) che sia sempre stata osservante della regola; 4) che nei differenti impieghi che ha esercitati abbia date prove non dubbie di prudenza, discrezione e zelo pel bene della comunità.

58. In una camera attigua alla sala capitolare si prepara un tavolino, calamaio e polvere, ed una quantità di schedule in bianco uniformemente piegate. Nel mezzo della sala capitolare poi un seggiolone pel vescovo o presidente, ed altre sedie, un tavolino, e sopra una piccola urna per mettervi le schedule scritte, e dall' altra parte il crocifisso, sul medesimo tavolino.

59. Arrivato il giorno stabilito pel capitolo al suono della campana si adunano le capitolari, ciascheduna si mette al suo luogo, si canta il *Veni Creator Spiritus,* ed il vescovo o presidente, fatta breve allocuzione, invita le sorelle a dare il voto per l'elezione.

60. Primo si eleggerà a voti segreti la segretaria del capitolo. Il presidente col consenso della superiora locale propone a tale ufficio una suora, e riportando questa due terzi di voti s' intende eletta.

Le altre elezioni si faranno per ischedule secrete, e perciò non mai dovrà pubblicarsi il nome dell' elettrici. Per essere canoniche l' elezioni capitolari, si richiedono due terzi dei voti.

61. Secondo, si farà poi il primo scrutinio per l' elezione della prima assistente o vicaria. Il secondo scrutinio per la seconda assistente, e finalmente il terzo per eleggere l' economa.

62. Alla fine d' ogni scrutinio si pubblica il nome dell' eletta o elette: se in uno scrutinio nessuna avesse ricevuto le due terze parti di voti si farà un secondo scrutinio, ma solo per riguardo alle due sopra le quali si sono dati più voti.

63. Terminate le capitolari elezioni, e confermate le elette dal vescovo o presidente del capitolo, si faranno l' elezioni a tutte le altre cariche ed ufficii dal consiglio o congregazione capitolare.

64. La congregazione capitolare si compone del vescovo o presidente del capitolo, che po-

trà accedere col suo voto in caso di parità di suffragi, della superiora locale, della prima assistente o vicaria, della seconda assistente, dell' economa e della maestra delle novizie ; si faranno l' elezioni a pluralità di voti. Il presidente col consenso della superiora locale farà la proposta di quelle suore che dovranno ballottarsi. Terminate queste elezioni, a suono di campana saranno richiamate nella sala capitolare tutte le suore per farne la pubblicazione.

65. Benchè tutte le ufficiali debbano durare nelle rispettive cariche per un triennio, pur tuttavia per giusta e ragionevole causa la superiora locale col suo consiglio e con l' assenso del vescovo o del suo deputato direttore, potrà rimuovere le suore dai rispettivi ufficii o cambiarli. Parimenti in caso di morte o d' impotenza di un ufficiale, il consiglio, come sopra, verrà ad una nuova elezione pel posto vacante per sin al prossimo capitolo.

66. Niuna suora potrà mai ricusare una carica o qualunque ufficio a cui venisse eletta.

67. Si termina il capitolo col canto *Te Deum laudamus,* quindi dalla secretaria si registrano l' elezioni tutte nel libro degli atti capitolari.

68. Oltre al capitolo triennale per l' elezioni possono occorrere altre cause di doverle convocare.

In tali casi si osserveranno le seguenti regole: 1) Per adunare il capitolo si richiede l'ordine del vescovo o della generale; 2) presiede al capitolo il superiore ecclesiastico come delegato del vescovo, eccettuato il caso in cui si trovasse presente la superiora generale alla quale spetterebbe la presidenza; 3) in tali capitoli hanno luogo col loro suffragio tutte le suore che dimorano in atto di casa; 4) adunate le suore, la superiora fa la proposta per essere discussa nell' adunanza; 5) ogni suora ivi presente potrà dire con umiltà e modestia il proprio sentimento; 6) in fine si passa la proposizione a voti secreti, e se riporta la pluralità dei suffragi s' intende ammessa; 7) il presidente e la presidente del capitolo potrà accedere col suo suffragio quando la votazione fosse riuscita con voti eguali; fuori di questo caso non darà voto; 8) la secretaria registra nel libro l' atto capitolare.

Titolo IX.

Stabilimenti. — Suora deputata.

69. Per fondare uno stabilimento si richiede il consenso del vescovo diocesano e della superiora generale.

70. Quando in una diocesi esiste una casa dell' Istituto, tutti gli stabilimenti che ivi si formano, dipendono dalla superiora della casa di cui sono accessorie.

71. In ogni stabilimento non potranno dimorare meno di due suore. La superiora locale col suo consiglio ne dà la presidenza ad una colla qualifica di deputata allo stabilimento. Le suore dello stabilimento ubbidiscono come a superiora alla deputata, e questa alla superiora della casa.

72. Se venisse a formarsi uno stabilimento in una diocesi, dove non esiste casa dell' Istituto, dipenderà immediatamente dalla generale, la quale potrà renderlo dipendente a quella casa che crederà più opportuna, e dal vescovo della diocesi ove sarà lo stabilimento.

73. La superiora locale visita gli stabilimenti in ogni anno, e più spesso se farà di bisogno, per se stessa o per mezzo di altra suora da sè deputata per visitatrice.

74. La deputata renderà conto dell' amministrazione alla superiora della casa in tempo di visita o quando crederà opportuno la superiora.

75. Le suore dimoranti negli stabilimenti vivono sotto la giurisdizione, protezione e sorveglianza del rispettivo parroco. Non ricevono visite senza necessità neppure da persone ecclesiastiche; non accedono in alcuna casa, se non fosse per bisogno del loro ministero, e sempre accompagnate. Osservano la regola in tutti i punti per quanto è compatibile con la loro situazione ed impiego.

76. Accedono in ogni anno alla casa dell' Istituto per farvi gli esercizi spirituali, quando non ne vengano dispensate per giusta ragionevole causa dalla superiora locale.

77. Non si potrà abbandonare uno stabilimento che col consenso del vescovo e della generale.

Titolo X.

Consiglio locale di disciplina.

78. Il consiglio locale si compone della superiora, della prima assistente e vicaria, della seconda assistente, dell' economa e della maestra delle novizie, se sarà casa di noviziato.

79. Si aduna almeno una volta al mese. Vi presiede la superiora, la quale deve prima consigliarsi col vescovo o col superiore ecclesiastico circa le proposte da farsi in consiglio. La superiora è incaricata dell' esecuzione; propriamente la superiora non è obbligata a seguir sempre il consiglio e parere delle altre. Ma quando il suo fosse contrario al sentimento delle altre consigliere, prima di metterlo in pratica sarà bene che si consulti col superiore.

80. Nel consiglio si trattano tutti gli affari d' importanza, e specialmente circa il destinare o cambiare la suora e deputata negli stabilimenti, destinare o cambiare gli ufficii della casa, provvedere ai bisogni economici della casa e stabilimenti. Non però si potrà delibe-

rare in consiglio cosa alcuna circa quelli contratti che richiedono le solennità *canoniche*, ma se ne potrà tener discorso per darne opportuni suggerimenti al vescovo.

81. La secretaria infine ne scrive la deliberazione, ma non ha alcun voto a meno che sia una delle uffiziali che hanno luogo al consiglio.

Titolo XI.

Condizioni per l' accettazione delle figlie dell' Istituto.

82. Le fanciulle che desiderano di essere aggregate all' Istituto di S. Anna, si presentano alla superiora della casa della rispettiva diocesi.

La superiora l' esamina, e prende tutte le opportune informazioni sulle postulanti. Ne fa inteso il vescovo diocesano e il suo delegato per conoscere se abbia qualche eccezione sulle qualità della fanciulla. Quindi ne scrive alla generale alla quale spetta ricevere e destinare ad un noviziato le postulanti.

83. Se nella diocesi delle aspiranti non esistesse casa o stabilimento dell' Istituto, si rivolgeranno alla superiora della casa più vicina, o pure scriveranno immediatamente alla generale.

84. Condizioni personali. – Natali legittimi – Ottimi costumi – Buona indole – Sincera disposizione alle virtù proprie dell' Istituto, la quale risulti dagli opportuni attestati del parroco delle postulanti. Fede riportata dal sindaco del paese delle postulanti comprovanti l' onestà della famiglia; abilità all' insegnamento; sanità comprovata con certificato di vaccinazione, o di sofferto vaiuolo, o dal giudizio del medico ordinario del monastero; età tra i sedici e venticinque anni circa.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die quarta maii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

---

1 Ex Iure Pontificio de Propaganda Fide.

CCCLXIV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Novo vicariatui ap. inter populos Gallas *in Africa erecto, Guillelmum Massaia ep. Cassiensem praeficit* [1].

Dilecto filio
Guillelmo Massaia
presb. fratrum ord. Minorum Capuccinorum.

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum, sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisionem ecclesiarum omnium nunc vacantium quaeque in posterum vacaturae, ordinationi ac provisioni Nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Postmodum vero episcopali ecclesiae Cassiensi, quae in partibus infidelium existit, pastoris solatio destitutae, Nos ad eiusdem ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni Nos fecerunt certiores, provisionem celerem atque felicem, in qua nemo praeter Nos se potuit seu poterit intromittere, reservatione ac decreto obsistentibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac fructuosam, cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, habuimus diligentem; demum ad te, qui ex legitimo matrimonio procreatus, vel in aetate legitima constitutus existis, de cuius morum integritate, doctrina, ac prudentia et christianae religionis et catholicae fidei zelo fide digna accepimus testimonia, oculos mentis Nostrae direximus. Quibus omnibus mature perpensis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo vel quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, eamdem ecclesiam episcopalem Cassiensem, de persona tua, Nobis et memoratis cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorumdem consilio, auctoritate apostolica, tenore praesentium providemus, teque illi in episcopum praeficimus atque pastorem; curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod dirigente Domino actus tuos, praedicta ecclesia Cassiensis per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter ac prospere dirigatur et in spiritualibus ac temporalibus orthodoxa religio incrementa suscipiat.

Iugum igitur Domini, tuis impositum humeris, prompta devotione complectens, curam et administrationem praefatas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut ecclesia praefata gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, ac tu praeter aeternae retributionis praemium Nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Praeterea tibi, ut ad ecclesiam praefatam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis, dicta auctoritate concedimus atque indulgemus. Tibi insuper, ut a quocumque malueris catholico antistite S. Nostrae Sedis gratiam et communionem habente, adcitis et in hoc illi adsistentibus duobus aliis episcopis, vel, quatenus hi commode reperiri nequeant, duobus eorum loco presbyteris saecularibus, vel cuiuscumque ordinis, congregationis et instituti regularibus, similem praefatae huius S. Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere et licite possis et valeas; atque eidem antistiti, ut, receptis a te prius catholicae fidei professione, iuxta articulos pridem a Sancta Sede propositos, ac Nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae iuramento, praefatum munus tibi, auctoritate Nostra, impendere licite valeat, plenam harum literarum serie tribuimus facultatem. Volumus tamen, eadem auctoritate praecipimus ut, nisi receptis a te per dictum antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi, ipse antistes consecrationis munus tibi impendere, tuque illud recipere praesumpseritis, idem antistes a pontificalis officii exercitio, ac tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

---

[1] Ex Iure Pontificio de Propaganda Fide.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima secunda maii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCLXV.

LITTERAE APOSTOLICAE

Manduriensem vicar. apost. in Indiis Orient. Soc. Iesu committit, adiectis conditionibus et praevia limitum definitione [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex pastoralis officii debito ad meliorem complurium Indiarum Orientalium missionum circumspectionem et administrationem curas Nostras convertentes, Manduriensis quoque missionis res ad examen revocavimus et illius regimini satius prospiciendum existimavimus.

Itaque audito dilecto filio praeposito generali Societatis Iesu, cui memorata missio iampridem commendata fuit, adhibitaque matura deliberatione, utrum ac quomodo expediret eidem missioni praeficere presbyterum dictae societatis, cum titulo ac facultatibus vicarii apostolici, et cum charactere episcopali titulo ecclesiae in partibus infidelium; Nos de consilio venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, praevia definitione limitum ipsius missionis, illius regimen, adiectis tamen certis quibusdam conditionibus, presbytero Societatis Iesu committendo censuimus. Itaque certa scientia, Motu-Proprio ac matura deliberatione Nostra, deque apostolicae auctoritatis plenitudine, Manduriensis missionis regimen presbytero Societatis Iesu committi volumus ac mandamus, hisce expressis conditionibus:

1. Ut electio eiusdem vicarii apostolici fieri debeat a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium Propagandae Fidei praepositorum, inter tres patres Societatis eiusdem, a praeposito generali designandos.

2. Ut vicarius apostolicus regularis etiam ac primarius sit in missione superior presbyterorum suae societatis, atque adeo iuxta instituti regulas in iis, quae ad disciplinam regularem pertinent, missionarios moderetur ac regat.

3. Ut idem vicarius apostolicus in gubernio missionis, nec non in administratione fundorum et pecuniarum quocumque titulo illi obvenientium, omnia ex sententia dictae congregationis cardinalium Propagandae Fidei praepositorum peragere debeat, cum qua directe et immediate communicet, ad eamque singulis trienniis de vero statu missionis referre teneatur tum circa spirituales, tum circa temporales res ipsam respicientes, onerata super his omnibus ipsius conscientia.

Iam vero, quod pertinet ad limites missionis seu vicariatus Manduriensis, habita missionum finitimarum et eorum quae hac de re antea statuta sunt, ratione, eumdem vicariatum pro nunc, ac donec fortasse eum in plures dividere temporum adiuncta non requirant, ita definitum volumus ac mandamus, ut scilicet, sicut ad Orientem ac Meridiem a mari circumscribitur, et ad Occidentem a Montibus Gates, ita ad Septentrionem fines eius constituant meridionalis linea provinciae seu missionis Coimbatorensis, flumen Cavery, eiusque ramus Vettar usque ad mare.

Haec volumus, non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima nona maii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCLXVI.

INDULTUM

Quo fit concessio indumentorum insignium favore mansionariorum ecclesiae Salernitanae [2].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Sacrorum indumentorum insignia ecclesiasticis viris libenter deferimus, ut exterioribus ornamentis admoveantur interiora virtutum sibi ornamenta parare, quo digne possint versari in sacrorum ministerio ac christianae plebi bonorum operum exemplo, tanquam lucernam super candelabrum positam, enitere.

Itaque quum dilecti filii mansionarii metropolitani templi Salernitani a Nobis humiliter petierint, ut ad maius in sacris ritibus celebrandis decus conciliandum, ex apostolica Nostra venia cappam magnam laneam violaceam coopertam ex pelle cinerei coloris induere possint haud gravate inducimur, ut eorum precibus obsecundamus.

Nos igitur omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi vo-

[1] Ex Iure Pont. de Prop. Fide.

[2] Ex Archivio Secretariae Brevium.

lentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, mansionariis metropolitani templi Salernitani tam praesentibus quam futuris, auctoritate Nostra apostolica, hisce literis, facultatem concedimus, ut in sacris ritibus peragendis cappam magnam laneam violaceam, cui assuta sit pellis cinerei coloris, quaeque caudam habeat breviorem ea quam canonici gestant, libere ac licite induere possint et valeant, eosque sic decoratos a nullo unquam quavis auctoritate et quovis titulo hac super re perturbari posse decernimus.

Non obstantibus, fel. rec. Benedicti XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis etiam iuramento atque confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima nona maii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCLXVII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Presbyterum S. I. praeficiendum novo vicariatui Manduriensi, dispensat a voto et obligatione electioni contrariis [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad futuram rei memoriam.

Pro apostolici Nostri muneris officio Manduriensis missionis regimini prospicientes, aliquem ex presbyteris Societatis Iesu, cui memorata missio iamdudum commendata est, ad munus vicarii apostolici cum charactere episcopali titulo ecclesiae in partibus infidelium in memorata missione, prout a Nobis circumscripta est, obeundum deputandum censuimus, iuxta tamen certas conditiones hac super re a Nobis praescriptas: quapropter, ut eligendus vicarius apostolicus a dictarum conditionum ac decretorum observantia nulla plane ratione detineri possit, Nos eumdem ab omni obligatione per professionem suscepta solvendum censuimus, quae nimirum supradictis conditionibus contraire atque obstare videatur. Idcirco de consilio venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum, Motu-Proprio, certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, Societatis Iesu presbyterum in vicarium apostolicum Manduriensis missionis eligendum dispensamus, ac solvimus ab ea constitutionum societatis regula seu obligatione de non admittenda excipiendaque ulla extra societatem praelatione seu dignitate, itemque a voto quod a sacerdotibus professis emittitur, de non recusando scilicet consilio praepositi generalis societatis ipsius, vel eius delegati in commissi sibi muneris exercitio, si quando fieret, ut ad alicuius ecclesiae regimen eligantur, atque insuper a quavis alia omnino obligatione per professionem regularum suscepta, quae forte supra relatis conditionibus decretisque contrarium praeferat; firma tamen remanente obligatione, ut episcopus vicarius apostolicus, antequam muneri suo det operam, iusiurandum praestet iuxta formulam a fel. rec. Benedicto XIV praedecessore Nostro pro episcopis traditam in constitutione quae incipit *Omnium sollicitudinem,* data pridie idus septembris anni millesimi septingentesimi quadragesimi quarti de ritibus, caeremoniis in regno Manduriensi.

Ita statuimus, volumus ac mandamus, non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non supradictae Societatis Iesu regulis ac statutis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel alia quavis firmitate roboratis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima nona maii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCLXVIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

Iulio Alexio Soc. Iesu presbytero, novo vicariatui Manduriensi praeficiendo, titulum ep. eccl. Tamassen. in insula Cypri confert [2].

Dilecto filio
Alexio Canoz
presbytero Societatis Iesu

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praeside-

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

[2] Ex eodem Iure.

mus, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisionem ecclesiarum omnium nunc vacantium, quaeque in posterum vacaturae, ordinationi ac provisioni Nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Postmodum vero, episcopali ecclesia Tamassen. in insula Cypri in partibus infidelium, pastoris solatio destituta, Nos ad eiusdem ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni fecerunt Nos certiores, provisionem celerem et felicem, in qua nullus praeter Nos se potuit seu potest intromittere, reservatione ac decreto obsistentibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac fructuosam cum venn. fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus negociis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, demum ad te, qui ex legitimo matrimonio procreatus et in aetate legitima constitutus existis, de cuius morum integritate, doctrina ac prudentia et christianae religionis ac catholicae fidei zelo fide digna accepimus testimonia, oculos mentis Nostrae direximus.

Quibus omnibus mature perpensis, te, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, eamdem ecclesiam episcopalem Tamassen. de persona tua Nobis et memoratis cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorumdem fratrum consilio, auctoritate apostolica, tenore praesentium, providemus, teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod, dirigente Domino actus tuos, praedicta ecclesia Tamassen. per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter ac prospere dirigatur ac in spiritualibus ac temporalibus orthodoxa religio incrementa suscipiat. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione complectens, curam et administrationem praefatas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut ecclesia praefata gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, ac tu, praeter aeternae retributionis praemium, Nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam.

Praeterea tibi, ut ad ecclesiam praefatam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis, dicta auctoritate concedimus atque indulgemus. Tibi insuper, ut a quocumque malueris catholico antistite Sanctae Nostrae Sedis gratiam et communionem habente, adcitis et in hoc illi adsistentibus duobus aliis episcopis, vel, quatenus hi commode reperiri nequeant, duobus eorum loco presbyteris saecularibus vel cuiuscumque ordinis, congregationis et instituti regularibus similem praefatae huius Sanctae Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere et licite possis et valeas, atque eidem antistiti, ut, receptis a te prius catholicae fidei professione iuxta articulos pridem a S. Sede propositos ac Nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae iuramento, praefatum munus tibi, auctoritate Nostra, impendere licite valeat, plenam harum literarum serie tribuimus facultatem.

Volumus tamen, eadem auctoritate praecipimus, ut, nisi receptis a te per dictum antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi, ipse antistes consecrationis munus tibi impendere tuque illud recipere praesumpseritis, idem antistes a pontificalis officii exercitio, ac tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda maii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCLXIX.

LITTERAE APOSTOLICAE

Alexium Canoz presbyt. Soc. Iesu, novo Manduriensi vic. ap. in Indiis Orientalibus praeficit [1].

---

1 Ex Iure Pontificio de P. F.

Dilecto filio
Alexio Canoz
presbytero Soc. Iesu

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Quum Manduriensis missionis, ut in praesens circumscribitur, regimen quibusdam sub conditionibus presbytero Soc. Iesu cum charactere episcopali et cum apostolici vicarii titulo ac facultatibus committendum censuerimus, addita etiam solutione ac dispensatione a quovis vinculo, suspensione aut voto per professionem regularem suscepto aut emisso, quod memoratis conditionibus decretisque quovis modo adsciscere posset: Nos, mature omnibus perpensis, de consilio venn. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium Propagandae Fidei praepositorum, inter tres presbyteros a dilecto filio praeposito generali eiusdem Societatis, ad id muneris Nobis commendatos, te ad huiusmodi vicarii apostolici officium deputandum censuimus, quippe de tua pietate, doctrina, prudentia ac fidei catholicae promovendae studio praeclare accepta sunt testimonia, in huiusmodi vicarium eligere statuimus.

Te igitur, quem episcopum ecclesiae Tamassen. in partibus infidelium per similes Nostras apostolicas literas hoc ipso die datas renuntiavimus, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce literis, auctoritate Nostra apostolica, vicarium apostolicum Manduriensis missionis cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis tenore praesentium eligimus, constituimus ac renuntiamus. Mandamus praeterea omnibus et singulis ad quos spectat, ut te in vicarium apostolicum huiusmodi recipiant et admittant, tibique faveant, pareant ac praesto sint, tuaque mandata efficaciter adimpleant, secus sententiam seu poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, ac faciemus, auctorante Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda maii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCLXX.

INDULTUM

Ecclesiae collegiatae Triorae, dioecesis Ventimiliae, datur facultas gestandi in perpetuum cappam et rocchetum in functionibus [1].

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Exponendum Nobis curavere dilecti filii canonici insignis collegialis ecclesiae Triorae, in ista dioecesi Ventimiliensi, se variis abhinc annis, cappae formam, qua antiquitus utebantur, immutasse, quippe illam rotundam effecerunt cum caputio, et ex anteriori parte clausam globulis, vulgo *bottoni,* nec non rocchetum etiam induisse absque tamen apostolica venia; quapropter supplices a Nobis petunt, ut quidquid hac super re illegitime gestum est, auctoritate Nostra apostolica remittamus, eisque in perpetuum concedamus, ut memorata cappa et roccheto uti possint et valeant.

Nos igitur omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, gravi tuo, ven. frater, accepto testimonio, ex quo Nobis innotuit, dictam collegiatam antiquiorem esse in ista dioecesi, et eiusdem canonicos bonorum operum et sacerdotalis vitae exemplo populo praelucere, tibi per praesentes eas partes committimus, ut auctoritate Nostra apostolica, quidquid ab eiusdem collegiatae ecclesiae canonicis in induendis memoratis insignibus absque venia apostolica minus legitime gestum est, sanes ac remittas, ac facultatem facias, ut memoratae collegialis ecclesiae canonici, tam praesentes quam futuri, cappa et roccheto, quibus in praesens utuntur, perpetuis futuris temporibus in sacris ritibus celebrandis libere ac licite uti possint et valeant.

Hoc concedimus atque indulgemus, non obstantibus fel. rec. Bened. XIV praedecessoris Nostri *super divisione materiarum,* aliisque constitutionibus et sanctionibus apostolicis, necnon legis fundationis memoratae collegiatae ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda maii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

[1] Ex Archivio Collegialis Ecclesiae Triorae, dioecesis Ventimiliae.

CCCLXXI.

EPISTOLA

Dolet de matrimoniis mixtis ab Ecclesia vetitis, in Friburgensi dioecesi invectis, ac laudat episcopum doctrinam Ecclesiae in ea re promoventem et abusus tollere conantem; pluribus confirmat, et ubique valere asserit, benedictionem in iisdem matrimoniis impertiri non posse, quae contrahantur sine dispensatione et cautionibus, etsi alicubi ob invectam consuetudinem toleretur ut iis benedicatur, si dispensatio et cautiones praecesserint [1].

Venerabili fratri episcopo Friburgensi

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Non sine gravi animi Nostri moerore iam noscebamus, ven. frater, quae tuis literis die quarta proximi mensis martii ad Nos datis dolenter significas, de deploranda in istis regionibus catholicos inter et acatholicos matrimoniorum frequentia, deque civilis potestatis in eiusmodi nuptiis agendi ratione. Compertum enim exploratumque est, catholicos, seu viros seu mulieres, qui mixtis nuptiis temere contrahendis, se ac prolem inde suscipiendam in perversionis periculum iniiciunt, contra naturalem divinamque legem peccare. Quam sane legem sartam tectamque tueri contendit Ecclesia et haec Apostolica Sedes, seu in generali ipsarum nuptiarum prohibitione, seu in cautionibus, quas iure suo exigit, cum ob graves aliquas causas ea coniugia aegre admodum sinit, ut scilicet non solum catholicus coniux ab acatholico perverti non possit, quin potius ille teneri se sciat ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, verum etiam ut proles utriusque sexus ex hisce matrimoniis procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educari debeat. Quamobrem, ven. fr., meritis te in Domino laudibus summopere prosequimur, quod, pro episcopalis tui ministerii officio, in tanti momenti rem curas cogitationesque merito converteris, Ecclesiae de mixtis matrimoniis doctrinam, ius libertatemque tueri, vindicare studueris, ac pastorali robore et constantia exortos abusus de medio tollere, tuisque praesertim parochis saepius praecipere, mandare non destiteris, ut in huiusmodi nuptiis Ecclesiae regulas a Nobis et praedecessoribus Nostris tanto studio inculcatas, religiosissime servent.

Et quidem, quod ad benedictionem attinet, eam, veluti optime noscis, haec Apostolica Sedes prohibere consuevit in illis quoque matrimoniis, quae inter catholicos et acatholicos ineuntur, impetrata eiusdem Sedis venia atque adhibitis cautionibus ab illa praescriptis. Atque etsi deinde tolerari potuerit, ut mos in nonnullis regionibus inductus servaretur, benedicendi matrimoniis mixtis initis cum Ecclesiae venia et praedictis cautionibus, nunquam tamen toleranda est eadem benedictio in iis casibus, in quibus, nulla accedente Ecclesiae venia, nec praeviis necessariis cautionibus, manifestum idemque gravissimum admittitur crimen in ipso matrimonii foedere ineundo. Nunquam enim tolerari debet, ut sacrilegis hisce contractibus sacri ritus admisceantur, et sacerdotes Dei videantur suo facto probare, quod ore illicitum esse edocent et praedicant. Atque id probe sentiunt adversarii nostri, qui certe in huiusmodi nuptiis de catholici sacerdotis benedictione minime laborarent, nisi intelligerent illam conducere ad extenuandam, atque adeo ad obliterandam sensim in catholici populi animis memoriam canonum, qui haec detestantur connubia, et constantissimi studii, quo sancta mater Ecclesia filios suos avertere consuevit ab iisdem coniugiis in eorum futuraeque prolis perniciem contrahendis. Nostri scilicet contradictores cognoscunt, si res ex eorum votis succederet, facile inde futurum, ut catholicae potissimum foeminae aut licita aut non tam graviter illicita existimarent ea coniugia, quae sacris Ecclesiae ritibus et sacerdotali benedictione honestari viderent.

Atque haec consona sunt praeceptionibus et monitis, quae sive in Nostris, sive in decessoris Nostri Pii VIII ad diversos archiepiscopos et episcopos literis sive instructionibus, aut eius aut Nostro iussu editis, consignata fuisse cognoscis, ven. frater. Nec vero refert, si ad nonnullos tantum antistites, qui hanc Apostolicam Sedem consuluerant, illae instructiones datae sunt, quasi aliis liberum sit, illarum non sequi sententiam. Enimvero non agitur hic de aliqua nova lege a Nostro praedecessore aut a Nobis inducta, quum uterque Nostrum eo potius spectaverit, ut, pro locorum adiunctis, emolliremus, quoad fieri potest, disciplinae severitatem, et ea simul inculcaremus, quae pravis usibus tollendis, sanae doctrinae deposito custodiendo, ac matrimonii sanctitati, catholicae religionis incolumitati et animarum saluti tuendae necessaria iudicavimus. Itaque, etiamsi literae et instructiones illae, in qua parte aliquid novi indulgent vel tolerant, ad ea tantum referuntur loca, pro quibus datae sunt, nullis tamen limitibus illarum circumscribitur ratio, quatenus incommutabilem annunciant Ecclesiae doctrinam, canonumque inculcant sententiam, et pravos, qui alicubi invalescebant, usus proscribunt.

---

[1] Ex Iure Pontificio de P. F.

Atque huc pertinet quae hac de re a Nobis indicata fuerunt in pluribus allocutionibus ad venn. fratres Nostros S. R. E. cardinales in consistorio, quarto id. decembris millesimo octingentesimo trigesimo septimo, idibus septembris millesimo octingentesimo trigesimo octavo et postridie nonis iulii millesimo octingentesimo trigesimo nono habitis, quas statim typis in vulgus edi iussimus.

Haec tuis commemoratis literis rescribenda censuimus ven. frater, ut alacriori usque studio et firmitate omnes boni pastoris partes implere, atque in tanti momenti negotio Ecclesiae causam propugnare pergas, nihilque intentatum relinquas, quod ad tui gregis salutem procurandam pertinere posse cognoveris. Nos quidem pro officii Nostri munere, quantum cum Domino poterimus, haud omittemus omnem operam adhibere, ut sacrae istic res, Deo bene iuvante, in meliorem conditionem adducantur. Interim vero, dum tibi de pastorali tua sollicitudine vehementer gratulamur, Nostrae in te praecipuae benevolentiae testem ac caelestium omnium munerum auspicem, apostolicam benedictionem ex intimo corde depromptam, tibi ipsi, venerabilis frater, et omnibus tuae ecclesiae clericis laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima tertia maii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCLXXII.

EPISTOLA

Ad Iulium Goussin, Praesidem generalem Societatis S. Vincentii a Paulo scribens, ei gratias agit pro libro, dono accepto et inscripto « Manuel de la Societé de S. Vincent de Paul ». Ei autem gratulatur quod Societas ipsa tum in Gallia tum in aliis Europae et Americae dioecesibus prospere feliciterque progrediatur [1].

Dilecto filio
Iulio Goussin
praesidi generali
societatis s. Vincentii a Paulo
Lutetiam Parisiorum

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Libenti sane animo tuas obsequentissimas accepimus literas, quibus nomine ipsius societatis S. Vincentii a Paulo, librum Nobis dono mittere voluisti, gallica lingua exaratum cum Parisiensibus typis superiori anno in lucem editum et inscriptum « Manuel de la Societé de S. Vincent de Paul ». Equidem gravissimis supremi Nostri pontificatus curis assidue distenti, nihil adhuc de eo libro degustare potuimus. Gratissimum vero Nobis fuit ex iisdem literis cognoscere societatem ipsam tum in Gallia, tum in aliis Europae et Americae dioecesibus, divina adspirante gratia, prospere feliciterque in dies progredi, eiusque societatis sodales summa Nos et hanc Petri Cathedram observantia prosequi, sedulamque industriam in christianae caritatis operibus exercendis impendere, atque in pauperibus iuvandis eo praesertim spectare ut illorum animi sanctissimis Nostrae religionis praeceptionibus imbuantur atque ad virtutem et honestatem instituantur. Itaque et eidem societati gratulamur et a clementissimo bonorum omnium largitore Deo suppliciter poscimus, ut ad maiorem sui nominis gloriam et proximorum utilitatem societati ipsi eiusque sodalibus caelesti sua ope semper propitius adesse velit.

Interim vero pro dono gratias agimus ad superni praesidii auspicem et praecipuae Nostrae benevolentiae testem apostolicam benedictionem tibi ipsi, dilecte fili, qui eidem societati praees, ac omnibus illius sodalibus intimo cordis affectu amanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima maii millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CCCLXXIII.

EPISTOLA

Indulget, ut in ducatu Mutinensi, nonnullis in casibus ac praescripta ratione tribunalia saecularia dignoscant et iudicent causas vel civiles vel criminales de ecclesiasticis viris; utque in quacumque eiusdem ducatus dioecesi consilium seu commissio instituatur, episcopo praeside, de beneficiorum reditibus recte administrandis et erogandis [2].

Dilectissimo in Christo filio
Francisco IV
Aestino et Mutinensium duci

GREGORIUS PP. XVI.

Dilectissime in Christo fili Noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Quantum christianae reipublicae intersit, ut sacra Ecclesiae iura a supremis regibus et prin-

[1] Ex Archivio Brevium ad Principes.

[2] Ex Archivio S. Congr. Negot. Ecclesiast. extra ord.

cipibus aestuosas etiam inter commutationes temporum acerbitate partas sancte inviolateque retineantur, non est cur spectatae pietati virtutique tuae explicemus. Nos enim ab eo usque die, quo pontificium solium trepidanter quidem, sed Deo obsequentes conscendimus, impensi, quo flagras, pro catholica religione studii, singularis erga Nos et hanc Apostolicam Sedem obsequii et observantiae sensus satis superque perspeximus.

Nunc vero, ad tot tantasque, quibus praefulges, virtutes, quidam veluti cumulus accessit, propterea, quia probe noscens in vigentibus tuae ditionis legibus nonnulla reperiri, quae sacris iuribus adversantur, atque hactenus cum ecclesiasticae iurisdictionis detrimento vim habuere, hisce catholicae religioni illatis iacturis prospicere constituisti, atque Ecclesiae et sacrorum ministrorum dignitatem tueri.

Verum quum ob temporum calamitatem aliasque impeditissimas difficultates huiusmodi mala omnino de medio tollere, prout tuis erat in votis, haud potueris, iccirco per dilectissimum filium comitem Hieronymum Riccini tuum a consiliis Status ac Mutinae praefectum, virum pietate, ingenio, doctrina rerumque usu praestantem semel iterumque Nos adiisti, ut nonnullis in rebus, quae ad ecclesiasticam disciplinam et ad fori episcopalis exercitium, ubi praesertim de criminibus agitur, pertinent, Nostram indulgentiam tibi praebere velimus.

Nos igitur te, eximiis in orthodoxam religionem et hanc Sanctam Sedem meritis praeditum et illustrem, praecipuo quodam paterni animi Nostri affectu prosequuti, tuisque votis benigne annuentes, sartis tectisque semper Ecclesiae legibus, aliquid ab illius disciplina relaxare haud gravate inducimur.

Quapropter auctoritate Nostra apostolica, hisce literis indulgemus, ut causae vere civiles ecclesiasticos inter et laicos viros, vel etiam duos inter ecclesiasticos a tribunali saeculari cognoscantur et iudicentur.

Sinimus praeterea, ut tribunalia saecularia causas iudicent criminales de ecclesiasticis viris in criminibus laesae maiestatis, seditionis et vectigalium fraudationis, dummodo tamen aliquis adsit praepositus, seu deputatus e clero adlegendus, ac debita servetur ratio in comprehendendo reo, atque in conficiendis actis, communicatis cum episcopo consiliis.

Si vero reus poena capitis fuerit damnatus, autographa acta episcopo tradantur, ac necessarium ipsi episcopo tempus concedatur, ut ex sacrorum canonum legibus iudicet, utrum degradationis poena locum habeat, nec ne, sine qua nunquam mortis sententia exequutioni mandari poterit.

Ad haec permittimus, ut causae ecclesiasticae dictae, proptereaquod cum spirituali et ecclesiastica re coniunctae, illae nempe beneficia et decimas spectantes, si clericum inter et laicum agantur, a tribunali saeculari in *possessorio* tantum iudicentur.

Denique indulgemus, ut in quacumque tuae ditionis dioecesi, consilium seu commissio ex duobus cathedralis ecclesiae canonicis atque ex procuratore seu administro a te designando conflata constituatur, quae commissio, episcopo praeside, vacantium beneficiorum reditus administrare atque erogare possit, itemque beneficiorum fundis recte administrandis advigilare, quamvis viri beneficiis ipsis instructi vitam agant.

Proprii autem cuiusque dioecesis episcopi erit, duos canonicos pro huiusmodi commissione praescriptos eligere, eosque removere, itemque ea praescribere, quae ad commissionem ipsam instituendam opportuna esse censuerit. Haec sinimus atque indulgemus, non obstantibus apostolicis ac in universalibus etc. etiam speciali mentione dignis, in contrarium quibuscumque.

Tibi autem, dilectissime in Christo fili, cum diuturnae ac solidae felicitatis auspicio apostolicam benedictionem paternae Nostrae in te benevolentiae testem peramanter impertimur.

Datum Romae apud s. Petrum die trigesima aprilis millesimo octingentesimo quadragesimo primo.

INDEX RERUM

I. Litterae Apostolicae sub annulo piscatoris « *Multiplices inter* » die 15 ianuarii 1840, quibus periclitantium puellarum gynaeceum ab administratione commissarii camerae apostolicae aufertur, illudque iterum pontificii aerarii praefecto perpetuo committitur, cum potestate designandi puellas in id gynaeceum cooptandas, et reddituum administrationem regendi resque oeconomicas moderandi . . . . . pag. 1

II. Indultum « *Cum Nobis* » die 7 februarii 1840, quo fit concessio indumentorum magis insignium favore canonicorum Apuanae ecclesiae cathedralis 2

III. Litterae Apostolicae sub annulo piscatoris « *Ad supremum* » die 7 februarii 1840, quibus regiam ecclesiam S. Aloysii Gallorum Urbis a parochialium ecclesiarum numero penitus aufert et animarum curam ecclesiae S. Mariae Magdalenae Clericorum Ministrantium Infirmis perpetuo committit 3

IV. Litterae Apostolicae sub annulo piscatoris « *Pastorale officium* » die 14 februarii 1840, quibus ad avertenda religionis pericula ab insula Mauritia, ad eam mittit vicarii apostolici munere et facultatibus praeditum Bernardum Collier, congregationis Anglo-Benedictinae. 5

V. Epistola « *Cum amaritudine* » die 19 februarii 1840, qua gratulatur praesidi novi instituti catholici in Anglia, eo consilio invecti, ut catholici in fide serventur et libri edantur ad vindicandam Ecclesiam ab haereticorum calumniis 5

VI. Indultum « *Honorifica insignia* » die 14 februarii 1840, quo canonicis ecclesiae cathedralis Mutinensis, facultas tribuitur gestandi tibialia violacei coloris 6

VII. Litterae Apostolicae sub annulo piscatoris « *Exponendum Nobis* » die 17 martii 1840, quibus paroecia s. Aegydii de Piscinale iterum instituitur, et presbyter Iosephus Core, eidem veluti parochus praeficiendus, a lege concursus solvitur. . 7

VIII. Litterae Apostolicae sub annulo piscatoris « *Romano Pontifici* » die 24 martii 1840, quibus constitutiones, statuta et regulae fratrum congregationis Sacratissimorum Cordium Iesu et Mariae, necnon et Adorationis Perpetuae SS. Sacramenti Altaris adprobantur. . . . . pag. 8

IX. Litterae Apostolicae sub annulo piscatoris « *Romanum decet* » die 31 martii 1840, quibus paroecia in regio sacello, vulgo Portici, erigitur atque instituitur, eique peculiaria quaedam loca attribuuntur 40

X. Indultum « *Romanorum indulgentia* » die 7 aprilis 1840, quo canonicis cathedralis templi Ripani datur facultas gestandi vestem talarem cum fascia violacei coloris et collare ac floccum in pileo eiusdem violacei coloris 42

XI. Litterae Apostolicae sub annulo piscatoris « *Exponendum Nobis* » die 10 aprilis 1840, quibus episcopo Lucionensi datur facultas instituendi confraternitates in sua dioecesi haud rite erectas. 43

XII. Epistola « *Apostolatus officium* » die 10 aprilis 1840, qua intuitu Syrorum Chaldaeorum Malabaris, vicario apostolico Verapolis in praesentia subiectis, qui antea archiepiscopo Cranganorensi subiiciebantur, iisque optantibus, praefatum vicarium ad titulum ecclesiae archiepiscopalis evehit 44

XIII. Litterae Apostolicae sub annulo piscatoris « *In apostolicae* » die 10 aprilis 1840, quibus novo cathedrali templo Cadicen. et illius canonicorum collegio, omnia et singula quaeque iura, privilegia, indulta tribuuntur, quibus antea fruebantur 45

XIV. Allocutio « *Afflictas in Tunquino* » die 27 aprilis 1840, qua praedicat illorum virtutem, qui in Tunquinensi persecutione pro fide Christi sua corpora tradiderunt 46

XV. Allocutio « *Quas Ecclesia Catholica* » die 27 aprilis 1840, qua Nicolao Isaiae Iacobi Babylonensis, nationis Chaldaeorum patriarchae, sacrum pallium concedit. 48

XVI. Litterae Apostolicae sub annulo piscatoris « *Per similes* » die 28 aprilis 1840, quibus episcopo Passavien. conceditur ut ea utatur facultate, quae Bavariae archiepiscopis et episcopis per similes apostolicas literas, die decima nona de-

cembris millesimo octingentesimo vigesimo quarto datas, fuit tributa . . . . . pag. 49

XVII. Bulla « *Apostolicam sollicitudinem* » quinto kalendas maias 1840, qua fit nova erectio ecclesiae episcopalis Californiae in America 50

XVIII. Bulla « *Beneficentissimo* » duodecimo kalendas iunii 1840, qua fit nova erectio archiepiscopalis ecclesiae sancti Iacobi, in America meridionali, olim episcopalis. 52

XIX. Epistola « *Has ad te literas* » die 23 maii 1840, qua constantia Philippi Feliciani episcopi Chelmensis in vera fide atque unitate custodienda laudatur, simulque multa eidem insinuantur, ne catholici Rutheni ab illis recedant 54

XX. Nota officialis S. R. E. cardinalis a secretis Status « *Il sottoscritto* » 1 iunii 1840, qua nomine Pontificis dolet de malis quibus afflicta est Religio Catholica in regnis Russicis 56

XXI. Bulla « *Ubi universalis Ecclesiae* » die 2 iunii 1840, qua occasione divisionis territorii inter reges Belgarum et Belgii (vulgo *dei Paesi Bassi*) separatis a dioecesibus Leodiensi et Namurcensi pluribus civitatibus, oppidis, paroeciis etc., ex eorum nonnullis constituit vicariatum apostolicum Limburgensem; alia addit cum districtibus Ravestein et Megen vicariatui apostolico Buscoducensi, a quo tamen vicariatu separat oppidum de Lommel, quod Leodiensi dioecesi unit; alia tandem aggregat vicariatui Luxemburgensi . 59

XXII. Litterae Apostolicae sub annulo piscatoris « *Multa inter pia* » die 5 iunii 1840, quibus domus Filiarum oppidi Lovere *(Brescia)* aliaeque omnes quae in posterum in regionibus regni Insubrium Venetorum *(Lombardo Veneto)* a domo eiusdem instituti civitatis Vesontii *(Besançone)* seiunguntur 61

XXIII. Indultum « *Romani munificentia* » die 16 iunii 1840, quo fit concessio indumentorum magis insignium canonicis Lucensis civitatis 62

XXIV. Bulla « *Ubi primum* » kalendis iulii 1840, qua fit erectio episcopalis ecclesiae s. Caroli in America meridionali. 63

XXV. Bulla « *Ad apostolicae potestatis fastigium* » kalendas iulii 1840, qua fit erectio episcopalis ecclesiae de Serena in America meridionali. 66

XXVI. Litterae Apostolicae sub annulo piscatoris « *In amplissimo* » die 3 iulii 1840, quibus statuit abbatem s. Mauritii in inferiori Valesia pro tempore, episcopali charactere decorandum esse, eique conferendum episcopatum Bethleem Syriae in partibus infidelium 69

XXVII. Litterae Apostolicae sub annulo piscatoris « *Muneris apostolici ratio* » die 3 iulii 1840, quibus ex quatuor vicariatibus apostolicis Angliae regnum complectentibus, octo constituit, unicuique nomine et limitibus assignatis . . . . . pag. 70

XXVIII. Litterae Apostolicae sub annulo piscatoris « *Cum nobiles viri* » die 7 iulii 1840, quibus confirmantur tituli marchionis *di Roma Vecchia,* principis *di Civitella Cesi* et ducis *di Ceri* pro Alexandro Torlonia eiusque posteris primogenitis. 71

XXIX. Epistola « *Litteras accepimus* » die 13 iulii 1840, qua cum Leopoldo Belgarum rege gratulatur de nova suscepta prole 73

XXX. Epistola « *Certiores facti* » die 15 iulii 1840, qua regi Birmannorum gratias agit ob eius benevolentiam in christianos, eique additis nonnullis muneribus, illos cum vicario apostolico Avae et Pegù ac missionariis commendat 73

XXXI. Litterae Apostolicae sub annulo piscatoris « *Cum ex religiosis familiis* » die 21 iulii 1840, quibus adprobatur et confirmatur donatio novi templi et coenobii Viaregii in dioecesi Lucensi, a Lucensium duce, favore fratrum ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis facta . . 74

XXXII. Litterae Apostolicae sub annulo piscatoris « *Pastorale officium* » die 24 iulii 1840, quibus delegatum et visitatorem apostolicum intuitu fidei propagandae, ad abyssinos mittit Thoedorum Abukarim episcopum Italiensem, cui iam commissa fuerat cura catholicorum Coptorum Aegypti 75

XXXIII. Litterae Apostolicae sub annulo piscatoris « *Piorum hominum* » die 28 iulii 1840, quibus confraternitas Boni Pastoris et Beatae Mariae Virginis in cathedrali ecclesia Rhedonensi in confraternitatem evehitur. 75

XXXIV. Indultum « *Romanorum indulgentia* » die 4 augusti 1840, quo facultas gestandi nonnulla insignia senioribus participantibus cathedralis ecclesiae Melphiten. concessa a Pio VII, ad reliquos participantes protenditur 76

XXXV. Litterae Apostolicae sub annulo piscatoris « *Cum viri* » die 7 augusti 1840, quibus ecclesia s. Mariae oppidi Scigliano–Diano, in Neocastrensi dioecesi, in collegialem ecclesiam erigitur. 77

XXXVI. Nota « *Il sottoscritto* » die 16 augusti 1840, qua cardinalis a secretis Status nomine Pontificis conqueritur quominus episcopus Podlachiensis longe a sua dioecesi sit detentus, et cum dilecto grege communicare non possit. 78

XXXVII. Litterae Apostolicae sub annulo piscatoris « *Ubi primum* » die 18 augusti 1840, quibus Aloysium S. R. E. cardinalem Lambruschini deputat pro consecratione augusti templi Mariae Sanctae Angelorum ad Assisium siti . . . . . pag. 79

XXXVIII. Motu proprio « *Cum ad augendam* » die 18 augusti 1840, quo provinciam Yun-Nan in Sinis segregat a vicariatu Sutchuensi, et erigit in novum vicariatum apostolicum, cuius curam committit seminario Parisiensi missionum ad exteros 80

XXXIX. Epistola « *Cum per similes* » die 28 augusti 1840, qua superiori seminarii Parisiensis missionum ad exteros committit electionem vicarii apostolici Yun-nan, charactere episcopali decorandi, ex missionariis eiusdem seminarii in Sinis laborantibus 81

XL. Motu proprio « *Cum per similes* » die 28 augusti 1840, quo Mongoliam erigit in peculiarem vicariatum apostolicum a vicariatu Leao-tung disiunctum, eiusque curam tradit congregationi Missionis Sancti Vincentii a Paulo. 81

XLI. Epistola « *Cum per similes* » die 28 augusti 1840, qua superiori generali congregationis Missionis mandat, ut novo vicariatui Mongoliae unum ex alumnis congregationis praeficiat, episcopali titulo decorandum 82

XLII. Epistola « *Cum ad iurgia* » die 28 augusti 1840, qua visitatorem apostolicum pro missione in Bosnia eligit. . . . 82

XLIII. Epistola « *Longe alia* » die 1 septembris 1840, qua ad Fridericum Guillelmum Borussiae regem scribens, dolet de eius luctu ; hinc cum eo laetatur de suscepto imperio, eumque vehementer hortatur ut nihil impediat quominus catholici iis utantur conditionibus, quibus ad liberum cultus exercitium opus habent. . 83

XLIV. Epistola Encyclica « *Probe nostis* » die 18 septembris 1840, qua deplorat impiorum conatus ad religionem evellendam ; animum recreat suum recolendo Ecclesiae triumphos per apostolicos operarios ; societatem Propagationis Fidei, Lugduni institutam, laudibus prosequitur ; praesules hortatur huius societatis incrementa fovere etc. 83

XLV. Litterae Apostolicae sub annulo piscatoris « *Cum nobiles familiae* » die 25 septembris 1840, quibus praedium vulgo *Solfagnano* in marchionatum erigitur. 86

XLVI. Epistola « *Praeclara* » die 1 octobris 1840, qua cum Francisco Estense Archiduce Austriae et Mutinae duce dolet de morte eius uxoris, eumque consolatur. 87

